HISPANIÆ ILLVSTRATAE SEV VRBIVM RERVMQVE HISPANICARVM, ACADEMIARVM, BIBLIOTHECARVM, CLARORVM DENIQVE IN OMNI DISCIPLINARVM GENERE Scriptorum Auctores varii Chronologi, Historici,

PARTIM EDITI NVNC PRIMVM, PARTIM AVCTIORES, melioresque facti studio, & opera

ANDREÆ SCHOTTI ANTVERP.
Societatis IESV.

Tomus IIII.

FRANCOFVRTI
Apud Claudium Marnium & heredes Ioan. Aubrii.

ANNO M. DC. VIII.

REVERENDISSIMO

D. IOANNI MIRÆO ANTVERPIENSIVM EPISCOPO, FRANC. SCHOTTVS Iurisconsul.

S. D.

QVI VITAM MORTALIVM Peregrinationem *appellarunt, Præsul optime, nailli multum vidisse censendi sunt: vt qui* militiam *cum Iobo, aut* vigiliam *cum Plinio nominarunt: Sancta nimirum sacris è litteris sententia vtilitatis, consolationisque plena: quam heroicis illis temporibus Patriarchæ peregrinos se, dum in terris degerent, existimantes, liberis suis, velut testamenti iure, transcripserunt.*

Vates enim idemq; Rex, Psalmo 38. Aduena, *inquit*, ego sum, apud te Deus, *peregrinus, sicut omnes patres mei. Qui autem peregrinus in viam se dedit, is prudenter maturat, amicitias per viam non contrahit: alieno in solo ac cœlo, qua spectat, miratur quidem, sed, quod hinc consequens est, adamare cauet, neq; affectare, veritus, ne quò studet in portum patriamq; minime perueniat. Fugitur reliqua, quæ oneri sint, aut moram iniiciant, vt delicias, vt otium, vitat; ne, vt fit, ἀνδημίαν vertat in ἐνδημίαν. Tale huius vitæ curriculum est, ac veluti stadium, vt non nisi doctor domũ meliorq; viator redeat, vel de via lassus in portu tandem aliquando cõquiescat. Quod prælarè, vt omnia, Philosophi illi veteres naturæ dum taxat lumine illustrati obseruarunt. Pythagoras enim similem sibi vitam hominum aiebat, & mercatum eum, qui haberetur maximo ludorum apparatu totius Græciæ celebritate. Nam vt illic alii corporibus exercitatis gloriam & nobilitatem corõnæ peterent, alii emendi aut vendendi quæstu & lucro ducerentur, esset autem quoddam genus eorum, idq; vel maxime ingenuum, qui nec plausum nec lucrum quærerent, sed visendi causa venirent, studioseque inspicerent, quid ageretur: ita nos, quasi in panegyrim quandam ex vrbe alia, sic in hanc vitam ex alia vita profectos, alios gloriæ seruire, alios pecuniæ, esse quosdam, qui cæteris omnibus pro nihilo habitis, rerum naturam studiose intuerentur, & ad ingenium excolendum se compararent, vel ad alios iuuandum se conuerterent. Hos ille* Philosophos, *hoc est, sapientiæ studiosos nominauit. Idemq; discendi docendiq; studio inflammatus, & Ægyptum lustrauit & Persarum Magos adiit, tantas regiones Barbarorum pedibus obiit, tot maria transmisit. Eius quoq; Apollonius Tyaneus auditor quantum terra marique iactatus fuerit, Philostrati libri testantur. Diuinus adhæc Plato, nonne ipsum peregrinari voluit, vt à sacerdotibus Barbaris numeros & cælestia accipe-*

ret? post Tarentum ad Archytam, mox ad reliquos Pythagoreos, in his Timæum se contulit, quorum doctrinam Socratis disciplinæ coniungeret? Hic & libro Legum duodecimo, in ea, quam formabat, bene constitutæ Reip. idea, de peregrinis sic tulit, partim iis, qui hospites peregrinarentur, partim in vrbē reciperentur, illos natu grandiores atq; cordatos postulat: cumq; domum longo intercruallo redirent, Senatui exponere iubet aliarum gentium instituta, leges ac ritus, si quid forsitan aut ab aliis didicerint, aut per se ipsi inuenerint. Si meliores doctioresq; redierint, magnis honoribus ac laudibus viuos iuxta ac mortuos affici vult; sin deteriores corruptiſque sint moribus, eorum interdicendum familiaritate pronunciat, & si Magistratui morem gesserint, priuatos degere; sin secus, & leges, institutaque maiorum labefactare tētarint, capite panas dare iubet. De peregrinis vero in vrbem recipiendis quatuor hominum genera statuit. Primum Mercatorum, qui importandis exportandisque mercibus inuigilant, atque asium more lucri studio terra marique ad Indos vsque ac Garamantas penetrant. Eos Plato in vrbis pomoeriis habendos, ibidemque ius dicendum censuit, ne, vt fit, cum mercibus, peregrinis etiam moribus, ciues corrumpant delitiisque eneruent. Hinc & Gallorum fortißimos Belgas, & in his Neruios C. Cæsar experimento didicit, quod nihil eorum, quæ ad effeminandos animos pertinerent, importari tum soleret. Alteros, qui studiorum gratia tantum peregrinantur, in vrbem recipiendos putat, ac propter templa diuersoria eis attribuit, quorum sacerdotes ac mysta curam gerant. Tertii sunt Legati atque Oratores, quorum sollicitudinem belli Præfectis mandat. Quartum genus idque rārius, quos θεωρούς hoc est, Spectatores nominat, & in vrbem admittendos negat, nisi se natu maiores sint, & eo plane animo accesserint, vt aliorum bene constitutam Rempub. inspiciant. Leges, mores ac cærimonias & cognoscant ipsi & cum aliis communicent. Hæc ferè Plato ab eodemque laudatus Isocrates Athenienſium Orator sic paraneſi Demonicum hortatur (ſeu quis alius auctor, in controuersiam vocantibus Criticis): Turpe videri Mercatorem tot maria lucelli gratia traiicere; iuuenes verò, ne terrestre quidem iter, quo mentem ornatiorem reddant, ingredi velle.

Itaque ne pigeat, monet, vel immensum iter adeos, qui se, quid vtile dicturos, profitentur ſuscepiſſe. Quid? Philoſophos pæne omnes, nonne propter discendi cupiditatem vltimas terras peragraſſe videmus? vt voluntarium sibi exilium, quo scientiam augerent, indixiſſe videantur; nec domum prius remeare quam disciplinarum opibus patriam, cui se natos arbitrarentur, exornare possent. Socrates Academiæ auctor idcirco mundi *se* incolam *prædicabat, vt Tullius ille Ennianus* patriam esse *ait* vbi bene sit cuique, *quemadmodū aera ac maria auibus, piſcibusq; communia exiſtunt. Eius auditor Plato in Timæo Critiam grauiter increpat, vt & pueros vocare non dubitet, quod antiquitatis omnis ignari socordia quadam domi desiderent. Hic Plato, Philoſophorum Homerus dictus: qui Poetarum facile Coryphæus Vlyſſem terra marique vigilantem annorum* πολυπλάνητον *iactatum,* πολύτροπον *vt politicum hominem Odyſſea exhibet*

Πολλῶν δ' ἀνθρώπων ἴδεν, ἄστεα καὶ νόον ἔγνω.

Qui mores hominum multorum vidit & vrbes.

Ca

Ceteri Philosophi discendi gratia sunt peregrinati, teste Tullio ac Laertio, Xenocrates, Crātor, Arcesilas, Lacydes, Zeno, Cleanthes, Chrysippus, Posidonius, Antipater, Carneades, Pānatius, Clitomachus, Philo, Antiochus, innumerabiles alii, qui semel egressi domum, numquam redierunt. Theophrastus vero à diuina nomen Eloquentia sortitus, Aristotelis in schola διάλογος mire laudat, vt idem auctor est Cicero, hospitalitatem: ratus decorum videri patere domos hominum illustrium illustribus hospitibus: Reipub. praterea ornamēto esse exteros hoc liberalitatis genere non regere. Id quoque Cimonis Atheniensium Ducis in suos curiales Laciadas liberalitate comprobauit.

Verumenimuero Christiani Euangelii luce eruditi longè quam gentes ac Philosophi illi vtilius hodie peregrinantur, vt Te omnium, Præsul doctissime, minime fugit: partim qui sacra loca religiose frequentant, vt Palæstinam B. Hieronymus iuxta Domum præsepe impressaque à Christo vestigia: partim qui Academias obeunt, ac Bibliothecas inspiciunt, tanquam in scientiarum mercatum profecti, in patriam tandem doctiores melioresque reuertūt, sic & frater meus ANDREAS, *rei gerundæ gratia olim à parente Franc. Schotto CL. V. in Hispaniam missus, turbante bello ciuili Belgio, viginti ipsos annos, quot Vlysses, peregrinatus est, patria sponte carens, Hispaniæ atque Italiæ gymnasia sic obiuit, vt & doctoris personam de superiore identidem sustineret. Bibliothecas etiam scrutando, quæ adhuc inedita laterent, inuestigauit. Doctissimis adhæc hominibus familiariter vsus, vt non, nisi doctior, ab eorum latere discederet: in his Ant. Augustino, Ant. Couarruuia, Garsia Loaysa, Aluaro Gometio, ac Pet. Joan. Nunnesio. De societate vero Ioan. Marianæ ac Petro Ribadeneyra perfamiliaris, hominum doctissimorum pietate inuitatus, votique reus, post aggregari sociis voluit, degitque benemerendi studio, inuandique cupiditate flagrans. Testes sunt in lucem hactenus edita monumenta:* Senecæ Rhetoris Suasoriæ & Controuersiæ, *prodigiose vsq; eo deprauate, vt ab iis legendis plerique hactenus refugerint. Testes* Vitæ comparatæ Aristotelis ac Demosthenis *qualium, per olympiadas atque archontas: nuper etiam Photii Bibliotheca græcè Augustæ Vindelicorū excusa, quam etiam Latinè redditam transcripsit. Adhæc ne immemor & ingratus erga Iberos, quib. multū & vellet & deberet, videretur, quemadmodum Cicero T. Attico promiserat, editurum se aliquando peregrinationis suæ fructum, sic hoc egit frater, vt* Hispanicarū rerū Scriptores Latinos *colligeret, atq; vno veluti fasce colligaret: quorū Tomus hic quartus est, quem Tibi libens volensq; Episcopo meritissimo, veluti coetum Episcoporū plurimorum ad hāc diem trans Pyrenæos nondum visorum, offerri per me voluit.*

Agmen ducet Lucæ Tudensis Episcopi Chronicon, *typis antea numquam* euulgatum. *Hunc sequitur* Victor Tūnunensis *in Africa Præsul &* Ioan. Scalabitanus, Gerundensis *Ecclesiæ è Biclarensi Abbate Episcopus: mox &* Idacius *seu potius* Ithacius: *qui fere omnes Chronologiam Eusebii ad sua vsque tempora* perduxerūt, *hactenus vel inediti, vel certe sic deprauati, nihil vt sanū appareret.* His B. Eulogius Cordubensis Episc. *De certaminibus Martyrū in Hispania* accessit *ab Ambrosio Morali Cordubensi Notis egregie illustratus. Insi-*

gnem vero Episcoporum hũc gregem excipiet Hispaniæ Chorographia *Ludouici Nonii Medici Antuerpiani*; Bibliotheca *quoque* triplex Clarorum Hispaniæ Scriptorum, *præsertim Theologorum. Quem quidem fratris mei colligendi industriam, atque edolando labórem Ecclesiæ Dei, vt opto & spero, profuturum, aqui boni vt facias, Præsul optime, benigneque suscipias, etiam atq; etiam oramus obtestamurque. Sic TE DEVS OPT. MAX Ecclesiæ sponsa in Belgio nostro fatali bello afflictæ diutissime seruet incolumem. Antuerpiæ Kal. Martiis* CIↃ. IↃCVII.

CA

CATALOGVS AVCTORVM,

QVORVM OPERA IN HOC IV. TOMO RERUM Hiſpanicarum continentur.

I LVCAE Diaconi TVDENSIS Chronicon mundi ab origine mundi vſque ad Eram MCCLXXIV. pag. 1.

II VICTORIS Epiſcopi TVNNVNENSIS Chronicon à XIIX conſulatu Theodoſii Iunioris vſque ad annum à nato Chriſto DLXIII. pag. 117.

III IOANNIS Abbatis BICLARENSIS Chronicon ab initio regni Iuſtini Iunioris vſque ad annum VIII Mauritii Imp. pag. 152.

IV IDACII Chronographia à primo rege Aſſyriorum Nino vſque ad annum II Anthemii. pag. 160.

V EVLOGII martyris opera, eiusdemque vita &c. omnia cum ſcholiis Ambroſii Moralis pag. 213.

VI LVDOVICI NONII Hiſpania, ſiue Populorum, Vrbium, Inſularum, ac Fluminum in ea accuratior Deſcriptio pag. 373.

LV-



LVCÆ DIACONI PRÆFATIO IN HISTORIAM SEV CHRONICAM BEATI ISIDORI ARCHIEPISCOPI HISPALENSIS.

BEATITVDO potentię temporalis tunc in vero esse disponitur, quando per bona temporalia ad æternam beatitudinem homo perducitur. Nam sicut Rex regum dominus Iesus Christus testatur, nihil prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animę verò suę detrimentum patiatur? Omnis quidem potestas bona, quia vt ait Apostolus ex Deo est: & fidelibus præcipit, potestatibus sublimioribus subiici, siue Regi quasi præcellenti, siue ducibus tanquam ab eo missis. Rex dicitur à regendo, quod se & alios bene regat. cui specialius quinque sunt necessaria. Primò videlicet creatorem & Regem suum, patrem & filium & spiritum sanctum vnum verum Deum in vnitate substantiæ & in trinitate personarum agnoscere. Secundò fidem catholicam moribus & verbis confiteri. Tertiò regnum in pace omnimode conseruare. Quartò sine acceptione personarum vnicuique iustitiam exhibere. Quintò verò hostes viriliter contemptis cunctis laboribus expugnare. Princeps enim delicatus potius flectitur ad carnis ludibria peragenda, quam ad hostium obstinatam fortitudinem feriendam. Princeps delicatus vino madet, lenitur blanditiis meretricum, dissoluitur luxuria, & susurronibus libenter apponit aurem. De primis duobus sacra scriptura dicit, quod vinum & mulieres apostatare faciũt sapientem. De tertio dicit beatus Isidorus, quod luxuria corpus debilitat, debilitatum autem citius ducit ad senectutem, de senectute ad mortem, de morte ad æternam damnationem. De quarto verò diuina sapientia dicit: quod princeps qui libenter audit verba susurri, omnes ministros habet impios. Sed auferatur susurro & cessabit perturbatio. De principe autem quem præcedit sapientia, roborat fortitudo, consilium firmat, & illum non rapit leuitas vel audacia, nec ira furere facit, o loquitur sacra scriptura dicens: Rex qui sedet in solio iudicii intuitu suo dissipat omne malum. Semper solicitatur Princeps sapiens, ne suis excessibus in temporalibus aut spiritualibus patiatur populus sibi subditus detrimentum. Nam plerumq; pro peccatis Principum ira Dei in populos incandescit: & quotquot eius culpa dilapsi sunt in peccatum, de illis Deo redditurus est rationem. Hoc etiam considerat Rex honestus, vt quidquid egerit siue bonum siue malum, eo quod scripturæ perpetuo commendetur, ab hominum memoria non recedat. Probitas nomen in se nõ patitur offuscari, ne à nobilibus patrum actibus merito degener habeatur. Moribus probitatum se probat esse de genere illorum Principum, per quos fortis & clemens victoria facta est in populis orbis terræ. Plerumq; caloris & frigoris intemperiem, sitim patitur & esuriem, vt populos sibi subditos gloriosius valeat gubernare. Cauet ne ad ipsum sentẽtia flectatur, qua dicitur; Væ terræ cuius Rex puer est, & cuius Principes mane comedunt. Illam autem in se desiderat experiri: Beata terra, cuius Rex sapiens est, & cuius Principes vescuntur tempore suo. A strictis præceptis gloriosissimæ ac prudentissimæ Hispaniarum Reginæ dominæ Berengariæ, quæ vt chronicorum libros à beato Isidoro & à quibusdam aliis peritis de historia Regum Hispanorum & quorundam aliorum editos sibi scriberem imperauit, hanc præmisi præfationem, vt prima fronte voluminis discant Principes præclaro negotio sanguine generosi non minus sapienter & clementer, quam in manu valida regna sibi subdita gubernare. Tunc enim iuris ordo seruatur, cum magis ex æquitate quam ex potestate in regimine proceditur subditorum.

EIVSDEM LVCAE DE EXCELLENTIA Hiſpaniæ.

DONIS affluens propriis patria Hiſpanorum, etiam multorum priuilegiorum prærogatiuas inter primas mundi prouincias à domino meruit inſigniri. Hæc patria, aëris ſalubritate, ſoli fœcunditate, animalium vbertate, fontium, fluminum, & piſcium copia, arborum amœnitate, & fere cunctarum rerum ad vſus vtilitatis & delectationis hominum pertinentium ſufficientiſſime dignoſcitur abundare. Inter ipſas delitias conſert diuitias † rebus, eo quod ſerico, argento & auro puriſſimo præfulgeat. Inter cæteras regiones excellit orbem vniuerſum auibus ſilueſtribus domeſticis, & equis pulcherrimis & fortiſſimis, agilitate mirabili velociſſimis, vt bellicoſis militibus in aliquo non deſit materia viriliter decertandi. Exceptis omnibus his temporalibus bonis omnipotens Deus in tantum Hiſpaniam cæleſtibus ditauit donis, vt protomartyris Apoſtolorum Iacobi corpus ſibi tranſmitteret perpetuo in carne amplectendum, & doctorem gentium Paulum illi contulit ſpecialius in ſpiritu venerandũ. Etenim cum Romanis idem Apoſtolus ſcriberet, dixit ſe per eos tranſitum facturum, & venturum ad Hiſpanias. Quod vtrum in corpore venerit, licet quædam ſcripta, quæ videntur authentica, eum teſtentur veniſſe corporaliter, nos tamen ignoramus. Firmiter credimus eum promiſſum ſuum etſi non in corpore tamen in ſpiritu compleuiſſe: quia veritatis Apoſtolus mentiri non potuit. Teneat ergo Roma corpus Apoſtoli Pauli, & Hiſpania quadã prærogatiua, eius ſpiritus patrociniis ſe perfrui glorietur. Accedit ad Hiſpaniam antonomaſie decorãdam, quod illos duos inſignes martyres & Leuitas, ſcil. Laurentiũ & Vincentiũ genuit: quorum fama & ſanctitate vbiq; eccleſia Chriſti roboratur. Quæ patria vel quæ ciuitas vt Legio vrbs Hiſpaniæ tale quid protulit, quam Chriſti martyrẽ Marcellum centurionem cum beatiſſima vxore Nona & duodecim filiis centurionibus & Chriſti martyribus edidit: quorum ſanguine & fide plebs catholica roboratur. Nomina eorũ hæc ſunt, Claudius, Lupercus, Victoricus, Facundus, Primitiuus, Emeterius, Celedonius, Seruandus, Germanus, Fauſtus, Ianuarius, & Martialis. Vtrum ad preſens omittam infinitam aliorum ſanctorum multitudinem, quorum martyrio & doctrina Hiſpania fulget: veniam ad Seueriaoum Carthaginenſem Ducem, qui de vxore Theodora illos tres doctores inclytos Leandrum ſcilicet Archiepiſcopum Hiſpalenſem & Iſidorum archipræſulem ambos primates Hiſpaniæ, atq; Fulgentium epiſcopum omnes Chriſti confeſſores, filios meruit obtinere. Augent & laudes Chriſti virgo Florentina religioſarum Abbatiſſa, & Theodoſia glorioſa Regina: quæ ſanctorum horum doctorum vtroq; parente ſorores fuerunt. Quales hi doctores fuerint, eorum florigeris libris & beneficiis orbis experitur quotidie vniuerſus. Laudabilis eſt inter ſacras virgines illa ſanctiſſima Florentina: ſed dignis præconiis efferenda eſt glorioſa Theodoſia. Etenim ipſa in ſanctiſſimo Hermegillo Rege & Martyre filio ſuo acerrima mentis pertulit paſſionem, quamuis eccleſia multos meliores martyres veneretur. Laurentium tamen & Vincentium excellenter inter ceteros colit: & nuſquam reperitur tantus pater, qui cum tantis filiis numero & genere vt Marcellus, ad palmam martyrii perueniret. Similiter Seueriano non legitur ſimilis pater, qui tantorum trium doctorum, & tantarum duarum filiarum filiali contubernio frueretur. Extollit etiam Hiſpaniam ſanctiſſimus ille Romanus Papa Damaſus natione Hiſpanus: qui præ cæteris virtutum operibus; eccleſiam Apoſtolorum principis Petri opere miro fundauit Romæ: & ex diuerſis mundi partibus multa ſanctorum corpora detulit ad eandem vrbem glorioſius decorandam. Glorioſus Toletanus archipræſul & Hiſpaniarum primas Illefonſus beatorum Leandri & Eugenii conſanguineus, Hiſpaniam laudabilem reddit: qui viuens in corpore pallio cæleſti à Regina cælorum Dei genitrice Maria meruit inſigniri. Beatiſſimus quoque Froilanus Legionenſis epiſcopus, ſuper quem Spiritus ſanctus in ſpecie columbæ deſcendit: cuius & labia immiſſis ardentibus prunis non æſtuarunt. Innumerabiles quidem ſunt ſancti in ſanctiſſima patria procreati: vt ſunt Vincentius, Sabina, Chriſteta, Felix, Fructuoſus, Eulalia, Marina, Euphemia, & alii plures, quorum ſi voluero nomina tradere ſcriptis, facilius me tempus quam copia deſeret: ſed prætermittendi non ſunt ſanctiſſimi Dominicus & Antonius, qui Apoſtolorum opera noſtris temporibus adauxerunt. Dominicus ſanctiſſimus ordinem Prædicatorum inſtituit ſancto Spiritu ſuggerente: & Antonius beatiſſimo patri Franciſco in ordine pauperum beatorum, ſanctitate ſucceſſit primus. Sanctus etiam Dominicus Cluniacenſis ordinis Abbas de Silos in liberandis de carcere

Regibus.

Sarrace-

Sarracenorum, captiuis gloriam præ cæteris sanctis reportare videtur. Quid de venerabili Martino Legionensi presbytero sentiendum? qui tantam à domino precibus in diuinis scripturis prærogatiuam obtinuit, vt in expositione scripturarum sanctissimis primis doctoribus merito valeat adæquari. Antiquitate præterea philosophorum fulget Hispania, eo quod genuit Aristotelem summum philosophum nobilem inuestigatorem astrorum, & Senecam facundissimum atq; Lucanum historiographum & poetam clarissimum. Inter quos Isidorus præminet gloriosus cui mortalium nullus in varietate scientiarum potest recto iudicio adæquari. Lucium quoque consulem, Neruam & Traianum Hispania Romæ dedit imperatores strenuos: qui remp. admodum augmentarunt, licet persecutione dira Christianos fuerint persecuti. Theodosium etiam christianissimum Imperatorem Hispania genuit, qui decorauit Romanum imperium legibus æquitatis. Hos præscriptos viros & innumerabiles alios laudum titulis dignos Hispania genuit: vt habeat præclara Gotthorum posteritas, quos merito debeat imitari. Habent Hispani martyres & confessores inter sanctos sanctissimos: habent doctores inter doctos doctissimos: habent mundi sapientes inter cæteros petitos sapientissimos: habent & milites strenuos inter cæteros milites mundi præcipue animosos. Quorum animositas & audacia tam feruida est, vt non solum illos, verum etiam patriam nonnunquam in periculum ducat. Sunt & post triumphos valde clementes: qui vt virtuosi permaneant, Principe indigent sapiente. Nam quis poterit mortalium tantæ virtutis resistere viris, si sapientia non præueniat illos. De iis quidam sapiens eorum mores subtiliter considerans dicit: expertus est belli, promptus, victisque benignus, impatiens, fortis, audax, dans vulnera mortis. Peruolat ingenio gaudens in munere dando. O quam exactus debet esse, qui fortibus & sapientibus dominatur. O quam beatus & glorioſus est princeps, qui habet huiusce modi populos regere: dummodo ipse sapientia gubernetur, & suorum consilio sapientium perfruatur: Nihil enim deest illi, eo quod habeat sanctissimos Apostolos, martyres fortissimos, & doctores doctissimos, per quos sanctam fidem accepit catholicam. Non enim in fide mutare potest, quia non per qualescumque viles & rudes personas, sed per sanctissimas & generoso sanguine nobilissimas Dei leges accepit. Imitetur eos igitur fide, sanctitate sequatur, & eorum prudentia decoretur, quorum natalibus generoso sanguine sociatur. Habet & Hispaniæ Princeps viros consilii, quos natura sapientia fecit insignes. habet, vt dictum est, milites bellicosos, & etiam pedites agiles & animosos, cum quibus potest bellorum fortia exercere & muros ferreos penetrare. Habet præterea patriam fertilem & ditissimam: quæ suis consueuit abundanter & delitiose temporalia bona conferre. De diuitiis Hispaniæ in libro Macchabæorum meminit diuina scriptura dicens, quod Romani obtinuerunt metalla auri & argenti eius, sapientia sua. Hæc patria ab, is, quod est vnum, vel solum, &, pan, quod est totum, &, ia, quod est stella, quasi sola tota stella dicitur Hispania: quia specialius præ cæteris prouinciis propriis bonis abundat. Dicitur & ab Ibero flumine Iberia, & ab Hespero occidentis stella Hesperia: quia sicut hæc stella in occiduo climate fulget inter sidera, sic Hispania situ in successum transmisso non est in vltimis regionibus vltima, sed in primis prima. Præfulget etiam omnimoda libertate Hispania, cum in agendis causis ciuilibus propriis vtitur legibus: & Hispanorum Rex nulli subditur imperio temporali. Et quia duo sunt extrema scilicet paradisus & Hispania, quadam affinitate delitiosa alludunt sibi. De hac quidam minus sapienter scribentes, propter oppositionem orientis dixerunt, eam esse frigidam & siccam, non attendentes quod sicut oriens sita est iuxta torridam zonam, vnde orientis qualitatis esse probatur. Igitur Rex & populi qui tanta bona specialia à domino acceperunt, indesinenter illi specialius gratias referant, & fortiter & sapienter collata beneficia custodiant. Hoc reducant frequenter ad cor: quia cum difficultate custoditur, quod à multis diligitur: & illius bona latrones latenter surripere moliuntur, quem non valent nudare suis spoliis violenter. Nos verò ad libros chronicorum à doctore Hispaniarum Isidoro editos manum mittimus, secundum etiam quosdam alios Hispanorum Regum & aliorum quorundam seriem prosequendo præceptis glorioſissimæ Hispaniarum Reginæ dominæ Berengariæ omni desiderio desiderantes fideliter satisfacere. Ipsa enim, cuius catholicis præceptis non licet nec libet resistere, mihi Lucæ indigno diacono, vt hoc perficerem, imperauit. Chronica antiqua series interpretatur: & dicitur à, chronos, quod est tempus, vel sene, siue longum. & scriptis continet opera nobilium homi-

num, ne more labentium aquarum, ab humanis mentibus dilabantur. Tamen sciendum quod in hac chronica ille annorum numerus non seruatur, qui in libro Geneſis continetur. Moyſes namque magis ſucceſſiones generationum, quam annorum ſeriem ſtuduit ordinare: maxime dum ſacra ſcriptura illud quemlibet aſſerat viuere, quod bene ac ſancte vixit: reliquum verò tempus vitæ, quo non bene viuitur, potius eſt mori quam viuere. Quapropter Moyſes centum annos ſiluit, quibus Adam Abel mortuum luxit, & Euam cognoſcere noluit. Et Saul duobus annis legitur regnaſſe, eo quod illis tantum bene rexerit: cum aliis pluribus annis regnum indigne tenuerit. Iſidorus autem plus eſt in hoc opere in annorum ſeriem ordinandam ſecutus ſeptuaginta interpretes, & quoſdam alios, qui magis annorum numerum ſunt ſecuti. Perutilis eſt hic liber in ſcripturis ſacris, quia quantitatem annorum ab exordio mundi vſque ad Chriſtum luce de manifeſtat. Quædam, quæ in ſacris hiſtoriis deeſſe videntur, ſupplet: & ſeculi ætates oſtendit manifeſta præuia ratione.

INCIPIT

INCIPIT CHRONICA BEATI ISIDORI ARCHIEPISCOPI HISPALENSIS.

Prologus.

BREVEM temporum annotationem per generationes & regna primus ex noſtris Iulius Africanus ſub Imperatore Marco Aurelio Antonino ſimplici hiſtoriæ ſtylo elicuit. Dehinc Euſebius Cæſarienſis epiſcopus, atq; ſanctæ memorię Hieronymus presbyter chronicorum multiplicem hiſtoriam ediderunt, regnis ſimul ac temporibus ordinatam. Poſt hos autem alii atq; alii, inter quos præcipue Victor eccleſiæ Tunnenſis epiſcopus recenſitis prædictorũ hiſtoriis geſta ſequentium ætatum vſq; ad cõſulatum Iuſtiniani iunioris expleuit. Horum nos & quorundam aliorum hiſtoriographorum ſummam temporum ab exordio mundi vſq; ad Auguſti Heraclii & Siſebuti vel ſcintillam Hiſpaniæ Regum tempora compendioſa breuitate notauimus, adiicientes è latere deſcendentem lineam temporum: cuius indicio ſumma præteriti ſeculi cognoſcatur.

Prima ætas ſeculi.

SEx diebus rerum omnium creaturas Deus formauit. Primo die condidit Deus lucem & omnem angelicam creaturam. Secundo die condidit firmamentum: quod quam primum fuit factum, ſtatim ſanctis angelis eſt decoratum, ſuperbis angelis in hunc aerem caliginoſum expulſis. Firmamentum in medio aquarum Deus fecit: & quandam exteriorem mundi ſuperficiem ex aquis congelatis diſpoſuit ad inſtar cryſtalli ſolidatam & lucidam, intra ſe cætera ſenſibilia continentem: & in firmamento poſtea ſidera fecit. Tertia die congregauit Deus aquas inferiores in vnum locũ, id eſt, in viſcerib. terræ, & apparuit arida; quæ terra dicitur quia pedibus teritur. Quarta die fecit Deus ſolem & lunam & ſidera. Quinta die fecit piſces & volucres de aqua. Sexto die fecit beſtias & iumenta. Et tunc omnibus valde bene diſpoſitis ad imaginem & ſimilitudinem ſuam de limo terræ formauit Adam: cui animam creatam de nihilo inſpirauit. Extra paradiſum factus fuit: & ad paradiſum colonus deductus. Vltimus omnium creaturarum factus, vt ſtatim inueniret omnia inferiora perfecta, quibus præeſſet. Hora prima diei fuit factus, hora tertia in paradiſum deductus, hora ſexta ſeductus, hora nona à paradiſo expulſus. Septima die Deus cuncta quæ fecerat, benedixit & diem ipſam ſabbathum, id eſt, requiem vocauit.

Præmiſſis quinq; dieb. in ſexto die Adã formatus eſt: qui vixit annis ɔ c c c c. x x x.

Anni ab orbe c.	
	Adam annorum c c x x x. genuit Seth.
435.	Seth annorum c c v. genuit Enos.
625.	Enos annorum c x c. genuit Cainam.
	Cainam annorum c l x x. genuit Malaleel.
	Malaleel annorum c l x v. genuit Iared.
	Iared annorum c l x i i. genuit Enoch.
	Enoch annorum c l x v. genuit Mathuſalem.
	Mathuſalem annorum c l x v i i. genuit Lamech.
	Lamech annorum c l x x x v i i i. genuit Noe.
1242.	Noe anno ſexcenteſimo factum eſt diluuium.

Adam extra paradiſum anno quintodecimo, ex quo factus eſt, genuit Caim & ſororem eius Calmana. Licet vnius diei fuerit Adam cum eſſet in paradiſo, triginta tamen annorum habuit perfectionem: & virgo exiit de paradiſo. Poſt quindecim annos alios genuit Abel, qui interpretatur nihil, luctus, vel vapor, & ſororem eius Delboram.

Præterea plures alios filios & filias fertur Adam genuisse. Caim qui interpretatur possessio, spicas attritas & corrosas secus viam, ductus auaritia obtulit Deo: & dominus munera eius non respexit; siue quia prius comedebat, deinde offerebat placens sibi plus quam Deo. Abel de pinguioribus gregis primogenita obtulit: & ignis de cælo oblationem eius intendit. Quare iratus Caim Abel interfecit: & dominus in Caim signũ, hoc est, tremorem capitis posuit. Tunc egressus Caim à facie domini habitauit ad orientalem plagam Edem, hoc est, deliciarum cum vxore sua Calmana, ex qua genuit Enoch, & quia latrociniis & rapacitatibus insistebat, primus ciuitatem condidit, & Enoch vocauit, & multitudine suæ posteritatis impleuit. Enoch genuit Irad, qui Maniael, qui Mathusale, qui Lamech. Qui septimus ab Adam, primus contra instituta Dei bigamiam induxit. Genuitque ex Oda Iabel qui adinuenit portatilia pastorum tentoria, & greges characteribus distinxit. Nomen fratris eius Tubal, qui fuit inuentor musicæ. Ex Sella genuit Tubalcain qui ferrariam artem primus inuenit, bella concitauit, sculpturas operum in metallis fabricauit. Prænominatus Tubal malleorum eius sonitu delectatus ex proportionibus & consonantiis eorum, musicam excogitauit. Tubalcain etiam, cum frutices in pascuis incendissent, venæ metallorum fluxerunt in riuulos: & sublatæ laminæ figuras locorum, in quibus iacuerant, referebant: vnde in metallis sculpere adinuenit. Soror etiam eius Noema variæ texturæ artem inuenit. Lamech autem vir sagittarius fuit: & Dei nutu oculorum caliginem incurrit. qui habens adolescentem ducem, dum exercet venationem, interfecit Cain inter fruteta existimans esse ferã, quem quia ad indicium adolescentis sagittam dirigens interfecit, dum factum comperit, adolescentem arcu verberando occidit.

Adam autem dolens quia Cain Abel interfecit, vxorem suam proposuit non cognoscere: & iuxta Hebron in loco, qui vallis lachrymarum dicitur, Abel filium suum luxit, & centum annis à toro coniugali abstinuit. Admonitus autem à Deo per Angelum, vt suscitaretur semen iustum, quod est stirps filiorum Dei, cum esset ducentorum triginta annorum genuit Seth, qui pro Abel natus est, interpretaturque resurrectio. Seth annorum ccv. genuit Enos, qui cæpit inuocare nomen domini, verba deprecatoria componendo. Enos annorum cxc. genuit Cainam, qui interpretatur natura Dei. Cainam genuit Malaleel, qui interpretatur plantatio Dei, Malaleel genuit Iared, qui interpretatur descendens siue roborans. Iared genuit Enoch, qui translatus est à Deo in paradisum voluptatis, vt in fine temporum cum Elia conuertat corda patrum in filios quique pugnabunt cum Antichristo. Iste Enoch nonnulla scripsisse fertur sapienter: sed antiquitate suspectæ fidei à Patribus refutata sunt. Enoch genuit Mathusalem qui iuxta annorum seriem vixisse quatuordecim annis post diluuium reperitur. Sed non legitur fuisse in arca: propter quod nonnulli cum patre suo Enoch, qui translatus fuerat, aliquantulum fuisse, donec diluuium præteriret, falsa opinione existimant. Hac generatione concupierunt filii Dei filias hominũ, id est, filii Seth filias Cain.

DCCCC LXVIIII Mathusalem vixit ✝ DCCCC LXXIX annis, & eodem anno mortuus est, quo diluuium fuit. Mathusalem genuit Samech. hac generatione gigantes nati sunt. Tunc temporis cæperunt mala multiplicari in terra. Nam filii Adæ, qui boni exiterant vsque ad septimam generationem, contemnentes præcepta Adæ & patrum suorum paulatim ad mala corruere cæperunt. Etenim Adam viuens prohibuerat, ne miscerentur filii Seth cum filiabus Cain. Mortuo autem Adam Seth separauit cognationem suam à cognatione Cain, qui redierat ad natale solum. & habitauit Seth in quodam monte proximo paradiso. Cain habitauit in campo, vbi fratrem occiderat. & exarserunt filii Cain in alterutrum coeuntes: & abutebantur fratrum suorum vxoribus. Mulieres etiam in væsaniam versæ supergressæ viris abutebantur. Filii autem Seth reuertentes ad natale solum corruperunt filias Cain, eo quod sibi pulchræ videbantur: & ex eorum copula orti sunt gigantes. Incubi etiam dæmones cum mulieribus concũbere videbantur, quod vere non poterat esse sed deluſiue. Lamech genuit Noe, qui requies interpretatur. Iste coram Deo ambulabat, & detestabatur mala facta hominum. Noe cum esset quingentorum annorũ genuit Sem, Cham & Iaphet. Vigesimo autem anno antequã quingentesimũ expleret, fecit iuxta præceptũ domini arcã de lignis læuigatis, id est, quadratis & bituminatis lõgitudine trecentorũ cubitorũ, latitudine triginta. Hi cubiti geometrici intelligendi sunt: alioqui tãta capere non valeret. Continet enim cubitus geometricus sex nostros, vel secundum quosdam nouem. Erat arca superius angusta in cubito consummata, inferius vero ampla quandam habens rotunditatem ad modum sentinæ nauis. Habuit quinque cameras, quarum inferior quadratura

arcæ

area erat vna ſtercoraria, & altera apothecaria. deinde vna mitium animalium, altera immitium, media vero, quæ ſuperior, hominum erat & auium. Illa tantum animalia in ea ſunt intelligenda fuiſſe, quæ in aquis viuere non poſſunt, & quæ de corruptionibus non naſcuntur, vt muſcæ, apes, & quædam alia. Per centum annos continuos Noe conſtruxit aream.

Tunc homines perpendentes quod aqua vel igne perire poterant, ſtudia ſua conſcripſere in duabus columnis, altera marmorea, altera lateritia: quarum altera non diluereturdiluuio, altera non diſſolueretur incendio. Iubal frater Tubalcain huius operis exiſtente magiſtro: quia audierat Adam prophetaſſe de duobus periculis aquæ videlicet & ignis, quæ ventura erant ſuper omnem carnem. Quarum lapidea columna fertur diluuium euaſiſſe, & hactenus in Syria permanere. Prima, quæ nunc dies Dominica dicitur, ingreſſus Noe in arcam. Seorſum viros ſeorſum mulieres Deus in ingreſſu nominauit, vt tempore pœnitentiæ oſtenderet, eſſe vacandum ab amplexu carnis. Centum quinquaginta diebus creuerunt aquæ, & eleuata eſt arca ſuper omnes montes quindecim cubitis: vt ablueret aqua ſordes aeris, vſque quo aſcenderant praua opera hominum, de quorum ſacrilegiis aer fuerat maculatus. Vſque ad eundem locum ignis aſcendet in die Iudicii vt purgetur aer à vapore aſcendente de ſacrificiis idolorum. Per annum fuit Noe in arca lumen recipiens per criſtallinam feneſtram: & egreſſus eſt anno reuoluto, eo die & menſe quo eſt ingreſſus ſcilicet Maio. Reſedit arca ſuper Armeniæ montem, qui Barim dicitur; vbi vſque hodie lignorum illius reliquiæ demonſtrantur.

Secunda ætas ſeculi.

SECVNDA ætas, quam per generationes dicimus currere, vnam minus habet ſecundum codices Hebræos: quæ hic ponitur, id eſt, illum qui dicitur Cainan; quam tamen generationem & ſeptuaginta interpretes memorant, & euangelium ſecundum Lucam confirmat. Hæ autem duæ ætates ſeculi, id eſt, ante vna & ſecunda poſt diluuium, ideo nullam habent difficultatem in peruentione annorum, quia directis generationum lineis currunt, & vnus ex altero propagatur.

Sem anno ſecundo poſt diluuium genuit Arphaxad.

Anni ab orbe c.	Arphaxad annorum cxxxv. genuit Cainan.
1277.	Cainan annorum cxxx. genuit Sala.
	Sala annorum cxxx. genuit Heber.
	Heber annorum cxxxiv. genuit Phaleg.
	Phaleg annorum cxxx. genuit Ragau.
	Ragau annorum cxxxii. genuit Seruch.
	Seruch annorum cxxx. genuit Nachor.
	Nachor annorum lxxix. genuit Thare.
3314.	Thare annorum lxx. genuit Abraham.

Sem anno ſecundo poſt diluuium genuit Arphaxad: à quo gens Chaldæorum exorta eſt. Iſte Sem fertur fuiſſe Melchiſedech, qui primus poſt diluuium condidit vrbem Salem, quæ nunc vocatur Ieruſalem. De tribus filiis Noe, id eſt, Sem, Cham, & Iapheth exortæ fuerunt ſeptuaginta duæ gentes. De Iapheth quindecim, de Cham triginta, de Sem viginti ſeptem. Filii Sem Aſiam inhabitauerunt: ſed filii Cham quandam Aſiæ partem violenter occupauerunt: atque Salem capientes expulſis filiis Sem & Iebuſæis Iebuſalem eam vocauerunt. Filii Iapheth Europam ſortiti ſunt: filii autem Cham Africam tenuerunt. Natus eſt Noe filius poſt diluuium, quem Ionitum vocauit. Dedit Noe Ionito donationem benedictionis, & dimiſit eum in terram Etham. Et intrauit eam Ionitus vſque ad mare, quod Helioſcora dicitur, id eſt, ſolis regio. Hic accepit à Deo donum ſapientiæ, & multa ſapienter adinuenit: atque quoſdam futuros euentus rerum præuidit: cuius generatio permixtim cum filiis Sem habitauit. Arphaxad filius Sem genuit Sala à quo antiqui Salamitæ vel Medi orti ſunt. Sala genuit Heber, à quo Hebræi nuncupati ſunt. Heber genuit Phaleg, cuius tempore turris Babel ædificata eſt, factaque linguarum diuiſio, & multi dii adorari cœperunt. Nam alii colebãt ignẽ, alii aquã, alii ſolẽ, & ſic de aliis elemẽtis: vnde Phaleg diuiſio interpretatur. Impleti ſunt dies Noe nongẽtis quinquaginta tribus annis, & mortuus eſt. Nemo putet falſa quæ de antiquorũ lõgæuitate ſcripta ſunt: quia propter inueniẽdas virtutes & glorioſas ſcientiarũ vtilitates, atq; aſtrologiã & geometriã Deus eis amplius viuẽdi ſpatiũ

condonauit: quæ aliter differere non potuissent, nisi quingentos triginta viuerent annos: per tot enim annorum curricula magnus annus impletur. Postea vero annorum numerus in vita hominum extitit diminutus: & terra non fuit adeo fertilis post diluuium sicut fuerat ante.

Nembrot autem ex patre veniens de Cham & ex matre Cibelne de Irom filio Sem gigas fortissimus: cuius erat statura altitudinis decem cubitorum, venit ad Ionstum, & eruditus est ab eo in multis: & doctus de ortu quatuor futurorum regnorum, & casu eorum per successionem quod primi regnarent de Cham, deinde de Sem, vnde Persæ, tertio de eodem Sem & Iaphet, vnde Græci, quarto de Iaphet, à quo Romani. Fuit autem Nembrot potens in terra, & robustus venator hominum coram domino, id est, extinctor & oppressor amore dominandi. Hic transiit ad Chaldæos, & docuit eos ignem colere: & solicitabat genus suum de Sem, vt imperaret aliis quasi primogenitus. Qui cum nollent acquiescere, cæpit eos solicitare de timore diluuii, ne iterum inundaret & disperderet eos. Transiit autem Nembrot ad filios Cham & regnauit inter eos. Huius exemplo cæpit regnare Iectan super filios Sem, & Suphene super filios Iaphet. Tunc consilio Nembrot conuenerunt prædicti duces in campum Sennaar: & timentes diluuium cæperunt ædificare turrim, quę pertingeret vsq; ad cęlos, habentes lateres coctos pro saxis & bitumen pro cæmento. Hoc autem bitumen, vt fertur, non nisi sanguine menstruo dissoluitur postquam fuit desiccatum. Hęc turris altitudine tenere duo millia sexcentos triginta tres passus dicitur: cuius latitudo tanta est, vt prope eam aspicientibus altitudo longe minor videretur. Describunt ibi templa marmorea fuisse lapidibus pretiosis auroq; distincta, & multa alia quæ videntur incredibilia. Dominus autem descendit, & linguas eorum in septuaginta duas loquelas diuisit, ita vt nō intelligeret quisq; proximum suum: & cōstruere cessauerūt. Nembrot verò expulit filios Sem & filios Iaphet à turri calliditate quadam, & Babyloniam condidit, & regnum suum super filios Cham firmauit: & postea ad Persas migrauit, eosq; ignem colere docuit. Assur autem filius Sem ad Chaldæos venit, & purpuram, vnguenta criniū & corporum bene fragrantia reperit: à quo Chaldæa Assyria dicta est: & Assyriorum regnū inde exortum est. quod tempore Seruch proaui Abrahæ factum est.

Phaleg genuit Ragau. Ragau genuit Seruch. Hoc tempore Belus Nembrotites Rex Babylonis (quia fuit alter Belus Rex Græciæ) intrauit Assyriam, sed parum in ea obtinuit. Eo tempore Scytharum regnum exortum est: vbi primus regnauit Tanaus, & post eum Ninus. Seruch genuit Nachor. Ægyptiorum regnum sumit principium, vbi primus regnauit Zoes qui & Mineus. Nachor genuit Thare: sub quo regnū Assyriorum ampliatum est regnante Nino: quia primus in Assyriis regnauit Belus, quem quidam Saturnum existimant. Ea quoq; ętate Sicyoniorum regnū exoritur: vbi primus regnauit Ægialeus: à quo Ægialea nuncupata est, quæ hactenus Peloponesus vocatur. Et sic quatuor principalia regna per idem tempus exorta sunt: Assyriorum ab oriente, Scytharum ab Aquilone, Ægyptiorum à meridie, Sicyoniorū ab occidente. Eo tempore Ninus filius Beli post mortem patris primus bella campalia instituit, & armorum multa instrumenta inuenit, & auxiliante vxore sua Semiramide, quæ in multis sapientissima videbatur, totam Assyriam obtinuit: & ciuitatem in ea, in qua caput regni erat itinere dierū trium ampliauit, & à suo nomine Niniuem nuncupauit. Tum Cham qui Zoroastres filius Noe magicam artem reperit: & septem liberales artes in quatuordecim columnis scripsit, scilicet in septem æneis & septem lateritiis cōtra diluuium & contra ignem. Ninus autem pugnando Cham Regem Bactrianorū vicit & occidit, & libros eius combussit. Eo quoq; tempore muri Babyloniæ à Semiramide Regina Assyriorum fortissimo & mirabili opere reædificantur. Hæc primo femoralia, id est, bracas inuenit, ne denudatio Noe in opprobrium succederet filiorum. Ninus etiam idola primo inuenit sic. Mortuo Belo Ninus in solatium doloris imaginem patris fecit fieri: cui tantam exhibebat reuerentiam, vt quibusliber reis parceret, qui confugissent ad eam. Proinde homines de regno eius honores diuinos imagini cæperunt impendere. Maligni etiam spiritus quasdam delusiones circa imaginem faciebant: vnde cæcata mente miseri mirabantur. Huius exemplo plurimi caris suis mortuis imagines dedicauerunt: & sicut ab idolo Beli cætera traxerunt originem, sic & ab eius nomine generale nomen sumpserunt. Sicut enim dictus est Belus ab Assyriis, sic aliæ nationes secundum idiomata linguæ suæ dixerunt aliæ Bel, aliæ Beel, aliæ Baalim, imo & nomina specificauerunt aliæ Beelphegor, aliæ Beelzebub dicentes.

Cirophanes primus idolatra Ægyptiorum. Chaldæi ignem adorabant, & cogebant

bant alios idem facere, alia idola comburentes. Sacerdotes verò Ægypti, qui aquam adorabant, eo quod Ægyptum præcæteris regionibus vtilius irrigabat: magnum quoque idolum in honorem Beli formauerunt, remouentes autem coronam auream apposuerunt ei vas fictile ad modum coronæ perforatum: ad quod per occultos meatus aqua desuper veniebat inferioribus foraminibus cera obturatis. Venientes autē Chaldæi apposuerunt ignem, & liquefacta cera aqua defluens, quæ erat in corona extinxit ignem, & præualuerunt idola Ægypti.

Thare genuit Abraham. Frater Abrahæ Aram mortuus est ante patrem suum in Vr Chaldæorum: & est nomen ciuitatis, vbi hactenus sepultura eius ostenditur. Hebræi, Vr, ignem dicunt: & tradunt quod Chaldæi in ignem, per quem traiiciebant paruulos suos, proiecerunt Aram & Abraham, quia nolebant ignem adorare. Aram ibi expirauit: & Abraham Dei auxilio dicitur liberatus, vnde legitur: Ego sum qui eduxi te de Vr Chaldæorum. Thare autem habens odio terram propter luctum Aram, & non valens sustinere iniurias, quæ fiebant ei, vt coleret ignem; statuit peregrinari, & dedit Nachor Melcham vxorem, Abrahæ vero Sarai: qui & Loth fratrem vxoris in filium adoptauit, quia Sarai sterilis erat. Egressus est ergo Thare cum illis, vt irent in terram Chanaam: & venerunt vsque ad Aram Mesopotamiæ ciuitatem. Cumq; Abraham relicto patre, habens tamen propositum reuerrendi iret per Mesopotamiam, locutus est ei dominus dicens: Egredere de terra & de cognatione tua.

Tertia ætas seculi.

TERTIA dehinc ætas seculi sequitur: in qua ideo post commemorationem Abrahæ, Isaac, Iacob, & Ioseph, per Hebræorum seruitutem in Ægypto, & per tempora iudicum anni quæruntur, quia in generationib. illis quatuordecim, quæ per Matthæum ab Abraham vsq; ad Dauid commemorantur, non vbiq; anni ipsi manifeste patescunt. Quod propterea dicimus, ne contrarium aliquid cuiquam videatur: quod alius illic generationum, alius hic annorum ordo seruatur: vbi anni quæruntur, cum illic euidens tantummodo generationum ordo texatur, qui perueniat vsq; ad Christum. Hic autem sola annorum veritas describatur, quæ in annis fidem collocet temporum.

Anni ab orbe c.	
	Abraham annorum c. genuit Isaac.
3414	Isaac annorum LX. genuit Iacob.
3474	Iacob annorum XCI. genuit Ioseph.
	Ioseph annorum XXXVII. genuit Ephraim & Manassem. & vixit annos CX.
	Hebræorum seruitus annorum CXLIIII.
	Moyses annos XL. rexit populum.
	Iosue annos XXVII.
	Othoniel annos XL.
	Aod annos LXXX.
	Debbora annos XL.
	Gedeon annos XL.
	Abimelech annos tres.
	Thola annos XXIII.
	Iair annos XXII.
	Iepthe annos sex.
	Abesan annos septem.
	Abdon annos octo.
	Samson annos viginti.
	Heli sacerdos annos XL.
4255.	Samuel & Saul annos XL.

Abraham cum esset septuaginta quinque annorum relicta gente & patria ad imperium Dei venit in terram Chanaam accipiens promissionem nasciturum de suo semine saluatorem. Et annorum centum genuit Isaac ex Sarra libera. Nam primum ex ancilla Agar genuerat Ismael: à quo Ismaelitarum genus, qui postea Agareni, ad vltimum Sarraceni sunt dicti. Hoc tempore mortuus est Ninus: cuius vxor Semiramis, vt posset regnare post eum, proprio filio, quem susceperat ex Nino, nupsit, & ex eo filium genuit, qui & Babyloniam ampliauit. Iacob annorum nonaginta genuit Ioseph. His temporibus Serapis Ionis filius Ægyptiorum Rex moriens in Deos transfertur.

Tunc apud lacum tritonidem Minerua in ſpecie virginali apparuiſſe fingitur: quæ plurimis claruiſſe ingeniis prædicatur. Hæc enim inuenit clypeum, & diuerſis coloribus reperit ordiri telam, & colorare lanas hæc docuit. Hæc dicitur Pallas à Pallante gigante, quem interfecit, vel à Pallante inſula, in qua nutrita eſt. Hanc Græci Mineruam dicunt. His temporibus factum eſt diluuium particulare in Achaia ſub Ogyge Rege. Tunc etiam Phoroneus Rex Argolicus filius Regis Inachi primus Græciæ leges dedit, & ſub iudice cauſas agi inſtituit: locumque iudici deſtinatum à nomine ſuo forum appellauit. Soror ipſius Iſis in Ægyptum nauigauit, & quoſdam apices litterarum tradidit Ægyptiis, de agricultura eos docuit & tũc ſegetes primo habere cæperunt: vnde cum Io diceretur, Iſis ab eis dicta eſt: quod in lingua eorum, terra ſonat: & ob hoc post mortem in Deos in Ægypto recepta eſt. Filius etiam Phoronei, qui Apis dictus eſt, eo tempore in Ægyptum nauigauit, quem quidam virum Iſidis tradunt fuiſſe, & ſimiliter ab Ægyptiis deificatus eſt & Serapis nominatus. Tunc etiam Prometheus dictus eſt feciſſe homines, cum quia de rudibus doctos fecit, tum quia legitur feciſſe imagines hominum quas arte quadam deambulare fecit. Inuenit hic primus anulum ſed ferreum, & in eo incluſit gemmã, & quartũ digitũ ſcilicet medicũ ex eo muniuit, quia inde vſque ad cor vena quædam pertingit. Hoc tempore, vt dicitur, Triptolemeus in naui, in qua pictus erat draco in Græciam venit, & ampliauit agriculturam. Ceres etiam præter inſtrumẽta arandi, menſurandi granum adinuenit, cum prius in † arconiis ſegetes ponerentur, & numerabatur triticum per aceruos: vnde à Græcis demetra dicta eſt. Tum etiam Telchines à Græcis victi & exules Rhodum condiderunt. Eo tempore Eſau primus equas aſinis iunxit, vnde ortæ ſunt mulæ. Tunc etiam Atlas in aſtrologia multa reperit, motumque cæli & rationem præ cæteris, qui præceſſerant, ſubtilius conſiderauit. Tunc fuit & Mercurius nepos Atlantis multarum artium peritus, & propter hoc poſt mortem in deum translatus. Hac etiam ætate primus Procidus quadrigam iunxit.

† Arcumis id eſt plauſtris ex Feſto. cõdex quidam legiſſe videtur, aceruis, & fortaſſis ex veritate eſt.

Vixit Ioſeph centũm decem annis. Hebræorum ſeruitus centum quadraginta quatuor annis duranit in Ægypto. Quod autem legitur, quadringentis triginta annis fuiſſe filios Iſrael in Ægypto, nomine Ægypti intelligendus eſt omnis incolatus eorum, qui cæpit à promiſſione Abrahæ facta in via Meſopotamiæ: à qua vſque ad legem datam tot anni fluxerunt. ſolis enim centum quadraginta quatuor annis ſeruierunt filii Iſrael in Ægypto poſt mortem Ioſeph. Quibus expletis ea die egreſſi ſunt, qua Abraham exiit ad peregrinandum. Leui filius Iacob genuit Caath, qui genuit Amram, qui ex Iacobel genuit Moyſem ſub Amenophi Rege Ægypti, qui ſicut cæteri Reges Ægyptiorum Pharao dicebatur. Pharao interpretatur regnans. Iſte Amenophis odiebat valde populum, & eos ne vacarent amplexibus & generarent liberos, multis laboribus opprimebat.

Cum autem præcepiſſet Amenophis vt omnes pueri Hebræorum necarentur in flumine, quidam taurus ex improuiſo egrediebatur de flumine, aliquando maxime infeſto Apis, habens in humero dextro ſignum candidum inſtar lunę corniculatæ. Ad quem cum Ægyptii confluerent, multis generibus Muſicorum pſallentes, eleuabatur in aere, & ſuper eos tanquam pſallens ferebatur: & ad morum vel ſtationem ipſius ipſi mouebantur in terra, vel ſtabant, & eadem die euaneſcebat. vnde Apis ab Ægyptiis dicebatur. Tunc quidam Sacrorum ſcriba Regi prædixerat eo tempore maſculum naſciturum in Iſrael qui regna Ægyptiis humiliaret, & virtute tranſcenderet vniuerſos. Hac de cauſa poſtea filii Iſrael adorauerunt vitulos aureos opinantes quod per hunc ab Ægypto fuerint liberati. Amram autem poſt edictum ad vxorem nolebat accedere, ne in necem filios procrearent. Diuina autem ei reuelatio in ſomnis aſtitit dicens, ne timeret vxorem cognoſcere, quia puer quem timebant Ægyptii, erat naſciturus ex ea. Concepit autem Iacobel & peperit. Et videns puerum elegantem abſcondit tribus menſibus. cumque eclare non poſſet, ſumpſit fiſcellam ſcripeam, & linuit eam bitumine ac pice: & ponens intus infantulum in carrecto ripæ expoſuit eum, ne impetu fluminis raperetur, ſtante procul ſorore paruuli Maria, & ex præcepto matris rei exitum expectante. Et ecce deſcendit Thermut filia Pharaonis vt lauaretur in flumine. Quæ videns alueolum & ſibi afferri iubens, vidit paruulum vagientem: & miſerta eius dixit: de infantibus Hebræorum eſt hic. Sic enim Deus venuſtauerat eum, vt etiam ab hoſtibus dignus haberetur alimento. Et cum plures Ægyptiæ præberent illi vbera, nolebat accipere. Et ait Maria: vis adducam Hebræam? fortaſſis accipiet vbera gentis ſuæ. Ex præcepto ergo Thermut matrem paruuli tanquam alienam adduxit: & ſtatim

puer.

puer ad vbera eius accessit. Suscepit Iacobel puerum à Thermut alendum, & ablactatum reddidit filiæ Pharaonis: quæ vocauit eum Moyses, & eum in filium adoptauit. Ægypti enim, mos, aquam, is, saluatum dicunt. Quem dum quadam die Thermut obtulisset Pharaoni, vt ipse adoptaret eum, Rex admirans pueri venustatem, coronam auream quam gestabat, capiti eius imposuit, erat in ea imago idoli Ammonis fabrefacta. puer coronam in terram proiecit & fregit. Sacerdos autem Heliopolcos, qui prædixerat per quendam puerum Hebræum in proximo ruituram Ægyptum, à latere Regis surgens exclamauit dicens: Hic est puer, quem Deus nobis occidendum monstrauit vt de cætero timore careamus: & voluit irruere in eum, sed defendente Rege liberatus est. Etenim quidam sapiens asserebat, quod pueriliter & per ignorantiam esset hoc factum à puero: vnde non debebat ei vllatenus imputari. In cuius rei argumentum cum allatas prunas puero obtulisset, puer eas ori suo apposuit, & linguæ summitatem corrupit: vnde dicitur impeditioris linguæ fuisse. Tantæ pulchritudinis extitisse fertur, vt nullus adeo esset crudelis, qui eius aspectui non hæreret. Multique dum cernerent eum per plateam ferri, occupationes in quibus studebant, desererent. Hunc Thermut astronomia & omni Ægyptiorum scientia fecit eruditi.

Cum autem esset Moyses adultus & strenue doctus, Æthiopes vastauerunt Ægyptum vsque Memphim. Ægyptii vero conuersi ad diuinationes, acceperunt responsum, vt vteretur auxiliatore Hebræo, & vix obtinuerunt à Thermut, vt exercitui quem parauerant, præficeret Moysem, prius præstitis sacramentis, ne ei nocerent. Erat enim Moyses vir bellicosus & sapiens, qui fluminis iter tanquam longius prætermittens per terram duxit exercitum itinere breuiori, vt improuisos Æthiopes præueniret. Etenim per loca deserta & serpentibus plena iter faciens tulit in arcis papyri super plaustra ibices ciconias Ægyptias naturaliter serpentibus infestas, quæ rostro per posteriora immisso aluum purgant, & castrameraturus proferebat eas, vt serpentes fugarent, & deuorarent: & ita tutus per noctes transibat exercitus. Tandem præuentos expugnans post fugã inclusit eos in Sabba regia ciuitate, quæ post Meroe dicta est. Erat ciuitas inexpugnabilis: & cum Moyses diu obediisset eam, Tharbis filia Regis Æthiopũ iniectis oculis in eum ex conditione illi tradidit ciuitatem, vt duceret eam vxorem, quod ita factum est. Dum autem Moyses vellet redire in Ægyptum, eo quod Tharbis erat idololatra, & eam plene ab errore non poterat reuocare, ipsa non acquieuit. Proinde Moyses sapienter in gemmis duas imagines sculpsit huius efficaciæ, vt altera memoriam, altera obliuionem conferret. Inseruit gemmas anulis: & obliuionis anulum vxori tradidit, & alterum ipse tulit, cæpitque mulier amoris viri obliuisci, & ita Moyses in Ægyptum libere regressus est. Inde est quod Aaron & Maria postea iurgati sunt aduersus Moysem pro vxore eius Æthiopissa. Tam in factis Moysis quam aliorum sanctorum patrum virtus diuina mundanam sapientiam adiuuauerat.

Egressus Moyses in terram Iesiem, vidit præfectum operis Ægyptium percutientem quendam de Hebræis: & secreto percussum Ægyptium abscondit in sabulo. Et cum audisset Pharao verbum hoc, quærebat eum occidere. Qui fugiens per desertum venit in terram Madian, & ciborum inopiam virtute tolerantiæ superabat. Et venit ad ciuitatem Madian circa mare Rubrum, sic nominatam à quodam filio Abrahæ de Cethura. & accepit Sephoram vxorem, filiam Raguelis sacerdotis Madian, id est, primatis. Antiquitus enim primates sacerdotes vocabantur. Raguel agnominabatur Iethro & cognominabatur Cyneus. Dedit ei socer omnem curam gregum suorum: in quibus omnis antiquis barbaris nationibus erat possessio. Cumque minasset gregem ad interiora deserti, venit in montem Dei Sina, qui in quadam parte sui dicitur Oreb: & apparuit ei dominus in flamma ignis in medio rubi. Erat autem mons ad pasturas egregius. Sed pastores illuc ascendere non præsumebant, tum quia excelsus erat, tum quia opinio erat Deum habitare in monte. Mortuus est tunc Pharao Rex Ægypti: & Phua filius Iusti Heliopoleos sacerdotis: qui quærebat occidere Moysem: & præcepit ei dominus vt descenderet in Ægyptum ad liberandum fratres suos. Tunc temporis multi Ægyptiorũ timentes ruiturã Ægyptum ad alias sedes se transtulerunt. Vnde Cecrops venit in Græciam & ibi vrbem condidit, quam Actam vocauit, & post Athenæ dicta est. Hanc quidam Græcorum Didas, & quidam Archomeniam dixerunt, hæc est mater liberalium litterarũ & nutrix philosophorum. Cecrops dictus est Diphyes & est nomen Ægyptium, quod latine dihomo vel bicorpor dicitur, vel propter proceritatẽ staturæ, vel propter vtriusque linguæ peritiam Græcæ scilicet & Ægyptiæ. Sub quo in

arce præter communem vſum oliua nata eſt. Hic ex nomine Mineruæ antiquos Athenienſes vocauit. Iſte etiam bouem immolans primus in ſacrificio Iouem adorare præcepit Creditur etiam hoc tempore egreſſum Dionyſium Bacchum, qui Argos condidit. Dicitur & diluuiũ in Theſſalia factũ ſub Deucalione Rege: & Phaetontis incendiũ faoulosũ. Hoc tẽpore Corinthus eſt cõdita, & ibi ars picturæ ab Atlante reperta, & aſtrologia publice declarata. Iamnes & Mambre inſignes magi Pharaonis: qui omnia ſigna, quæ dominus faciebat per Moyſem, corã Pharaone facere cõtendebant; cũ apud Aſſyrios regnaret Aſcades, apud Argiuos Troyphas. Octoginta annorum erat Moyſes, cum eduxit populũ Dei de Ægypto & quadraginta annis ſub prædictis Regibus rexit eum. Tunc Iudæi cum lege litteras habere cœperunt. Tunc templum Delphis conſtruitur. Lacedæmon conditur. Tunc primi Curetes & Corybantes imitantes armorum ſtrepitum modulatam ſaltationem & conſonam inuenerunt.

Rexit Ioſue populum annis viginti ſeptem. Troianorum gens antea Dardana à Dardano extitit nominata. Nam Dardanus & Iaſius fratres è Græcia profecti: ex his Iaſius ad Thraciam, Dardanus ad Phrygiam peruenit, & ibi regnauit primus. Poſt quem eius filius Erychthonius & nepos eius. Tros: à quo Troiani nominati ſunt. Tros Rex Ganimedis pater. His temporibus Erychthonius Athenienſium princeps qui Vulcani filius dicitur fabuloſe, currum iunxit in Græcia primus: & Troilus quadrigam in Troia. Iam enim erat currus inter alias nationes: Iſis Epaphum genuit, qui Memphim condidit cum in ſola Ægypto regnaret. Buſiris Rex valde crudelis fuit in hoſpites, ita vt eorum multos decapitaret & tormentis afficeret multis: Illum etiam cui præceperat facere bouem æneum intus concauum, innocuum, in eo primum combuſſit, vt eiuſdem bouis ſophiſticum experiretur mugitum.

Phœnix & Cadmus de Thebis Ægyptiorũ in Syriã profecti in regione Tyri & Sidonis regnauerunt. Cadmo in Græciam recedente, terra à Phœnice Phœnicea dicta eſt. Tunc Europæ filiæ Phœnicis fabuloſe Iupiter mixtus eſt. Danaus per quinquaginta filias, filios Ægiſti fratris interfecit vno tãtum ſcilicet, Lino ſuperſtite, qui regnauit poſt eum. Othoniel annis quadraginta. Tũc Cadmus Thebis regnauit, qui primus Græcas litteras adinuenit. Ex filia eius Semele natus eſt Dionyſius liber pater. Bythinia condita eſt à Phœnice: qui Phœnicibus quaſdam litteras tradidit, & ad ſcribendum vermiculum inſtituit, vnde & color ille puniceus quaſi phœniceus dictus eſt. Ephyra quæ nunc Corinthus dicitur à Siſipho ampliata eſt. Minos filius Europæ regnauit in Creta. Per idem tempus Linus & Amphion apud Græcos in arte muſica claruerunt. Aod annis octoginta populũ iudicauit. Tunc ciuitas Cyrene in Libya condita eſt. Tũc ficta eſt fabula de Tryptolemo quod iubente Cerere ſerpentium pennis geſtatus, id eſt longa nauigatione Eleuſim veniens frumenta diſtribuit: & Proſerpinam rapuit. de Rege Moloſorum Orco & de cane eius Cerbero tricipite, qui Peritoum deuorauit. De Phryxo & Elle ſorore ſua, quod ariete vecti per aerem volauerunt: & nouercales inſidias euaſerunt. De Hippocentauris quod equorum hominumque natura permixti fuerũt. De Bellerophonte quod pennis equi volãdo ſit vectus. De Amphione quod citharæ cantu lapides & ligna commouerit. De Gorgone meretrice, quæ crinita ſerpentibus in ſe aſpicientes in lapides conuertebat. Hanc Perſeus occidit, quia ob nimiam pulchritudinem & quibuſdam maleficiis ſpectatores ſuos mentis impotes faciebat. In Dardania regnat Tros à quo Troia multo honore eſt ampliata. Nam primo ſub Ioſue à Troilo condita fuit. Dionyſius in India Niſſam condidit. Debora annis quadraginta. Apollo Chitharam condidit, & medicinæ artem inuenit, & incantationem Pythonicam reperit. quare videbatur mortuos ſuſcitare. Regnum finitum eſt Argiuorum, & in Miſſenas translatum. Liber pater obiit: cuius ſepulchrum apud Delphos iuxta Apollinem habetur aureum. depingitur autem corpore muliebri, quia mulieres militantes cum viris habuit primus. Ilium ab Ilo conditur, & Miletus ædificatur. Picus qui fertur fuiſſe filius Saturni regnat in Latinis primus. Et notandum quod Hebræi ſub numero annorum iudicum comprehendunt interpoſitos annos ſeruitutis & quietis. Et ipſos iudices non exercuiſſe dominium in populo Iſrael: ſed conſilium & auxilium in tribulationibus præbuiſſe.

Gedeon iudicauit populum quadraginta annis. Tunc Meltinius inuenit ſyringas trahens hoc nomẽ à Syringa vxore Cadmi: quæ propter ſtudium harmoniæ à viro ſuo receſſit. Reperit etiam lyram hoc modo. Inuenit conchã teſtudinis mortuæ: cuius nerui arentes & extenſi flatu auræ percuſſi tenuem ſibilum reddebant: ad quorum imitationem lyram reperit, & Orpheo tradidit. Hic fertur in Hiſpaniam

veniſſe

veniſſe,& ciuitatem Florem condidiſſe. Tres fuerunt Mercurii. Primus fuit Hermes. Secundus iſte qui & Trimegiſtus philoſophus. Tertius Mercurius minor in multis ſtudiis clarus. Tunc Tyrus condita eſt: & Dædalus aues fecit metallinas, quæ volare videbantur ſpiritu artificioſo incluſo. Similter etiam fecit ſimulacra ſe mouentia. Hic cum filio Icaro naui fugiens propter inueſtigabilem fugam pennis auolaſſe æſtimatus eſt: vnde & fabula de ipſo facta eſt. Argonautarum hiſtoria ſcribitur. Muſæus diſcipulus Orphæi, & Linus magiſter Herculis claruit. Minos Cretenſibus legem dicitur dediſſe, quod Plato negat. Hydram vero callidiſſimum fuiſſe ſophiſtam aſſerit Plato. Abimelech annis tribus. Hic primus legitur regnaſſe in populo Iudæorum: qui tamen non fuit Rex ſed tyrannus. Iſte ſeptuaginta fratres ſuos interfecit: & à muliere fragmen molæ in capite accipiens poſt vulnus occiſus eſt ab armigero ſuo apud oppidum Thebes. Nota quod à Thebis Ægyptiorum dicuntur Thebæi: à Thebis Græcorum dicuntur Thebani: à Thebe Iudæorum dicuntur Thebitæ. Hoc tempore † Silemon primus apud Phicium in Græcia eorum inuenit: quod inſtrumentum eſt pellis cum duabus cicutis, per alteram reſpiratur, & per alteram reddit ſonum. Thola annis viginti tribus. Priamus poſt Laomedontem regnat in Troia. Hercules Antæum palæſtræ artis inuentorem in palæſtra vicit & interfecit: & Ilium vaſtauit. Bellum fuit inter Lapithas & Centauros: qui fuerunt nobiles milites Theſſalorum. Theſeus in agone Minotaurum occidit: propter quod Athenienſes tributarii, pueri à pœna liberati ſunt. Fuit autem Minotaurus vir fortis & inhumanus magiſtratus Minois, valens in palæſtra: vnde dictus eſt Minois taurus, id eſt, Minois carnifex. Tunc ficta eſt fabula de Minotauro beſtia labyrintho incluſa. Iair annis viginti duobus. Hercules agonem Olympiacum inſtituit. Carmentis nympha Latinas litteras reperit. Theſeus Helenam rapuit, quam rurſus receperunt fratres eius Caſtor & Pollux capta matre Theſei, eo peregre profecto. Iepte annis ſex. Hercules flammis ſe iniecit, quia in morbum inciderat peſtilentem. Abeſan annis ſeptem. Agamemnon Athenis imperauit vel Mycenis. Menelaus Lacedæmone. Abdon annis octo. Alexander, qui & Paris, Helenam rapuit. Bellum decennale Troiæ ſurrexit. Memnon & Amazones in ſubſidium primo arma tulerunt: & ad vltimum famoſum Troiæ excidium prædicatur. Tamen ſecundum quoſdam ſub iudice Abeſan Paris Helenam rapuit. Et poſt Abeſan teſte ſacra ſcriptura Aialon iudicauit Iſrael decem annis, qui anni, quia non habentur apud ſeptuaginta interpretes ab Euſebio ſub Samuele & Saule computantur, quorum annos hiſtoria non oſtendit. Poſt Aialon Abdon iudicauit Iſrael: cuius anno tertio Troia capta fuit. Tunc Græci ad gloriam victoriæ ſuæ cæperunt annotare tempora ſua ſic: Anno à captiuitate Troiæ. Incepta vero Olympiade annotarunt tempora ſecundum numerum Olympiadũ. Capta Troia Menelaus & Helena venerunt ad Thuorum Regem Ægypti, qui alio nomine Polybus vocatur. Anno tertio à captiuitate Troiæ mortuo Latino Rege regnauit Æneas in Italia tribus annis: qui ob nobilitatem regnandi dictus eſt primus Rex Latinorum. In qua prius regnauerant Ianus, Saturnus, Picus, Faunus, Latinus, circiter centum quinquaginta annis. Hac ætate Vlyſſes nauigio in Hiſpaniam venit, & ciuitatem Vlisbonam condidit.

Filemon.

Samſon iudicauit Iſrael viginti annis. Eo tempore Aſcanius filius Æneæ qui ſecundus Rex Latinorum dictus eſt, Albam condidit. Tunc Vlyſſis fabulæ vel Sirenarum fictæ ſunt. Fuerunt enim Sirenæ mulieres meretrices, quæ cantu & pulchritudine decipiebant nauigantes. Heli ſacerdos annis quadraginta. Fere viginti anni fluxerunt ſine iudice, qui aggregati ſunt annis, quibus iudicauit Heli. Tertius Rex Latinorum Syluius Poſtumus, filius Æneæ & Lauinæ: à quo deinceps Latini Reges Syluii nominati ſunt. Hunc Aſcanius hæredem reliquit adhuc viuente paruulo filio ſuo Iulio, à quo Iuliorum familia nomen & originem traxit. Filii Hectoris Ilium receperunt Neſtoris expulſis poſteris. Samuel & Saul quadraginta annis. Incertum eſt verum Samuel ante regnum Saulis viginti annis vel amplius populum iudicauit. Secundum Apoſtolum autem dictum eſt, quod ambo rexerunt Iſrael quadraginta annis. Tunc apud Latinos quartus regnauit Syluius Æneas filius Poſtumi. His temporibus Homerus philoſophus dicitur floruiſſe. Saul autem poſt mortem Samuelis regnauit duobus annis. Iſte fuit primus Rex in Iſrael.

Quarta ætas seculi.

IN hac quarta ætate si cuiquam forte contrarium esse videtur, quod non ipse numerus quatuordecim generationum hic seruetur, qui in Matthæo complectitur, attendat inter Ioram Regem & Ioathan, omissa Athalia, tres Reges in medio prætermisisse Matthæum, qui hic cum annis suis ponuntur: & in euangelio detrahuntur pro eo quod Ioram genus se miscuerat impiissimæ Iezabel: & idcirco vsq; ad tertiam generationem eius memoria tollitur, ne in sanctæ natiuitatis ordine poneretur. Quanquam & illud præ cæteris considerate conueniat, quod plures fuerunt successiones, pauciores autem generationes. Non enim quæ Regum eadem generationum sunt tempora: vnde & Matthæus, quos ad generationem non putauit pertinere, prætetiit.

Anni ab orbe c. 4295

Dauid regnauit annis quadraginta.
Salomon regnauit annis quadraginta.
Roboam regnauit annis decem & septem.
Abia regnauit annis tribus.
Asa regnauit annis XLI.
Iosaphat regnauit annis viginti quinq;.
Ioram regnauit annis octo.
Ochozias regnauit anno vno.
Athalia regnauit annis septem.
Ioas regnauit annis quadraginta.
Amasias regnauit annis viginti nouem.
† Azarias regnauit annis quinquaginta duobus.
Ioathan regnauit annis sedecim.
Achaz regnauit annis sedecim.
Ezechias regnauit annis viginti nouem.
Manasses regnauit annis quinquaginta quinq;.
Amon regnauit annis duodecim.
Iosias regnauit annis triginta † duobus.
† Sedechias & Iechonias regnauerunt annis vndecim.
Sedechias regnauit annis vndecim.

Ozias

vno. Ioachim

Dauid regnauit quadraginta annis, qui fertur vixisse centum decem annis. Iste congregauit marmora, ferrum, lapides pretiosos, aurum, argentum, & æs Corinthium: de quibus postea constructum est templum Dei. In Corintho fuit olim templum idolorũ cum infinitis idolis ex ære, argento, & auro. Quo ab Annibale combusto metalla fluxerunt & commixta sunt: & quia maior pars ærea erat, talis commixtio vocata est æs Corinthium. De tali ære Salomon fecit mare æneum, columnas & altare. Habuit Dauid secum triginta fortes, & tres fortiores, atq; tres fortissimos: ipse tamen fortior & insignior omnibus erat. Tres fortissimi fuerunt primus Lesboam, qui à Iosepho Eusebius dicitur, secundus Eleazar filius patrui Dauid. Tertius Semmaa Ararites, quem Iosephus Semeiaam vocat. Post istos fuerunt tres, scilicet Abisai, Banaias, & Sobocay. Cõposuit Dauid cum pace frueretur cantica & hymnos alios trimetros, alios quinque metros, adinueniens violam, nablum, psalterium & alia musica instrumenta: in quibus Leuitæ per solennitates hymnos dicerent Deo. Est autem psalterium canora cithara decem chordis coaptata, quæ plectro percutitur, nablum vero duodecim sonos habens digitis tangitur. Nocent Principes & Prælati, qui cum pace fruuntur, venationibus & vanitatibus intendunt. Hoc tempore Carthago incæpta est à Carchedone Tyrio, & filia eius Didone consummata. Quintus Latinorum Rex Syluius Latinus regnat. prophetantibus Gad, Nathan, & Asaph. Codrus Atheniensium Rex sponte pro salute patriæ hostibus se offerens interimitur. Salomon regnauit annis quadraginta, & vixit annis quinquaginta duobus. Quod autem legitur, & quod senuerit, potest intelligi, quod propter nimium concubitum mulierum debilitatus anticipatam habuit senectutem. Tamen vt dicit Iosephus octuaginta quatuor annis vixit. Fecit Salomon ob honorem patris iuxta sepulchrum eius opere mechanico octo subterraneos loculos thesaurorũ. Duxit vxorẽ filiam Pharaonis Regis Ægypti: de qua, vt fertur, genuit filium quasi contra naturam, cum ipse adhuc esset vndecim annorũ. Ante quatuordecimum annum viri & duodecimum fœminæ generare non consueuerunt. Quarto anno regni sui cæpit ædificare templum domino: quod octo annis cõsummauit, vt dicit Iosephus. Posuit Salomon lapides grandes de marmore candido, quod *parium* dicitur, in fundamento templi habentes viginti cubitos in longitudine,

& decem

& decem in latitudine, & in altitudine quinque. Lapides & ligna extra ciuitatem dolabantur: vnde mallous, ſecuris, & omne ferramentum non ſunt audita in domo domini cum ædificaretur. Fertur tamen quod habuit Salomon ſanguinem vermiculi, qui Thamir dicitur, quo dura marmora facile ſecabantur. quem inuenit hoc modo. Erat ei ſtruthio habens pullum; quem iubente Salomone ſub vaſe vitreo ſapientes eius incluſerunt. Quem cum videns ſtruthio habere nequiret, tulit vermiculum de deſerto: cuius ſanguine liniuit vitrum, & fractum eſt. Iſto ſanguine operarii ligna & lapides facillime incidebant: & clauos eum quodam glutino figebant. Tanta fuit gloria Salomonis, quod ante fores domorum in Hieruſalem plurima ſedilia argentea fierent. Ad operum eius incredibilem opinionem Regina Sabba regiæ ciuitatis Æthiopæ venit videre Salomonem: & admirans prudentiam & diſpoſitionem gloriæ Salomonis dedit illi gemmas pretioſas, aurum, aromata infinita, & etiam radicem balſami: vnde propagatæ ſunt in Engadi vineæ balſamitæ. Quæ cum reuerteretur multis donata muneribus Salomonis, fertur ſcripſiſſe illi, quod in domo † ſalutis lignum quoddam opertum auro viderat, in quo ſuſpendendus erat quidam cæleſtis propheta, pro cuius morte regnum Iudæorum periret: & certis illud indiciis ſcripturarum declarauit Regi. Timens autem Salomon diſcindere lignum, eo quod Rex Dauid in magna illud habuerat reuerentia, in profundiſſimis terræ viſceribus occultauit illud. tempore autem Chriſti in probatica piſcina ſupernatauit: quod lignum dominicæ crucis creditur fuiſſe. Hæc Regina Sibylla dicta eſt: quia ſapientes fœminæ hoc nomine antiquitus dicebantur. His diebus fuit Rex ſextus Latinorum Syluius Alba Syluii Æneæ filius. *ſalutis*

Roboam regnauit annis decem & ſeptem. Regnum Iſrael à Iuda diuiditur. Fertur tempore huius auem nō volaſſe ſuper Hieruſalem, & fere deſperaſſe Iudæos. Hoc tempore Latinorum Rex fuit ſeptimus Syluius Athys ſiue Ægyptus: & Reges in Samaria haberi cæperunt. Abia annis tribus. ſub quo Hebræorum Pontifex Maximus Abimelech inſignis eſt habitus. Aſa annis quadraginta vno. Prophetæ in Iudæa Aggæus, Zacharias, Micheas, Amos, Ioel, & Iehu. Tunc fuit octauus Rex Latinorum Syluius Capis. Ioſaphat annis viginti quinque. Prophetæ Helias, Abdias, & Micheas. Nonus Latinorum Rex fuit Syluius Carpentus. Decimus Syluius Tiberinus, à quo fluuius dictus eſt Tiberis, qui prius Albula dicebatur. Vndecimus Syluius Agrippa. Ioram annis octo. Hic accepit vxorem Athaliam filiam Achab & Iezabel. Prophetæ Helias, Heliſæus, & Abdias. Helias erat vir piloſus, ſicut fuerat Eſau: vnde in bona ſignificatione & in mala inuenitur piloſus. Heliæ ſeptem inſignia miracula prædicantur. Ochozias anno vno. Helias rapitur. Athalia regnauit annis ſeptem. Hæc interfecit omne ſemen Regis Dauid quod reperit, male ſeducta vt ipſa ſola regno poſſideretur. Ionadab filius Recab ſacerdos clarus habetur. & Iorada Pontifex, qui ſolus poſt Moyſem vixiſſe annis centum triginta perhibetur.

Ioas regnauit annis quadraginta. Hic cum argueretur à Zacharia filio Ioiadæ, fecit eum obrui lapidibus inter templum & altare: & omnes filii eius cum eo lapidati ſunt, præter vnum poſtumum, qui poſt eum dictus eſt Zacharias. Ex tunc, vt fertur, non accepit populus reſponſum in templo manifeſte ſicut prius, nec ex Dabir, id eſt rationali, nec ex Ephod. Heliſæus moritur, cuius virtutes quatuordecim prædicantur. Lycurgus Legislator Apollinis apud Græciam inſignis habetur. Rex Latinorum duodecimus Syluius Aremulus, qui præſidium Albanorum inter montes, vbi nunc Roma eſt, poſuit. Huius filius fuit Iulius proauus Iulii Proculi, qui cum Romulo Romam commigrans fundauit Iuliam gentem. Amaſias annis viginti nouem. Carthaginem hoc tempore quidam aſſerunt conditam, alii vt ſuperius: iſto autem tempore fuit innouata & ampliata. Rex Latinorum tredecimus Syluius Auentinus regnat: & in eo monte, qui nunc pars vrbis eſt, mortuus & ſepultus æternum loco vocabulum dedit. † Azarias annis quinquaginta duobus. Olympias primum à Græcis inſtituitur. Agnus in Græcia loquitur. Sardanapalus Rex vltimus monachus Aſſyriorum, victus ab Arbace Medo ſponte ſemetipſum concremauit: & tunc Arbaces monarchiam Aſſyriorum ad Medos tranſtulit. Simile poſtea fecit Darius occiſo Balthaſſar. Fuerunt tamen Reges Aſſyrii ſi non à Deo monarchi, tamen potentes vſque ad ſubuerſionem Niniuæ. Lacedæmoniorum Reges deficiunt. Tunc Heſiodus poeta claruit: atq; Phidon Argiuus pondera & menſuras reperit, Oſee, Amos, Iſaia, & Iona prophetantibus in Iudæa. Tamen ſecundum quoſdam Ionas tempore Ieroboam Regis Iſrael prophetauit. Hic euerſionem Ni- *Olymp.*

niuæ prædixit: quæ multo post tempore impleta est. Nam inundatione fluminis, pluuiarum, atque ictibus fulminum & terræ motuum subuersa fuit, cum ciuium iniquitas abundaret: vnde videtur quod dilata est Dei sententia non deleta. Rex Latinorum quatuordecimus Syluius Amulius. Hoc tempore ascendit Phul Rex Assyriorum in Thersan: & dedit ei Manahem Rex Israel pecuniam multam vt recederet ab eo. Fertur etiam quod promisit ei vitulos aureos, qui erant in Dan & in Bethel, vt esset sibi in auxilium. Sacerdotes autem absconderunt vitulos aureos, & fecerunt æreos deauratos: quos misit Manahem Regi Assyriorum. Qua fraude postea percepta Rex Assyriorum nimium exarsit contra Israel. Vnde ascendit Phul qui & Theglatphalsar dicitur, in terram Israel: & vastauit omnem regionem trans Iordanem: & captiuauit duas tribus & dimidiam, scilicet, tribum Rubem, & Gath, & dimidiam Manasse. Ex quibus tamen tribubus in possessione sua Iudæi aliqui remanserunt: vastans quoq; Galilæam de tribu Zabulon & Neptalin multos transtulit in Assyrios qui possent dimidiæ tribui comparari: vnde sæpe reperitur quod tres tribus captiuauit. Hoc fuit initium captiuitatis decem tribuum Israel.

Ioathan annis sedecim. Romulus & Remus gemelli & ex patre Marte & matre Ilia nascuntur. Qui à lupa nutriti feruntur, quæ creditur fuisse meretrix quæ prostitutione sua multos occidebat. Tamen potuit esse vt Deus à lupa illos expositos vellet nutriri, per quos ciuitas sanctæ Romæ habebat fundari. Prophetabant in Iudæa Osee, Ioel, Isaias, & Micheas.

Achaz annis sedecim. Roma à Romulo & Remo conditur in monte Palatino Olympiade quinta. Olympias vocabatur ludus qui fiebat in quinto anno quatuor mediis annis vacantibus. Et ob hoc Elidum certaminis tempus Olympiadem vocauerunt quadriennio sub vna Olympiade supputato: & dicebatur Olympias ab Olympo monte. Tunc temporis Senacherib Rex Assyriorum septem tribus captiuauit: & & iuxta flumen Gozam vltra montes Medorum & Persatum, vbi erat prima trium tribuum captiuitas, eos habitare fecit: & Samaritas accolas in terram Israel misit. Huius tempore Tobiæ historia incepta est. Anno ab vrbe condita tertio Remus rastro pastorali occisus est à Fabio duce Romuli. Consualibus ludis Sabinæ raptæ sunt: & pulcherrima fœminarum data est Thalamoni duci Romuli: vnde, quia bene cessit illi, locus nuptiarum exinde dictus est Thalamus. Ezechias regnauit annis viginti nouem super tribum Iuda, Beniamin & dimidiam Manasse. Hoc tempore Romulus milites ex populo sumpsit scilicet, ex mille vnum: qui sub Tatio Rege Sabinorum Romulo fauebat quos Quirites appellauit. Ex populo centum nobilissimos viros elegit, qui ob curã ac solicitudinem reipublicæ patres vocati sunt, & ob ætatem senes. Romulus apud paludem Capreæ nusquam comparuit: ob quam causam deificatus est, & suadente Lucio Quirini nomine consecratus. Post Romulum prædicti senes singuli per quinos dies rempublicam rexerunt per annum fere & dimidium. Quod tempus interregnum appellatur. Tunc in Sicilia Syracusa & Catina conditæ sunt. Post Romulum Numa Pompilius regnauit: qui prædictos senes senatores appellauit. Hic primus congiarium militibus dedit, id est, imperialem largitionem in sui promotione. Qui & primus Pontifex, & & vestales virgines instituit: falsorumq; deorum numerositate vrbem implenit. De Achaz patre pessimo ortus est optimus Ezechias.

Manasses annis quinquaginta quinq; : qui malum habuit principium, finem bonum. Numa Pompilius duos menses, scilicet, Ianuarium & Februarium decem mensibus anni adiecit; Ianuarium diis superioribus, Februarium inferis dedicauit, & Capitolii fundamenta iecit. Sibylla Erophila claruit in Samo, vnde & Samia dicta est. Partheni Tarentum condiderunt. Glaucus de Chio primus ferri glutinum excogitauit. Amon annis duobus post mortem patris, qui decem annis regnauerat, vt fertur viuente patre. Tertius Romanorum Rex Tullus Hostilius. Hic primus Regum Romanorum purpura & fascibus vsus est: priorque in Rep. censum exegit: quod adhuc per orbem terrarum incognitum erat: hic post longam pacem bella reparauit. Albanos vigentes vicit. adiecto monte Cælio ampliauit vrbẽ: & tandem cum
vide domo sua fulmine conflagrauit. Iosias regnauit annis triginta † duobus. Quartus Romanorũ Rex Ancus Martius Numæ nepos ex filia Auentinum montem & Ianiculum Vrbi addidit: supra mare Hostiam condidit. Oraculo Dodonæo primo Græcia vsa est. Quintus Romanorum Rex Tarquinius Priscus: qui muros Romæ, cloacas, id est, occultos meatus, Capitolii, & circum extruxit, & ludos Romanos instituit. Arion à delphino in Tenarũ dicitur deportatus. Thales Milesius philosophus claruit, qui defectib.

Soli-

Solis acutissimâ persecutione comprehensis Astrologiæ numerum primus inuestigauit. propheratibus in Iudæa Hieremia & Sophonia. Reliquit autem Iosias tres filios, Eliachim, qui & Iechonias, primogenitum quindecim annorum, Ioachaz, qui & Sellum dictus est, & tertium Mathaniam. Tulit ergo populus Sellum, & constituit eum Regem pro patre suo, & regnauit tantum tribus mensibus: quia Rex Ægypti veniens in Hierusalem amouit eum, & constituit Ioachim Regem pro eo.

Ioachim annis vndecim. Huius anno tertio Nabuchodonosor Iudæam captam tributariam fecit. Duxerat namq; Sellum in dolo sub spe honorandi eum in Ægypto; & cum venisset in Reblatha, vinxit eum, & ligatum misit in carcerem. Tunc Daniel, Ananias, Azarias, & Misael in Babylone claruerunt. Quos Nabuchodonosor obsides, quia erant de semine regio, cum aliis nobilibus Iudæis traxit in Babylonẽ. Ioachim autem Rex Babylonis sibi repugnare volentẽ Hierusalem veniens dolo cepit & occidit, & extra muros insepultum proiici iussit. & inuenta sunt stigmata, id est, vstiones in corpore occisi more gentiliũ, & nomen idoli, quod colebat Nabuchodonosor. Et cõstituit Nabuchodonosor filium eius Ioachim Regem pro eo æquiuocum patri. Qui regnauit tribus mensib. & decẽ diebus. Cumq; recessisset Nabuchodonosor, timuit ne Ioachim memor mortis paternæ adhæreret Ægyptiis & pugnaret aduersus eum: ideo rediit & obsedit Hierũsalẽ. Sed egressus est ad eum Ioachim cum matre & cum principib. suis, & cum omnib. viris robustis circiter duo millia, & cum omni familia sua: inter quos erat Mardochæus & Ezechiel prophera cum aliis multis. Rex Nabuchodonosor transtulit eos in Babylonẽ cum omnib. vasis & thesauris domus domini, & domus regiæ. Et cõstituit patruũ Ioachim, scil. Mathaniã Regẽ pro eo, quem Sedechiã vocauit. Timuit Nabuchodonosor ne reuerteretur Ioachim in Iudæã, & incarcerauit eũ. Isti quia spõte se tradiderunt, proprie dicti sunt transmigratio Iudæ. Alii vero qui postea per violentiã traducti sunt, dicũtur captiuitas Iudæ. Ab hac transmigratione, scilicet, ab anno nono regni Nabuchodonosor quidam inchoant numerare septuaginta annos captiuitatis.

Sedechias annis vndecim. Hunc Rex Babylonis veniens Hierusalem cum populo captiuum duxit: & templum incensum est anno ædificationis suæ CCCCLIV. dum Nabuzardan princeps coquorum ex præcepto Nabuchodonosor vellet transferre omne aurum & argentum, quod erat in ædificiis templi, fecit puteum in medio templi: & ipsum templum impleuit lignis, stipula, & pice, & apposuit ignẽ: vbi tanta fuit vis flammæ, vt omnino lapides, aurum, & argentum dissoluerentur: & cum decurrerent metalla per præparatos riuulos ad prædictum puteum, disruptus est puteus fere vsque ad abyssum: ita quod de metallis templi ne modicum quidem potuit inueniri. Per idem tempus Sapho mulier diuerso poemate in Græcia claruit. Solon Athenienſibus Leges dedit. Rex Romanorum Sextus Seruius, nobilis captiuę filius, qui tres montes Vrbi addidit Quirinalem, Viminalem, & Esculum. fossas circa muros duxit: & statuit primus, vt Romani ciues exigerent censum per subditas regiones. Tandem occisus est à Tarquinio superbo Prisci Tarquinii filio. Eodem tempore apud Græcos septem Musæ, id est, septem sapientes sunt appellati. Nabuchodonosor cum intrasset Babylonem post triumphum, victimas solennes immolauit diis suis. Et cum recumberet post solennitatem vndecim dierum exhilaratus cum Principibus suis præcepit vt adduceretur Sedechias in medium & aliqui de cantoribus templi cum eo qui psallerent coram eo in musicis instrumentis, & canerent hymnos de canticis Sion. Bibebant conuiuæ in vasis domus domini: quorum Nabuchodonosor quædam consecrauit idolis, & quædam reseruauit sibi. Cumq; darent psallentib. potum, præcepit Rex vt secreto daretur Sedechię potus laxatiuus: & coram omnibus ignominiosè laxatus est: & rursum reduxerunt eũ in carcerem. Qui nimio afflictus dolore post paucos dies mortuus est. Rex autem Nabuchodonosor fecit eum cum honore regio sepeliri.

Traditur quod Hieremias priusquam templum succenderetur, tulit arcam testamenti cum iis quæ erant in ea, & detulit eam inter duos montes, in quibus fuerunt sepulti Moyses & Aaron, & in quodam specu misit, & os speluncæ magno lapide clausit: atq; in ipsa petra Dei nomen impressit: & factum est sigillum in similitudine sculpturæ, quæ ferro cauatur. Et nubes operuit locũ, ita vt nullus posset agnoscere eum. Illic tamẽ sæpe nubes vt ignis fit nocturno tempore, eo quod à sua lege Dei gloria non recedat. Reliquerat Rex Nabuchodonosor de pauperibus terræ filios Israel vt colerent terrã. Qui ducentes secum Hieremiam & Baruch fugerunt in Ægyptum. Cumq; redarguerent eos Hieremias, quod sacrificabant diis alienis lapidauerunt eum: Ægyptii vero honorauerunt propheram sepelientes eum in sepultura Regum memores beneficiorum,

quæ præstiterat Ægypto. Oratione namq; sua fugauerat aspides & crocodilos, quibus Ægyptus prius infestabatur. Post hæc anno quinto euersionis Hierusalem descendit Nabuchodonosor in Ægyptum, & subuertit eam. Denuo Iudæos, quos ibi reperit, captiuos duxit in Babylonem. Ab hac vltima captiuitate reliquiarum Iuda, quidam numerant septuaginta annos, vsque ad secundum annum Darii filii Histaspis. Tres enim fuerunt captiuitates. Prima fuit productionis manifestæ: quæ incepit quartodecimo anno regni Iosiæ Regis iusti, & durauit vsq; ad primum annum Regis Cyri. Secunda incepit anno tertio Regis Ioachim, quæ fuit afflictionis, & durauit vsq; ad vicesimum annum Cyri. Tertia incepit vltimo anno Sedechiæ, quæ fuit desolationis & durauit vsque ad secundum annum Darii filii Histaspis. Tamen magis videtur quod septuagesimus annus à destructione templi vsq; ad perfectam restaurandi licentiam sit computandus.

Quinta ætas seculi.

QVINTA ætas à transmigratione Babylonis vsq; ad Christum, quam Matthæus per generationes exequitur, quia in progenitoribus quis quot annis vixerit, non facile noscitur, vt pote in captiuitate constituris. Ideo melius numerus annorum ætatis huius vsque ad Christum per historias gentium cognoscitur adhibendus. Tamen sciendum quod scriptura sacra, si pauci menses vel dies solido annorum numero superfuerint, in annorum numeris putandis eos ponere minime consueuit. Item si pauci defuerint pro solido per synecdochen computantur, partem anni plerunq; ponendo pro toto. Quod in hoc opere factum pluries reperitur. Item vnus & idem Rex patri conregnauit. prius regnare cæpit: qui postea fuit illius vel alterius regni maiori gloria decoratus. Quare quidam computant à principio regni eius & alii à sublimatione maiori: vnde videtur in scripturis sæpe discordantia suboriri. Quod prudens & sedulus lector clare aduertere potest.

Anni ab orbe c.	Hebræorum captiuitas annis LXX.
4810.	Darius annis XXXIIII.
	Xerxes annis viginti.
	Artaxerxes annis quadraginta.
	Darius, qui & Nothus annis decem & nouem.
	Artaxerxes annis quadraginta.
	Artaxerxes annis viginti sex.
	Arses annis quatuor.
	Darius annis sex.
	Alexander annis quinque.
	Ptolemæus annis quadraginta.
	Philadelphus annis triginta octo.
	Euergetes annis viginti sex.
	Philopator annis decem & septem.
	Epiphanes annis viginti quatuor.
XXV.	Philometor annis † triginta quinque.
	Euergetes annis viginti nouem.
	Soter annis decem & septem.
	Alexander annis decem.
	Ptolemæus annis octo.
	Dionysius annis triginta.
	Cleopatra annis duobus.
quatuor	Iulius Cæsar annis † quinque.
	Octauianus Augustus vsque ad natiuitatem Christi annis qua-
5327.	draginta duobus.

Hebræorum captiuitas annis septuaginta permansit: in quibus ignis ab altari Dei subtractus & absconditus in puteo post septuagesimum regressionis annum assumitur inuentus viuus. Annus septuagesimus à destructione templi vsque ad perfectam restaurandi licentiam est computandus. Nabuchodonosor elatus superbia, & non cognoscens Deum, vt debuit post reuelationes somniorum, quæ vidit, ab hominibus est eiectus, & fænum vt bos comedit. Mutatus est non corporis mutatione, sed alienatione mentis, & videbatur ei, quod esset bos in anterioribus, & in posterioribus Leo, quia in prima ætate voluptuosus fuit, & ceruicosus, & in fine multos interfecit: & nullus Regum

gum ei resistere potuit. Daniel autem orauit dominum, & obtinuit, vt septem menses verterentur. In quibus quadraginta diebus insaniam patiebatur, & per alos quadraginta ad cor hominis vertebatur, donec septem menses complerentur. Post quos reuocatus est: non tamen statim regnauit, sed statuti sunt pro eo septem iudices, & vsq; ad finem septem annorum pœnitentiam egit panem & carnes non comedens & vinū non bibens iuxta consilium Danielis. Et cum iterum regnasset, voluit Danielem cohęredem facere filiorum: & Daniel noluit.

Euilmerodach autem filius Nabuchodonosor, cum pater insaniam pateretur, multa mala gessit in terra: vnde Nabuchodonosor restitutus regno misit eū in carcerē, vbi erat Ioachim Rex Iuda. Dilexit autem Euilmerodach Ioachim valde, & pepigit cum eo amicitiarum fœdus. Post hæc mortuus est Rex magnus, Nabuchodonosor vocabatur, qui de spoliis hostium templum Beli in Babylonia magnifice decorauit. ciuitatem reparans, ita vt fere nequaquam obsidentes valerent flumen auertere, paternis munitionibus multo maiora addidit. Sepulchrum patris mirabili opere decorauit: & in dieb. quindecim miranda ædificia consummauit. Detulit etiam lapides grandes: ex quibus fecit instar montis ædificium magnum, & superplantauit arbores, & hortum, qui suspensus dicebatur, eo quod vxor eius, quæ in finibus Medię nutrita fuerat, regionē suam à longe videre desiderabat. Asserunt quidam eum fortitudine & operum magnitudine Herculem transcendisse. Tamen obsedit fortissimam ciuitatē Tyrum trib. annis & decem mensibus, & non cepit eam. Mortuus est eo tempore Rex Nabuchodonosor: & regnauit Euilmerodach filius eius pro eo. Hic duxit vxorem fratris sui: ex qua genuit Egeasar, Loboſardach, & Balthasar. Euilmerodach anno primo regni sui eleuauit Ioachim Regem Iuda de carcere: & posuit thronum eius super thronum Regū qui erant cum eo in Babylone. Et timens ne resurgeret pater suus qui de bestia resurrexerat in hominē, & quia sepulchrum eius aliquando moueri videbatur, consuluit Ioachim: ad cuius consilium patrem secreto extumulauit, & cor atq; cadauer eius in trecentas partes diuisit & dedit eas trecentis vulturibus comedendas. Et ait ad eum Ioachim: Non resurget, inquit, pater tuus nisi redeant vultures in vnum quos euolare fecisti. Mortuus est Euilmerodach, & regnauit Egeasar filius eius pro eo. Cui successit Laborsardach frater eius. Isto defuncto ad Balthasar fratrem eius transiit imperium. Sub istis sex Regibus expleti sunt septuaginta anni captiuitatis Iudæorum: quæ primo anno Cyri Regis Persarum laxata est.

Darii filia fuit mater Balthasar: pro qua factus est hortus suspensilis: & quia Balthasar filium non habebat, festinabat Darius occupare regnum. Similiter Cyrus erat nepos Darii filius sororis Balthasar: per quam idem Balthasar adeptus est Babyloniæ regnum. Petebat Cyrus ab Balthasar partem eiusdem regni: & ille contempsit eum habere consortem: vnde Cyrus Rex Persarum congregato exercitu cum Dario auunculo suo Rege Medorum Assyrios & Babyloniam petit bello vendicaturus regnum Balthasar. Scindens autem primo impetum fluminis Tigris secundæ post Euphratem magnitudinis, ipsum flumen per magnas concisum deductumq; fossas in trecentos sexaginta alueos comminuit: & alueum ad siccum vsq; perduxit. Eo prædoctis opere fossoribus etiam Euphratem longe validissimum fluuium per mediam Babyloniam interfluentem multis fossis deriuauit: ac sic meabilibus vadis eo diminuto exercitib. suis iter siccum aperuit. Intrauerunt igitur hostes: & capta est vrbs tunc longe cunctis gloriosior & opulentior: quam humano opere posse extrui vel humana virtute capi vel destrui posse, fere apud mortales incredibile videbatur. Ipsa nocte Balthasar viderat manum scribentem contra se in pariete: & eadem nocte interfectus est à Chaldæis.

Darius regnauit annis triginta quatuor. Huius anno secundo Iudæorum est captiuitas resoluta. Cyrus enim tanquam maiori in omnibus deferebat. Nempe Babylonia à Nembrot gigante fundata, à Semiramide Regina reparata delitiis & fortitudine abundabat. Hæc campi planicie vndique conspicua, natura loci lætissima, castrorum altitudine mirifice decorata, mœnibus paribus per quadrum pulchre dispositis, firmitas & magnitudo murorum eius vix relatu credibilis, habens in latitudine cubitos centum quinquaginta & altitudine sexcentos ab hostium cunctorum incursibus secura videbatur. Ceterum ambitus eus quadringentis octoginta stadiis † circumuenitur. Ipsa autem latitudo murorum in consummatione pinnarum, vtroque latere habitaculis æque dispositis media intercapedine sui iunctas quadrigas capit. Murus coctili latere atq; interfuso bitumine erat compactus.

† circuitus. lib. 1 ser.

Fossa extrinsecus late patens vndique vice amnis circumfluit. In fronte autem murorum erant centum portæ æreæ nimiæ magnitudinis. Et tamen Babylon illa à Deo fortis & magna minima mora victa & capta subuersa est. Cyrus postquam Babyloniam vt hostis inuasit vt victor euertit, vt Rex disposuit, bellum transtulit in † Libyam. *Lidiam.*

Tenuit Darius anne primo monarchiam sibi exhibente obedientiam Cyro: secundo vero anno constituit Cyrum monarcham, quia eum super salutem propriam diligebat. Vnde Cyri monarchiæ anno primo suscitauit Deus spiritum eius, & dedit libertatem omnibus Iudæis, qui erant in regno suo, & licentiam redeundi in Iudæam, & ædificandi domum domini. Cumque Iudæi inciperẽt ædificare, Samaritæ inuidentes impediebant eos. Et cum non possent eos impedire per se, dederunt munera Principibus Regis Persarum, qui erant positi super terram, vt eos impedirent. Vnde factum est vt ignorante Cyro adeo impedierint eos, quod in triginta annis, in quibus Cyrus regnauit, non erexerunt muros templi nisi vsque ad apodationem. Porro Cyrus cum percussisset Cresum iuxta fluuium Halim, gentem Lydorum bellicosissimam astute redegit in socordiam: tradidit enim illis sollemnitates & ludos, præcipiens eis vt lusibus, comesationibus & amplexibus vacarent quasi beneuolentiam in eis ostendens: & in hunc modum eos eneruauit: & quos bello non poterat, per libidinem expugnauit. Postea vero misit nuntios ad Thomirim Reginam Masagetarum, vt eum acciperet in coniugem. Quæ cum nollet ab exercitu Thomiris Cyrus bello victus est & occisus. Quæ caput illius præcisum in vtrem plenum sanguine humano proiiciens insultando dixit: satia te sanguine quem sitisti.

In diebus Cyri septimus Rex Romanorum Tarquinius superbus à regno est expulsus & merito, quia vrbem velut Rex premebat, velut exactor seruitiis perurgebat, velut hostis bellis & seditionibus regnum euertebat, & crudelitate Tarquiniorum, quos secum habebat, deuastabat Romam. Hic excogitauit diuersa genera tormentorum scilicet, vincula taurea, fustes, latumias, carceres, compedes, catenas, & exilia. Causa etiam Tarquinii iunioris filii sui, qui Lucretiam nobilem matronam corruperat, omnibus erat odiosus. Post hunc Romani sibi consules præfecerunt, & leges statuerunt vsque ad Iulium Cæsarem. Sicque factum est, vt cadente Babylonia surgeret Roma. Babylon namque à Cyro Rege Persarum est subuersa & Roma eo tempore à pestifera Tarquiniorum Regum dominatione est liberata. Siquidem cecidit orientis regnum, & ortum est imperium occidentis. Et per quatuor mundi partes quatuor regnorum principatus eminentes extitisse noscuntur. Babylonium regnum ab oriente, Carthaginense à meridie, Macedonicum à septentrione, ab occidente vero viguit Romanum imperium. Primus consul Romanorum Brutus fuit vix tenente Roma imperium vsque ad quintumdecimum miliarium: quamuis quædam aliæ regiones sibi iam fauorem & seruitium exhiberent propter eius fortitudinem & prudentiam. Inde etiam tribuni plebis & dictatores & rursum consules rempublicam rexerunt vsque ad Iulium Cæsarem.

Mortuo Cyro successit ei filius eius Cambyses qui apud Esdram Artaxerxes vel Assuerus dicitur. In historia vero Iudith Nabuchodonosor vocatur. Per idem tempus Iudith historia scribitur. Pythagoras quoque Arithmeticæ artis inuentor, atque Xenophanes comœdiarum scriptor insignis habetur. Iesus sacerdos magnus, & princeps gentis Zorobabel claruit. Aggæus, Zacharias, & Malachias prophetæ claruerunt. Cambyses autem ingressus Ægyptum vastauit eam & condidit Babylonem in Ægypto: cumque reuerteretur ab Ægypto ægrotabat & ferebatur ceruicibus Regum. Et mortuus est in Damasco.

Erant tunc in Persida septem magi, id est, septem sapientes, & conuenerunt inter se vt venirent diluculo in atrium palatii super equos soli ante fores templi. Et cuius equus prius hinniret, Rex constitueretur. Erat vnus eorum Darius filius Histaspis: qui secrete mandauit custodi equorum suorum vt in loco ad quem in crastinum conuenire debebant, equo suo de nocte supponeret equam. Quo facto cum in crastinum septem magi ad dictum locum veniissent, statim ad equæ memoriam equus Darii hinnitum dedit: & continuo Darius in Regẽ est eleuatus. Erat ei valde familiaris Zorobabel, & obtinuit ab eo anno secundo regni sui constructionem templi, & vasa domini remitti in Hierusalẽ. Et consummatũ est tẽplũ quadragesimo sexto anno à prima licentia qui dedit Cyrus redeundi & ædificandi templum. Vnde in Euangelio dicitur: quadraginta & sex annis ædificatũ est templũ hoc. Post Dariũ Xerxes filius eius regnauit, qui Deũ

colui

coluit, & multa glorioſe geſſit. Darius autem magnus filiam Cyri duxerat vxorem ex qua genuit Xerxem, qui regnauit annis viginti. A quo tempore in Iſrael non Reges ſed Principes fuerunt vſque ad Hyrcanum & nepotem eius Ariſtobolum. Tunc temporis Herodotus hiſtoriarum ſcriptor & Xeuſis agnoſcitur pictor, Heſiodus, Pindarus; Sophocles, & Euripides tragœdiarum ſcriptores fulſerunt, Gorgias primus rhetor claruit. Hoc tempore lapis habens formam caprinam in Ægæum mare viſus eſt cecidiſſe de cœlo.

Artaxerxes qui & Longimanus regnauit annis quadraginta. Eſdras ſacerdos legem à Chaldæis ſuccenſam per ſpiritum ſanctum reparauit, & ſcribendi modum & nouos apices litterarum excogitauit, qui faciliores ad ſcribendum fierent & ad pronunciandum. Prius enim arantis more ſcribebant de ſiniſtra in dextram & de dextra in ſiniſtram, vnde ſcribere dicitur exarare. Nehemias muros Hieruſalem reſtaurauit, & dux Iſrael fuit. Ariſtarchus, Ariſtophanes, Sotades tragœdiarum ſcriptores habentur. Hypocras medicus, Socrates philoſophus & Demetrius claruerunt. Darius qui & Nothus annis decem & nouem. Plato philoſophus floruit. Dionyſius in Sicilia tyrãnidem exercuit. Ignis de Æthna vſque ad mare erupit. Ægyptus à Perſis receſſit. Hic fecit vineam auream in qua erant diuerſi generis gemmæ pro racemis pendentes. Artaxerxes qui à Iudæis Aſſuerus dicitur, annis quadraginta. Eſter hiſtoria expletur. Plato quoque & Xenophon claruerunt. Athenienſes viginti quatuor litteris vti cœperunt, cum antea ſedecim ſolummodo vterentur. Senones Galli duce Brenno Romam inuaſerunt & ex ea partem maximam cremauerunt. Romani ſex mẽſibus tribunis militaribus pro cõſulibus vti cœperunt. Obiit Anaxagoras philoſophus & Heraclytus tenebroſus atque Democritus. Socrates venenum bibit & mortuus eſt. Diogenes claruit. Magnus philoſophus Ariſtoteles Hiſpanus natione in Græcia Platonem audiuit & in multis floruit maxime dialectica & metaphyſica. Artaxerxes annis viginti ſex. Hic Ochus dictus eſt & ciuitate Apodaſmo Iudæorum capta in Hircaniam accolas translatos iuxta mare Caſpium collocauit. Arſes annis quatuor. Demoſthenes primus orator agnoſcitur. Romani Gallos ſuperauerunt. Iudæorum Pontifex maximus Iaddus: cuius frater Manaſſes templum in monte Garizion cõſtruxit ad ſimilitudinem templi Hieruſalem: & multos Iudæorum ſecum aſſociauit. Darius annis ſex. Eodem tempore Manlius Torquatus conſul Romanorum filium ſuum virgis cæſum ſecuri percuſſit, quia contra imperium conſulum cum hoſtibus pugnauit, & tamen vicit eos.

Alexander Macedo annis quinque. Iſte regnauit annis duodecim: ſed illi quinque hic tantummodo computantur quibus Aſiæ monarchiam tenuit ſolus. Fuit filius Philippi Regis Macedonum: qui per inſidias eſt peremptus à Pauſania trahente genus ab Oreſte. Alexander viginti annorum erat cum regnare cœpiſſet: qui volens obtinere Syriam tranſiit Helleſpontum. Et congregati ſunt aduerſus eum duces Darii qui erant trans flumen: & ſuper Granicum fluuium expugnauit eos. Tunc Darius Arſami filius collegit exercitum magnum, & tranſiuit Euphratem, & montes Ciliciæ, ſperans iuxta montem Taurum in Armenia minore Macedones expugnare. Commiſſo autem prælio victus eſt Darius ab exercitu Alexandri: & capta matre eius vxore ac filiis ad Perſas fugit. Alexander autem cepit Damaſcum & ſubiugata Sydone Tyrum obſedit. Et ſcripſit ad Iaddum principem ſacerdotum in Hieruſalem, vt ſibi præberet auxilium & exercitui venalia præpararet & redderet ſibi tributa, quæ prius Dario conferebat. Reſpondit autem Iaddus ſe Dario ſacramenta dediſſe, nec eo viuente poſſe tranſcendere conſtituta. Tunc iratus Alexander valde comminabatur Iudæis, & iniectis aggeribus coæquauit muris ciuitatis, & cepit Tyrum fortiſſimam ciuitatem: quam fortis Rex Nabuchodonoſor fere per quatuor annos obſedit & eam non potuit capere. Deſtructa igitur Tyro & terræ coæquata magnus timor inuaſit omnes orientales qui audierũt. Poſt hæc obſedit Alexander Gazam, & ea capta Hieroſolymam feſtinabat. Timentes autem Iudæi clamauerunt ad dominum, & immolabant hoſtias. Summus ſacerdos Iaddus obtulit ſacrificium. & cũ obdormiſſet admonitus eſt à Deo quid faceret. Et exurgens à ſomno ciuitatem Hieruſalem multis inſigniis ornauit: & ipſe pontificalibus indutus, & reliqui ſacerdotes cum eo ſtolis legitimis decorati venienti Alexandro obuiã extra ciuitatem proceſſerunt. Alexander autẽ intuens ſummum Pontificẽ ſacris veſtibus inſignitũ ira mutata in manſuetudinẽ ſtatim de equo deſcendit, & nomen domini quod ſcriptũ erat in laminà aurea, quæ erat in fronte ſacerdotis, adorauit. Interrogatus autem quare ſacerdotem gentis Iudææ adoraſſet, reſpondit:

Non hunc adoraui, sed Deum cuius principatum sacerdotii gerit: nam per somnium in tali habitu Deum conspexi, dum essem in Macedonia: qui mihi totam Asiam se daturum promisit. Ingressus itaque vrbem Alexander secundum iussionem sacerdotis in templo sacrificium obtulit, & dona multa auri & argenti contulit, & concessit Iudæos vbique patriis legibus vti, & septimum annum sine tributo esse propter sabbathum terræ: atque exinde cum lætitia & deuotione profectus est. Cumque peruenisset ad montes Caspios, miserunt ad eum filii captiuitatis decem tribuum postulantes, vt daret eis licentiam in terram Israel reuertendi. Qui cum quæsisset captiuitatis causam, accepit eos adeo Israel recessisse idolis & vitulis aureis immolando. Tunc respondit quod arctius includeret eos: cumque angusta viarum loca obstrueret molibus bituminatis terra subito tremuit, & fulgur cecidit, & præcisis rupibus maxima montium pars corruit & loca meabilia obstruxit. Rex autem Alexander interfecit Darium Regẽ Persarum & Regem Porũ: qui fecerat vitem magnã ex auro: vbi erãt quasi racemi omnium lapidum pretiosorum inæstimabilis pretii. Accepit aurum & lapides Alexander & diuisit exercitibus suis. Et cum post multos triumphos totius Asiæ monarchiã obtinuisset, posuit in Lybia Gades, id est, columnas æreas & marmoreas & arcum triumphalem. Reuertens autẽ in Babylonem sumpto veneno vsum linguæ amisit: & extremam voluptatem suam scripto expressit. Noluit monarchiam suam in aliquem transferre ne aliquis par ei potentia apud posteros legeretur. Duodecim quos ab adolescentia socios habuerat regni successores instituit. Hæc autem institutio nõ stetit: nam quatuor ex his abiectis aliis regnauerunt. Fertur etiã duodecim Alexandrias cõdidisse per numerum annorum quibus regnauerat: in Lybia quoque Aretho condidit ad indiciũ virtutis suæ. Tunc regnũ Persarum deletũ est. Post mortẽ Alexandri regnũ eius diuisum est secundũ Danielis prophetiã in quatuor ventos cœli. In Ægypto enim quæ est ad meridiem, primus regnauit Ptolemæus, qui Soter est cognominatus filius Lagi: à quo sequẽtes Reges Ægypti Ptolemæi dicti sunt. In Macedonia Philippus, qui & Arideus, frater Alexandri, quæ est ad occidentẽ Syriæ & Babyloniæ & superioribus locis, quæ sunt ad ad orientem, Seleucus Nicanor imperauit Asiæ & Ponto & ceteris in eadem plaga prouinciis, Antigonus imperauit ad septentrionem.

Post Alexandrum in Syria regnauit Seleucus. Post Seleucum Antiochus Soter à quo successores Reges Antiochi dicti sunt. Post Antiochus Theos. Post Antiochus Galeritus. Post Antiochus Magnus. Post Antiochus Epiphanes. Hic cum esset Romæ pro patre obses, mortuo patre clam reuersus in Syriam exhibuit se benignum omnibus & munificum. Strenuus erat in agendis & acer in hostes: vnde à populo cognominatus est Epiphanes, quod sonat illustris. Qui cum sibi regnum adeptus esset, aperuit malitiam insitam sibi, & erexit se impius contra Deum. Hic enim Hierusalem dolo inuasit, & templum expoliauit, Ephebiam, id est, Lupanar epheborum in Hierusalem constituit, leges Dei abstulit, cunctos sibi subditos in idolatriam impulit, & summum sacerdotium impiissimo Iasoni vendidit. Ob quam causam ignis sacrificii, qui per septuaginta annos Babylonicæ captiuitatis & etiam amplius in puteo sub aquis vixerat extinctus est super altare, quamuis lignorum fomite nutriretur. Vnde notãdum quam inæstimabile malum sit apud Deum vitium simoniæ.

Ptolemæus Soter post Alexandrum regnauit in Ægypto annis quadraginta. Hic in Iudæam sub specie sacrificandi Deo Hierusalem veniens die sabbathi multos Iudæorum cepit: & tam de Iudæa quam de Garizim captiuos trahens ad Ægyptum rediit & venditioni exposuit: vnde à negotiatoribus nationum per multas regiones distracti sunt & dispersi. Inde est quod in actibus Apostolorum legitur: quod erant habitantes in Hierusalem Iudæi viri religiosi ex omni natione quæ sub cœlo est. Tunc liber primus Macchabæorũ incepit. Menander Comicus, & Zenon & Theophrastus philosophi claruerunt. Eo tempore Apius Claudus Cæcus Romæ claruit: qui aquas Claudias induxit, & viam Apiam lapidibus nigris strauit. Censu Romæ agitato inuenta sunt ciuium ducenta septuaginta millia: quoniam singula capita ciuium dederunt nomen vt certus numerus haberetur. Conditæ sunt à Romanis Ariminum & Beneuentum.

Ptolemæus Philadelphus annis triginta octo. Hic nutu Dei dedit edictum, vt omnes Iudæi qui erant sub eius ditione, haberent licentiam in terram suam redeundi, & obseruandi legem Dei. Misit etiam munera ad Eleazarum summum sacerdotem in Hierusalem rogans vt mitteret sibi legem Dei & viros peritos qui eam transferrent de Hebræo in Græcũ. Eleazarus vero misit sapientissimos viros septuaginta duos cũ lege ad Ptolemæũ. Qui recepit eos honorifice: & quidquid ab eis obscurũ quęsiuit inuenit:

& ma-

& maxime de cognitione Dei & administratione regni: & in septuaginta duobus diebus in singulis cellulis transtulerunt totam legem: & per spiritum sanctum vna & eadem tam in verbis quam in sententiis inuenta est editio omnium. Placuit factũ Regi: & eos bene remuneratos remisit gratias agẽs. Eleazaro quoq; transmisit munera multa. In templum misit vasa sancta quæ potuit inuenire. Misit etiam mensam magnam gemmis pretiosissimis insignitam: cuius spissitudo cum esset dimidii cubiti, opus tamen materiam superabat. Eo tempore Sostratus Pharum in Alexandria construxit mirabile valde: erat enim turris altissima in littore maris sita, non in terra fundata, sed super quatuor cantos vitreos posita: & tantæ magnitudinis artificio quod ignis in summo positus totum littus irradiabat. Erat quoq; in ea mirabile phanum sepulchrum Arati in Sicilia admiratione dignum: nam saxa iacta super eum resiliunt. Tunc Aratus astrologus claruit: & argentei numi primum Romæ cuduntur. Carthaginenses nauali prælio vicerunt Romanos Metello consule fugato.

Ptolemæus Euergetes frater Philadelphi annis viginti sex. Hic ab Ægyptiis Euergetes dictus est, quod reuectio sonat. Etenim post vastatam Syriam, Ciliciam, & partẽ Asiæ inter innumera spolia quæ cepit, etiam Deos eorum, quos Cambyses in Persas transuexerat, reportauit. Eo tempore Iesus filius Sirac ecclesiasticum librum sapientiæ composuit, & quædam Salomonis verba interseruit in eo. Ennius Tarentinus à Catone quæstore Romã translatus est. Quadraginta fere millia Gallorũ à Romanis cæsa sunt. Apud Rhodũ colossus magnus corruit terræmotu. Erat enim imago maxima tam mirę magnitudinis, vt sagitta ad summũ dirigi non valeret. Caput eius tantæ magnitudinis quod capere poterat triginta coros grani: in inferiori parte in plantis pedum eius apertura erat, vnde homo intraret & ad caput ascenderet.

Ptolemæus Philopator annis decem & septem. Fuit filius Euergetis. Ab isto Iudæi prælio victi sexaginta millia corruerunt: Siciliamq; Marcellus consul obtinuit.

Ptolemæus Epiphanes annis viginti quatuor. Libri secundi Macchabæorum historia inchoat. Hac ætate Romani victos Græcos liberos esse iusserunt dicentes: impium est seruos esse, apud quos philosophia primum orta est magistra morum & inuentrix liberalium disciplinarum.

Ptolemæus Philometor annis triginta quinq;. Per idem tempus Scipio Africam vicit & Terentius comicus claruit. Hunc Ptolemæum Rex Syriæ Antiochus magnus vicit, & Iudæam sibi subiugauit. Tributa septimi anni & ministrorũ templi, quæ Philadelphus relaxauerat, reuocauit. Qui dum finitimas regiones supra modum infestaret, delata est res ad Romanos: & missi sunt ad eum Scipio Africanus & Scipio Nasica & ab infestatione sub religione iurisiurandi amouerunt eum. Insuper tulerunt ab eo obsidem filium eius Seleucum. Quem volens recipere ab eis tradidit pro eo filium minorem natu Antiochum Epiphanẽ: ita quod esset obses perpetuus. Antiochus magnus regnante Ptolemæo Epiphane Syriam & Ægyptũ fortiter infestabat. Onias autẽ sacerdos assumptis plurimis Iudæorũ fuit in Ægyptũ: & accepit à Rege, Helipoleos regionẽ, & in eo struxit templũ simile templo Iudæorũ asserens se implere vaticiniũ Isaię dicentis: Erit altare domini in Ægypto & titulus eius in terminis eius. Hoc templũ Ptolemæus Philometor multis diuitiis & gloria decorauit: quod postea Vespasianus cum ipsa ciuitate quæ dicebatur Oniæ funditus euertit. Occisus est in Perside Antiochus in phano Naneæ, id est, fortunæ: & membratim iectus est à sacerdotibus qui dolosè promiserant ei thesauros: & regnauit pro eo filius eius Seleucus pessimus & iners. Eo tempore Aristobolus natione Iudæus peripateticus philosophus scripsit commentarios in Moysem Ptolemæo Philometori. Antiochus vero Epiphanes qui erat Romę obses, occulte fugit in Syriã, & obtinuit regnũ. Hic templũ Hierusalẽ spoliauit, & omnẽ vsum sacrificiorũ remouit: idolũ Iouis Olympici inter duos Cherubim posuit, & sanctuarium pphanauit. Pensanda valde tunc prudentia Romanorũ: nã subditos sibi, amicos vocabant strenue defendentes. Vnde cum Antiochus obsideret Alexandriã Ægypti, legati Romanorũ missi sunt ad Ægyptios liberandos quib. fœderati erant. Cumq; applicuissent, egressus est eis obuiã Antiochus. & cum staret in littore, dixit ei Marc. Publius: Senatus populusq; Romanus præcipiunt tibi recedere ab amicis suis: cumq; ille peteret inducias respondendi, Marcus circa illũ fecit circulũ in fabulo dicens: Senatus populusq; Romanus præcipiunt tibi ne egrediaris de hoc circulo donec respondeas. Ad quę Antiochus: si sic visũ est senatui populoq; Romano recedendũ est: & recessit ab Ægypto. Tunc tẽporis Mathatias leges patrias fortiter vindicauit. Quo mortuo Iudas Macchabæus ducatũ Iudæorum suscepit. Antiochus autem cum iterũ proponeret Iudæam

euertere & facere Hieruſalem polyandrium Iudæorum, iuſſit in furore agitari currum: & ſtatim apprehendit eum grauis dolor viſcerum, & cadens de curru in petram colliſus eſt: ferebatur humeris in geſtatorio, & ebullientes vermes fluebant à carne eius: & nec ipſe nec exercitus fætorem illius poterat ſuſtinere. Cognouit Antiochus potentiam Dei: & fatebatur ſe pati hoc pro violatione templi, atque inter amariſſimos dolores in montibus miſerabiliter mortuus eſt.

Ptolemæus Euergetes annis viginti nouem, qui Philologus dictus eſt. Hoc tempore per conſules Brutum & Tolemonem Hiſpaniæ maior pars à Romanis plus ſapientia quam armis obtenta eſt: & conſtructa ciuitas Toletana. Ionathas dux & pontifex Iudæorum. Quo à Triphone interfecto Simon frater eius in ducatum & ſacerdotium eleuatur: & quia Romani ſapienter & clementer ſe gerebant regendo fere totus orbis eorum dominium expetebat.

Ptolemæus Soter annis decem & ſeptem. Varro Ciceroque naſcuntur. Thraces Romanis ſubiiciuntur.

Ptolemæus Alexander annis decem. Syria per Gabinium ducem in Romanorum dominium tranſit.

Ptolemæus Phiſcon Cleopatræ filius annis octo. Hic poſtquam à matre per Gabinium ducẽ fuerat eiectus anno octauo regreſſus de Cypro regnũ obtinuit: eo quod Alexandrũ, qui ante cum regnauerat, ob interfectionẽ matris ciues à regno expulerãt. Per idem tempus Sylla Athenienſes vaſtat: Saluſtius quoque hiſtoriographus naſcitur. Ariſtobolus filius Ioannis Hyrcani regnum & põtificatum Iudæorũ poſt captiuitatẽ Babyloniæ obtinuit primus. Plotius Gallus latinam rhetoricam primus docuit Romæ.

Ptolemæus Dionyſius annis triginta. Per idem tempus Cato philoſophus claruit. Virgilius naſcitur Mantuæ: qui multa Romæ & Neapoli humana ſapientia glorioſe fere incredibilia fecit: cuius etiam carmina de Chriſto manifeſtiſſime prophetare videntur. Horatius naſcitur in † Venuſina. Cicero laude oratoria celebratur. Apollodorus clarus habetur, qui poſtea extitit præceptor Auguſti. Ouidius philoſophus poeta naſcitur. Pompeius capta Hieroſolyma templum irreuerenter intrauit, & vſque ad ſancta ſanctorum aſcendit: cuius miratus pulchritudinem nihil de theſauris domus Domini abſtulit, ſed intactos permanere præcepit: Iudæos tamen tributarios Romanis fecit.

Venuſia.

Cleopatra regnauit annis duobus. Hæc Ptolemæi Euergetis Regis Ægypti fuit filia, & fratris Ptolemæi Philopatoris ſoror & coniux effecta. Quæ dum Philopatorem regno fraudare voluiſſet, tempore belli ciuilis in Alexandria occurrit Cæſari: & per ſpeciem atque ſtuprum regnum ſibi & mortem Ptolemæo apud Iulium impetrauit. Atque Alexandriæ regnum per Iulium Cæſarem in Romanam tranſiit ditionem. Regnum Ægyptiorum finit. Cleopatra poſtea Antonio Cæſari nupſit: & inter Octauianum Auguſtum & Antonium diſcordiæ nutrix fuit.

Quatuor.

Cæſar Iulius annis † quinque. Ab iſto ſequentes imperatores Romani Cæſares vocati ſunt. Hic primus Romanorum monarchiam tenuit & inter mortales victoriоſiſſimus fuit.

Octauianus Auguſtus ante natiuitatem Chriſti imperauit annis quadraginta vno. cuius incipiente imperii anno quadrageſimo ſecundo in Bethleem Iudæ de virgine Maria natus eſt Chriſtus. Ab iſto ſequentes imperatores Romani Auguſti dicti ſunt. Finit ætas quinta ſeculi. Tamen ordiendum eſt qualiter ſacerdotium & regnum Iudæorum poſt captiuitatem Babyloniæ fuerit reparatum, vt ad narrationem ſextæ ætatis ſeculi clarius accedamus.

Poſt mortem Simonis ducis & ſacerdotis magni, qui fuit vltimus quinque filiorum Mathatiæ, ſucceſſit ei filius eius Ioannes cognomine Hyrcanus: qui tale cognomen ſortitus eſt eo quod Hyrcanorum populos in bello ſtrenue ſuperauit. Hic inſecutus eſt Ptolemæum, qui patrem eius Simonem dolo interfecerat, matremque eius cum duobus paruulis tenebat in vinculis, & fugerat ad Dagon oppidum vltra Hierichonta. Obſeſſo vero oppido cum Ioannes acriter inſiſteret, Ptolemæus matrem eius & fratres ſuper muros cædebat vſque ad ſanguinis effuſionem: fractusque pietate Ioannes ab impugnatione ſe temperabat: matre tamen clamante ne propter ſe fineret Ptolemæi ſcelus inultum, mortem enim ſuam ſic iudicare meliorem immortalitate. Ob hoc itaque diutius tracta obſidione ſeptimus aduenit annus, Iudæis feriatus, receſſitque ab obſidione Ioannes. Ptolemæus vero matre ipſius & fratribus occiſis fugit ad Zenonem Philadelphæ Tyrannum, qui Cotyla dicebatur.

Poſt

Post Antiochus Pontius Rex Syriæ obsedit Hierusalem. Quamobrem aperuit Ioannes duos de octo loculis circunstantib. sepulchrum Dauid: & sustulit ex eis plusquam tria millia talentorũ auri & argenti, deditq; trecenta talenta Antiocho vt ab obsidione recederet, & vt placaret murmur populi de sepulchri apertione, de reliqua pecunia primus instituit hospitale pauperũ in Hierusalem & muros fortes in eo instituit ad defensionẽ templi. Samariam captam solo æquauit: quam post Herodes instaurans Sebastem nominauit. Eodem tempore mortuo Ioanne filio Simonis, qui cognominabatur Hyrcanus, rebus optime administratis relictis quinq; filiis Aristobolo & Antigono cum tribus aliis minoribus, Alexandra vxor Ioannis disertissima ex precepto Ioannis præerat Iudæis, eo quod nullus filiorum ad populum regendum sufficeret. Aristobolus vero impatiens dominii materni matrem cum fratribus minorib. incarcerauit: & Antigonum, quem diligebat secundum à se cõstituit: imposuitq; sibi diadema regni & sacerdotii, & restitutum est regnum Iudæ. Fluxerant à Sedechia vel à captiuitate Babylonis anni quadringenti septuaginta quinq;. Aristobolo autem præcisum est regnũ, & non regnauit nisi per annum, eo quod matrem fame peremerat in vinculis. Consilio etiam vxoris suæ fratrẽ suum Antigonum interfici fecit, & ipse postea expirauit. Quo mortuo vxor eius, quæ prolem ex eo non susceperat, fratres viri soluit à vinculis maiorem natu Alexandrum Regẽ constituens, qui cognominatus est Iannæus. Hic Alexander filius Ioannis Hyrcani regnauit annis triginta octo. Accepit vxorẽ nomine Alexandram, quæ & Salome dicta est. Adeo nequissimus fuit quod in trib. annis circiter quinquaginta millia seniorum interfecit, quia facinora eius detestabantur: Cumq; offensus esset populo, muniuit sibi palatium in turri, quæ Baris dicebatur, quam duo viri defendere poterant ab omni viuente. In tantum odiosus erat Iudæis vt semel percunctati ab eo quo pacto posset eos sedare, responderint, si moreretur. Ob hoc in plateis Hierusalẽ octingentos viros vxoratos suspendit, vxoresq; eorum & liberos necauit. Sciens itaq; filios pro patre Iudæis odiosos, regnum reliquit vxori, quæ sub viro resistentis ipsius tyrannidi beneuolentiam sæpe comparauerat, & simulatam religionem in habitu præferebat. His temporibus Iugurta contra Romanos dimicans à Sylla & Mario captus est. Romæ ars rhetorica cepit haberi edocta à Plotio Gallo. Alexandra dum regnaret Hyrcanum primogenitum suum Pontificem declarauit eum futurum Regẽ iudicans quia modestus erat. Minorẽ vero Aristobolum, eo quod feruentis animi videretur, priuatũ viuere coegit. Eo tempore orta est in Iudæa hæresis Pharisæorũ, quorum consilio vtebatur in omnib. Alexandra. Nono autẽ regni sui anno ægrotauit Alexandra: & Aristobolus collecta plurimorũ manu post matrẽ nitebatur regnare. Ob hoc mater miserata querelarũ Hyrcani acceptos obsides coniugẽ & filios Aristoboli in custodia reclusit, ne regnum sibi Aristobolus vsurparet. Mortua vero Alexandra Aristobolus contra fratrẽ mouit arma, & in congressione victus Hyrcanus fugit in Hierusalẽ. Tandem ea lege in concordiam redierunt, vt Aristobolus regnaret, & Hyrcanus sub eo quibuslibet honorib. fungeretur. Orta tamen iterum discordia magna inter Hyrcanũ & Aristobolũ, super obtentu regni fortiter contendebant. Tunc temporis Pompeius, qui missus erat à Romanis contra Tigranẽ Armenię Regẽ, cum audisset fratrum dissensionem, in Iudęam venit, atq; legati à fratribus vtrinq; venerunt eius auxilium postulantes. Properãte vero Hierosolymam Pompeio occurrit ei Aristobolus pollicens illi infinitam pecuniam, seq; Romano imperio de cætero paritutum. Cumq; missus esset Gabinius ad accipiendam pecuniam & vacuus reuerteretur, Pompeius Aristobolum in custodia collocauit: & obsedit Hierusalem: atq; à fautoribus Hyrcani in vrbem receptus est. Fautores vero Aristoboli secesserunt in templum: sed à Romanis fortiter debellati, templum irruptum est & à Romanis prophanatum, ita vt equos in porticibus stabularent. Ob quam causam creditur, nunquam de cætero pugnasse Pompeium quin vinceretur, qui hactenus fortunatissimus fuerat. Imposuit Pompeius Hierosolymis tributum Hyrcano Pontifice declarato, & Aristobolum cum duobus filiis Alexandro & Antigono & totidem filiabus captiuauit: Romamq; per Ciliciam properabat Syria & Iudæa administratione Scauro commissa relictis secum duab. cohortibus, Alexander vero filius Aristoboli ex itinere fugit: qui magna manu collecta Iudæam deuastabat, & Hyrcano prominebat. Obtinebat autẽ munitissima loca: & in castro Alexandro à Gabinio obsessus consilio matris Alexander se & castra sua tradidit: quæ Gabinius funditus euertit. Post hæc Gabinius cura templi Hyrcano mandata gentẽ Iudęorũ in quinq; conuentus diuisit quasi per pentarchias Iudææ superbiam frangens. Eo tempore Antipater alienigena factus est amicissimus Gabinio: adeoq; claruit quod data est ei vxor

Regis Arabum Cypris nomine: qui sustulit ex ea quatuor filios & filiam, id est, Phaselum, Herodem, qui post dictus est Ascalonita. Tertius Iosipus, quartus Pheroras, filia dicta fuit Salome. Post hęc casu elapsus est Aristobolus Roma, qui magna manu Iudęorum conflata in Iudæa Alexandriã muro recingebat. Ad quem debellandũ missus est à Gabinio Antonius. Captusq; iterum Aristobolus, cum filiis Romæ incarceratus est: sed filii eius in Iudęã remissi sunt. Post hęc cum Gabinius apud Ægyptum detineretur, Alexander Aristoboli filius Iudęos iterũ ad dissensionẽ reduxit. Sed rediens Gabinius eos pacificauit, & Hyrcano pontificatũ confirmauit. Quo mortuo missus est præses Syriæ Crassus, vt etiam Parthos, qui iam Romanis imminebant, reprimeret. Hic tulit fere totum aurũ de templo ad duo millia talentorum à quibus Pompeius abstinuerat. Et ob hoc ex Romani senatus sententia † Cassius aurũ igne liquefactũ in os eius infudit donec moreretur dicens: Aurum sitisti, aurum bibe. Eo tempore factũ est dissidium inter Romanos pro Pompeio & Iulio Cæsare. Cæsar autem post senatus & Pompeii fugam trans mare Ioniũ rebus omnibus Romaq; potitus solutum Aristobolum cum duabus cohortib. in Syriam misit per hunc Iudæã sibi posse subiici arbitratus. Verum spes Cæsaris frustrata est. Nam ab amicis Pompeii veneno perlit Aristobolus occiditur quoq; filius eius Alexander Antiochiæ à Scipione. Solus Antigonus superstes remansit cum sororibus suis & ad quendam Ptolemæũ, qui sub Libano morabatur, confugit. Accepitq; Ptolemæus minorẽ sororẽ eius Alexandram nomine in vxorem: de qua suscepit Lisaniam Abilinæ postea tetrarchã. Iulius quoq; Cæsar antea in cõsulatu Germanos & Gallos obtinuit: Britannos quoq; victos obsidib. acceptis stipendiarios fecit.

Crassus

Inter Pompeium & Iulium Cæsarẽ per quatuor annos indesinenter bellum acerrimum toto orbe tenuit: & in Emathia victus Pompeius Alexandriã fugit: in qua à Ptolemæo Rege Ægypti percussus interiit. Mortuo Pompeio Antipater amicus Pompeii Iulio Cæsari se firmiter copulauit: & in multis fidelissimus amicus & subditus Cæsari extitit: vnde ciuis est Romanus ascriptus, & eius gratia pontificatũ Cæsar confirmauit Hyrcano, ita tamen ne Rex vocaretur. Post hæc Antipater filiũ maiorẽ Phaselũ Hierosolymis sub se procuratorẽ statuit, & Herodẽ Galilææ præfecit, & adeo terram sibi subditam quietã reddidit, vt Herodes, pater Galilææ cantaretur. Cæsar de patrib. transmarinis Romã venit, & gloriose receptus, & octauo decimo die de Roma Saguntũ accessit: & principantibus Petreio & Afranio totã Hispaniã Romano imperio subiugauit; & Hispalim Iuliam Romulã vocauit. Per diuersas Hispaniæ partes itinera ob insigne nominis fieri iussit: & turrim mirabilẽ in Pharo Galleciæ condidit. Et ab Hispania regressus Romę dolo Bruti & Cassii occisus est post annos quinq; & menses septem quam regnare cæperat. Tribus autẽ annis & mensib. septem post victoriã Pompeii solus tenuit principatũ. Obiit autẽ Cæsar anno ætatis suæ quinquagesimo sexto. Corpus eius combustũ est à populo Romano in foro, & statuerunt sibi columnã lapidis Numidici, super quam tumularus est in pomo deaurato, quę Iulia dicta est. Centesimo die ante mortem eius, fulmen cecidit iuxta statuã Cęsaris in foro: & de nomine eius superscripto C. literam capitalẽ abrupit. Nocte præcedente diem mortis eius fenestræ thalami tanto strepitu apertę sunt, vt Cęsar à lecto exiliens ruiturã crederet domum. Eadẽ die cum iret in capitoliũ, datæ sunt ei litteræ indices mortis imminentis: quæ, dum portaretur occisus, in manu eius nondũ solutę inuentę sunt. Eodẽ tempore apparuerũt tres soles in oriente: qui paulatim in vnũ corpus solare redacti sunt significantes q, dominiũ Lucii Antonii & Marci Antonii & Augusti q, post Iuliũ Cęsarẽ Romanorũ adepti sunt, in vnã monarchiã rediret. vel potius q, notitia trinitatis in vno Deo toti orbi imminebat futura.

Erat eodem tempore quidam de amicis Hyrcani nomine Malicus aspirans ad sacerdotium, & cupiens Hyrcanum veneno appetere prius appetiit Antipatrum: & veneno oblato interfecit. Herodes vero ob vindictam patris Malicum interfecit. Habebat tunc Herodes vxorem nomine Dosidem sed ignobilem, de qua Antipatrum suscepit: superducitq; Mariamnem neptem Hyrcani: cuius etiam amore circuncidit se, & factus est proselytus. Habuit & vxores alias, quarum plures suscepit filios: ex quibus paucos sufficit numerare: primogenitus Antipater ex Doside, Alexander & Aristobolus ex Mariamne, Archelaus ex Mathata Samaritide, Herodes Antipas, qui post tetrarcha fuit, & Philippus ex Cleopatra Hierosolymitide.

Veniens autem Antigonus cum Pacoro Rege Parthorum in manu valida Antonio Cæsare regresso Romam Hierusalem expugnabat. Sed cum intrasset vrbem Hyrcanũ & Phaselum Parthorum exercitus cepit & Herodes ad Idumæos contribules suos fugit. Parthi vero Antigonum restituerunt in regnum: & Hyrcanum & Phaselum vinctos

ctos ei tradiderunt verberandos. At ille dentibus aures Hyrcani truncauit, ne quando mutatis rebus solutus pontificatum reciperet: Phaselus vero cum vinculis ligatus esset, sponte ad saxum fracto capite expirauit. Herodes accepta morte fratris Romam properauit: & ab Augusto & Antonio coronatus Iudææ Rex constituitur. Tunc missi sunt cum eo duo Principes Ventidius & Sylo qui eum in regno collocarent. Et cum venissent in Galilæam, Antigones Sylonem corrupit muneribus, & propterea congredi Antigono simulatis occasionibus differebat: & cum tandem obsedisset Hierusalem, Romani tum pro hyemis asperitate tum pro inopia victus receſſerunt. Herodes autem venit ad Antonium, qui tunc circa Athenas morabatur, super dolo Sylonis querelam facturus: dumque Herodes esset cum Antonio, Iosippus contra Antigonum dimicauit & victus interfectus est à Papio principe militiæ Antigoni. Quod cum accepisset Antonius exercitum cum Herode misit in Iudæam, & occurrentem sibi Papium vicit & interfecit. Deinde quinque mensibus obsessa Hierusalem capta est à Romanis, & astrictus Antigonus catena aurea Deo dicata ad Antonium ductus est, & ab eo securi percussus. Tunc Antonius Cleopatram duxit vxorem: quæ amore regnandi succensa inter Antonium & Augustum semper discordiam seminabat. Confirmatusque est Herodes in regno Iudææ quarto anno ex quo Romę diadema susceperat. Herodes autem Hyrcanũ occidit, eo quod dicebatur regnum sibi deberi: occidit etiam Mariamnem vxorem suam ob suspicionem adulterii: de cuius morte adeo doluit, vt tanquam lunaticus crebro in amentiam verteretur.

Post hæc commissum est prælium apud Actium ad suggestionem Cleopatræ inter Augustum & Antonium: quo Antonius victus post dies paucos mortuus est: vxor etiam eius Cleopatra è mamillis suspensa aspide mortua est. Est enim aspis quoddam genus serpentis quod ex morsu somno inducto interficit. Herodes autem amicitiam Augusti obtinuit: & primogenitum Antipatrum ex Doside volebat præponere in regni successione Alexandro & Aristobolo, qui erant ex Mariamne, ne videretur esse de genere Iudæorũ. Vnde fecit cõburi omnes libros regalis prosapiæ Iudæorũ vt aboleretur genealogia Regũ ipsorũ. Quapropter Alexander & Aristobolus cũ essent persecutores acerrimi, contra Herodẽ apud Octauianum Augustũ contendebant, & de morte patris occulte tractabant. Octauius autem Cæsar regnauit annis quinquaginta sex & mensibus sex. Huius anno quarto era singulorum annorum ab eo est cõstituta quando primũ censum exegit: & Romanũ orbem descripsit. Dicta est era ex eo quod totus orbis æs per singulos annos reddere professus est reipublicæ. Multa glorioſe gessit in imperio, & tres triumphos præclare peregit, id est, Dalmaticum, Asiaticum, Alexandrinum & etiam Hispanũ postquam ciuitas Cæsaraugusta Augusti pręcepto in Hispania cõditur. Deinde terra mariq; pace orbe toto redita Augustus Iani portas clausit, vt bellandi cessaret occasio. Ab isto sequentes imperatores Romani Augusti appellati sunt. Sub cuius imperio sexaginta nouẽ hebdomadæ in Daniele scriptę cõplentur: ita quod dies pro anno computentur: & faciunt septuaginta hebdomadæ annos quadringentos & nonaginta. Eodem tempore natus est magnus Christi præco Ioannes Baptista & à Deigenetrice Maria in hora natiuitatis suæ de terra primo fuit eleuatus.

Sexta ætas seculi.

SEXTA ætas: in qua anno quadragesimo secundo regni Augusti natus est Christus, anno vero regni Herodes tricesimo, vniuerso orbe pacato, & anno ab vrbe condita septingentesimo quinquagesimo secundo. A quibusdã numeratur à natiuitate ipsius, ab aliis à die qua baptizatus est propter vim regeneratiuã aquis datam: ab aliis autẽ numeratur à passione ipsius, quia tũc facta est redẽptio nostra, & aperta est cœli ianua atq; inchoata quodãmodo ætas septima quiescentiũ. Melius autẽ videtur à natiuitate ipsius inchoanda, eo quod Apostolus dicit: cum venit plenitudo temporis misit Deus filium suũ, &c. † Quandoquidẽ de intemerata Virgine Maria natus est Deus & homo Christus, fluxerãt ab Adã anni quinque mille ducenti vno excepto secundũ septuaginta interpretes, secundũ Hebræos vero longe pauciores: eo quod Moyses omissis cẽtum annis quibus Adam filiũ Abel mortuum luxit, centum triginta annorum eum esse dixit, cum genuit Seth. Septuaginta autem interpretes & Iosephus atque plures alii historiographi ducẽtorũ triginta annorũ eũ fuisse dixit, cũ genuit Seth: similiter fit in quibusdã aliis locis scripturarũ. Iudæi etiã ob odiũ fidei Christianæ, ne cõtra eos proferatur testimoniũ veritatis quędã de libris legis pręciderũt & quędã immutauerũt. Natus est autẽ dominus nocte Dominici diei, vt ea die qua dixit fiat lux, visitaret nos oriens ex alto. Anni autẽ huius ætatis sextæ per cõputationẽ annorũ ab incarnatione eius vel per erã,

Ratio hac annorum nõ constat propter CXXX annos Cainanam quos Lucas addidit ad chronicon Isidori, quẽ alioqui sequitur in aliis ad eius quę rationẽ per iniuriam recurris tum hoc tum aliis locis quibusdam.

quæ triceſimo octauo anno ante natiuitatem eius inuenta eſt, vſque ad finem mundi clare poterat inueniri. Tamen per annos Romanorum imperatorum vſq; ad Heraclium Auguſtum vel Suintillanum Gotthorum Regem annorum numerum oſtendamus. Tamen præuidendum, quod aliquando plures imperatores regnabant ſimul & & etiam aliqui nonnunquam tyrannice imperium aſſumebant. Hic autem magis notabiles deſcribuntur & aliorum anni ſub eis adnotantur.

Ieſus Chriſtus filius Dei triceſimum tertium annum ætatis ſuæ explens & fere menſes tres anno imperii Tiberii Cæſaris octauo decimo crucifixus eſt. Poſt hæc Tiberius regnauit annis quinq;.

Author vſq; ad Caii ſenem numerat annos 5238. ſui nempe obliuius & ad Iſidori rationem recurrens, quam reliquerat.

Anni ab orbe c.	
	Caius Caligula regnauit annis quatuor.
5369.	Claudius regnauit annis XIIII.
5383.	Nero regnauit annis XIIII.
5397.	† Galba regnauit annis duobus.
	Veſpaſianus regnauit annis nouem.
	Titus regnauit annis duobus.
	Domitianus regnauit annis ſedecim.
	Neruus regnauit anno vno.
	Traianus regnauit annis XVIIII.
	Hadrianus regnauit annis XXI.
	Antoninus Pius regnauit annis XXII.
	Antoninus Iunior regnauit annis XVIII.
	Item Antoninus regnauit annis duobus.
5522.	Commodus regnauit annis XIII.
5523.	Ælius Pertinax regnauit anno vno.
	Seuerus Pertinax regnauit annis XVIII.
	Antoninus Caracalla regnauit annis ſeptem.
	Macrinus regnauit anno vno.
	Marcus Aurelius regnauit annis quatuor.
	Alexander regnauit annis XIII.
	Maximinus regnauit annis tribus.
	Gordianus regnauit annis ſex.
	Philippus regnauit annis ſeptem.
	Decius regnauit anno vno.
	Gallus & Voluſianus regnauerunt duobus annis.
	Valerianus & Galienus regnauerunt annis XV.
	Claudius regnauit annis duobus.
	Aurelianus regnauit annis ſex.
	Tacitus qui & Iacinctus regnauit anno vno.
	Probus regnauit annis ſex.
	Carus regnauit annis duobus.
	Diocletianus & Maximianus regnauerunt annis XX.
	Galerius regnauit annis duobus.
5669.	Conſtantinus regnauit annis XXX.

Gallus

Octauianus Auguſtus volens ſcire numerum regionum in orbe, quæ Romanæ ſubeſſent ditioni, numerum etiam ciuitatum in qualibet regione, numerũ quoq; capitum in qualibet ciuitate, præceperat vt de ſuburbanis, oppidis, vicis & pagis ad ſuam homines cõfluerẽt ciuitatẽ, vnde trahebãt originẽ: & quiſq; nummũ argenteũ pretii decẽ nummorum vſualium prouinciæ tradens ſe ſubditũ Romano imperio profiteretur: & quia numerus eorum qui cenſi capite ferebantur, redigebantur in ſcriptis, huiuſmodi profeſſio deſcriptio dicta eſt. Hęc deſcriptio facta eſt à pręſide Syrię Cirinio in Iudæa vt in Hieruſalẽ inchoaretur, quæ eſt cor ſuæ mediũ terræ habitabilis: & deinde per circunſtantes nationes alii præſides ꝑſequerentur. Tunc aſcendit Ioſeph à Nazareth in Bethleem, vt profiteretur cum Maria vxore ſua prægnante. Hæc ſolutiõ prima dicta eſt, non q; tunc inciperet primo, cum anno quarto Auguſti cæpta fuerit, ſed quod annuatim in Iudæa primo habebat fieri: & dicebatur era. Factũ eſt dũ eſſet ibi peperit virgo filiũ ſuũ primogenitũ, primogenitũ dictũ nõ quod poſtea genuerit aliũ: ſed quod fuerit primus dignitate, & ſine peccato cõceptus, & ſine matris dolore natus. Locus vbi natus eſt dominus: iure paterno ptinebat ad Mariã & Ioſeph, eo q; ibi fuerit domus Ieſſe patris Dauid: ad quẽ cauſa orandi ꝑpter ſanctitatẽ loci multi diuertebant. Vbi erat quędam ſpelunca

lunca ad quam Ioſeph ſe contulit,& boui & aſino quos ſecũ duxerat; præſepiũ fecit in quo eſt repoſitus Ieſus. Multa quidẽ ſigna in natiuitate ipſius claruerunt per orbẽ:quæ in euangelio non ſunt ſcripta. Nam Romani ædificauerant templũ pacis,propter pacẽ quæ fuerat continua ſub Auguſto per vniuerſum orbem fere duodecim annis.Et conſulentes Apollinem quandiu duraturum eſſet templum illud, reſpondit; donec pariat virgo. At Romani dixerunt:Ergo in æternum durabit,quia nunquam virgo pariet.Sed in hora natiuitatis domini ipſum templum funditus eſt euerſum. Multa enim futura prædicebant ſpiritus falſitatis eos vrgente ſpiritu veritatis.Fons etiam olei trans Tiberim erupit,& vſque ad flumen fluxit:per quod intelligitur excellentiã pontificalis vnctionis Romæ vrbi per Chriſtum eſſe collatam. In Hiſpania etiam hora natiuitatis domini circa noctis medium quædam nubes adeo ſplenduit, vt meridiani caloris feruorem & ſplendorem daret terris.

Tertia decima die ex qua natus eſt Chriſtus,trẽs magi, id eſt, ſapientes noua ſtella duce venerunt Hieruſalem nouum natum Regem cum muneribus quærentes. Sapientes enim dicebantur magi quaſi maiores vel magni. Audiens autem Herodes Rex turbatus eſt timens ne quis de ſemine Hyrcani vel Ariſtoboli natus eſſet regnaturus ſe tanquam alienigena à Iudæis dimiſſo. Cumque diligenter didiciſſet ortum ſtellæ, vt per eum natalem pueri ſciret,etiam à ſacerdotibus & ſcribis ſciſcitabatur vbi Chriſtus naſceretur. Qui ex vaticinio Micheę prophetæ dixerunt in Bethleem Chriſtum naſciturum.Herodes autẽ preęcepit magis mittens illos in Bethleem, vt poſtquam adorarẽt puerũ reuerterentur ad ipſum. Iam enim direxerat animum ad perdendum puerum. Sed magis poſtquã adorauerant,per aliã viam in regionẽ ſuã reuerſis doluit Herodes ſe illuſum ab eis:maxime cũ audiſſet, quæ dicta fuerãt à paſtoribus & prophetias Simeonis & Annæ:& de morte puerorũ Bethleemitarũ tractabat, vt Ieſus quẽ ignorabat occideretur cũ eis. Quapropter per admonitionẽ angeli fugit Ioſeph cũ puero & matre eius in Ægyptũ.Qui cũ ingrederetur Ægyptũ,corruerũt omnia ſimulacra Ægyptiorũ.

Herodes autem dum de nece puerorum diſponeret, citatus eſt per epiſtolam à Cæſare Auguſto vt Romam iret filiis de illo conquerẽtibus reſponſurus. Qui cum iter faceret per Ciliciam audiens naues Tarſenſiũ magos tranſuexiſſe,in ſpiritu vehementi combuſſit naues Tharſis.Cum vero coram Cęſare diſceptaſſet pater cum filiis,hac lege facta eſt recõciliatio,vt adoleſcẽtes in omnibus patri obedirent.& ipſe regnũ dimitteret cui vellet.Venienſque Hieroſolymam populo cõuocato Iudæorũ, tribuſque filiis aſtantibus concordiam fratrũ à Cæſare factã expoſuit:& ſe ſucceſſionis iudicẽ conſtitutum ne Iudæi regnũ ad ſuos reditutum exiſtimarent.Tunc Herodes in regno Iudææ Trachonitidis Iturææ,totiuſq; maritimæ vſq; ad pyrgũ Stratonis confirmatus certius quã prius, elapſo anno à natiuitate domini mittens occidit omnes pueros qui erant in Bethleem & in omnibus finibus eius,ab bimatu & infra.Omnes autẽ qui erãt de genere regio vel ſacerdotali ab vno anno vſq; ad quinq; annos fecit occidi.Sed factũ eſt, vt quoniã Herodes multos orbauerat filiis,& ipſe ſuis miſerabiliter orbaretur.Nã ipſe Alexandrũ, Ariſtobolũ & Antipatrũ,qui de morte patris contendebãt, interfecit:& ipſe variis afflictus languoribus validæ febris,& intercutaneo morbo putreſcẽtibus genitalibus,& ex eis ſcatentibus vermibus mortuus eſt trigeſimo ſeptimo anno poſtquam à Romanis Rex fuerat declaratus.Fuit ex patre Idumęus,Arabs vero ex matre,qui Aſcalonita dictus eſt,eo quod ædificauit domũ regiã in Aſcalone: vel dictus eſt Aſcalonita, quia auus eius Herodes Idumæus erat natione,& Aſcalonita conuerſatione,& ędituus templi Apollinis.Cuius filium Antipatrũ paruulum rapuere cõſanguinei eius latrones Idumæi.& cũ eis tantũ fuit,quod etiã poſt factus eſt princeps eorũ: vnde Idumæus dictus eſt.Hic templũ profanauit:& aquilã auream in honorẽ Auguſti poſuit ſuper ſpecioſam portã templi.Hic Herodes conſtruxit Cæſareã Palęſtinæ, in qua erat turris Stratonis.In qua contra aduentum Cæſaris portã de candido marmore conſtruxit:& in ea poſt Cornelius centurio à beato Petro epiſcopus creatus fuit. Ædificauit etiã in Hieruſalem turrim quæ dicitur Antonia. Qui cum audiſſet quod Iudæi gauderent in morte eius,ex tota Iudæa nobiliores collectos iuuenes cõcludi præcepit in carcerem, præcipiens ſuis vt cum animam efflaret, ſtatim illos occiderent: vt Iudæi in morte ipſius etiam inuiti plangerent.Filium ſuum Archelaum regni ſucceſſorem ſcripſit,ita tamen quod ab Auguſto ſuſcipereꝰ diadema.

Poſt mortem Herodis Archelaus ſeptima die poſt patris honorificam ſepulturã, candida veſte indutus aſcendit in templum variiſque: fauoribus à plebe ſuſceptus Iudęis leuamen ab oppreſſione patris petẽtibus,cũctis tributa annua relaxauit:& nobiles

ſoluit, quos pater moriens iuſſerat occidi. Inſtante autem azymorum die, & cum turba pontificem quem Herodes pretio creauerat, amouendum clamaret: & ab immolatione prohiberet, maxime cum non eſſet recta linea de genere ſacerdotum, Archelaus miſſo Chiliarcho verbis eos ſedare tentauit. Cum autem vulneratum remiſiſſet chiliarchum, & ſeditio creſceret, Archelaus miſſa manu ſatellitum fere nouem millia Iudæorum interfecit: & per vocem præconis omnes ad propria redire commonens neglecta feſtiuitate omnes abierunt. Ex quibus patet iam veniſſe ſanctum ſanctorum: & Iudæos regnum & ſacerdotium amiſiſſe ſecundum vocem ſanctorum prophetarum. Profectus eſt autẽ Archelaus vt iret Romam accepturus diadema regni. Profectus eſt etiam Herodes Antipas, vt de regno habendo diſceptaret cum fratre. Iuerunt etiam & quinquaginta ex honorabiliorib. Iudæorum, & apud Cæſarẽ inſtabant ſupplicantes, vt Iudæorum reliquias dignas miſericordia iudicaret: & ius antiquum regni illis reſtitueret. Aut eos Syriæ finibus coniungeret, aut per Romanos iudices Iudæam adminiſtraret. Eo tempore quidam Iudæus in partibus Sydoniorum nutritus, ſimillimus Alexandro Herodis filio, quem pater interemerat, inſtinctu cuiuſdam liberti Herodis, qui omnes actus regni ſciebat, venit in Iudæam aſſerens ſibi deberi regnum, tum quia maior filius Herodis erãt, tum quia ex parte matris eum contingebat. Cumq; plures Iudæorũ ſequaces haberet perrexit Romam ſciſcitatus qualiter viueret, dicebat lictores miseratos alium pro eo morti ſubiecciſſe. Auguſtus vero optime vultũ Alexandri ſciens, quia dum Romæ ſtuderet puer, quædam ſecreta cum eo habuerat, fallaciam ſimilitudinis animaduertit: promiſitq; illi vitam, ſi tantæ fraudis detexiſſet auctorem. Cumq; ille cõfeſſus eſſet, iuſſit Cæſar libertum interfici: & falſum Alexandrum propter habitudinẽ corporis conſtituit eſſe de numero remigantium piratarum. Tandem de conſilio ſenatus Cæſar monarchiam Herodis diſtribuit. Mediam partem Iudæam ſcil. & Idumæam tradens Archelao ſub nomine tetrarchiæ, pollicitus eum ſe facturum Regẽ ſi dignũ ſe præbuiſſet. Mediam vero partẽ in duas ſecuit tetrarchias: ceſſitq; in partẽ Herodis Antipæ regio trãs flumẽ & Galilæa. Ituræa vero & Trachonitis & Auranitis Philippo deſtinata ſunt. Liſanias autem Abilinam ſuſcepit ſub nomine tetrarchiæ, quæ erat pars ſatis minima aliarum. Archelaus vero poſtquam venit in Iudæam, valde patre crudelior fuit, & cum eſſet diarchus, monarchi nomen falſo impoſuit ſibi. Cuius crudelitatem non ferentes Iudæi per diuerſas mundi partes eorum maxima multitudo diſperſa eſt, religioſioribus Iudæis remanentibus in Iudæa. Huius regni anno primo Angelus dixit Ioſeph, vt rediret cum matre & puero in terram Iſrael. Qui rediens ab Ægypto poſt annos ſeptem eum audiret quod Archelaus pro patre regnabat in Iudæa, noluit illo ire: & admonitus ab angelo iuit in Galilæam & manſit in Nazareth. Tandem crebro accuſatus Archelaus à Cęſare aduocatur. Nono autem principatus ſui anno Romam veniens à Cæſare damnatus in exilium pellitur apud Viennam Galliæ ciuitatẽ. Tunc Romani Archelai regnum per procuratores adminiſtrare cæperunt: primusq; procurator illuc Coponius à Cæſare miſſus eſt: & Iudæa in prouinciam redacta eſt. Romani enim triumphatis regionibus, quaſdã faciebant colonias expulſis propriis habitatoribus, & nouis ſuperinductis colonis, qui medietatẽ fructuum Romanis exoluerent: quaſdã etiam faciebant prouincias expulſis Regibus, ſed propriis relictis habitatoribus: à quib. præſes Romanus annuatim tributa reciperet: quod factum eſt in finibus Archelai eo in exilium relegato. Eo tempore Philippus Sephorum reparans Iuliam nominauit in honorem Iuliæ vxoris Cæſaris, Coponio præſide Romam reuerſo ſucceſſit & Marcus: & huic ſucceſſit Annius Rufus, ſub quo moritur Octauianus Auguſtus cum regnaſſet quinquaginta ſex annos & menſes ſex & dies decẽ. Ex quibus duodecim annis Antonius cum eo regnauit. Cum enim quadrageſimo ſecũdo regni eius anno natus eſt dominus, qui quinto decimo anno imperii Tiberii fuit tricenarius: patet Auguſtũ mortuum domino quintum decimũ annũ agente. Mortuus eſt autẽ anno vitæ ſuæ ſeptuageſimo ſeptimo. Tiberius filius eius adoptiuus ſucceſſit ei regnans annis viginti tribus. Qui Valeriũ Gracchũ miſit in Iudæã: qui quæſtũ putans pietatẽ palam vẽdebat ſacerdotii principatum. Qui amouens Annam, Iſmaelem pontificẽ declarauit: quo amoto Eleazarum Annæ filium ſubrogauit. Poſt annũ etiam hunc remouens Simonem inſtituit. Sed & poſt annũ Ioſippum, qui & Caiphas, appoſuit. Ille fiebat ſacerdos, qui offerẽdo pecuniã prẽualeret. Tamẽ Gracchus poſt annos vndecim Romã reuerſus eſt. Cuius ſucceſſor miſſus eſt Pontius Pilatus: ſub quo Herodes Antipas in honorem Tiberii Tiberiadem ædificauit. His temporibus Tiberius multos Reges ad ſe vocatos ductus auaritia nõ remiſit: inter quos Archelaum Cappadocem retinens regnum eius in prouinciam

uinciam vertit: vnde multæ gentes ob auaritiam Cæſaris à Romano imperio diſceſſerunt. Auaritiæ igitur cauſſa cæpit diminui Romanum imperium, quod vbiq; terrarum largitate ac clementia fuerat dilatatum. Sane Pilatus veniens Hieruſalem ſtatuas Romanorum ſecum ferens, eas in templo poſuit: ſed rogantibus Iudæis eas amouit. Item Pilatus videns Hieruſalem aquæ penuria laborare, aperuit gazophylacia: & ex opibus templo dicatis aquæ ductum cæpit ædificare ſuſcipiens initium torrentis qui ſtadiorũ duum millium interuallo diſtabat. Iudæi vero acclamabant vt ab opere ceſſaretur. Ob hoc Pilatus multos Iudæorum occidit: & intermiſſum eſt opus, eo quod Iudæi legationem accuſationis contra Pilatum ad Cæſarem direxerant. Habebat etiam Pilatus ſtolam ſolemnem & antiquam in poteſtate ſua: quam debebat ſemper habere Pontifex, vt vteretur ea in diebus feſtiuis: & non poterat eam habere nunc niſi pretio dato.

Anno Tiberii ſeptimo decimo ab Herode Antipa Ioannes Baptiſta tempore paſchali in caſtello Arabiæ trans Iordanem dicto Macheronte decollatus eſt, & corpus eius in Sebaſte vrbe Palæſtinæ ſepultum: caput autem eius humatum eſt in Hieruſalẽ iuxta palatium Herodis.

Anno vero Tiberii octauo decimo dominus crucifixus eſt peractis à principio mundi annis quinq; mille ducentis triginta duobus. Cuius tempore Lucillus quidam excogitauit temperamentum vitri, vt eſſet flexibile & ductile. Qui dum admiſſus fuiſſet à Cæſare, porrexit phialam Cæſari: quam ille quaſi indignatus ad pauimentum allisit. Artifex autem ſuſtulit phialam de pauimento, quæ ſe tanquam vas æneum complicauerat. Deinde martellũ de ſinu protulit, & phialam correxit. Quo facto Cæſar dixit artifici. Nunquid alius ſcit hanc condituram vitreorum? poſtquam ille iurauit alterũ hoc neſcire, iuſſit eum Cæſar decollari: ne dum hoc fieret cognitum, auri & argenti vileſceret pretium. In multis autem Iudæis accuſantibus Pilatum apud Tiberium, Pilatus in exilium miſſus eſt Lugdunũ, vnde erat oriundus, vt ibi moreretur in opprobriũ gentis ſuæ. Hic ſceleratiſſimus duabus ſororibus intulit ſtuprum. Vbi multis coarctatus iniuriis & tormentis, eo quod ſententiam damnationis in Chriſtum dixerat, propria ſe manu peremit. Eodem tempore mortuus eſt Philippus tetrarcha Iturææ. Mortuus eſt etiam Liſanias tetrarcha Abilinæ: & ita vacabant duę tetrarchiæ.

Fuit iiſdem temporibus Ieſus ſapiens vir, ſi tamen virum eum nominare fas eſt. Erat enim mirabilium operum effector, & doctor eorũ qui libenter quæ vera ſunt audiunt. Et multos Iudæorum, & multos ex gentibus ſibi adiunxit. Chriſtus hic erat. Hunc accuſatione primorum noſtræ gentis cum Pilatus in crucem agendum eſſe decreuiſſet, non deſeruerunt eum ii qui ab initio eum dilexerant. Apparuit enim iterum viuus ſecundum quod prophetæ vel hæc vel alia de eo futura prædixerant. Sed & in hodiernum diem Chriſtianorum, qui ab ipſo dicti ſunt, & nomẽ perſeuerat & genus.

Erat autem quidam Herodes Agrippa vir bellicoſus nepos Herodis tetrarchæ & fratet vxoris eius Herodiadis, filius Ariſtoboli filii magni Herodis. Hic venit Romam vt impetraret à Tiberio alteram vacantium tetrarchiam. Tiberius autem cum vidiſſet eum liberalem & fortem, fecit illum adhærere filio ſuo Druſo, cum iam imperium cõtradiderat. Sed mortuus eſt Druſus, & Herodes Agrippa rediit in Iudæam: eo quod Tiberius à ſua præſentia remoueret omnes, qui familiariter adhæſerant Druſo: ne reducerent ei ad memoriam mortem eius, de qua nimium dolebat.

Herodes vero Agrippa paupertate compulſus iterum venit ad Tiberium, & honorifice receptus eſt ab eo: & cum haberet Tiberius duos nepotes vnum de filio Druſo ſcil. Tiberiũ, & alterum de fratre Germanico ſcil. Caium volebat ſibi ſubſtituere Tiberium quem magis diligebat. Herodes autem Agrippa familiarius adhæſit Caio: vnde animum Cæſaris contra ſe aliquantulum concitauit. Quadam vero die dum ſederet Agrippa in curru cum Caio, leuatis in cęlum manibus dixit: Vtinam videã mortẽ importuni ſenis, & te dominum totius orbis, qui idoneus es imperare vniuerſo orbi. Accuſauit autẽ quidam de ſuis Herodẽ Agrippam apud Cæſarẽ, quod orauerat mortẽ imperatoris: vnde Tiberius iuſſit Herodem incarcerari. Quadam autem die in carcere poſitus dum ſtaret iuxta quandam arborem, cuius frondibus bubo inſidebat, acceſſit ad eum vnus de captiuis & dixit ei: Cito à carcere liberaberis, & eris in maximo honore. Quam cito autem videris huius generis auem ſuper te, ſcito te in breui moriturum. Erat homo qui loquebatur hęc in multis peritus. Tiberius autem poſt dies paucos declarauit Caium cognomine Caligulam ſui imperii ſucceſſorem, & mortuus eſt.

Caius regnauit annis quatuor: & Herodem Agrippam, qui ſibi viuente Tiberio

fuerat amicissimus eduxit de carcere: & dedit ei duas vacantes tetrarchias: & imposuit ei diadema & sublimatum in Regem dimisit eum in Iudæam. Quod cum videret Herodias soror eius instabat importune apud virum suum Herodē tetrarcham, vt iret Romam nomen Regis adepturus. Tunc Herodes & vxor sua Herodias cum magno apparatu venerunt ad Caium. Herodes autem Agrippa direxit epistolam Caio, quod Herodes tetrarcha viuente Tyberio firmauit amicitiam cum Rege Parthorū, vt esset rebellis Romano imperio: & ob hoc congregauerat armorum copiā, quæ sufficerent septuaginta millib. virorū. Perlecta epistola quasi aliunde interrogās inter cætera Caius quæsiuit ab Herode, vtrum essent in ciuitatib. suis arma quanta audierat à quibusdā: & non negauit Herodes. Tunc Caius credens verum esse quod significauerat ei. Herodes Agrippa relegauit Herodē tetrarchā apud Lugdunum in exiliū: vbi cum Herodiade miserabiliter mortuus est. Hic est Herodes qui in passione spreuit Iesum, & illusit ei. Dedit Caius Agrippæ Galilæā, quam habuerat Herodes tetrarcha: & habuit tres tetrarchias. Fuit autē Caius in principio regni per bienniū satis modestus, sed postea auaritiæ, crudelitati & luxuriæ deditus. In tantum euanuit cor eius, & in tantā prorupit væsaniam, quod in toto imperio iuberet se coli tanquam Deus dicens se esse fratrē Iouis. Vnde etiam filiam vnicā, quam habebat, ponebat inter genua idoli Iouis, vt ita cōmunis videretur vtriq;. Misit ergo imaginē suam per totum imperium, vt adorarent eam: & in templo Hierusalem statuam Iouis sub nomine suo poni iussit. Hic cum esset Romæ, & rediret à ludis Circensibus consilio senatorum interfectus est. Per idem tempus Matthæus Apostolus euangelium Hebræo sermone scripsit primus.

Facta est autem in vrbe dissensio inter curiam & milites & populum. Quia ergo viderant senatores sęuitiam imperatorum & incommoda quæ inde acciderant reipublicæ, voluerunt protinus extirpare imperium, & vrbē redigere in statum in quo erat ante Iulium Cæsarem: vt esset regimen in arbitrio curię, id est, consulum & senatorū. Econtra milites & populus timentes auaritiam senatorum & amantes donatiua imperatorū, constituerunt imperatorē Claudium virum mansuetum & pium contradicentibus senatorib. & consulib. Tunc venit Herodes Agrippa & sapienter se gerens inter dissidentes, eos in vnā redegit concordiā, & Claudium constituerunt imperatorē: qui regnauit annis quatuordecim. Petiit Herodes Agrippa à Claudio, vt decretū Caii de statua sua adoranda reuocaret in irritum: & acquieuit ei atq; præcepit, vt epistola reuocationis poneretur in loco conuēnienti, vt ab omnib. videretur: quod factum valde placuit Iudæis. Dedit etiam Claudius Herodi quartā tetrarchiam scil. Iudæam & factus monarchus venit in Iudæam, & honorifice susceptus est à Iudæis, quia in multis studebat placere illis. Istē Herodes occidit Iacobum fratrē Ioannis in dieb. azymorum. Videns autem quia placeret Iudæis cepit Petrum & posuit eum in carcerem, vt post pascha occideretur à Iudęis. Angelus autē domini nocte eduxit Petrum de carcere. Alia autem die cum præciperet vt traderetur Petrus Iudæis, vt occideretur ab eis & per hoc maiorem acquireret gratiam Iudæorum, eo quod tradebat eis occidendum principē Apostolorum, & non esset inuentus in carcere Petrus, iussit ad se adduci custodes vt occideret eos. Non tamen fecit procurante domino, ne solutio Petri noceret alicui. Imminente namq; negotio descendit Herodes à Iudæa in Cæsaream Palęstinæ, vt noceret Tyris & Sydonibus, quibus iratus erat. Quod illi audientes statim studiose reconciliati sunt illi. Sequenti autem die Herodes indutus veste regali auro & gemmis fulgēte sedebat pro tribunali apud eos & concionabatur blandiens eis. Erat enim nimia eloquentia decoratus, & aspectu decorus valde. Cuius ostenditur gloria, vt maior sequatur miseria. Populus autem clamabat, Dei voces & non hominis, id est, exhibebant ei laudes Deo debitas & non homini. Et dum adulatoriis fauoribus mulceretur, & oblatos sibi diuinos honores non respueret, respiciens supra se vidit imminentē capiti suo in funiculo cortinæ Angelum, id est, auem bubonē mortis eius proximæ nuntium. Et inclinauit se ad eos, qui applaudebant sibi, & dixit eis: En ego Deus vester morior: & statim percussit eum angelus Domini. Qui per quinq; dies magnis doloribus cruciatus consumptus vermibus expirauit. Reliquit autem filium qui dictus est Agrippa, qui non habuit totū regnum patris sed partem: habuit enim terram duarum tribuum & dimidiæ vltra Iordanem. Claudius Cæsar pie se gerebat erga subditos: & audita fama Apostolorum, cupiebat videre signum aliquod ab eis. Petrus autem admonitus ab Spiritu sancto de Antiochia, vbi patriarcha erat ab Apostolis cōstitutus, Romā venit: & annis viginti quinq; & mensibus sex pontificatum tenuit. Tunc Marcus Euangelista cum eo veniens euangelium scripsit: & reuersus Alexandriam Christum euangelizauit.

Nero

Nero regnauit annis quatuordecim. Hic nimiæ crudelitati & luxurię deditus Deum ſe vocari præcepit: & retibus aureis piſcabatur. Fratrem ſuum occidit atq; matrem, & ſororem ſuam proſtituit & interfecit. Senatum multum extinxit: & multas reipublicæ prouincias amiſit. Romam quoq; ſuccendit, vt Troiani incendii imaginem videret. Huius tempore Iacobus Alphæi à Iudæis Hieroſolymis occiditur. Habebat Nero ſecũ Simonẽ magum cuius maleficiis deludebatur. Qui cum altercationẽ haberet cum Petro, dicebat eſſe filium Dei. Superuenit autẽ & Paulus, & ſimiliter cum Simone cõtendebat. Nero autẽ dedit Paulo poteſtatẽ prædicandi, & libertatẽ deambulandi per partes occidentis: placebat enim illi Paulus, eo quod eloquentiſſimus erat. Duodecim annis fuit Paulus Romæ & in partib. occidentis prædicans verbum Dei cum fiducia: quo tẽpore in Hiſpania creditur prædicaſſe. Anno imperii Neronis tertiodecimo cum iam nequitia Cęſaris ob* immiſſionẽ Simonis inualuiſſet, captus eſt Romę Paulus & miſſus in carcerẽ: vbi multos de familia Neronis conuertit & familiaritatem Senecæ magiſtri Neronis obtinuit: vnde Nero Senecã & Lucanũ fecit occidi. Hac tempeſtate Perſius poeta moritur. Quartodecimo anno imperii ſui Petrus & Paulus præcepto Cæſaris cum Simone contendebant. Simon autẽ promiſitſe volare in cęlum videntib. cunctis, & in ſe diuinã oſtendere maieſtatẽ. Qui cum à dæmonib. in altum aeris duceretur, adiurante Petro per Deum, Paulo vero orante iuxta templum Romuli dimiſſus crepuit. Ob cuius necẽ Petrus præcepto Neronis in Vaticano, in vico ſcil. qui eſt extra ciuitatẽ, vbi fiebãt dolia, crucifigitur: vbi quondam vates ſtuduiſſe dicuntur. Paulus vero tanq; ciuis honorabiliori morte in catacumbis gladio decollatur. Vna die mortui ſunt glorioſi principes terræ, quos vnitas fidei & amoris, dum in carne viuerent, ſociauit. Nero autem ob tanta ſcelera viuens priuatur regno: & poſtea miſerabiliter occiditur & à feris deuoratur. Galba regnauit annis duobus fere: nihil dignum memoria fecit.

Veſpaſianus regnauit ant[illegible] nouem. Iſte in diſciplina militari ſtrenuus fuit. Multas prouincias, quas Nero vel Galba amiſerant, bellãdo reipublicę reſtituit. Immemor offenſarum fuit: & conuitia in ſe dicta leuiter tulit. Huius ſecundo anno Titus cum patre Veſpaſiano Hieroſolymã cepit atq; ſubuertit: vbi vndecies centena millia Iudæorum vtriuſq; ſexus fame & gladio perierunt: ſed præter hos centum millia Iudęorum publice ſunt venundata. Hoc factum eſt quia Iudęi ſe cõtra Romanum imperium erigebãt: & vicinis regionibus, vt ipſi quoq; Romanis reſiſterẽt ſuadebant. Cauſa quoq; fuit quia ad Veſpaſianum peruenit, quod Iudęi dominum Ieſum Chriſtum innumera illis miracula & beneficia conferentẽ morte turpiſſima condemnarunt. Cõſummatum eſt bellum annis quatuor, duobus ante Neronẽ eiectum ab imperio eo miſerabiliter iubente, & poſtea duob. aliis: atq; nõ eſt relictus in Hieruſalẽ lapis ſuper lapidẽ ſecundum vocẽ domini: qui flens ſuper ciuitatẽ iſta prædixerat. Tunc Romani tulerunt arcã teſtamenti Dei, quæ erat in templo & candelabrũ ſacrum & menſam & alia ſacra, & intulerunt ea Romani in templum quod erat in loco quod nunc dicitur Lateranum. Poſt Veſpaſianum Otho regnauit diebus nonaginta quinq;. Vitellius menſibus nouem. Hic interfectus eſt à ducibus Veſpaſiani & in Tiberim merſus caruit ſepultura.

Poſt patrem Titus regnauit duobus annis. Iſte in lingua Græca & Latina facundiſſimus extitit: ita vt cauſas Latine ageret, poemata & tragœdias Græce cõponeret. Tantum bellicoſiſſimus fuit, vt equeſtri bello fere omnes lancea ſecũ confligentes deiiceret: & in expugnatione Hieroſolymorũ ſub patre militans duodecim pugnatores armatos duodecim ſagittarũ ictib. vna die confoderet. Porro in imperio tantę bonitatis fuit, vt nullũ puniret: ſed etiam conuictis de coniuratione contra ſe dimitteret, atq; in ea familiaritate, qua prius fuerant, eos retineret. Huius etiam inter cætera fuit illud celebre dictum. Dicebat ſe perdidiſſe diem, quo nihil boni ſe feciſſe ſentiebat.

Domitianus frater Titi regnauit annis ſedecim. Hic poſt Neronem ſecundus ſuperbia execrabilis Deum ſe appellari iuſſit: & Chriſtianos proſequi paganis inſtituit. Sub quo Ioannes Apoſtolus in Pathmos inſulam eſt exilio relegatus: vbi Apocalypſin ſcripſit. Iſte multos ſenatorum in exilium miſit ac peremit. cunctoſq;, qui de genere Regis Dauid erant, interfici iuſſit, vt nullus Iudæorum ex regali ſupereſſet origine.

Nerua regnauit anno vno menſibus ſex, in imperio moderatus, natione Hiſpanus, qui æqualem ſe & communẽ omnibus præbuit: cuius tempore Ioannes Apoſtolus ab exilio Epheſum rediit. Euangelia Matthæi, Marci & Lucæ cõfirmauit Ioannes: atq; euangeliũ ſuũ efflagitatus ab epiſcopis Aſię nouiſſimus edidit. Multi fuerunt euangeliorũ ſcriptores: ſed horũ quatuor, id eſt, Matthęi, Marci, Lucę & Ioannis tantum recipit eccleſia Dei, ppter eorũ excellentiã: & vt quaternarius numerus quadrata ſtabilitate firmetur. Euangeliũ enim Matthæi in Hebręa ſcriptũ ab Apoſtolis auctoritatem accepit.

Euangelium Marci discipuli Apostolorum principis Petri ab eodem Apostolo est cõfirmatum. Euangelium Lucę dicitur euangelium Pauli quod Paulus contulit cum Petro & Iacobo: à quibus etiam est roboratum. Ioannes præ cæteris adeo dilectus & conscius secretorum Dei, nouissimus euangelium suum edidit trib. præteritis approbatis. Hi per quatuor animalia præfigurati fuerunt, Matthæus per hominem, Lucas per vitulum, Marcus per leonem, Ioannes autem per aquilam.

Traianus regnauit annis decem & nouem. Iste natione Hispanus mirabilis virtute Romanum imperium vsq; in orientem longe lateq; † produxit. Babyloniam & Arabiã cepit, & vsq; ad Indiæ fines post Alexandrũ accessit. Liberalis fuit atq; tranquillus: cuius inter alia dicta illud prædicatur egregium: dum interrogaretur quod nimium circa omnes communis esset, respondit: talem se imperatorem esse priuatis, id est carentibus dignitate, quales esse sibi imperatores priuatus optasset. Hic quatuordecim legiones militum misit contra occidentem per Romanum imperiũ, vt ciuitates in aliis locis positas destruerent, & in plano eas conderent, ne contra imperium Romanum rebellarent. Ex quib. duæ venerunt in Hispaniam, & ciuitates Sublantiam & Florem destruentes non longe ab ipsa Flore vrbem condiderunt, quam legionem vocauerunt. Inceptum est hoc à Nerua & à Traiano perfectum. Iussit etiam fieri in Hispania pontem, qui dicitur Alcantara super flumen Tagum: & quædam alia ob insigne nominis sui. Compellente autem senatu dedit licentiam gentilibus Christianos persequẽdi. Tunc Simon Cleophas Hierosolymorum episcopus crucifigitur. Huius regni anno primo Ioannes Apostolus sexagesimo sexto anno post passionem domini, ætatis vero suæ nonagesimo nono obiit in Epheso. Galenus medicus Pergamo genitus Romæ clarus habetur.

perduxit.

Petrus & Paulus sepulti sunt Romæ. Andreas Patras ciuitate Achaiæ Iacobus Zebedæi in † arce marmorica, & delatus in Galeciam Hispaniæ vltimam prouinciam. Ioannes in Epheso. Philippus cum filiabus suis in Hieropoli Asiæ. Barnabas in insula Cypri. Bartholomæus in Albone ciuitate maioris Armeniæ. Thomas in Calamina ciuitate Indiæ. Matthæus in montibus Parthorum. Martialis discipulus Apostolorum Lemouicæ, Lucas in Bithynia, Marcus Alexandriæ in Biuolis. Iacobus Alphæi iuxta templum Hierosolymis. Tadæus, id est, Iudas in Beruto Edessenorum. Simon Cleophas, qui & Iudas, post Iacobum episcopus, ætatis centum viginti annorum crucifixus est in Hierusalem & sepultus. Titus Cretæ. Crescens in Galliis Eunuchus Candacis reginæ in Arabia quæ Felix dicitur.

arca marmorica,

Hadrianus regnat annis viginti vno. iste Traiani gloriæ inuidens prouinciam Orientis Persis reddidit, & Euphratem flumen Romani imperii finem posuit. Idem Iudęos secundo rebelles subiugat: vrbem Hierosolymam restaurat, eamq; ex nomine suo Heliam vocat. Per idem tempus Aquila Ponticus, interpres secundus post septuaginta oritur: & Basilides hæresiarcha agnoscitur.

Antoninus Pius regnauit annis viginti duobus. Iste ob hoc tale cognomen accepit, quia in toto regno Romano cautionibus incensis per clementiam cunctorum debita relaxauit: vnde pater patrię appellatus est. Eo regnante Valentinus & Martion hęresiarchæ produntur.

Antoninus minor cum fratre suo Lucio, Aurelio Commodo regnauit annis decem & octo. Hic ad Parthos profectus Seleuciam Assyriæ vrbem cum quadringentis millibus hominum cepit. De Parthis & Persis nobiliter triumphauit. Eo tempore Montanus Caraphrygarum hæresis auctor & Titianus fuerunt, à quo hæreses Encratitarum exortæ sunt.

Antoninus regnauit annis duobus. Ante imperium multa nobiliter gessit. Commodus regnauit annis tredecim. Hic luxuriæ multæ fuit. Sub hoc Theodotion Ephesius interpres tertius apparuit: cuius editio à septuaginta interpretibus non discordat: atq; Irenęus episcopus Lugdunensis in doctrina habetur insignis. Hoc tempore sancta Eugenia passa est.

Ælius Pertinax regnauit menses sex. Hic supplicante senatu vt vxorem Augustam & filium Cęsarẽ faceret, renuens ait: sufficere sibi debere, quod ipse imperaret inuitus. Seuerus Pertinax regnauit annis decem & octo. Hic multa bella feliciter gessit, Parthos vicit. Arabiam obtinuit. Britanniam bellando cepit. Litterarum & philosophię scientiam habuit. Huius tempore Symmachus interpres quartus agnoscitur. Narcisçus Hierosolymitanus episcopus virtutibus plurimis celebratur. Tertullianus Afer in ecclesia insignis habetur. Origenes Alexandriæ studiis eruditur.

Antoninus

Antoninus Caracalla Seueri filius regnauit annis septem. In Hyericho quinta editio diuinarum scripturarum inuenta est, cuius auctor non apparet. Hic Antoninus impatiens libidinis fuit, nouercam suam vxorem duxit. Nihil memorabile gessit.

Macrinus Martianus regnauit anno vno. Nihil memorabile temporis breuitate gessit: nam seditione militari interfectus est.

Marcus Aurelius Antonini filius regnauit annis quatuor. Hic dum obscenissime viueret, tumultu militari peremptus est. Cuius temporibus sexta editio inuenta est Nicopoli. Sabellius hæresiarcha oritur. Facundus & Primitiuus & decem fratres eorum martyrio coronantur, eos patre Marcello præcedente martyrio glorioso.

Alexander regnauit annis tredecim. Persas glorioſissime vicit: ciuibus fauorabilis fuit. Origenes Alexandriæ claruit: in cuius libris multa erronea & infamiæ digna inuenta sunt. Romæ Vlpianus insignis est habitus.

Maximinus regnauit annis tribus. Iste primus ex militari corpore absq; decreto Senatus imperator efficitur, & Christianos persequitur.

Gordianus regnauit annos sex. Hic rebellantes Parthos & Persas afflixit: rediensq; victor de Persis fraude suorum interiit. Huius temporib. Zepherinus testimonio Spiritus sancti in specie columbę super caput eius descendentis Romę episcopus ordinatur.

Philippus regnauit annis septem. Iste primus imperator Christi efficitur: cuius primo anno millesimus annus Romanæ vrbis docetur expletus ab vrbe condita.

Decius regnauit anno vno mensibus tribus. Hic cum Philippus patrem & filium interfecisset, ob odium eorum in Christianos persecutionem mouit. Fabianus & Cornelius interfecti sunt, & multorum sanguis iustorum effusus est. Huius temporib. Antonius monachus in Ægypto claruit: à quo primum monasteria condita sunt.

Gallus & Volusianus filius eius regnant annis duobus. Cornelius Romæ episcopus rogatus à quadam matrona Lucina corpora Apostolorum de catacumbis leuauit nocte: & posuit Paulum via hostiensi, Petrum vero iuxta locum vbi crucifixus est inter corpora sanctorum episcoporum in templo Apollinis in monte Aurelio, in Vaticano palatii Neronis. Sanctus Cyprianus episcopus martyrio coronatur. Nouatus Nouatianam hæresin adinuenit.

Valerianus cum filio Galieno regnauit annis quindecim. Hic Christianis persecutione commota statim à Sapore Rege Persarum capitur: ibique luminibus orbatus seruitute miserabili consenescit. Cyprianus primum rhetor, deinde episcopus martyrio coronatur. Gothi quoq; Græciam, Macedoniam, Asiam, Pontum atq; Illyricum deuastant & quindecim annis vendicant.

Claudius regnauit duobus annis. Iste Gothos Illyricum Macedoniamq; vastantes superat. Paulus Samosatenus hæresiarcha agnoscitur. Aurelianus regnauit annis sex. Iste Romanum imperium bellando pene ad fines proprios perduxit. Qui sicut supranominatus Valerianus dum Christianos persequitur, à Rege Persarum capitur: ibique in dedecore senescit & † fulmine moritur. Tacitus qui & Iacinthus regnauit anno vno cuius vitæ breuitas gestorum nihil dignum prænotat. Probus regnauit annis sex. Iste miles strenuus & ciuilitate præclarus. Gallias à barbaris occupatas bellando Romanis restituit. Huius temporibus Manichæorum hęresis orta est. Carus cum filiis Carino & Numeriano regnauit duobus annis. Carus postquam de Persis triumphauit, victor circa Tigridem castra ponens ictu fulminis cecidit.

† fulmine

Diocletianus & Maximinus & Lucinius regnauerunt annis viginti. diuinis libris aduſtis Christianos toto orbe persecuti sunt. Isti primo gemmas vestibus calceamentisq; inseri iusserunt: dum sola purpura retro imperatores vterentur. Hi autem imperatores varia bella gesserunt. Persis victis, recepta Mesopotamia postea pariter fastigio imperii relicto regno priuati sunt.

Galerius & Maximinus Gallus regnarunt annis duobus. Huius breuitas imperii nihil dignum historiæ contulit. Constantius vir tranquillissimus Gallia tantum Hispaniaque contentus Galerio cæteris partibus cessit. Constantius vero Augustus summæ mansuetudinis & ciuilitatis in Britannia obiit. Qui Constantinum filium ex concubina Helena creatum imperatorem Galliarum reliquit.

Constantinus regnauit annis triginta. Hic visitatione Petri & Pauli Apostolorũ & per beatũ Syluestrũ Papã Christianus effectus, multa in Romano imperio glorioſe peregit. Qui primo Persis bellũ parauit: ad cuius aduentũ adeo trepidauerunt, vt supplices occurrerẽt promittẽtes imperata perficere. Hic primus imperatorũ ecclesiã Christi in Laterano suo, hoc est, Laterano fundauit: & licentiam dedit Christianis publice ac libere

congregari: & in honorem Christi basilicas construendi. In tantum in eo concaluit amor Christianæ religionis, vt Romano Pontifici omnia insignia imperialia perpetuo daret tradens ei simul Italiæ regnum. Tunc est sancta ecclesia in Romano antistite imperialis regni gloria decorata: vt merito gloriosius & specialius in eo regale sacerdotium prædicetur. Ipse vero Constantinus perrexit in Græciam, & ibi condens Constantinopolim vrbem, quæ prius Byzantium dicebatur, domum regni sibi suisque successoribus statuit. Abhinc cum occidentis & orientis regimine sacerdotii tenuit Roma imperium occidentis, & Constantinopolis imperium orientis. His temporibus per Arrium Alexandrinum presbyterum hæresis Arriana exoritur. Nicenum etiam concilium trecentorum decem & octo episcoporum Constantinus ad condemnationem Arrii congregauit. Donatistarum schisma oboritur. Per idem tempus crux dominica gloriosa Helena Constantini matre Hierosolymis reperta est. Ob cuius etiam deuotionem dominus quatuor clauos, qui in corpore suo fuerant fixi tanquam auru splendentes ostendit. Nicolaus Myrrheæ episcopus innumeris miraculis floruit. Constantinus autem fere in extremo vitæ suæ ab Eusebio Nicomediensi pseudoepiscopo rebaptizatus in Arrianorum dogma conuertitur. Heu proh dolor! bono vsus principio & fine malo: & in eo tantorum titulorum laudes Arriana vaſania offuscantur. Tamen fertur quod in ipsa ægritudine qua migrauit de corpore, modis omnibus execrabatur insaniam Arrianam, & fidem catholicam fatebatur.

quindecim. Constantius & Constans fratres regnauerunt annis † viginti quatuor. Constans crudelitate morum terribilis à Persis multa incommoda perpessus est, deinde Arrianus effectus Christianos toto orbe persequitur. Cuius etiam fauore Arrius fretus, dum in Constantinopoli ad ecclesiam pergeret contra nostros in sancta synodo dimicaturus, diuertens per forum Constantini ad necessariam causam, viscera eius multis videntibus repente simul cum vita effusa sunt. Hoc tempore facta fuit persecutio tam crudelis, vt intra vnum annum & mensem, decem & septem millia martyrum pro Christo passi inueniantur. Per idem tempus Athanasius & Hilarius doctrina & confessione fidei celebrantur. Hæresis Anthropomorphitarum in Syria & Macedonia & Constantinopoli nascitur. Hieronymus presbyter sedis Apostolicæ Cardinalis efficitur. Donatus artis grammaticæ scriptor ac præceptor Romæ claruit. Ossa Andreæ & Lucæ Apostolorum Constantinopolim transferuntur.

Iulianus regnauit duobus annis. Hic ex clerico effectus imperator, apostata & paganus in idolorum cultum conuersus liberales litteras Christianos docere vel discere vetuit, & eis crudelissima martyria intulit. Ossa Ioannis Baptistæ multis miraculis coruscantia fracto mausoleo per agros spargi præcepit. Sed non defuerunt fideles qui collegerant ea: inter quos quidam monachus maximam eorum partem Constantinopolim detulit: quædam etiam Hierosolymam ad Philippum episcopum de ipsis sacris ossibus detulerunt: vbi digitus index, quo dominum monstrauit, incorruptus apparuit. Iulianus autem iussit ossa colligi & comburi. Quæ cum non inuenissent satellites eius, quædam alia combusserunt, vt viderentur satisfacere tyranno. In odium etiam Christi templum Hierosolymis reparare permisit Iudæis: qui ex diuersis prouinciis collecti cum noua templi fundamenta facerent, subito adueniente nocte saxa magno terræmotu ab imo fundata late excussa sunt. Igneus quoque globus de interiore æde templi egressus plurimos eorum suo prostrauit incendio. Quo terrore reliqui pauefacti Christum confitebantur inuiti. Et ne hoc casu crederent factum, sequenti nocte in vestimentis cunctorum crucis apparuit signum. Iulianus autem contra Persas procedens facta congressione iaculo susceptio interiit.

Iouinianus catholicus regnauit anno vno. Qui dum se ab exercitu imperatorem fieri conspiceret, & Christianus accipere paganorum imperium recusaret: & nos iniquit totus exercitus, qui per Iulianum nomen Christi abiecimus, tecum Christiani esse volumus: quibus ille auditis imperialia sceptra suscepit: firmataq; pace cum Persis rediit. Qui protinus leges Christianis & priuilegia dedit, quæ illis à Constantino concessa fuerant: ac templa idolorum claudi præcepit.

decem. Valentinianus & Valens frater eius regnauerunt annis † quatuordecim. Valens collapsus in hæresim Arrianam multis causa erroris fuit. Tunc enim Gothi apud Istrum bifariam in duobus Fridegerno & Athanarico Regibus diuisi sunt. Sed Athanaricus Fridegernum Valentis auxilio superat. Hic ex catholico cum tota gente Gothorum Arrianus effectus est. Tunc Gulphilas eorum episcopus Gothicas litteras eis reperit, & vtrumque testamentum in linguam propriam transtulit. Photinus quoque & Eunomius atq;

Apollina-

Apollinarius hæretici eo tempore agnoſcuntur. Damaſus Papa natione Hiſpanus Romæ eccleſiam beati Petri miro opere conſtruxit, & de diuerſis partibus multa ſanctorum corpora congregauit in vrbem.

Gratianus cum fratre Valentiniano regnauerunt annis quinque. Huius anno tertio Theodoſius creatur imperator. Ambroſius Mediolanenſis epiſcopus in catholicorum dogmate claruit. Martinus epiſcopus Turonorum Galliæ ciuitatis multis miraculis claruit. Priſcillianus hæreſim ſui nominis edidit.

Valentinianus iunior cum Theodoſio regnat annis octo. Conſtantinopoli ſynodus centum quinquaginta ſanctorum Patrum colligitur: in qua omnes hereſes condemnantur. Hieronymus presbyter Bethleem ſanctitate & ſcientia toti mundo claruit. Hic ſcripturas ſacras de Hebræo primus tranſtulit in Latinũ: & abſtulit opprobriũ Latinorũ. Græci enim inſultabãt Latinis, quod ab eis legẽ tanquã riuulus à fonte acceperãt: in quorum odiũ quidam eorum etiã exemplaria corrumpebant. Tunc temporis Priſcillianus accuſante Idatio à Maximo tyranno gladio cęditur. Gentium quoq; templa per totum orbem iubentibus Theodoſio & Honorio ſubuertuntur. Pars etiam corporis Ioannis Baptiſtæ Alexandriæ in templo Serapis per Theophilum epiſcopum à ſordibus mundato, honorifice conditur: & in honore eius baſilica conſecratur.

Theodoſius natione Hiſpanus regnauit ſolus tres annos & cum Honorio & Arcadio regnauit annis tredecim. Per idem tẽpus Ioannes anachoreta inſigniter claruit: qui etiam Theodoſio conſulente de Eugenio tyranno victoriam illi prædixit. Arcadius cum fratre Honorio regnauit annis tredecim. Huius temporibus Auguſtinus epiſcopus doctrina & ſcientia inſignis habetur. Martinus epiſcopus Turonorum obiit. Ioannes quoque Conſtantinopolitanus, & Theophilus Alexandrinus illuſtres epiſcopi prædicantur. Donatus etiam Epiri epiſcopus virtutibus inſignis eſt habitus. Qui draconem ingentem expuens in os eius facto ſigno crucis necauit: quem octo iuga boum ad locum incendii vix trahere potuerunt, ne aerem putredo eius corrumperet. Horum Arcadii & Honorii tempore Alaricus Rex Gotthorum ſororem eorum Placidiam Theodoſii filiam cum ingenti theſauro Romanorum capit primo facta vrbis irruptione: & acceptis multis opibus vrbem incenſam reliquit. Per idem tempus corpora ſanctorum Abacuch & Micheæ prophetarũ diuina reuelatione produntur. Gotthi totam Italiam deprædantur: & Vandali & Alani Gallias aggrediuntur.

Honorius cum Theodoſio fratris filio regnat annis quindecim. Vandali & Alani & Sueui Hiſpaniarum maximam partem occupant. Hac tempeſtate Pelagius aduerſus Chriſti gratiam erroris ſui dogmata prædicat. Ad cuius condemnationem concilium apud Carthaginiem ducentorum quatuordecim epiſcoporum congregatur. Hoc tempore Cyrillus epiſcopus Alexandriæ inſignis habetur.

Theodoſius minor Arcadii filius cum Honorio & Valentiniano regnauit annis viginti ſeptem. Hoc tempore Valentinianus iunior Conſtantii filius Rhauennę imperator creatur: qui matrem ſuam Placidiam Auguſtam nuncupauit. Hic gentem efferam Vandalorum & Alanorum ab Hiſpaniis ad Africam tranſtulit. Beatus Auguſtinus Hyponenſis epiſcopus & doctor eximius migrauit ad dominum. Eodem tempore Neſtorius Conſtantinopolitanus epiſcopus perfidiæ ſuæ ſuſcitauit errorem. Aduerſus quem Epheſina Synodus cõgregata eius impia dogmata damnat. Hoc etiam tempore diabolus in ſpecie Moyſi Iudæis in Creta apparens, dum eos per mare ſicco pede ad terram repromiſſionis promittit perducere diabolo prius ingreſſo & ſequentibus Iudæis, qui ſuper vndas iis qui erant in littore incedere videbantur, ſubito diabolus diſparuit, & multi Iudæi mortui ſunt: aliqui autem qui euaſerunt ad Chriſti fidem conuerſi ſunt.

Martianus & Valentinianus regnauere annis ſeptem. Huius tempore ſynodus geritur, vbi Eutiches cum Dioſcoro Alexandrino epiſcopo condemnantur. Caput etiam Ioannis Baptiſtæ, quod duo monachi eodem Ioanne reuelante iuxta palatium Herodis Regis Hieroſolymis ſepultum inuenerant, Conſtantinopolim defertur. Hoc etiam tempore Theodoricus Rex Gotthorum cum ingenti exercitu Hiſpanias ingreditur. In Italia Boetio catholico philoſopho crudeliter interfecto.

Leo maior cum Leone minore regnauerunt annis decem & ſeptem. Ægyptus & Alexandria errore Dioſcori hæretici inſanientes contra Chalcedonenſem ſynodum canina rabie latrant. Hoc tempore Gotthi leges proprias in diſcuſſione cauſarum habere cæperunt. Tunc apparuit hæreſis Acephalorum Chalcedonenſe concilium

impugnantium: qui ideo Acephali, id est sine capite nominãtur, quia quis primus eam hæresim introduxit non inuenitur. Huius hæresis peste plurimi hactenus Orientalium sunt languentes.

Zenon regnauit annis decem & octo. Ab isto Acephalorum hæresis defenditur: & decreta Chalcedonensis synodi abdicantur. Iste Leonem Augustum filium suum interficere volens, pro eo mater eius alium figura similem obtulit: ipsumque Leonem occulte clericum fecit: qui in clericatu vsque ad Iustiniani tempus vixit. Eodem tempus corpus Barnabæ Apostoli, & euangelium Matthæi eius stylo scriptum ipso reuelante repertum est.

Anastasius regnauit annis viginti septem. Iste Acephalorum errorem vindicans episcopos Chalcedonensis synodi defensores exilio damnat. Euangelia quoque ranquam ab idiotis composita euangelistis reprehendit, & praue corrigit. Huius octauo decimo anno Gotthi ab Italia in Hispania per Theodoricum regnare cæperunt. Eo tempore Trasemundus Rex Vandalorum catholicas ecclesias claudit in Africa & contra catholicos sæuit, & episcopos in exilium in Sardiniam mittit. Per idē tempus Carthagine Olympus quidam Arrianus in balneis sanctam trinitatem blasphemans tribus igneis iaculis Angelo emittente visibiliter est combustus. Barbas quoque quidam Arrianus episcopus dum contra regulam fidei quendam baptizans dixisset: Baptiza te Barbas in nomine patris per filium in spiritu sancto, statim aqua, quæ fuerat ad baptizandum delata, nusquam comparuit. Quod aspiciens qui Baptizandus erat, ad catholicam ecclesiam venit, & iuxta morem fidei, Christi baptismum suscepit.

Iustinus maior regnauit annis nouem. Iste synodi Chalcedonensis amator Acephalorum hæresim abdicat. Huius tempore post Trasemundum Ildericus ex Valentiniani imperatoris captiua filia genitus in Vandalis regnum suscepit. Qui sacramento à Trasemundo astrictus, ne catholicos in regno suo foueret, antequam regnum susciperet episcopos ab exilio reuerti iussit, eisque proprias ecclesias reformauit. Hoc tempore Theodericus Italiæ Rex in Hispania regnat postquam Atalaricus nepos eius successit in regnum. Benedictus Abbas virtutum gloria claruit. Athanagildus in Gotthis regnare cœpit. Iustinianus regnauit annis triginta nouem. Iste Acephalorum hæresim suscipiens omnes in regno suo episcopos tria Chalcedonensis concilii capitula damnare compellit. In Alexandria Theodosiana & Gaiana hæresis oritur. In Africa Vandali per Belisarium ducem extinguuntur. In Hispania per Athanagildum Romanus miles ingreditur: & in Asturiis Vandali omnino delentur. In Italia perfidus Totila Rex Gotthorum à Narse Romano patricio superatur. Per idem tempus Antonii monachi diuina reuelatione corpus repertum Alexandriam perducitur, & in ecclesia Ioannis Baptistæ humatur.

Iustinus minor regnauit annis vndecim. Narsis patricius postquam sub Iustiniano Augusto Totilanem Gotthorum Regem in Italia superauit, Sophiæ Augustæ Iustini coniugis minis perterritus Longobardos à Pannonis inuitauit, eosque in Italiam introduxit. Hic Iustinianus ea quæ aduersus Chalcedonensem synodum fuerunt edita, destruxit: & symbolum centum quinquaginta patrum, tempore sacrificii concinendum populo præcepit. Armeni tum primum fidem Dei suscipiunt. Geppides Longobardorum Rex extinguitur. Hac tempestate Leouildus Rex Gotthorū quasdam Hispaniæ regiones sibi rebelles, in potestatem sui regni superando redegit. Peridem tempus Martinus Braccarensis Dumiensis episcopus apud Galleciam clarus in doctrina fidei prædicatur tempore Theodimiri Regis.

Tiberius regnauit annis septem. Longobardi expulsis Romanis Italiam adeunt. Gotthi per Hermegildum Leouigildum Regis filium bifariam diuisi mutua cæde vastantur.

Mauritius regnauit annis viginti vno. Gregorius Romanæ ecclesiæ Pontifex & doctor eximius habetur. Fulgentius episcopus Astigitanus in confessione Dei & scientia claruit. Eodem tempore Sueui à Leouigildo Rege Gotthorum obtenti bello, Gotthis subiiciuntur. Iidem quoque Gotthi per Reccaredum religiosissimum principem, ad fidem catholicam reuertuntur, sanctissimo patre Leandro episcopo Hispalensi virtutibus & scientia decorato eisdem Gotthis sanctæ prædicationis verbum ministrante.

Phocas

Phocas regnauit annis octo. Iste seditione militari imperator effectus Mauritium Augustum & multos nobilium interfecit. Huius tempore Prasini & Veneti per Orientem & Ægyptum ciuile bellum faciunt, ac sese mutua cæde prosternunt: de quo Romanum imperium magnum sustinuit detrimentum. Prælia quoque Persarum grauissima aduersus rempublicam excitantur: à quib. Romani fortiter debellati ipsam Hierosolymam amiserunt. Per idem tempus Romæ templum Pantheon eliminata spurcicia idolorum à sancto Bonifacio Papa in honorem Dei genitricis & omnium martyrum Christi consecratur.

Heraclius temporibus nostris sumpsit imperium. Hic Persas reipublicæ subdidit: & crucem Christi quam impius Rex Cosdroas asportauit, Hierosolymis restituit. Huius Heraclii anno secundo Sisebutus in Hispania regnare incipit: regnumq; octo annis catholice regit. Huius etiam anno decimo Suintila in Hispaniis regnare incipit: & totius Hispaniæ monarchiam inter Reges Gotthorum tenuit primus: qui decem annis regnauit. Fiunt ergo ab exordio mundi vsque in præsentem diem anni quinque millia octingenti septuaginta in era sexcentesima † septuagesima prima, hoc est anno imperatoris Heraclii octauo decimo, & religiosissimi Hispaniarū Regis Suintilani vltimo. Residuum seculi tempus humanæ inuestigationi incertum est. Omnem enim de hac re quæstionem dominus Iesus Christus abstulit dicens: non est vestrum nosse tempora vel momenta quæ pater posuit in sua potestate. Et alibi de die illa dominus, inquit, nemo scit neq; Angeli cœlorum, nisi solus pater. Vnusquisq; ergo de suo cogitet transitu ne in peccati operibus prorũat, sicut sacra scriptura dicit: In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis. Quando vnusquisq; de seculo migrat, tunc illi quodammodo consummatio seculi est.

LXXXI. *Non consentit hac annorum ratio neq; cum Isidoro neque cum superioribus: ac debuit potius vsque ad* XVIII. *annum Heraclii numerare ab orbe condito* 5965. *erã* 670. *præterisse iuxta eã quam in singulis computationem ipse quidem secutus est. Omnipotens quidem annos Christi numerat* 628. *atq; adeo erã* 466. *vsq; ad eum Heraclii annum.*

EXPLICIT PRIMVS LIBER CHRONICORVM BEATI ISIDORI Hispaniarum doctoris archiepiscopi Hispalensis.

LIBER SECVNDVS.

Prologus.

DECET viros virtutis præcedentium facta sæpe ad memoriã reuocare: vt in bonis præteritis discant bonis operibus † incubare, & in malis exemplum caueant reproborũ. Præ cunctis malis sacrilegiũ, luxuriam, & auaritiam debent principes euitare: quibus maxime præteriti principes corruerunt, adeo vt qui multarum gentium victores extiterant, prouocato Deo sacrilegiis, luxuria & auaritia, suis subderentur miserabiliter inimicis. Cauenda est etiam summopere discordia militaris: qua non solum Romanum imperium subiit detrimentum, verum etiam fortissima gens Gotthorum sæpe gentis & patriæ sensit euersionem: vt in subscriptis libris clarius elucebit. Quis enim inuictissimam Gotthorum gentem adeo superauit, vt ipsa Gotthorum diuisio? quæ tempore Roderici Regis per Iulianum comitem & Witizam, qui Gotthi erant, Gotthorum gloriam & patriam subdidit Agarenis? Factum est etiam consimile tempore Ramiri & Veremundi Regum Gotthorum, cum Almanzor Rex Agarenus cum Gotthis militibus exulatis, qui ad se confugerunt, Legionense regnum inuasit, & euertit munitissimas ciuitates. Si quis percurrat historias diligenter, fere nunquam inuenies Gotthos præliis superatos, nisi contra ipsos manus quoq; Gotthica repugnaret. In agendis etiam bellorum negotiis est iure nobilitas sanguinis requirenda: quia vt in libro Macchabæorum sacra testatur scriptura, multi ex populo Israelitico victi ceciderunt in prælio, quia duces eorum scilicet Iosephus & Azarias non erant de genere virorum illorum per quos salus facta fuerat in Israel. Iam nunc ad gesta Regum Gotthorum manum mittimus chronicorum librum Isidori doctoris Hispaniarum secundum in opere proponentes. Tamen sciendum quod in Regum Gotthorum serie, & in Romanorum imperatorum atq; aliorum principum fere vbiq; discors annorum numerus scriptorum vel æmulorum vitio reperitur. Quapropter ego in huius operis annorum concordiam vtcumq; potui, laboraui. Corrigat tamen catholica veritas, si quid forte in his vel aliis opusculis meis me viderit deuiasse.

incubare.

BEATI ISIDORI

Prologus.

DOMINO & filio chariſſimo Siſnando Regi Gotthorum Iſidorus. Quia de origine Gotthorum, Hiſpanorum, Sueuorum, Vandalorum, & Alanorum, & qualiter rexerunt Hiſpaniam tibi fieri notitiam poſtulaſti: in huius parte duximus laborandum: atque tuæ charitati, prout poſſumus, id ſcribendo breuiter explanare. Tres filios Noe, id eſt Sem, Cham, & Iapheth ſcriptura ſacra eſſe teſtatur. Ab ipſis quippe omnium hominum genus per tripartitam mundi regionem, id eſt, Aſiam, Europam, & Africam eſt diſſeminatum. Filii Sem orientalem partem ſcilicet Aſiam cum filiis Ioniti filii Noe, qui poſt diluuium natus eſt, poſſederunt. Filii Iapheth ſeptentrionalem, ſcilicet, Europam. Filii Cham meridionalem, id eſt Libyam ſiue Africam inhabitauerunt. Sed tempore procedente terram Chanaam in Aſia violenter obtinuerũt. Nati ſunt filii Iapheth, Magog, & Tubal & alii. De Magog inde Gotthi, de Tubal vero Hiſpani & Itali orti cenſentur. Primus Rex Hiſpanorum extitit nomine Hiſpanus, qui famoſam vrbem condidit, quam ex ſuo nomine Hiſpalim nominauit: & in ea ſolium regni ſibi firmauit: à qua etiam Hiſpania nomen traxit. Dicitur & ab Ibero flumine Iberia, & ab Heſpero ſidere Heſperia. Hiſpanis tandem regnum ſuum ſegniter gubernantibus, principantibus Pompeio & Afranio, Iulio Cæſari, & Romanis omnino ceſſerunt: non tamen patria ſed regni honore caruerunt. Olim pro magna parte ſui Romanis Hiſpania iam ceſſerat Bruto & Ptolemone ducibus exercitus Romanorum. Ante biennium autem Romanæ vrbis irruptionis era CCCCXLIIII. excitatæ per Stiliconem ducem Romanum gentes Alanorum, Sueuorum, Vandalorum tranſiectoque impetu ad Pyrenæum vſque peruenĩunt. Cuius obice per Didymum & Veriniánum Romanos nobiliſſimos ac potentiſſimos fratres ab Hiſpania trib. annis repulſi per circuniacentes Galliæ prouincias vagabantur. Sed poſtquam qui priuato præſidio Pyrenæi clauſtra tuebantur, ob ſuſpicionem tyrannidis inſontes & nulla culpa obnoxii, à Conſtantio Imperatore occidentis interfecti ſunt, memoratæ gentes Hiſpaniarum prouincias diſrumpunt. Sueui à Germanis duxerunt originem, qui à flumine Sueuo nominantur. Vandali à Galliis venerunt, & à Vandalico fluuio nominantur. Alani ab Hunnis orti ſunt: & † Alanus fluuius eis nomen impoſuit.

Iſidorus

Era CCCCXLVII. Alani, Sueui & Vandali Hiſpanias occupantes, neces vaſtationeſque cruentis diſcurſibus faciunt. Vrbes incendunt, ſubſtantias direptas exhauriunt: ita vt humanæ carnes in fame deuorarentur à populis. Edebãt filios ſuos matres. Beſtiæ quoque morientium gladio fame ac peſte cadaueribus aſſueræ etiam in viuorum efferebantur interitum. Atque ita quatuor plagis per totam Hiſpaniam ſæuientibus diuinæ iracundiæ per prophetas ſcripta olim prænuntiatio adimpletur.

Era CCCCXLVIII. poſt plagarum diram perniciem, quibus Hiſpania cæſa eſt, tãdem barbari ad pacem Deo miſerante conuerſi in poſſeſſionẽ ſibi eius prouincias diuidunt. Galleciam enim Vandali & Sueui occupant. Alani Luſitaniam & Carthaginẽſem prouinciam. Vandali autem cognomine Silingi relicta Gallecia poſtquam Tarraconẽſes inſulas deprædati ſunt, regreſſi prouinciam Beticam ſortiuntur. Hiſpani autem per ciuitates & caſtella reſidua plagis afflicti barbarorum dominantium de Romanorum abſentia & tuitione plangentes, ſeſe miſerabiliter ſeruituti ſubiiciunt. Primus autem in Hiſpania Gundericus Rex Vandalorum præfuit regnans in Galleciæ partib. annis decem, & octo. Qui dum rupto fœdere Sueuorum gentem in Eruaſis motibus obſident, relicta obſidione Sueuorum Balearicas Tarraconenſis prouinciæ inſulas deprædatur. Deinde Carthagine Spartaria euerſa cum omnib. Vandalis ad Beticam tranſit. Hiſpalim diruit acrique cæde in direptionem mittit. Qui cum auctoritate regiæ poteſtatis irreuerenter manus in baſilica ſancti Vincentii martyris ciuitatis ipſius extendiſſet, mox Dei iudicio in foribus templi dæmonio correptus interiit.

Era CCCCLXVII. Giſericus frater Gunderici ſucceſſit in regnũ annis quadraginta. Qui ex fide Catholica effectus apoſtata in Arrianam ferrur primus tranſiſſe perfidiam. Hic

de Beticæ

de Britannia pro minciæ littore cum Vandalis omnibus eorumq; familiis ad Mauritaniam & Africam relictis Hispanis transfretauit. Cui Valentinianus iunior occidentis imperator non valens obsistere pacem mittit, & partem Africæ, quam Vandali possederãt, tanquam pacifice dedit, conditionibus sacramenti ab eo acceptis ne quid vltra inuaderent. Ille autem de cuius amicitia iam nihil ambigebatur, violata sacramẽti religione Carthaginem dolo pacis inuadit, omnesq; opes eius excruciatis diuerso tormentorum genere ciuibus in ius proprium vertit. Deinde Siciliam deprædatus Panormum obsedit, & Arrianam pestilentiam per totam Africam intromittit. Sacerdotes ab ecclesia pellit, martyres plurimos efficit, & iuxta prophetiam Danielis demutatis sanctorũ mysteriis ecclesias Christi hostibus tradidit. Nec iam diuini cultus loca, sed suorum esse habitacula iussit. Aduersus quem Theodosius minor orientis imperator bellum parauit, quod ad effectum non venit. Hunnis enim Thraciam Illyricumq; vastantib. exercitus ad Vandalos missus, ad defendendos Thraces Illyrianosque à Sicilia reuocatus. Maioranus autem imperator de Italia in Hispaniam veniens, cũ in Carthaginensi prouincia aliquantas naues siue ad transitum aduersus Vandalos præparasset, eas de littore Carthaginensi commoniti Vandali per proditores arripiunt. Sicque Maioranus à sua dispositione frustratus Italiam reuertitur, atq; à Recimiro patritio fraude circumuentus occiditur. Quo comperto Giseticus non contentus solis Africæ vastationibus, nauibus aductis Romam ingreditur, direptisque per quatuordecim dies opibus Romanorum relicta Vrbe, vxorem Valentiniani & filias eius & multa millia captiuorum secum tulit. Mox Carthaginem redit: & per legatos ab Imperatore postulata pace, Valentiniani relictam Constantinopolim remittit, quarum vnam ex filiabus suis filio suo Vgnerico iure matrimonij copulauit. Sicque post multarum prouinciarũ clades Christianorumque spolia atq; neces moritur regni sui anno xl.

Era DVII. post Giscricum Vgnericus Giscrici filius regnat annis septem, mensib. quinque habens in coniugio Valentiniani filiam, quam pater eius ex Roma cum matre captiuam adduxerat, qui & ipse Arriano suscitatus furore catholicos per totam Africam atrocior patre persequitur, ecclesias tollit, sacerdotes & cuncti ordines clericos in exilium mittit. Monachos quoque atq; laicos quatuor circiter millia exiliis duriorib. relegauit, martyres fecit, cõfessoribus linguas abscidit: qui linguis abscisis perfecte vsque ad finem locuti sunt. Tunc Lætus Neptensis ciuitatis episcopus gloriose martyrio coronatur. Qui dum Arriani contagii labe variis pœnis maculari non potuit, victor repente cœlos obtinuit. Vgnericus autem inter innumerabiles suarum impietatũ strages, quas in catholicos exercuerat, octauo regni sui anno, vt Arrius pater eius interioribus cunctis effusis miserabiliter vitam finiuit.

Era DXIIII. Guntamundus succedit regnans annos quatuordecim. Qui statim ecclesiæ pacem reformans catholicos ab exilio reuocauit.

Era DXXVIII. Trasemundus succedit regnans annis viginti septem mensibus quatuor. Iste Arriana insania plenus catholicos infectatur, ecclesias claudit, in Sardiniam exilio ex omni Africana ecclesia centum viginti episcopos mittit. Carthagine moritur. Cuius tempore Fulgentius Ruspensis episcopus in nostro dogmate claruit.

Era DLV. Hildericus Hugnerici filius ex Valentiniani imperatoris filia genitus successit regnans annis nouem mensib. tribus. Iste sacramento à prædecessore suo Trasemundo adstrictus ne catholicis in regno suo pacem daret, aut ecclesias aperiret, aut priuilegia restitueret, priusquam regnaret ne religionem sacramenti violaret, præcepit sacerdotes catholicos ab exilio reduci & ecclesias aperiri. Quem Gilimer sumpta tyrannide regno priuat: & cum filiis carceris custodiæ mancipat.

Era DLXIIII. Gilimer regnum tyrannide quatuor annis tenuit, multos nobilium Africæ prouinciæ crudeliter extinguens, multorumque substantias tollens. Aduersus quem Iustinianus imperator, ex visitatione visionis nocturnæ Læti episcopi, qui ab Vngarico Rege Vandalorum martyr fuerat factus, exercitum cum Belisario magistro militum duce mittit. Initoq; idem Belisarius prælio Guntemirũ & Gebamundũ Regis fratres primo prælio superatos interficit. Deinde ipsum Gilimirum in fugam versum Africam capit. In ipso autem Belisarii occursu priusquam congressio fieret Gilimer tyrannus Hildericum Regem cum quibusdam generis eius affinibus occidit. Belisarius autem Gilimirum tyrannum capit: eumque cum deuitiis ex rapinis prouinciarum & Africæ conquisitis Constantinopolim Iustiniano Imperatori adducit. Sicque regnum Vandalorum cum populo atque stirpe deletur era DLXVIII. quod permansit centum & quadraginta nouem annis ab anno primo Gunderici Regis vsq; ad interitũ Gilimiri.

SVEVORVM HISTORIA.

ERA CCCCXLVI. Sueui principe Hermerico cum Alanis & Vandalis simul Hispaniam ingressi sunt, neque omnem Galleciam cum Vandalis occupauerunt. Vandalis autem Africam transeuntibus Galleciam soli Sueui sortiti sunt: quibus præfuit in Hispaniis Hermericus annis triginta duobus. Gallecí autem in parte prouinciæ regno suo vtebantur. Quos Hermericus assiduis vastatione deprædans tandem morbo oppressus pacem cum eis fecit & Recchilanem filium suum in regno suo substituit. Qui cum magna parte exercitus missus Andeborum Romanæ militiæ ducem cum multis copiis ad Singilium Beticæ prouinciæ fluuium in ipso bello prostrauit magnis eius auri argentique copiis occupatis. Inde Emeritam obsessam ingreditur: atque obtentam proprio regno associat. Hermericus autem pater eius per annos septem diuturno languore affectus interiit.

Era CCCCLXXVIII. Hermerico defuncto Recchila filius eius regnat annis nouem. Qui post obitum patris Hispali obtenta Beticam & Carthaginensem prouincias in suam potestatē reducit. Atq; inde Emeritæ sub cultu, vt fertur, gentilitatis vitam finiuit.

Era CCCCLXXXVIII. Recciarius Recchilanis filius catholicus factus succedit in regnum annis nouem: accepta in coniugium filia Theodoredi Regis Gothorum. Hic in principio sui regni confortatus Vascones deprædatur: moxque ad Theodoredum socerum suum profectus, Cæsaraugustanam regionem remeans Gothis auxiliantib. vastat. Tarraconensem prouinciam, quæ Romano imperio deseruiebat, inuadit. Carthaginenses regiones quas Recchila pater eius Romano reddiderat, in prædam mittit. Ad vltimum, dum Theudericus Rex Gothorum in Hispaniam ingrederetur, inito prælio aduersus eum, primo fugatur, deinde captus occiditur.

Era CDXCVI. extincto Recciario, Sueui; qui remanserant in extrema parte Galleciæ, Masdram Massilæ filium Regem sibi constituunt. Mox bifariam diuisi, pars Frantanem, pars Maldram Regem appellant. Nec mora Frantane mortuo, Sueui qui cum eo erant Recchimundum sequuntur, & cum Masdra pace inita, pariter partes Lusitaniæ deprædantur. Masdra autem tertio regni anno a suis iugulatur.

Era CDXCIX. Masdra interfecto inter Frumarium & Recchimundum oritur de regni potestate dissensio. Sed Frumarius cum manu Sueuorum, quam habebat, Flauiensis vrbis conuentum graui euertit excidio. Recchimundus autem vicina sibi pariter Auiensium, & Lucensis conuentus maritima populatur. Duobus annis post Masdram regnauit Frumarius.

Era DII. Frumario mortuo Remismundus omnib. Sueuis in suam ditionem regali iure reuocatis, pacem cum Gallecis reformat, legatos fœderis ad Theudericū Regum Gothorum mittit, a quo etiam per legatos & arma & coniugem, qua haberet, accepit. Inde ad Lusitaniam transit. Conimbriam pace deceptam diripit. Olisbona quoq; ab eo occupatur eiusq; suo, qui illi præerat, tradente Lundio. Huius tempore Aiax natione Galata effectus apostata. Arrianus inter Sueuos Regis sui auxilio, hostis catholicæ fidei, & diuinæ Trinitatis emergit, de Gallicana Gothorum regione hoc pestiferum virus afferens & totam gentem Sueuorum lethali perfidiæ tabe inficiens. Multis deinde Sueuorum Regibus in Arriana hæresi permanentibus, (fuerunt ex tunc Reges Sueuorum seducti nonagintta annis: quorum actus & nomina hic minime describuntur) tandem regni potestatem Era DCI. Theudemirus suscepit. Qui confestim Arrianæ impietatis errore destructo Sueuos catholicæ fidei reddidit, in tempore Martino monacho Dumiensis episcopo fide & scientia claro, cuius studio & pax ecclesiæ ampliata est, & multa in ecclesiasticis disciplinis Gallecíæ regionibus instituta.

Era DCVII. Post Theudemirum Miro Sueuorum princeps efficitur, regnans annis tredecim. Hic secundo regni sui anno bellum contra Vascones intulit. Deinde ad auxilium Liuuigildo Gothorum Regi aduersus rebellem filium expugnandū Hispalim pergit, ibique terminum vitæ clausit.

Vascones

Huic Hebericus filius in regnum succedit anno vno, quem adolescentem Andeca, sumpta tyrannide regno priuat, & monachum factum in monasterio damnat, pro quo non diu est dilata sententia. Nam Liuuigildus Gothorum Rex Sueuis mox bellum inferens, obtento eodem regno, Andecanem deiecit, atq; detonsum post regni honorem,

notem, presbyterii officio mancipauit. Sic enim oportuit, vt quod ipse regi suo fecerat, rursus idem congrua vicissitudine pateretur. Regnum autem Suevorum deletum in Gothos transfertur, quod mansisse CLXXVII. annis scribitur.

Explicuit historia Suevorum.

GOTTHORVM HISTORIA.

GOTTHORVM antiquissima origo de Magog Iaphet filio orti cũ Scythis vna probantur origine: vnde non longe vocabulo discrepant. Demutata enim ac detracta littera Getæ quasi Scythę sunt appellati. Hi igitur Septentrionis glacialia iuga inhabitantes, quæque sunt ardua montium cum cæteris gentib. possidebant. Quib. sedib. tempestatibus & impetu gentis Hunnorum pulsi Danubium trãseunces Romanis se dederunt. Sed dum iniurias eorum non sustineret, indignati arma sumunt, Thraciam irruunt, Italiam vastant, obsessam vrbem Romã capiunt: Gallias aggrediuntur, patefactisq; montib. Pyreneis Hispaniam vsq; perueniunt: & ibi sedem vitæ atq; imperium locauerunt. Populi natura prompti, ingenio alacres, consuetudine viribusq; freti, robore corporis validi, statura proceritate magni vel mediocri, gestu habituq; conspicui, eloquio clari, manu prõpti, duri vulnerib. sicut ait poeta de ipsis: Mortẽ contemnunt laudato vulnere Getæ. Quib. tanta extitit magnitudo bellorũ, & tam excellens gloriosæ victoriæ virtus, vt Roma ipsa victrix omniũ populorum subacta captiuitatis iugo Gothicis triumphis accederet: & domina cunctarũ gentium illis vt famula deseruiret. Hos Europæ omnes pertimuere gentes, Alpiũ his cessere † obices. Vandalica & ipso crebro opinata barbaries non tantum præsentia eorũ exterrita, quantũ opinione fugata est. Gotthorum vigore Alani extincti sunt: Sueui quoq; hactenus intra inaccessos Hispaniarum angulos coarctati, etiã nunc eorum armis periculum finis experti sunt: & regno q; desidioso corpore tenuerunt, turpiori nunc dispendio caruerunt: quanquã se tenuisse hucusq; valde sit mirum, quo sine experimento defensionis carere potuerunt. Sed quis poterit tantã Gothicæ gẽtis liberalitatis & viriũ dicere magnitudinem? Etenim multis gentib. non solũ larga munera contulerunt, sed & magna reliquerunt gentium precib. inclinati. His tamen libertas magis de congressione bellica quam de petita pace contingit: atq; vbi se illis necessitas dura opposuit, vires eos potius adhibuisse q̃ preces. Porrò in armorum arrib. spectabiles sunt: & non solũ hastis sed & iaculis equitando confligunt: nec equestri tantũ prælio sed & pedestri incedunt. Veruntamẽ magis equitum præceleri cursu confligunt: vnde poeta Getes, inquit, quo pergit equo. Exercere. n. sese telis ac præliis præludere maxime diligunt. Ludorũ certamina vsu quotidiano gerunt. Hac sola armorũ experientia huc vsq; carebant, q̃ classica bella in mari gerere non studebant. Sed postquã Sisebutus princeps regni sumpsit sceptra ad tantã felicitatis virtutem profecti sunt, vt non solum terras, sed & ipsa maria suis armis adeant: subiectusq; seruiat illis Romanus miles, cui seruiere tot gẽtes. Eos magis Getas q̃ Gog Magog appellare cõsueuerant. Gens fortissima hæc à qua Iudæa terra vastata describitur. Interpretatio namq; nominis eius in linguã nostram recte quoq; significatur fortitudo. Quia reuera nulla gens in orbe fuit, quę Romanũ imperium adeo fatigauerit vt hi. Isti sunt. n. quos etiam Alexander vitandos pronunciauit, Pyrrhus pertimuit, Cæsar exhorruit. Per multa quippe retro secula ducibus vsi sunt, postea Regibus: quorum oportet tempora per ordinem cursim exponere: & quo nomine actuque regnauerint de historiis libata retexere. ¶ Anno ante eram conditã duodecimo dum pro arripiendo Reipub. imperio Magnus Pompeius & Iulius Cæsar arma ciuilia cõmouissent, Gothi ad præbendũ Pompeio auxilium in Thessaliam aduersus Cæsarem pugnaturi venerunt. Vbi dũ in Pompeii exercitu Æthiopes, Indi, Persæ, Medi, Græci, Armeni, Scythæ, ac reliquæ orientis gentes euocatæ aduersus Iulium dimicassent, isti præ cæteris Cæsari fortius restiterunt. Quorum Cæsar copia & virtute turbatus, fertur fugam meditatus esse, nisi nox prælio finẽ dedisset. Tunc Cæsar ait: Nec Pompeiũ scire vincere, nec Cæsarem posse vinci, Nam si Pompeius vincere nosset, hodie eũ tam asperis vitis Cæsarem superasset. ¶ Era † CCLXXXVI. anno secundo imperii Valeriani & Galieni Gothi primo descensis Alpibus quib. inhabitabãt, Græciã, Macedoniã, Pontũ, Asiam, atq; Illyricum vastauerũt. Ex quib. Illyricum & Macedoniam quindecim annis

diuicias

forte CCXCVI

fere tenuerunt. Deinde à Claudio imperatore superati sedes proprias repetunt. Romani autem Claudium Augustum, pro eo quod tam fortissimam gentem à finib. reipublicæ remouisset, insigni gloria honorantes in foro illi aureum clypeū, in Capitolio auream statuam collocauerunt.

CCCLXVIIII Era † cccLXII. tempore Cōstantini Christiani imperatoris Gotthi Sarmatarum regionem aggressi copiosissimis super Romanos irruerunt agminibus, vehementi virtute cuncta gladio, & depræda tione vastantes. Aduersus quos idem Constantinus acie instruxit, ingentique certamine vix superatos vltra Danubium expulit, de diuersis gentibus virtutis gloria clarus, sed de Gotthorum victoria amplius gloriosus. Quem Romani acclamante senatu publica laude prosequuti sunt, quod tantam gentem vicerit, quod patriam rempublicam reformauerit.

CCCCVIII Era † cccc. anno imperii Valentis quinto primus Gotthorum gentis administrationem suscepit Athanaricus regnans annos XIII. qui persecutione crudelissima aduersus fidem Christi commota, voluit se exercere contra Gotthos qui in gente sua Christiani habebantur, ex quib, plurimos, qui idolis immolare nō acquieuerūt, martyres fecit: reliquos autem multis persecutionibus affectos, dum pro multitudine horreret interficere, dedit licentiam, immo magis coegit de regno suo exire, atque in Romani soli migrare prouincias.

CCCCXV Era † cccciii. anno octauo Valentis imperatoris Gotthi in Istrium aduersus semetipsos in Athanarico & Fridigerno diuisi sunt, alternis sese cædibus depopulantes. Sed Athanaricus Fridigernum Valentis Imperatoris suffragio superat. Huius rei gratia legatos cum muneribus ad eundem imperatorem mittit, & doctores propter suscipiendam Christianæ fidei regulam poscit. Valens autem à veritate catholicæ fidei deuius, & Arrianæ hæresis peruersitate detentus, missis hæreticis sacerdotibus, Gotthos persuasione nefanda sui erroris dogmati adgregauit, & in tam præclaram gentem virus pestiferum semine pernicioso transfudit, sicq; errorem quem recens credulitas ebibit, tenuit diuque seruauit. Tunc Gulfilas eorum Gotthorum episcopus Gotthicas litteras condidit, & scripturas noui ac veteris Testamenti in eandem linguam conuertit. Gotthi autem statim vt litteras & legem habere cæperunt, instruxerunt sibi dogmatis sui ecclesias, talia iuxta eundem Arium de ipsa diuinitate documenta tenentes, vt crederent: Filium Patri maiestate esse minorem & æternitate posteriorem. Spiritum autem sanctum nec Deum esse, neque substantiam Patris existere, sed per filium creatum esse, vtriusque ministerio deditum, & amborum obsequio subditum. Aliam quoque Patris sicut personam sic & naturam asserentes: aliam Filii, aliam denique Spiritus sancti, vt iam non (secundum sanctæ scripturæ traditionem) vnus Deus & dominus coleretur. Sed iuxta idolatriæ superstitionem tres dii venerarentur. Cuius blasphemiæ malum per decessum temporum, Regumque successum annis † ccxxiiii. tenuerunt. Qui tandem reminiscentes salutis suæ renunciauerunt inditæ perfidiæ & per Christi gratiam ad vnitatem fidei catholicæ per orthodoxum patrem Leandrum Hispalēsem antistitem peruenerunt.

CCCCXVI Era † cccclviii. anno tertio decimo Valentis imperatoris Gotthi qui primū Christianos à terra sua expulerant, rursus ipsi multis acribus tempestatibus Dei iudicio fatigati ab Hunnis cum Rege suo Athanarico expulsi sunt, transitoque Danubio cū vim ferre non possent Valentis imperatoris, sese non depositis armis tradunt, & Thraciam ad inhabitandum accipiunt. Sed vbi viderunt se opprimi à Romanis contra consuetudinem propriæ libertatis, ad rebellandum coacti sunt. Thraciam ferro incendiisq; depopulantur, deiectoque Romanorum exercitu ipsum Valentem iaculo vulneratum in quadam villa fugientem succenderunt, vt merito ipse ab eis viuus temporali cremaretur incendio, qui tam pulchras animas igaibus æternis tradiderat per errorem. Inuenerunt autem eo prælio Gotthi priores Gotthos, quos dudum propter fidem à terra sua expulerant, & voluerunt eos sibi ad prædæ societatem coniungere. Qui cum non acquieuissent, aliquanti interfecti sunt. Alii montuosa loca tenēres & refugia sibi qualiacumque construentes, non solum perseuerauerunt Christiani catholici, sed etiam in concordia Romanorum à quibus dudum excepti fuerant permanserūt. Tunc Gothi contra Hungaros arma dirigentes innumerabilem ex eis multitudinem hostiliter necauerunt.

CCCCXIX Era † ccccxiii. anno imperii Theodosii Hispani iii. & Valentiniani primo Athana-

Athanaricus cum Theodosio ius amicitiamque disponens mox Constantinopolim pergit, ibique quinto decimo die postquam fuerat à Theodosio honorabiliter susceptus, interiit. Gothi autem proprio Rege defuncto aspicientes benignitatem Theodosii imperatoris inito fœdere, Romano se imperio tradiderunt & fuerunt cum Romanis † septem annis. xxviii.

Era cccexx. anno imperii Theodosii iv. Gothi patrocinium Romani fœderis recusantes, Alaricum Regem sibi constituunt, indignum iudicantes Romanæ esse subditos potestati, eosque sequi, quorum iam pridem leges imperiumque respuerant, & de quorum se societate prælio triumphantes auerterant.

10 Era † cccexxvii. anno imperii Honorii & Arcadii quarto Gothi in Alarico, & cccexvi. Radagaiso diuisi, dum semetipsos in duabus regni partibus variis cædibus lacerarent, ob excidium Romanorum concordes effecti, consilium in commune constituunt, pariqué intentione ad prædandas quascunque regiones Italiæ ab inuicem diuiduntur.

Era cccexviii. anno Honorii & Arcadii x. Rex Gothorum Radagaisus genere Scytha cultui idolatriæ deditus, barbaricæ immanitatis feritate sæuissimus, cum ducentis armatorum millibus Italiæ partes vehementi vastatione aggreditur, spondens in contemptum Christi Romanorum sanguinem diis suis libare, si vinceret. Cuius exercitus ab Stilicone duce Romano in montuosis Thusciæ locis circunclusus fame est potius, quam ferro consumptus. Ipse postremo Rex captus & interfectus est.

Era cccexvi. anno imperii & Arcadii xvi extincto Radagaiso Alaricus consors regni nomine quidem Christianus, sed professione hæreticus, dolens tantam multitudinem Gothorum à Romanis extinctam in vindictam sanguinis suorum, aduersus Romam prælium gessit, obsessamque impetu, igne gladiis irrumpit: sicq; vrbs cunctarum gentium victrix, Gothicis triumphis victa succubuit, eisque capta subiugataque seruiuit. Tam autem Gothi clementes ibi exiterat, vt votum amrea darent, quod si ingrederentur vrbem, quicumque Romanorum in locis Christi inuenirentur, in vastationem vrbis non mitteretur. Post hoc igitur votum, aggressi vrbem omnibus & mors & captiuitas indulta est, qui ad sanctorum limina confugerunt. Sed & qui extra locum martyrum erant, & nomen Christi & sanctorum nominauerunt, & ipsis simili misericordia pepercerunt. In reliquis autem, ceu præda hostium patuit, feriendi tamen immanitas refrænata est. Incursantibus autem in illa vastitate per vrbem Gothis, dum quidam potens virginem consecratam ætate prouectam reperisset, eamque honeste admoneret, vt si quid apud se auri argentique esset proferret: illa fidei conscientia quod habuit protulit. cumque ille vasorum formam & pulchritudinem, ex illa antiqua Romanorum opulentia miraretur, virgo ait: Hæc vasa mihi de sacrario Petri Apostoli deposita sunt: præsume, si audes. Ego sacra hosti dare non audeo. Gothus ille ad nomen Apostoli magno pauore perterritus, Regi hoc per nuntium refert, qui confestim Rex reportari omnia ad sacrarium sancti Petri, per virginem illam summa cum reuerentia iussit dicens: Cum Romanis gessi bellum non cum Apostolis Dei. Rediit igitur virgo reuerentissimis officiis honorata, redeunt & cum illa omnes, qui ei se sociauerant super capita sua vasa illa aurea & argentea cum hymnis & canticis reportantes. Exercitus vndique iussu Regis ob defensionem armatorum custodientes concurrunt. Vndique ad voces canentium de latibulis agmina Christianorum. Concurrunt etiam & pagani, atque admisti inter eos, dum seruos Christi se esse fingunt, etiam & ipsi calamitatis excidium euaserunt. Hac tempestate Gothi Placidiam Theodosii principis imperatoris filiam, Arcadii & Honorii imperatorum sororem, cum ingenti auri argentiq; thesauro Romæ capiunt. Anno ab vrbe condita MCLXIIII. irruptio vrbis per Alaricum facta est: adepriq; multis opibus Romanorum tertia die, incensa euersaque in partibus, vrbe discedunt. inde conscensis nauibus, cum ad Siciliam exiguo ab Italia freto diuisam post tantam victoriam maior eorum pars simul cum Alarico Rege & potentiorib. ducibus transire disponerent, infesto mari periclitati multum exercitum perdiderunt.

Quibus tanta fuit gloria de Romanæ vrbis obtentu, vt in eius comparatione nihil se mali passos tempestate illa arbitrarentur, damna naufragii euentu victoriæ compensantes. Mors Alarici confestim sequuta vigesimo octauo regni anno defunctus est in Italia.

Era † cccexlviii. anno imperii Arcadii & Honorii xii. Alarico post captam vrbem defuncto Athaulfus à Gothis Italiæ regno præficitur annis septem. cccexlviii

Iſte quinto regni anno de Italia recedens, Gallias adiit. Placidiam Theodoſii imperatoris filiam quam Romæ Gotthi ceperant, coniugem ſibi aſſumpſit. In qua prophetia Danielis à quibuſdam creditur fuiſſe completa, qui ait filiam Regis Auſtri coniungendam Regi Aquilonis, nulla tamen de germine eius ſobole ſubſiſtente. Sicut & idem in ſequentibus propheta ſubiungit dicens: Nec ſtabit ſemen eius. Nullus enim de vtero illius extitit genitus, qui patris in regno ſuccederet. Athaulfus autē dum relictis Galliis Hiſpanias peteret à quodam ſuorū apud Barcinonā inter familiares fabulas iugulatur.

Era CCCC. † LVI. anno imperii Honorii & Arcadii XXII. poſt obitum Athaulfi, à Gotthis Sigericus princeps electus eſt tribus annis, qui dum ad pacem cum Romanis eſſet promptiſſimus mox à ſuis eſt interfectus.

Era CCCC. LVIII. anno imperii Honorii & Theodoſii XXV, Wallia Sigerico ſuccedens, ſex annis regnum tenuit. Belli cauſa princeps à Gotthis effectus, ſed ad pacem diuina prouidentia ordinatus. Mox enim vt regnare cepit, fœdus cum imperatore Honorio pepigit: & Placidiam ſororem eius, quæ à Gotthis Romæ capta fuerat, ei honorifice reddidit promittens imperatori propter rempublicam omne certamen implendum. Itaq; ad Hiſpanias per Conſtantium patritium euocatus Romani nominis cauſa, cædes magnas crudelib. populis intulit: Vandalos, Silingos in Bætica omnes bello extinxit. Alanos qui Vandalis & Sueuis potentabantur, adeo trucidauit, vt extincto Atace Rege ipſorum, pauci qui ſuperfuerant oblito regni nomine Gunderici Regis Vandalorum, qui in Gallecia reſederat, ſe regimini ſubiugarent. Confecto igitur Wallia bello Hiſpaniæ, dum inſtructa nauali acie ad Africam tranſire diſponeret, in freto Gaditani maris vi grauiſſimæ tempeſtatis effractus memor etiam illius ſub Alarico naufragii, omiſſo nauigationis periculo, relictis Hiſpaniis Gallias repetit. Dataq; eſt ei ab imperatore ob meritum victoriæ ſecunda Aquitania cum quibuſdam ciuitatibus confinium prouinciarum vſq; ad Oceanum.

Era CCCC. LXIIII. anno imperii Theodoſii minoris † nono Wallia Rege defuncto, Theuderedus ſuccedit in regno annis triginta tribus. Qui regno Aquitanico non contentus pacis Romanæ fœdus recuſat: & pleraq; municipia Romanorum vicina ſedibus ſuis occupat. Arelas nobiliſſimum Galliæ oppidum multa vi obſeſſum oppugnat. A cuius obſidione imminente virtute Aetii Romanæ militiæ ducis non impunitus abſcedit: ſed amiſſa parte ſuorum abſcedere bello coactus eſt. Remoto igitur Valentiniani imperatoris iuſſu à poteſtate militari Aetio, dum Theuderedus Narbonenſi vrbi diutina obſidione ac fame eſſet infeſtus, rurſus à Litorio Romanæ militiæ duce Hunnis auxiliantibus effugatur. Litorius autem dum primum res proſperas aduerſus Gotthos geſſiſſet, denuo dæmonum ſignis aruſpicumq; reſponſis deceptus bellum cum Gotthis imprudenter iniit: amiſſoq; Romano exercitu miſerabiliter ſuperatus interiit. Fecitq; intelligi quantum illa, quæ cum eodem periit, multitudo prodeſſe potuerit, ſi fide potius quam fallacibus dæmoniorum oſtentis vti maluiſſet. Extincto igitur Litorio pace deinde Theuderedus cum Romanis inita, denuo aduerſus Hunnos Galliarum prouincias ſæua populatione vaſtantes, atque vrbes plurimas euertentes, in campis Catalaunicis auxiliante Aetio duce Romano aperto marte conflixit: ibique præliando victor occubuit. Gotthi autem dimicante Thuriſmundo Theuderedi Regis filio adeo fortiter congreſſi ſunt, vt inter primum prælium & poſtremum trecenta fere millia hominum in eo certamine proſternerentur. Multa eodē tempore cæli & terræ ſigna præceſſerunt, quorum prodigiis tam crudele bellum ſignificaretur. Nam aſſiduis terræmotibus factis, à parte orientis luna contra naturalem eclypſim offuſcata eſt. A ſolis occaſu ſtella cometes appatuit: atque ingenti & inſolita magnitudine aliquandiu fulſit. Ab aquilonis plaga cælum rubens ſicut ignis aut ſanguis effectus eſt permixtis per igneum ruborem lineis clarioribus in ſpeciem haſtarum rutilantium deformatis. Nec mirum, vt tam ingens cæſorum ſtrages diuinitus tam multa ſignorum demonſtraretur oſtenſione. Hunni autem vſque ad internecionē pene cæſi cum Rege ſuo Athila relictis Galliis Italiam perfugiunt aliquantis ciuitatibus irruptis. Qui & ibi partim fame partim cæleſtibus plagis percuſſi interierunt. Miſſo inſuper à Martiano imperatore exercitu forti plaga cæduntur, affectique nimium ac diminuti ſedes proprias repetunt. Ad quas Rex eorum Athila mox vt remeauit, occubuit. Poſt eius obitum Hunnorum gens proprio ſe inſuper excidio deuaſtauit. ſtatimque inter filios eius de obtinendo regno magna ſunt exorta certamina. Atque ita Hunni qui tot clades ante diminuti fuerant, rurſus mutuis ſe gladiis conciderunt. In quibus illud mirum eſt, vt dum omne prælium detrimentum habet populorū, iſti vice verſa cadendo proficiant,

proficiant. Sed proinde est quia in disciplinam fidelium positi sunt, sicut populi gentis Persarum. Virga enim furoris Dei sunt, & multoties cum indignatio eius aduersus fideles procedit, per eos flagellantur, vt afflictionib. emendati à seculi cupiditate & peccato semetipsos coerceant, & cælestis regni hæreditatem possideant. Adeo autem hæc gens horrida est, vt cum famem in bello fuerit passa, venam tangat equi, & sic excludat hausto sanguine famem.

Era † cccclxxxvii. anno vigesimo quinto imperii Theodosii Thurismundus filius Theuderedi post decessum patris prouehitur ad regnum anno vno. Qui dum in ipsis regni sui exordiis feralis ac noxii hostilia inspiraret & multa ageret insolenter à Theodorico & Frigdarico fratribus est occisus. cccclxxxvii

Era cccclxxxxi. anno secundo imperii Martiani Theudericus post fraternam necem in regno succedens imperauit annis † xiii. pro eo quod imperatori Auito sumendi imperialis fastigii cum Gallis auxilium præbuisset, ab Aquitania in Hispaniam cum ingenti multitudine exercitus, & cum licentia eiusdem Auiti imperatoris ingreditur anno regni quinto. Cui cum magna copia Rex Sueuorum Recciarius occurrens duodecimo ab Austuricensis vrbis milliario apud fluuium, qui Vrbicus appellatur, iniro mox certamine superatus est cæsis Sueuorum agminibus, aliquãtis captis, pluribusque fugatis. Ipse postremo Rex telo saucius fugit, præsidioque suorum carens ad locum Portucale capitur. Regi Theuderico viuus offertur. Quo perempto, multis qui de priori certamine superfuerant sese, tradentibus, aliquantis nihilominus trucidatis pro maiori parte destructum est, finitumque Sueuorum regnum. Reliqui autem Sueui, qui remanserant in extrema parte Galleciæ, Massilæ filium nomine Masdram sibi Regem constituunt, & in parte regnum reparatur Sueuorum. Occiso Recciario, Theudericus de Gallecia ad Lusitaniam victor succedens, dum Emeritensem vrbẽ deprædari moliretur, sanctæ martyris Eulaliæ ostentis perterritus, cum omni protinus exercitu discedit, & Gallias repetit. Mox deinde partem vnã exercitus duce Ceurila ad Bethicam prouinciam mittit: partem aliã sub Sigerico, & Nepotiano ducib. ad Galleciam dirigit, qui Sueuos apud Lucum sæua deprædatione vastauerunt. In Galliis autem Agrippinus Comes & ciuis Ægidio Comiti Romano æmulus, vt Gotthorum mereretur auxilia, Narbonam tradidit Theuderico. Post, aliquot legati à Remismundo Masdræ filio Rege Sueuorum missi, ad Theudericum venerunt, pacem amicitiamque poscentes. Similiter Theudericus ad Remismundum remittit cum armorum adiectione, vel munerum, directa etiam coniuge quam haberet. Sallanem quoque legatum denuo Theudericus mittit ad Remismundum. Qui reuersus ad Gallias Theudericum ab Eurico fratre suo reperit interfectum. xiiii

Era † dliii. anno imperii Leonis i ix. Euricus pari scelere quo frater successit in regnum annis decem & septem. In quo honore prouectus & crimine statim legatos pro amicitiis ad Leonem imperatorem dirigit. Nec mora partes Lusitaniæ magno impetu deprædatur. Exercitum inde alium mittit, qui capta inde Pampilona, & Cæsaraugusta missio exercitu, capit, superiorem quoque Hispaniam in potestatem submittit. Tarraconensis etiam prouinciæ ciuitates, quæ ei repugnauerant exercitus irruptione euertit. In Gallias autem reuersus Arelatum vrbem, & Massiliam bellando obtinuit, eoque regno vtrasque adiecit. Iste quodam die, congregatis in colloquio Gotthis, tela quæ omnes habebant in manibus à parte ferri vel acie, alia vitidi, alia roseo, alia croceo, alia nigro colore naturalem ferri speciem vidit aliquandiu habuisse mutatam. Sub hoc Rege Gotthi legum statuta in scriptis habere cæperunt. Nam antea tantum moribus & consuetudine tenebantur. Obiit Arelati Eurichs Rex morte propria defunctus. dvii

Era dxxi. imperii Zenonis octauo Eurico mortuo, Alaricus filius eius apud Tolosanam vrbem princeps Gotthorum constituitur regnans annis viginti tribus, aduersus quem † Fluduius Francorum princeps Galliæ regnum affectans, Burgundionibus simul auxiliantibus, bellum mouet, fusisque Gotthorum copiis ipsum postremo Regem apud Pictauium superatum interficit. Theudericus autem Italiæ Rex, dum interitum generi comperisset, confestim ab Italia proficiscitur, Francos proterit, patrem regni, quam manus hostium occupauerat, recepit, Gotthorum iuri restituit. Fludoico

Era † dxliiii. anno tertio decimo imperii Anastasii Gisaleicus superioris Regis filius ex concubina creatus, Narbonæ princeps efficitur regnans annos quatuor, sicut genere vilissimus, ita in felicitate & ignauia summus. Denique dum eidem dxxvi

ciuitas à Gundebado Burgundinorum Rege direpta fuisset, iste cum multo sui dedecore, & cum magna suorum clade apud Barcinonam se cōtulit, ibique moratus, quousque etiam regni fascibus à Theuderico fugæ ignominia priuaretur. Inde profectus ad Africam Vandalorum suffragium poscit, quo in regnum posset restitui. Qui dum non impetrasset auxilium, mox de Africa rediens ob metum Theuderici Aquitaniam petiit, ibique anno vno delitescens in Hispaniam reuertitur, atque à Theuderici Regis duce duodecimo à Barcinona vrbe milliario, commisso prælio superatus in fugam vertitur, captusque trans fluuium Druentium Galliarum interit, sicq; prius honorem postea vitam amisit.

DXLIX. Era † DXLVIII. anno decimo septimo imperii Anastasii Theudericus iunior cum iam dudum consul & Rex à Zenone imperatore Romæ creatus fuisset, peremptoque Odoacro Rege Ostrogotthorum, atque deuicto fratre eius Honoulfo, & trans confinia Danubii effugato decem & octo annis in Italia regnasset, rursus extincto Gisaleico Rege Gotthorum, Hispaniæ regnum quindecim annis obtinuit, quod superstiti Amalarico nepoti suo reliquit. Vxorem ex Toleto de prima Hispanorum origine duxit: cuius precibus omnes Hispanos libertate donauit: & ex ea filium nomine Seuerianum suscepit. In Italia & Hispania regnauit Theudericus annis quadraginta, Romæ etiam obtinens principatum. Deinde ab Hispania Italiam repetens aliquandiu omni cum prosperitate regnauit, per quem etiam vrbi Romæ dignitas non parua est restituta. Muros namque eius iste redintegrauit, cuius rei gratia à senatu inauratam statuam meruit.

DLXIIII. Era † DLXVIII. anno imperii Iustiniani primo regresso in Italiam Theuderico, & ibidem defuncto, Amalaricus nepos eius quinq; annis regnauit. Qui cum à Childeberto Francorum Rege apud Narbonam prælio superatus fuisset, ad Barcinonam trepidus fugit, effectusq; omnium contemptibilis ab exercitu iugulatus Narbonæ in foro interiit.

DLXIX. Era † DLXXIII. anno imperii Iustiniani sexto post Amalaricum Theudis in Hispania creatus in regnum annis decem & septem mensibus quinque, qui dum esset hæreticus, pacem tamen concessit ecclesiæ. Adeo vt licentiam catholicis episcopis daret, in vnum apud Toletanam vrbem conuenire, & quæcumque ad ecclesiæ disciplinam necessaria extiterunt libere licenterque disponere. Eo regnante dum Francorum Reges cum infinitis copiis in Hispaniam conuenissent, & Tarraconensem prouinciam bello depopularent, Gotthi duce Theudisclo obicibus Hispaniæ interclusis Francorū exercitum multa cum admiratione victoriæ prostrauerunt. Dux idem, prece atque ingēti pecunia sibi oblata, viā fugæ hostibus residuis vnius diei noctisq; spatio præbuit. Cætera infelicium turba cui transitus collati temporis non occurrit, Gotthorum percepta gladio concidit. Post tam felicis successum victoriæ trans fretum inconsulte Gotthi se gesserunt. Denique dum aduersus milites, qui Septem oppidum, pulsis Gotthis inuaserant, Oceani freta transissent, idemque castrum magna vi certaminis expugnarent: aduenientе die Dominico deposuerunt arma ne diem sacrum prælio funestarent. Hac igitur occasione reperta, milites repentino incursu aggressi exercitum mari vndique terraque conclusum, ignauum atque inermem adeo prostrauerunt, vt ne vnus quidem superesset, qui tantæ cladis excidium præteriret. Nec mora præuenit mors debita principem. Vulneratur enim à quōdam in palatio, qui iam dudum dementis speciem, vt Regem deciperet, simulauerat. Finxit enim arte insaniam, perfoditque principem, quo vulnere ille prostratus occubuit, & vi gladii indignantem animam exhalauit. Fertur autem inter effusionem sanguinis coniurasse ne quis interficeret percussorem dicens, se congruam meriti recepisse vicissitudinem, quod & ipse priuatus ducem suum † sollicitatus occiderat.

Saluatum

DLXXVI. Era † DLXXVIII. anno imperii Iustiniani vndecimo interempto Theudi Theudisclus superioris Principis dux Gotthis præficitur, regnans anno vno mensibus tribus, qui dum plurimorum potentum connubia prostitutione publica macularet, & ob hæc instrueret animum ad necem multorum, præuentus coniuratorum manu Hispali inter epulas iugulatur, confossusque gladio extinguitur. Hic filius extitit sororis Totilæ, qui post multas victorias, quas gessit in terra & in mari, se contra Deum & fidem catholicam erexit: & tam Romæ quam in tota Italia monachos & clericos, quoscumque potuit peruenire insatiabili crudelitate occidit. Superatus autem deinde dicio à Narsi catholico regno cum vita caruit.

DLXXXVII. Era † DLXXXII. imperii Iustiniani decimo quinto mortuo Theudisclo Agila

Rex

Rex constituitur regnans annis quinq. Iste aduersus Cordubensem vrbem prælium mouens, dum in contemptum catholicæ religionis beatissimi martyris Aciscli corpori iniuriam inferret, hostiumque ac iumentorum cruore sacrum sepulchri eius locum vt profanator pollueret, inito aduersus Cordubenses ciues certamine pœnas dignas sanctis inferentibus meruit. Nam belli præsentis vltione percussus & filium ibi cum copia exercitus interfectum amisit, & thesaurum omnem cum insignibus opibus perdidit. Ipse victus ac miserabili metu fugatus Emeritam se recepit. Aduersus quem interiecto aliquanto temporis spatio, Athanagildus tyrannidem regnandi cupiditate arripiens dum exercitum eius contra se Hispali missum virtute militari prostrasset: videntes Gothi proprio se euerti excidio, & magis metuentes ne Hispaniam milites Romani auxilii occasione inuaderent: Agilanem Emeritæ interficiunt, & Athanagildi sese regimini tradiderunt.

Era † DLXXXVII. anno imperii Iustiniani vigesimo occiso Agilane, Athanagildus DCII
regnum quod inuaserat tenuit annis quindecim. Hic cum iam dudum sumpta tyrannide, Agilanem regno priuare, conaretur, militum sibi auxilia ab imperatore Iustiniano popposcerat, quos postea submouere à finibus regni sui molitus non potuit. Aduersus quos huc vsque conflictum est. Frequentibus antea prœliis cæsi, nunc vero multis casibus fracti atque finiti. Fidem catholicam occulte tenuit: & Christianis valde benevolus fuit. Decessit autem Athanagildus Toleti propria morte vacante regno mensibus quinque.

Era DCII. anno imperii Iustiniani trigesimo quinto Athanagildo adhuc viuente Liuua Narbone Gothis præficitur, regnans in Galliis annis septem, & post in Hispania annis tribus. qui secundo anno postquam adeptus est principatum, Leuuigildum fratrem non solum successorem, sed & participem regni sibi constituit, Hispaniæque administrationi præfecit, ipse Galliæ regno contentus. Sicque regnum duos cepit, dum nulla potestas patiens consortis sit. † Vnus tantum annus in ordine temporum reputatur Liuuæ Regis, reliqui Leuuigildo fratri annumerantur. octo tantum anni

Era † DCX. anno imperii Iustini minoris quarto Leuuigildus regnũ obtinuit. Qui DCVI
cum primo Christianus haberetur, Theodosiam filiam Seueriani ducis Carthaginensis filii Regis Theuderici duxit vxorem: ex qua Ermegildum & Reccaredum filios suscepit, regnumque bello ampliare & augere opes studuit. Studio quippe eius exercitus concordante fauore victoriarum multa præclare sortitus est. Cantabros namque ille obtinuit. Aregiam iste suscepit. Sabaria quoque tota ab eo deuicta est. Cesserunt etiam armis illius plurimæ rebelles Hispaniæ vrbes. Fudit quoque diuerso prælio Iustini milites, quos Athanagildus ad auxilium euocauerat, & quædam castra ab eis occupata dimicando recepit. Ermegildum deinde filium imperio suo resistentem, quem Christiani Regem sibi præfecerant, obsessum Hispali dolo cepit. Postremum Sueuis bellum intulit, totam Galleciam subiugauit, regnumque eorum in iura gentis suæ mira celeritate transmisit. Hispania magna potitus ex parte: nam antea gens Gothorum angustis finibus arctabatur. Romanos milites apud Legionem bello extinxit: & ipsam eorum vrbem cepit, quam ex suo nomine Leonem nominauit. Sed offuscauit in eo error impietatis gloriam tantæ virtutis. Denique Arrianæ perfidiæ furore repletus in catholicos persecutione commota plurimos episcopos exilio relegauit, ecclesiarum redditus & priuilegia tulit. Beatum Ermegildum filium suum nefandis ritibus communicare nolentem diuersis tormentis prius excruciatum. Denique in vinculis positum dira securi interficere iussit: & dignum Deo martyrem illius feralis crudelitas consecrauit. Multos quoque terroribus in Arrianam pestilentiam impulit: plerosque sine persecutione verbis blandis terroribusque decepit. Inter cætera quoque hæresis suæ contagia, etiam rebaptizare catholicos compulit. Et non solum multos peruertit ex plebe, sed etiam ex sacerdotalis ordinis dignitate, sicut Vincentium Cæsaraugustanum de episcopo apostatam factum, & tanquam à cœlo in infernum proiectum. Extitit autem & quibusdam suorum pernicios⁹. Nam quoscumque nobilissimos ac potentissimos viros aut capite truncauit, aut opibus ablatis proscripsit, & proscriptos in exilium misit. Fiscum quoque primus Regum Gothorum iste locupletauit: primusque ærarium de rapinis ciuium hostiumque spoliis repleuit. Primus etiam inter suos regali veste opertus in solio resedit: nam ante eum & habitus & consensus communis vt populo ita & Regibus erat. Condidit etiam ciuitatem in Celtiberia: quam ex nomine filii sui Reccopolim nominauit. In legibus quoque ea quæ ab Eurico inconsulte constituta videbantur, correxit, plu-

rimas leges prætermissas adiiciens, pleraſque ſuperfluas auferens. Regnauit autem annis decem & octo: & defunctus eſt acerrima morte Toleti. Sed antequam moreretur, præcepit filio ſuo Reccaredo, vt beatum Leandrum Archiepiſcopum Hiſpalenſem ab exilio reuocaret, & eum audiret vt patrem, & in fide Chriſti cõfirmaretur. Tunc temporis Fulgentius Aſtigitanus epiſcopus in noſtro dogmate claruit.

DCXXIIII Era † DCXXVIII. anno imperii Mauritii quarto Leuuigildo defuncto filius eius Reccaredus, qui per Leandrum Archiepiſcopum Hiſpalenſem in fide catholica erat inſtructus, in regno eſt coronatus; cultu præditus religionis, & paternis moribus longe diſſimilis. Namque ille irreligioſus, & bello promptiſſimus, hic fide pius & pace præclarus. Ille armorum artibus gentis imperium dilatans, hic glorioſus pietate eandem gentem fidei trophæo ſublimans. In ipſis enim regni ſui exordiis catholicam fidem adeptus totius Gothicæ gentis populos inditi erroris labe deterſa, ad cultum rectę fidei reuocat. Synodum deinde epiſcoporum ad condemnationem Arrianæ hæreſis, de diuerſis Hiſpaniæ & Galliæ prouinciis congregat. Cui concilio idem religioſiſſimus princeps interfuit, geſtaque eius præſentia ſua & ſubſcriptione firmauit, abdicans cum omnibus ſuis perfidiam, quam huc vſque Gothorum populus Arrio docente didicerat, & prædicans trium perſonarum vnitatem in vno Deo. Filium à Patre conſubſtantialiter genitum eſſe. Spiritum ſanctum à Patre Filioque procedere, & eſſe amborum vnum ſpiritum, vnde & vnum ſunt. Interfuit tunc dignitate primas ille catholicus & orthodoxus Leander Hiſpalenſis Archiepiſcopus & Romanæ eccleſiæ legatus, ſanctitate & doctrina perſpicuus. Qui cum Arrianæ hæreſis feruorem tempore Leuuigildi ab Hiſpanis quondam confutare radicitus nequiſſet, pro confirmandis ſanctæ & immaculatæ Trinitatis capitulis ad Conſtantinopolitanum præſulum cœtum tranſmeauit. Ibi aderat beatus Gregorius doctrina & ſanctitate clariſſimus, tum Cardinalis vices Romani antiſtitis agens: cum quo ipſe Leander amicitiæ fœdus pepigit, & ab eo poſtulauit vt librum beati Iob ſibi exponeret: quod poſtea ille deuota mente compleuit. Leander vero poſtquam ad Hiſpanias rediit, Gothis prædicando ſuaſit: vt Patrem & Filium & Spiritum ſanctum trinum ſecundum perſonarum diſtinctionem, & vnum ſecundum naturæ diuinitatem Deum eſſe crederent. Illis credentibus prior dedit præcepta & eccleſiaſtica officia quibus frueretur. Ipſo namque tempore per eum Sueui vnda baptiſmatis loti Galleciam obtinent. Leander vero poſt multos labores, quos pro fide Chriſti pertulit, eccleſia pacem adepta ſpiritum cœlo reddidit. Doctor etiam eximius Gregorius Papa migrauit ad dominum. Egit præterea prædictus princeps bellum glorioſe aduerſus infeſtas gentes fidei ſuſcepto auxilio. Francorum enim fere ſexaginta millia armatorum, qui ad auxilium venerant hæreſis Arrianæ Gallias irruentibus, miſſo Claudio Emeritenſium duce proſtrauit: vnde glorioſo triumphauit euentu. Nunquam in Hiſpaniis Gothorum victoria ſimilis extitit. Proſtrata ſunt enim captaque multa millia hoſtium: reſidua vero exercitus pars præter ſpem in fugam verſa Gothis poſt tergum inſequentibus vſque in regni ſui finibus cæſa eſt. Hiſpaniæ & Galliæ regna tanta benignitate rexit, vt omnes illum patrem dulciſſimum acclamarent. Anno regni ſui ſexto Gothicas leges compendioſe fecit abbreuiari. Sæpe miſit exercitum contra Romanorum inſolentias: eiſdem quietis irruptionem in eorum vrbibus fecit. Tanta fuit gloria Gothis illo tempore, vt non viderentur bella tractare pugnando, ſed quaſi in palæſtra luſibus delectari: vbique enim perſiſtebant victores. Prudens & pius erat Princeps & prouincias quas parer bello conquiſiuit, iſte pace conſeruauit, æquitate diſpoſuit, moderamine rexit. Fuit enim placidus, mitis & egregiæ bonitatis: tantamque in vultu gratiam habuit, & tantam in animo benignitatem geſſit, vt omnium mentibus influens, etiam malos ad affectum amoris ſui attraheret, adeo liberalis, vt opes priuatorum, eccleſiarum prædia, quæ paterna labes fiſco aſſociauerat, cum augmento multiplici iuri proprio reſtauraret. Adeo clemens vt populi tributa ſæpe indulgentiæ largitione laxaret. Multos etiam ditauit rebus, plurimos ſublimauit honoribus. Antiquos Hiſpanos & Romanos ſibi ſubditos vna cum Gothis eiuſdem conditionis eſſe inſtituit, nulliuſque captiui Chriſtiani filium ingo ſeruitutis opprimi paſſus eſt. Opes ſuas in miſeris, theſauros in egenis recondens, ſciens ad hoc illi fuiſſe collatum regnum, vt eo ſalubriter frueretur. Bonis initiis & bonis mediis decoratus bonum finem adeptus eſt. Fidem enim rectæ gloriæ, quam initio regni

tio regni percepit, nouissime publica confessione pœnitentiæ cumulauit. Toleti fine pacifico transiit, qui regnauit annis quindecim.

Era † DCXLIII. anno imperii Mauritii decimo nono post Reccaredum Regem regnat Liuua filius eius annis duobus ignobili quidem matre progenitus, sed virtutum indole insignis. Quem in primo flore adolescentiæ Vuittericus sumpta tyrannide innocuum regno deiecit præcisaque dextra occidit anno ætatis suæ † vigesimo, regni secundo. DCXXVIII XVI

Era DCXLIIII. imperii Mauritii vigesimo extincto Liuuane Vuittericus regnum quod viuente illo inuaserat, vendicat annis septem, vir quidem strenuus in armorũ arte, sed tamen expers victoriæ. Namque aduersus militem Romanum prælium sæpe motus nihil satis glorioſe gessit præter quod milites quosdam Segonciæ per duces obtinuit. Hic in regno plurima illicita fecit, & hæresim Arrianam inducere tẽtauit. In morte autem quia gladio operatus fuerat, gladio periit. Mors quippe innocentis inulta in illo non fuit. Inter epulas enim prandii coniuratione quorundam est interfectus: & corpus eius viliter exportatum atque sepultum. Per idem tempus Romæ templum, quod ab antiquis Pantheon dicebatur, à glorioso Bonifacio Papa consecratur in honore omnium martyrum Christi.

Era † DCLI. anno Phocatis sexto Gũdemarus post Vuitterícum regnat annis duobus. Hic Vascones vna expeditione vastauit: alia militem Romanum obsedit. Morte propria Toleti decessit. DCXLVIII

Era † DCLIII. anno imperii Heraclii secundo Sisebutus post Gundemarum ad regale fastigium euocatur. Regnat annis octo mensibus sex. Qui initio regni Iudæos ad fidem Christianam permouens, æmulationem quidem habuit, sed non secundum scientiam: potestate enim compulit, quos prouocare fidei ratione oportuit. Sed sicut scriptum est siue per occasionem siue per veritatem Christus annuncietur. Fuit autem eloquio nitidus, sententia iustus, scientia litteratum magna ex parte imbutus, in bellicis quoque documentis promptus, victoriis clarus. Astures etiam rebellantes misso exercitu in ditionem suam reduxit. Rucones montibus arduis vndique conseptos per duces eiecit. De Romanis quoque præsens bis feliciter triumphauit: & quasdam eorum vrbes pugnando sibi subiecit. Adeo post victorias clemens fuit, vt multos ab exercitu suo hostili præda in seruitutem redactos pretio illorum dominis dato absolueret: eiusque thesauri redemptio existerent captiuorum. Ecclesiam sanctæ Leocadiæ Toleti præfatus princeps miro opere fundauit. Ipso tempore Mahomet ab Hispania turpiter fugatus, in Africa nequitiam nefariæ legis stultis populis prædicauit. Sisebutum autem alii proprio morbo, alii immoderato medicamenti hausto, alii veneno asserunt interfectum relicto Reccaredo filio paruulo: qui post patris obitum princeps paucorũ dierum morte interueniente habetur. Hic cum patre duobus annis regnauit. DCL

Era † DCLXI. Imperii Heraclii octauo glorioſissimus Suintila filius Reccaredi Regis glorioſi supra nominati gratia diuina regni susceptit sceptra, qui regnauit annis decem. Iste sub Rege Sisebuto in adolescentia ducis nactus officium Romana castra perdomuit. Rucones superauit. Postquam vero apicem fastigii regalis conscendit, vrbes reliquas quas in Hispaniis Romana manus detinebat, prælio conserto obtinuit: multisque triumphis gloriam præ cæteris Regibus felicitate mirabili reportauit. Totius Hispaniæ infra Oceani fretum monarchia regni primus idem potitus est, quod nulli retro principum est collatum. Auxit etiam virtutis eius titulum duorum patriciorũ obitus, quorum alterum prudentia suum fecit, alterum virtute belli sibi subiecit. Habuit quoq; & initio regni expeditionem contra incursus Vasconum Tarraconensem prouinciam infestantium: vbi adeo montiuagi populi terrore aduentus eius percussi sunt, vt confestim quasi debita iura cognoscentes, dimissis telis, expansis ad precem manibus, supplices & colla submitterent, obsides darent, Ologitim ciuitatem Gotthorum stipendiis suis & laboribus conderent, pollicentes eius regno ditioniq; parere & quidquid eis imperaretur efficere. Præter has militaris gloriæ laudes plurimæ in eo regiæ maiestatis virtutes fulsere, fides, prudentia, industria, in iudiciis examinatio. strenua in regendo regno cura, præcipua circa omnes munificentia largus, erga indigentes & inopes misericordia satis promptus. Ita vt non solum princeps populorum, sed etiam pater pauperum vocari sit dignus. Finc proprio Toleti decessit tempore imperatoris

Heraclii relictis duobus filiis Sisenando & Chindasuintho, quos de Theodora filia Sisebuti Regis susceperat. Computatis igitur Gothorum Regum temporibus ab exordio Athanarici Regis vsque ad quintum glorioſiſſimi Suintilæ principis annũ, regnum Gothorum per annos CCLVI. Deo fauente reperitur esse porrectum. Reliquum autem tempus soli Deo cognitum est: qui sibi arcana futurorum scienda seruauit.

EXPLICIT SECVNDVS LIBER CHRONICORVM BEATI Isidori episcopi.

LIBER TERTIVS.

INCIPIT continuatio Chronicorum beati Isidori Archiepiscopi Hispalensis per beatum Illefonsum Archiepiscopũ Toletanum composita. Quoniam præclarus doctor Isidorus ætates mundi & quorundam Imperatorum & Regum historias, ab exordio mundi vsque ad tempus Sisenandi Regis Gothorum docili compendio patefecit: nos à tempore quo ipse desiit, sumamus principium: ne præsentium heroum memoria à futurorum mentibus diluatur.

Era DCLXXI. anno imperii Heraclii decimo octauo post Suintilanum Regem Sisenandus regnat annis tribus. Iste Synoda episcoporum egit; patiens fuit, regulis Catholicis Orthodoxis stetit. Toleti finiuit vitam.

Era DCLXXIIII. anno imperii Heraclii vigesimo ptimo Chintilanus regnum accepit. Synoda plura Toleti cum episcopis egit: & subditum regnum in fide catholica firmauit. Regnauit annos quinque menses quatuor. Anno sexto regni Chintilani doctor & legislator Hispaniarum Isidorus stans in ecclesia, peracto sermone ad populum, & expandens manum ad cœlum, ac benedicens omnibus, Deo sibi hactenus tradi[tum] gregem commendans felicissimo somno obdormiuit in domino senio sanctissimo decoratus. Extitit quippe spiritu prophetiæ clarus, in eleemosynis largus, hospitalitate præcipuus, corde serenus, in sententia verax, in iudicio iustus, in prædicatione assiduus, in exhortatione lætus, in lucrandis Deo animabus studiosus, in expositione scripturarum cautus, in consilio prouidus, in habitu humilis, in mensa sobrius, in oratione deuotus, honestate præclarus, semper pro ecclesia ac veritatis defensione mori promptus, & in omni bonitate conspicuus. Præterea pater extitit clericorum, doctor & sustentator monachorum ac monialium, cõsolator mœrentium, tutamen pupillorum ac viduarum, leuamen oppressorum, defensor ciuium, attritor superborum, persecutor & malleus hæreticorum. Rexit archipræsulatum Hispalensis ecclesiæ quadraginta annis, diuersis fulgens miraculorum signis, primatiæ dignitate florens, & Romani Papæ in Hispaniis vices gerens. Sacerdotibus, Regibus & populis diuinas & humanas leges tradidit: & Romano antistiti humiliter obedire præcepit. Nolentibus obedire maledictionem intulit: & eos à fidelium consortio separauit. Multis librorum voluminibus Christi ecclesiam informauit & in pace quieuit era DCLXXX. Toletum ad Synodum episcopos conuocauit, & ore propheticò eis sui obitus diem & Hispaniis ventura prædixit.

Sidus honestatis, lux morum, sol probitatis
Hæc ait in Synodo Toleti vir sacer ille
Isidorus, per quem floruit alma fides.
Si seruaueritis quæ vobis præcipiuntur,
Seruabit Christus vos in amore suo,
Frumentum dabit ac oleum, dabit optima quæque,
Si pura mente complaceatis ei.
Si neglexeritis ea, non impune feretis,
Cum recte praua puniat acta Deus.
Inde cadent Gothi bellis & barbarus hostis
Vos premet innumera clade, timore, fame.
Tunc conuertimini, tunc crimina plangite vestra,

Et si

Et statim dominus auxiliator erit.
Gloria maior erit vobis: & gratia Christi
Extollet Gothos vberiore bono.

De gestis eius hæc inter Regum actus annotauimus, quia ipse de præclara Regum Gothorum stirpe, patre Seueriano Carthaginensi duce extitit procreatus. Post transitum autem eius mense vno Rex Catholicus Chintilianus Toleti decessit bono fine perfunctus. Successit beatissimo doctori Isidoro Theodiscius natione Græcus, varietate linguarum doctus, exterius locutione nitidus, interius autem, vt exitus demonstrauit, sub ouina pelle lupus voracissimus. Nam libros quosdam de naturis rerum & arte medicinæ, nec non & de arte notoria, quos pater Isidorus facundo stylo composuerat, & ne dum ad publicum venerant, in odium fidei corrupit resecans vera & inserens falsa: atque per quendam Arabum nomine Auicennam, de Latino in Arabicum transtulit. Hic in his & aliis pluribus infidelis inuentus, & erroneus in articulis fidei comprobatus, per Synodum ab Archiepiscopali dignitate degradatus est. Asserebat enim Dominum nostrum Iesum Christum cum Patre & Spiritu sancto non esse vnum Deum, sed potius adoptiuum. Hic vt dictum est, priuatus honore sacerdotii ad Arabes transiit: & sectæ pseudoprophetæ Mahometi adhæsit: & plura docuit detestanda sub imperatore Heraclio. Tunc temporis dignitas primatiæ translata est ad ecclesiam Toletanam.

Heraclius autem aduersus Cosdroam Regem Persarum gessit bellū anno imperii sui sexto, & Sisebuti Regis Gothorum sexto. Quo deuicto & occiso, ac Hierosolymam delata cruce domini, & viso Angelo super portas Hierusalem, inde ad propria reuersus est cum gaudio magno. Hoc tempore dedignantibus Orientis gentibus vectigalia & tributa reddere Romanis, cæperunt pro viribus rebellare. Tunc surrexit quidam iniquus concionator ortus in Arabia nomine Mahumet. Qui pessimus seductor videns inter Orientales & Romanos ortam discordiam, se cōtra Deum erexit: & Christianorum imperium, seductorie hortans genus Arabum atque dicens: Non debere alterius gentis dominio subiugari: quia dominus illis esset prouisurus, de suo genere ducem beneuolum concedendo, quem haberent, vt fratrem, cum quo etiam dominus loqueretur. Hæc & his similia cum prædicaret illis verbis suasoriis, & virtutes quasdam simulatas, & miracula artibus magicis facere videretur, extemplo Ismaelitæ sicut bruta animalia, quibus non est intellectus, paulatim de bono in malum mutati, derelicta fide catholica cæperunt ei credere: & eum in tanta veneratione habere, vt eū prophetam prædicarent à Deo missum, & sibi eligerent. Regem simulatis illius seducti miraculis & facundia decepti. Erat enim pulcher, facundus, & fortis, & magicis artibus valde imbutus. Iste Mahometus Sarracenorum & Arabum princeps, vt fertur, fuit de genere Ismael filii Abrahæ. Qui cum in adolescentia cæpisset esse mercator prouidus, pergebat frequenter cum camelis suis apud Ægyptum & Palæstinam, & morabatur cum Iudæis & Christianis, & maxime cum quodam monacho Antiocheno superstitionis amico, qui vocabatur Ioannes: à quo tam nouum quam vetus superficialiter & superstitiose didicit testamentum. Et cum hac illacque cum diuersis speciebus aromatum & diuitiarum causa lucri pergeret, contigit vt Corrozatam ingrederetur prouinciam. Cuius prouinciæ domina, quæ Cadiga vocabatur, vt vidit iuuenem, primo in illius pulchritudine & eloquentia mente capta cæpit diuersas species, quas secum Mahometa attulerat contemplari, & ei familiarius adhærere. Quam Mahomet caute incantationum suarum perstrinxit phantasmate: & astute paulatim cæpit docere in errorem, dicens ei quod ipse esset Messias quem venturum expectabant Iudæi. Auxiliabantur ei non solum Regina Cadiga quæ ab eo decepta erat, sed etiam multi Iudæorum qui ad eum de diuersis partibus concurrebant. Omnes etiam Ismaelitæ & Arabes cateruatim confluebant ad eum attoniti tanta nouitate rei. Quibus cæpit nouas leges fingere eisque tradere adhibens ipsis nefandis legibus de vtroque testamento corrupta testimonia. Ideo diuinæ paginæ auctoritates peruertit, vt tam Christianis quam Iudæis cum Sarracenis aditum præcluderet disputandi. Dedit etiam suis edictum, vt quicumque alia quam ea, quæ ab illo acceperant, prædicaret animaduersione gladii puniretur. Huius sacrilegas traditiones Sarraceni Dei leges appellant: eumque suum legislatorem & nuncium Dei fatentur. Præfata quoque Cadiga, cum videret illum Iudæorum & Sarracenorum pariter contubernio vilescere, existimabat in illo diuinam latere sapientiam: & cum esset vidua, accepit

eum ſibi maritum: & ipſe Mahumet nomen Regis aſſumpſit ſibi impoſito diademate regni. Cæpit deinde ſe in armis gerere ſtrenue, & Regis ac prophetæ ſibi nomen & inſignia vſurpare. Poſt hæc vero cæpit cadere frequenter caduco morbo & epileptica paſſione. Quod Regina Cadiga cernens admodum triſtabatur: eo quod nupſiſſet homini, quem credebat arreptione dæmonum laborare. Ille autem aſture leniendo decipiebat eam dicens: quia Angelum Domini Gabrielem mecum loquentem contemplor: & non ferens ſplendorem vultus eius, vtpote carnalis homo, deficio & cado. Hęc dicens quædam ſigna & miracula magicis artibus facere nitebatur. Veruntamen, vt fertur, Diabolus transfigurans ſe in angelum lucis, quædam ei prædicebat futura. Vnde eſt vt in exordio ſuæ ſubdolæ prædicationis adiret Hiſpaniam, & Cordubę ſuę perditionis ſectam doceret. Dicebat enim Ieſum Chriſtum Dominum de virgine eſſe natum, operatione Spiritus ſancti non tamen eſſe Deum. Quod cum beatiſſimo patri Iſidoro nunciatum fuiſſet, qui tunc reuertebatur à Romana curia, confeſtim miſit miniſtros, qui caperent eum. Sed Diabolus Mahumeto apparuit & quam citius fugeret imperauit. Mahumetus autem poſt fugam in Africam & Arabiam innumerabiles plebes ſeduxit: & regno adepto cum Iſmaelitis, qui credebant eum ab ore Gabrielis Archangeli leges quas ei tradebat recipere, Romanum imperium fortiter deuaſtabat.

Era DCLVI. Mahumetus cum exercitu ſuo partes Arabiæ, Syriam & Meſopotamiam hoſtiliter inuaſit, & tam ipſas quam vicinas patrias funeſta deprædatione occupauit. Quod cum nunciatum fuiſſet Theodoro fratri Heraclii, qui tunc præerat partibus Orientis, mox apud Gabatam cum magno exercitu obuiam illi præliaturus occurrit: vbi dum inter ſe acrius dimicaret, Theodorus interfectus eſt, & exercitus Chriſtianorum maxima pars occubuit diro gladio, & cæteri fuga lapſi ſunt. Tunc Agareni de Romanorum fuga validiores effecti audacius appetunt Syriam: & depopulantes patriam apud Damaſcum nobilem quondam Chriſtianorum vrbem ſibi regni ſolium firmauerunt: & dictis Mahumeti tribuebant fidem diuinam in eo latere potentiam aſſerentes. Mahumetus autem inter cætera nefanda quæ docuit, ſectam Nicolai aduenæ Antiocheni, qui vnus de ſeptem Apoſtolorum diaconis fuerat, iam per Apoſtolos emortuam ſuſcitauit: quam Dominus in Apocalypſi Angelo Epheſi eccleſiæ ſcribit, ſe odire dicens: Odiſti facta Nicolaitarum, quæ & ego odi. Decimo autem regni ſui anno, quia dixerat ſe moriturum & tertia die reſurrecturum, Albimor diſcipulus eius volens experiri, vtrum vere à morte reſurgeret, callide Mahumeto efficaciſſimum venenum obtulit: quo ſtatim repentina mutatione Mahumet mortis ſuæ terminum ſenſit. Vnde quibuſdam ſibi aſtantibus dixit, quod per aquam remiſſionem acciperent peccatorum, & ſtatim mortuus eſt. Diſcipuli vero eius diligenter cuſtodiebant corpus ipſius expectantes quod reſurgeret. Sed nimio erumpente fętore, cum iam ſuſtinere non poſſent, eis abſcedentibus Albimor poſt vndecimam diem repetit corpus eius à canibus dilaniatum: & diligenter colligens oſſa illius cum magno Sarracenorum conuentu ſepeliuit eum in Medina Ruphul quæ Latine ciuitas nuntii dicitur.

Era DCLXVI, anno Heraclii decimo ſeptimo poſt Mahumet, Abubacar de cognatione eius electus in Regem Arabes fortiter rexit per triennium. Poſt hunc Homer regnauit, qui multis prœliis triumphauit. Alexandriam ciuitatem metropolim ſuo imperio ſubiecit. Poſt multas victorias in mari & in terra ab ipſo factas, dum quadam die orationi vacaret, à quodam ſeruo ſuo ſagittatus interiit expletis in regno decem annis. Sicque error Sarracenorum exordium habuit, & de Romanis per diuerſas orbis partes multas obtinuerunt prouincias & victorias. Atque vt fertur, tantorum malorum cauſa Romanorum auaritia fuit: qui ſibi ſubditas nationes iugo ſeruitutis intolerabiliter opprimebant: vnde opportunitate male habita eorum dominium quam citius à ſuis ceruicibus excuſſerunt, ſe nefariis ritibus Mahumeti miſerabiliter implicantes. Hic enim fuit cauda draconis, de qua legitur in Apocalypſi quod deiecit de cœlo tertiam partem ſtellarum. Sed iam ad Reges Gotthorum vertatur ſtylus.

Era DCLXXX. anno imperii Heraclii vigeſimo ſexto poſt Chintilanum Regem Tulga regnat annis tribus. Iſte blandus & catholicus per omnia fuit. Regna ſibi ſubdita in pace dilatauit, in iudicio rectus, & largitate ac lenitate claruit. Synoda à ſuis deceſſoribus facta firmauit. Toleti deceſſit.

Era DCLXXXII. anno imperii iunioris Heraclii primo Chindaſuinthus regnauit ſolus

ſolus quatuor annis menſibus octo: poſtea vero cum filio ſuo Receſuintho annis aliis ſex regnauit & menſibus ſeptem. Iſte à Romano Papa obtinuit priuilegium, vt ſecundum beneplacitum pontificum Hiſpanorum, primatiæ dignitas eſſet Hiſpali, vel Toleti, & per multa ſynoda firmata cum epiſcopis erudiuit eccleſiam. Cuius tempore ab omni perturbatione quieuit Hiſpania, adeo vt nullus in ea infidelis reperiretur, vel qui rebellionis ſumeret arma. Libros ſanctorum patrum diligenter fecit perquiri, & inſtituta beati Iſidori firmiter obſeruari. Hic perfidum Theodiſclum Hiſpalenſem epiſcopum Synodalis ſententia exulauit: & dignitatem primatiæ tranſtulit ad eccleſiam Toletanam. Obiit Toleti.

Era DCLXXXVI. anno imperii Conſtantis filii Heraclii primo cum Chindaſuintho Receſuinthus filius eius regnauit annis ſex, & poſtea ſolus annis duodecim. Hic fidem catholicam in tantum dilexit, vt ſemper perquireret viros litteratos qui frequenter coram ipſo conferrent de articulis fidei. Delectabatur enim in diuinis ſcripturis: & altaria Chriſti auro, argento, gemmis, & ſericis ſummo ſtudio decorabat. Ter Synoda cum epiſcopi Toleti peregit: & leges à prædeceſſoribus ſuis editas firmauit, atq; quaſdam addidit omnino honeſtati conuenientes. Cunctos mire dilexit, & ab omnibus valde dilectus fuit. Erat enim adeo mitis & humilis, vt inter ſubditos, quaſi vnus ex illis videretur. In pace regnum ſibi ſubditum rexit: & in villa nomine Gerticos, quæ in monte Caurienſi ſita eſt, propria morte deceſſit ſub Imperatore Conſtantino. Huc vſque beatus ſcripſit Illefonſus Hiſpaniarum primas & Archiepiſcopus Toletanus: qui tempore dicti Regis Receſuinthi quaſi Lucifer inter ſidera, tam morum honeſtate quam ſignorum claritate fulſit in eccleſia Dei. Qui etiam donis cæleſtibus à perpetua virgine Dei genetrice Maria & Leocadia in præſenti vita meruit honorari.

Era DCCIIII. poſt Receſuinthum Bamba regnum Gothorum rexit nouem annis. Hic Toleti ea hora qua vnctus eſt in Regem cum quadam euaporatione viſa eſt apis, à cunctis qui aderant, ex capite eius exire & ad cœlos volare. Hoc ſignum factum eſt à Domino, vt futuras victorias nunciaret de inimicis per eum, & dulcedinem pacis, quam habuit erga ſuos. Aſtures enim & Vaſcones in finibus Cantabriæ crebro rebellantes edomuit, & ſuo imperio ſubiugauit. Ciuitatem quæ Cartua vocabatur, ampliauit: & eam Pampilonam quaſi Bambæ Lunam vocauit. Prouinciam quoque Galliæ, quæ Hiſpania citerior dicitur, ſibi rebellantem multis agminibus Francorum interemptis ſubiugauit: & Paulum perfidum Galliæ tyrannum cepit, eique oculos euellere præcepit, & ad vrbem Toletanam cum triumpho magno reuerſus, diſcordantes pontifices, eo quod alii aliorum parrochias inuadebant, ad concordiam ſtuduit reuocare. Fecit enim chronicas Regum priorum coram ſe legere, vt facilius poſſet terminos parrochiarum diuidere, ſicut antiquitas denotaret, & exigeret iuris cenſura, & iura propria quælibet eccleſia poſſideret, ſicut ſubiecta demonſtrat ſcriptura.

Primus Rex Vandalorum Gundericus regnauit in Galleciæ & Aſturiarum partibus annis decem & octo. Iſte ædificauit ciuitatem in Aſturiis quam vocauit Luceo ſiue Lucum. Quo mortuo frater eius Giſericus regnauit pro eo. Quo mortuo Hunericus regnauit pro eo. Quo mortuo Traſemundus regnauit pro eo. Quo mortuo Hildericus regnauit pro eo. Quo mortuo Gilimer ſub quo ceſſauit regnum Vandalorum, regnauit pro eo. Iſti omnes Lucenſem eccleſiam dotauerunt: quæ auctoritate Romana permanet libera & nunquam fuit ſubdita vlli metropoli. Teneat igitur dicta Lucus totas Aſturias per Pyrenæos montes & per flumen magnum Ouæ, & per totum littus maris Oceani vſque Viſcayam, per ſummum roſtrum, per ſummum Cabrium, per portas de ſancta Agatha, per Pozazalem, per Lumbam, de Folios, vna cum campo Erbolio, Gordon, Aluam vſque ad illam arborem de Quadros, per riuulum de Vmania, Lupam, Radabiam, Paredes, Flazianam, vſque ad Pyrenæos montes, Coianeam, Villam Queixidam per Coiamquillam, & Ventoſam, vſque ad flumen Vrbicum, in Gallecia Suarnam, Vallem longam, Veram flamoſam, totam Sarriam, Paramum vſque ad flumen Minæum, totam Lemos, Vmimzo & Veroſino, & Semiuiano & Froilano vſque ad flumen Silum, totam Luniam cum eccleſiis de Petraſo quæ ædificatæ ſunt, vel fuerunt inter Arnoium flumen & Silum à termino montis Baron & per aquam Zoræ vſque in fundum Arnoiæ, & per ipſum diſcurſum vſque flumen Minæum in Veza vſque Portellam Deuanati, & eccleſias de Salar inter Arnoiam & Silum cum eccleſiis de Barroſo, Caſtellam Cuſancam, Barbantes & Amon, Aſinam, Cambam, Auiancos: ſicut dictam eccleſiam Lucenſem Reges Vandali dotauerunt.

Post Vandalos cæperunt regnare Sueui: quorum primus fuit Rex Hermericus, quo mortuo Recchila regnauit pro eo. Quo mortuo Recciarius regnauit pro eo, quo
Masdra mortuo Frumarius regnauit pro eo, quo mortuo † Remismundus regnauit pro eo, quo mortuo Theodemundus regnauit pro eo. Rex iste catholicus fuit: & fecit celebrare concilium in Gallecia apud Lucensem vrbem. Interfuit huic concilio cum cæteris episcopis Galleciæ Adaulfus Legionensis episcopus ad subscriptam diuisionem roborandam: quæ fuit prima diuisio & facta est hoc modo.

Legio quam condiderunt Romanæ legiones, quæ antiquitus flos fuit vocata & per Romanum Papam gaudet perpetua libertate, & à nostris prædecessoribus extat sedes regia, atque alicui metropoli nunquam fuit subdita, teneat per suos terminos antiquos, per Pyrenæos montes & per Penam Vbeam vna cum media Leuaci, Ceruam, Petras nigras, Auiam vsque ad flumen Carrionem, per illam Sernam, per riuulum Sic-
Rubeam cum vsque ad Villam Ardecam. Per Ceresinos vsque in Castro Pepe, per villam † Mannam vsque in arborem de Quadros. Infra fines etiam Galleciæ tria castella, Turtures, Datineum, Cancellatam, & Nauiam, sicut eam dotauerunt Romani & Reges Sueuorum.

Metropolis Bracarensis teneat centum cellas Gotthis millia, Lameto Giliolis Adonestе, Aportis, Arlo, Carrandonis, Laubis, Ciliotro, Letunio Ceresis, Petroneo, Equisis, Adsaltu, item Pago, Pannonias, Latera, Bregancia, Astiatico, Turego, Armego, Merobrio, Berese, Palantusino Celo Senequino Vmio, familia regia de Egitaniensi rota Egitania, Mene, Cibio & Francos.

Ad sedem Portugalensem & in Castro nouo ecclesiæ quæ in vicino sunt, Villanoua, Betaonia, Vesea, Menturio Torebio, Banuaste, Pongoaste, Lunibo, Nescis, Napoli, Curmano, Magneto, Leboreto, Melga, Tongobia, Villa Gomedei, Taunasse. Item Paga, Lambrenton, Aliobo, Vallericia, Turlugo, Cepis & Mendolas, & Palencia sub vno viginti quinque.

Ad Lemegum ipsum Lamegum Tuencia, Amuca, Cantabriano, Omia & Caminus sub vno sex. Ad Conimbriense, ipsam Conimbriam, Suminio, Selio, Surbinie, insula, Astusiane & Portugale, Castrum antiquum, sub vno septem.

Ad Vesensem, ipsum Vesca, Rodomiro, Subinoncia, Suberbeno, Osania Ouelione, Tutela, Goleia, & Caliabria, qui apud Gotthos postea sedes fuit sub vno nouem.

Ad Iriam ipsam Iriam, teneat deinde vsque Cusanea, & de Caldas de Rege vsque in oram maris Oceani.

Ad Lucensem ipsa ciuitas cum adiacentia sua, cum Cauroquia, Seuies, Carabairos, Mote nigro, Parraga, Latra, Azuriana, Gogios, Tauada, Pogonti, Salauetera, Monteroso, Dorradeca, Goleam sub vno XIIII.

Ad Aurіensem Sedem, Vesugio, Biuiale, Teporos, Geursos, Pinera, Casauia, Vereganos, Sanabria, & Calabazas maiores sub vno decem.

Ad Astoricam sedem, ipsa Astorica, Legio, Superurbico, Berizo, Petra, Speranti, Tibris, Callellas, Murellos superiore & inferiore, Semure, Frigellos, & Besicos. Sub vno vndecim.

Ad Tudensem, ipsa Tude cum ecclesiis, quæ in vicino sunt, Torello, Tolobera, Ludo, Parre, id est, Paga, Agnoue, Sagirica, & Bilione, Cauda, Omia, & Cartasse. Sub vno quindecim.

Ad sedem Bretonicam ecclesiæ quæ in vicino sunt intra Britones, vna cum monasterio Maximi vsque in flumen Ouæ.

Rex Bamba vt supra scriptum est, diuisionibus Epantuum confirmatis, cæteras imperii sui sedes diuisit, sic dicens: Toletum metropolis, regia sedes, inter cæteros Hispaniæ quandiu huic sancto cœtui placuerit, metropolitanos, teneat primatiam. Oreto teneat de Galla vsque Ecigiam. De Petra vsq; Campaniam. Beacia teneat per terminos de Oreto, & de Meresa, & Acci. Meresa teneat de Ega vsque Securam, Belida vsq; Puligenam. Acci de Secura vsque Montana, de Archerel vsq; Caracoie. Basti teneat de Montana vsq; Gestam, de Rauca vsq; Rusicam, Vrgi teneat de Gesta vsque Carthaginem, de Gastri vsq; Mtdam. Bagastri teneat de Pugilla vsq; in Soloniam, de Secta vsque in Lumbam. Ilici teneat per terminos Bagastri, Setabi & Deniam. Setabis teneat de Custo vsq; ad Moletam. De Togola vsq; Vnitam. Denia teneat de Zoza vsque V-
Gul nitam, de Sylua vsque † Gil. Valentia teneat de Sylua vsq; Muretum de mari vsq; Valerianum. Valerianum teneat de Alpont vsq; in Tarabellam. De Firzerola vsq; Inner Secobrica de Tarabella vsque Obuiam, de Toga vsque Brecam. Ercabica teneat de

Alcon

Alcont vſque ad Obuiam, de Mora vſque Luſtram. Compluto de Alcont vſque ad Cortem. Segontia teneat de Corte vſque in Furcam, de Godol vſque in Pinnam. Oxoma teneat de Furca vſque Aslanzon quomodo currit Caminus ſancti Petri qui vadit ad ſanctum Iacobum. De Garrafe vſque Ermiras. Secobia teneat de Valle. De Alemeht vſque Mambellam. De Montel vſque Vaſadota. Palencia teneat de Mambella vſque Caltram, de Valbona, vſque Fortoſam. Hæ ſunt ſedes decem & nouem immediate ſubditæ Archiepiſcopo Toletano.

Sedes ſubditas Hiſpalenſi metropoli, quæ hactenus prima fuit, ſedes Hiſpaniarum diuidimus ſic. Italica teneat de Vlca vſque Bullam, de Aſa vſque Lamolam. Aſſidona teneat de Buſa vſque ad Semam, de Lateſa vſque viam latam. Elepa teneat de Sema vſque Daram, de Abiſa vſque Corteſam. Malaga teneat de Data vſque Meleoçam, de Tenna vſq; Sedes Campo. † Ilibetri teneat de Malaca vſque Sotellam, de Alonica vſque Sedile. Aſtigi teneat de Sotella vſque Parietem, de Lueca vſque Taucam. Corduba teneat de Pariete vſque Vberam, de Galla vſque Ronam. Egabro teneat de Vbera vſque † Malam Saiam, de Garta vſq; Suetam. Tucci teneat de Mala Saia vſque Abalagar, de Gigera vſque Calonam. Hæ ſunt nouem ſedes epiſcopales immediate ſubditæ Archiepiſcopo Hiſpalenſi prouinciæ Beticæ. *Ilibetri* *Mala Saxa*

Sedes Emeritenſis metropolis diuidimus ſic. Pace teneat de Balagar vſque Artam, de Olla vſque Mataual. Vlisbona teneat de Arta vſque Ambiam, de Olla vſque Matar. Elbora teneat de Sotebra vſque Petram de Rutella vſque Paratam. Oxonoba teneat de Ambia vſque Sallam, de ipſa vſque Turrem. Egitania teneat de Sala vſque Nauam, de Sena vſque Mauriellam. Conimbria teneat de Naua vſque Borgam. Viſeum teneat de Borga vſque Sortam, de Bonella vſque Ventoſam. Lamecum teneat de Sorta vſque Petram, de Tara vſque Ortoſam. Caliabria teneat de Sorta vſque Albenam, de Soro vſque Earam. Salamantica teneat de Albena vſque Sotobiam, de Ruſa vſque Siberam. Numancia, quam noſtrates Gotthi poſtea vocauerunt Zemoram, teneat per Pennam Goſendi vſque ad Tormem, ſuper illos balneos de Valle de Rege vſque ad Dorium de Vilalalle vſque ad Oterum de Fumus, ſecus riuulum Siccum, vſq; Breto, de Tauara vſque Dorium. Abula teneat de Petra vſque Villam, de Maſeo vſq; Terrero. Cauria teneat de Villa vſque Tagum, de Aſar vſq; Pumar. Hæ ſunt ſedes tredecim immediate ſubditæ Archiepiſcopo Emeritenſi prouinciæ Luſitaniæ.

Legio ciuitas ſacerdotalis & regia, & Lucus quam Vandali ædificauerunt in Aſturiis, teneant per ſuos terminos antiquos, ſicut eis diuiſit Theodemirus Rex Sueuorum, & nulli vnquam ſubdantur Archiepiſcopo vel Primati. Sedes etiam Portugaliæ permaneant in ſua diuiſione ſicut eis diuiſit Rex Theodemirus cum his quæ nos eis adiecimus.

Sedes Bracarenſis metropolis, ſicut eis ordinauit Rex Theodemirus, ita eas permanere mandamus & hos terminos eis ſuperponimus. Dumio teneat de Duria vſque Albiam, de Rumeca vſque ad Aram. Portugale teneat de Lobia vſque Loſolam, de Olmos vſque Solam. Calcidonia quam Sueui vocauerunt Tudam, teneat de Toloſa vſque Lagunam, de Monte albo vſque Fetoſam. Auria teneat de Cuſanea vſque Silam, de Vezeganos vſque Calabazas maiores. Iria teneat de Iſſum vſq; Cuſancam, de Caldas de Rege vſque in oram maris Oceani. Lugo teneat de Laguna vſque Boſam, de Monte Soto vſque Quintanam. Britonia teneat de Buſa vſq; Torrentes, de Occoba vſque Tobellam & vſq; Ouem. Rama quam Vandali vocauerunt Aſtoricam teneat de Tarrentes vſq; Samoiam, de Homania vſq; ad montem Gerod. Hæ ſunt octo ſedes epiſcopales immediate ſubditæ Archiepiſcopo Bracarenſi prouinciæ Galleciæ.

Poſt hęc diuiſit Rex Bamba ſedes Terraconæ metropolis. Terragona metropolis teneat inſulas Baleares, Maioricam ſcilicet, & Minoricam, & Formenteram, & Vetericam. Barcinona teneat de Minoniam vſque Pagellam, de Vſa vſque Bordel. Exata de Bordel vſque Palladam, de Monteſa vſque Portellam. Gerunda teneat de Pallada vſque Inſtamant, de Aloſa vſque Impurias. Impurias teneat de Inſtamant vſque Btecam, de Ventoſa vſque Gilbam. Auſona teneat de Borca vſque Auratam, de Bulga vſque Menticim. Vrgello teneat de Auratam vſque Vaſanam, de Muſana vſque Valam. Lerita teneat de Vaſona vſque Fontem Salam, de Loram vſque Matham. Hictoſa teneat de Fonte Salam vſque Porrellam, de Morale vſque Tormam. Tortoſa teneat de Porrella vſque Damam, de Termoga vſque Cathenam. Cæſaraugusta teneat de Mania vſque Splanam, de Ribas montes vſque Gordollo. Oſca de Splana teneat vſque Cobello vſque Muſtellam, de Lotica vſque Tallam, de Mu-

ſtella teneat vſque Nampiam, de Sparga vſque Oſtaual. Calaforra teneat de Mampia vſque Spargam, de Muſtela vſque Lacalam. Tiraſona de Sparſa vſque Platenam, de Altomonte vſque Milloſam. Auca teneat de Plarena vſque ad Maiam, de Villainferno vſque Pedemoram. Hæ ſunt ſedes quindecim immediate ſubditæ Archiepiſcopo Terragonæ prouinciæ Terraconenſis.

Diuiſio autem ſedium Narbonenſis metropolis hæc eſt. Beterris teneat de Scalath vſque Barcinonam, de Macay vſque Riboforã. Agathe teneat de Ruſa vſque Riberam, de Gallar vſque Nurlam. Magalona teneat de Nurla vſque Ribogar, de Caſtello vſque Sambiam. Lareua teneat de Sambia vſque Ribanal, de Anges vſque Montem Rufum, Carcaſſona teneat de Monte Rufo vſque Angeram, de Angoſa vſque Montanam. Elna teneat de Angera vſque Roſmalam, de Latorſa vſque Lamaſam. Hæ ſunt octo ſedes immediate ſubditæ Archiepiſcopo Narbonenſi prouinciæ Galliæ, vel Hiſpaniæ quæ citerior dicitur. Et ſiunt ſedes harum duarum Hiſpaniarum octoginta ſub dominio Gotthorum tam Archiepiſcopales quam epiſcopales, per quas nobis miniſtratur verbum Dei, qui à Romano Papa accipiunt communionem catholicæ veritatis, vt in fide Chriſti ſecundum traditionem & doctrinam ſanctorum patrum animas ſibi commiſſas valeant gubernare. Hæc igitur noſtra diuiſio quæ de aſſenſu omnium archiepiſcoporum & epiſcoporum dictarum ſedium auctore Deo facta eſt, firma permaneat in æternum.

Hæc omnia ſupraſcripta legit glorioſus Rex Bamba in concilio Toletano: vbi omnes Archiepiſcopi & epiſcopi Hiſpaniarum conuenerunt. Quæ ſubſcriptione omnium confirmata ſunt. Quirico Toletano Archiepiſcopo & primatiæ dignitate & fide catholica conſiſtente: ſtatutum eſt præterea in dicto concilio, vt omnes clerici viuerent ſecundum regulam ſanctiſſimi patris Iſidori, prout continetur in libro eiuſdem de honeſtate clericorum. Et quicumque Archiepiſcopus, Epiſcopus, Abbas clauſtralis clericus, vel ſæcularis pro dignitate vel ordine, aut aliquo eccleſiaſtico beneficio munera daret Regi, ſiue alicui aliæ perſonæ, illum excommunicatione perpetui anathematis innodarunt.

Hæ ſunt ciuitates & oppida quorum nomina antiquitas, vel Sarraceni mutauerunt. Quæ ne generent ambiguitatem legentibus vniuſcuiuſque ciuitatis, vel oppidi nomen pro parte memoremus. Hiſpalis, id eſt Iulia Romula, Sibilia, Aſſidonia, id
Eliberri eſt Sidonia, † Illiberri, id eſt Granata. Altigi, id eſt Belſa. Egabro, id eſt Cabra. Auccis id eſt, Xarez. Pace, id eſt, Badajos, Oxonoua, id eſt, Seduma. Egitania, id eſt, Lucenia. Caliabria, id eſt, Montages. Ferrezola, id eſt, Toletum. Oreto, id eſt, Calatraua. Menteſa, id eſt, Iaen. Acci, id eſt, Guadiez. Vrgi, id eſt, Almaria. Ilici, id eſt, Berga. Setabis, Xatiua. Compluto, id eſt, Guadalfaiara. Alcala etiam quondam Compluto vocabatur. Elbora, id eſt, Talauera. eſt in Portugalia ciuitas quæ dicitur Ebora. Vrſaria, id eſt, Madrit. Numancia, id eſt, Zemora. Moriana, id eſt, Caſtrum Taraph. Campus Gotthorum, id eſt, Taurus. Flos, Legio, Leo. Coranca, id eſt, Valencia. Malgrat, id eſt,
Murueterum Benauentum. † Duruetrũ, id eſt, Saluaterra. Rama, id eſt, Aſtorica. Ariſcoma, id eſt, Mindonedo. Domnos ſanctos, id eſt, Sanctus Facundus. Calcidonia, id eſt, Tuda. Epiſcopatus Lucenſis in Aſturiis translatus eſt ad Ouetum, & dicitur Ouetenſis. Epiſcopatus Aucenſis translatus eſt Burgis, & dicitur Burgenſis. Quem eccleſia Romana ſicut Legionenſem, vel Ouetenſem donauit perpetuæ libertati. Campus ſtellæ, id eſt, ſan-
Carina ctus Iacobus: ad cuius eccleſiam translatus eſt Archiepiſcopatus Emeritenſis. † Martua, id eſt, Pampilona. Tritio, id eſt, Naiera.

HIC INCIPIT IVLIANVS EPISCOPVS Toletanus.

SOLET virtutis eſſe animorum incitamentum triumphorum pulchra relatio animoſque nobilium ad virtutis attollere ſignum, quidquid gloriæ de præteritis fuerit prædicatum. Habet enim humani moris natura pigrum quendam internæ virtutis affectum: vnde contingit quod non tam citatior ad virtutes, quam ad vitia proclinior reperitur. Et niſi iugi exemplorum vtilium inſtructa fuerit prouocatione aſſidua, frigida remanet & torpeſcit. Hac de re vt timidis & pigris mederi poſſit, relationem præteritæ rei noſtris temporibus geſtam inducimus: per quam ad virtutem ſubſequentia ſecula prouocemus. Affuit in diebus noſtris Bamba princeps clariſſimus de regali ſanguine ortus, quem digne principari dominus voluit, quem ſacra vnctio

decora-

decorauit, quem totius gentis & patriæ communio elegit, quem populorum amabilitas exquisiuit: qui ante regni fastigia multorum relationibus præconio celebri prædicatur. Antequam regnaret, dum decedentis Recceſuinthi Regis morte exequiale funus ſolueret, inter ipſa elemẽta in vnam omnes concordiam verſi, vno affectu pariter prouocati illum ſe deſiderio habere principem clamant. Illum nec alium in Gothis poſſe principari vnitis vocibus intonant: & cæteruatim ſuis pedibus obuoluti, vt regimen regni ſuſcipiat, inſtant cum lachrymis poſtulantes. At ille cuius mentem fortitudo firmauerat, nec lachrymis cedit, nec precibus vincitur, nec voto flectitur populorum, modo ſe non ſuffecturum tot ruinis imminentibus clamans modo ſenio confectum ſeſe pronuncians. Cui acriter reluctanti vnus ex officio ducum audacter in medium proſiliit: & minaci contra eum vultu educto gladio proſpiciens dixit: Niſi conſenſurum te nobis promittas, gladii huius mucrone modo truncandum te ſcias: nec hinc tandiu exibimus, quãdiu aut expeditio noſtra te Regẽ accipiat, aut contradictionẽ cruẽtus hic hodie caſus mortis abſorbeat. Quorum non tam precibus ſuperatus, quam minis tandem ceſſit: regnumque ſuſcipiens ad ſuam omnes pacem recepit. Et tamen ne citra locum ſacræ ſedis Toletanę regni ſacram ſuſciperet vnctionem, diſtulit vſquẽ ad nonam decimam diem, ne videretur ambitione vſurpaſſe, vel furatum eſſe regni gloriam, ſed potius ſignum tanti culminis à domino percepiſſe. Gerebantur enim iſta in villa, cui antiquitas Gerticos nomen dedit: quæ fere centum viginti milliariis ab vrbe regia diſtans in Salamanticenſi territorio ſita eſt. Ibi enim vno eodemque die, ſcilicet in Kalendis Septembris, & decedentis Regis vitalis terminus fuit, & dicti viri electio ſubſecuta. Poſtquam autem Toletanam vrbem ingreditur, & ventum eſt, quo ſanctæ vnctionis ſuſciperet ſignum, regio iam cultu conſpicuus, ante altare diuinum conſiſtẽs, ex more catholicam fidem profeſſus cum ſacramento iurandi fidem populis reddidit, & mores bonos prædeceſſorum Regum atque leges firmauit. Deinde curuatis genibus oleum benedictionis per ſacri primatis & Pontificis Quirici manus vertici eius refunditur, & benedictionis copia exhibetur. Vbi hoc ſtatim emicuit mirabile ſignum: nam mox è vertice ipſo, vbi oleum ſanctum perfuſum fuerat, euaporatio quædam fumo ſimilis in modum columnæ ſeſe erexit: & ex capite ipſo apis viſa eſt proſiliſſe, & aeris alta petiiſſe: quæ vtique ſignum fuit ſecuturæ felicitatis. Poſt hæc quam glorioſe regnum rexerit non eſt noſtræ diſſerere valetudinis.

Conſiſtente igitur in quiete pacifica regno, Galliarum terra euerſionis ſuæ nutriuit decipulam. Etenim ſubito in ea vnus turbo infidelitatis aſſurgit: & conſenſio perfidiæ per vnum ad plurimos tranſit: atque rebellio contra Regem & patriam agitatur. Huius enim caput tyrannidis Hildericum eſſe, ſui criminis infamia refert. Qui Nemauſenſis vrbis curam ſub comitali præſidio gerens, non ſolum nomen ſed titulum & opus ſibimet infidelitatis aſſumpſit, adiungens etiam ſibi prauitatis ſuæ ſocios Gumildum Magalonenſis ſedis deteſtandum antiſtitem & Ramirum Abbatem: quorum fauore in patriam Iudæorum gentem perfidam euocauit contra conſtituta regni Gothorum. Huius igitur criminis caput Hildericus, cum per diuerſos ignem ſuæ infidelitatis accenderet, Nemauſenſis vrbis epiſcopum vitæ beatæ Aregium ad perfidiam notam trahere nitebatur. Quem, caſto ore, conſtantique corde repugnare ſuis conſiliis cernens, loci dignitate priuatum, pondere vinculorum onuſtum, in Franciæ finibus Francorum manibus tradidit illudendum: deinde in ſublati pontificis locum ſuæ perfidiæ ſocium Ramirum Abbatem intruſit epiſcopum. In cuius electione nullus ordo attenditur, nulla principis vel metropolitani definitio præſtolatur: ſed erecto ſuperbiæ faſtu, contra interdicta maiorum à duobus tantum pſeudoepiſcopis ordinatur. Peracto tempore temeritatis prouentu Hildericus, Gumildus, atque Ramirus terminos ſibimet ſuæ coniurationis ſtatuunt, & à loco vbi vocabulum dicitur mons Cameli, vſque in Nemauſum terram Galliæ diuidunt, ſuetæ coniurationi aſſociant. Ab infidelitate fidelitas ſuperatur. Collecta deinde manu ciues depopulantur, labores exterminant, opes exhauriunt, & totam prouinciam Galliæ deprædantur. Cucurrit hæc fama ad principem Bambanem, qui mox ad extinguendum ſeditioſorum nomẽ, exercitum per manum Pauli ducis, qui erat de Græcorum nobili nationẽ, in Gallias deſtinauit. Qui Paulus tepide cum exercitu gradiens à bello abſtinuit: & ſtudio quo valuit animos militum ab eo quo ardebant præliandi fu-
ore ſubmouit: & promiſſam religioſo principi fidẽ omnimode violauit. Egit hoc arca-
no quodam cõſilio, vt ad affectatum perueniret faſtigiũ, allectis ſibi perfidiæ ſuæ ſociis

Ranosindo Tarraconensis prouinciæ duce, & Hildigiso sub Gardingarus adhuc officio consistēte. Quod vorum peruersi sui desiderii incredibili efficere celeritate intendens, collectis vndique populis simulate se pugnaturum contra seditiosos enunciat. Quod vir vitæ venerabilis Argebaudus Narbonensis antistes subtilissima quorundam relatione vt comperit, aditum illi ciuitatis intercludere nisus est. Sed nec ista opinio latuit Paulum: vnde priusquam Argebaudus quod cogitauerat, effectibus manciparet subito propero cursu Paulus cum exercitu Narbonensem vrbem ingrediēs, portas ciuitatis sub suorum armatorum præsidio obseruari præcepit. Vbi dum circumfusa omnis exercitus multitudo collecta est, vipereum caput perfidiæ cum quibusdam sociis suis Paulus ipse medio astitit obiurgans prius episcopum, cur illi ciuitatis aditum intercludere niteretur. Post hæc tyrannidis suæ consilium proditur, & diuerso fraudis argumento fidem populorum degenerans ad irrogandas iam sancto Bambæ Regi iniurias animos singulorum inflammat. Iurat principio ipse Paulus se nullo modo illum Regem posse habere, nec in eius consistere vlterius famulatu: & etiam addidit dicēs. Caput regiminis ex vobis ipsis eligite, cui omnis multitudo cedat, & qui in vobis appareat deuote & humilitet principari. Cui vnus ex coniuratis maligni ipsius consilii socius Ranosindus applaudens Paulum sibi Regem designat, Paulum sibi nec alterum populis Regem futurum exoptat. Ad hæc cæteri coniurationis consciī Paulum Regem acclamant, & totius populi animos ad sua vota inclinant. At vbi idem Paulus sui consilii accelerationem inspexit, consensum illico propriæ voluntatis adhibuit: & iam re sibi omnes coegit. Post hæc Paulus regnum arripuit: & nefaria temeritate coniuratorum cateruam illam, quam armorum virtute non cepit, opere perfidię ad se traxit. Nam Hildericum Comitem, & Gumildum atq; Ramitum pseudoepiscopo absq; difficultate suæ perfidiæ sociauit: & tota prouincia Galliæ subito in coniurationis arma concurrit. Nec solum Gallia sed & pars Tarraconēsis prouinciæ coturnum rebellionis attentat. Fit tota Gallia repēte conciliabulum perfidorum, parata mori pro defensione perfidæ prauitatis. Paulus autem dum iniquitatis suæ socios multiplicatos numero laboraret efficere, datis promissisque multis muneribus Francorum Vasconumque nimiam multitudinem in sui auxilium congregauit, & expectabat tempus opportunum, quo posset in Hispaniam pugnaturus accedere, præreptumque regni fastigium vendicare.

Cum hæc in Galliis agerentur, gloriosus Rex Bamba Vascones rebellantes debellaturus aggrediens in partibus Cantabriæ morabatur. Vbi dum de iis quæ in Galliis gerebantur, nuncium celerem recepisset, mox negotium primatibus palatii innotuit pertractandum: vtrum possent exinde in Gallias pugnaturi accedere an reuertentes ad propria, & collectis vndique viribus, cum multiplici exercitu itineris tam longinqui arriperent commeatum. In quo bicipiti consilio nutantes multos princeps aspiciens, ac omnes admonitione alloquitur dicens: Ecce iuuenes exortum malum audistis & quo se munimine incentor seditionis huius armauerit agnouistis. Præuenire ergo hostem necesse est, vt ante præueniatur bello, quam in suo crescat incendio. Turpe est talibus dimicaturi in occursum non ire: aut domos nostras priusquam intereant repedare. Ignominiosum nobis videri debet, vt Paulus patria proditor, qui rebelles nostros non potuit armis subiicere, tantæ gloriæ viris audeat repugnare. Et qui abiectissimam & imbellem gentem deuincere non valuit pro quisere patriæ, Gotthorum militiæ hostem audeat se præbere. Quasi effæminatos & molles nos vsquequaque diiudicans, qui vtique nullis viribus, nullis armis, nullisque consiliis eius tyrannidi resistere valeamus. Reuera animositatem & virtutem Gothicæ gentis bellorum triumphis à seculo orbis expertus est vniuersis. & quæ erit perituro illi virtus, etsi Francorum viribus nobiscum decertando confligat? vtique notissima eorum nobis neque incerta est pugna, sæpius enim à Gothis contra hostes, defensionis auxilium magnis precibus impetrarunt. Igitur turpe sit vobis eorum acies vel ad horam expauescere: quorum nostis infirmiorem semper esse virtutem. Et siue Galli siue Franci sint, tantæ coniurationis vindicandum sentiant facinus: quia armis vltricibus gloriæ nostræ nomen vendicare debemus. Tamen non cum fœminis sed cum viris vobis certandum est, quanquam notissimum maneat, nec Francos Gothis aliquando posse resistere nec Gallos aliquid sine illis virtutis perficere. Quod si alimentorum seu vehiculorum necessitatem apponitis, scitote quia gloriosius est triumphum in necessitatibus conquisisse, quam in abundantia bella exquisita conficere. Augustius enim semper est, quod plus tolerantia quam suffectu rei nobilitat. Exurgit etiam ad victoriæ signum nomen disperditum perfidorum. Gal-

lorum

lorum ingratuitas vestrum inflammet animum, quia Franci illos semper seruitute miserabili oppresserunt, quos Gothi dederunt bellicis gladiis nobilissimę libertati. Dum ergo calor est animi nulla debet esse remoratio properandi. Dum ira animos vrget, nulla nos debet retardatio impedire. Quin potius si fieri posset sine intermissione proficiscendi susceptum iter aggredi, multo facilius poterimus hostium nostrorum castra subuertere. Nam vt quidam sapiens ait: Ira præsens valet, dilata langueſcit. Et illud: Nocuit differre paratis. Non igitur opus est retro vertimilitem, quoniam impiger accessus belligerandi facit esse victorem. Adhuc ergo Vasconibus cladem illaturi accedamus. Deinde ad seditiosorum nomen extinguendum protinus festinemus.

Cum hæc perorarer Bamba Rex prudentissimus inualescunt animi omnium & ardenter exoptant fieri, quod iubentur, & statim omnis exercitus Vasconiæ partes ingreditur: vbi per septem dies vsquequaque per patentes campos deprædatio & hostilitas castrorum domorumq; incensio tam valide acta est, vt Vascones feritate deposita viram sibi dari, datis obsidibus pacemq; largiri, non tam precibus quam muneribus exoptarent. Vnde acceptis obsidibus tributisq; solitis, & pace composita directo itinere in Gallias profecturi accedunt per Calafurram & Oscam transitum facientes. Post hæc Rex Bamba in tres turmas exercitum diuidit, ita vt vna pars ad castrum Libiæ q; est Aquitaniæ caput tenderet. Secunda per Ausonensem ciuitatem Pyrenæi media peteret. Tertia vero per viam publicam iuxta ora maritima graderetur. Ipse etiam religiosus princeps cum multiplici bellantium manu subsequebatur. Sed quia insolens quorundam ex nostris motio non solum prædæ inhiabat, sed etiam cum incēsione domorum adulterii facinus perpetrabat, tanto disciplinæ vigore iam dictis princeps de his & quibusdam aliis vitiis scelus vindicabat nequiter perpetratum, vt grauiora in iis supplicia illum putares impendere, quam si hostiliter contra illum egissent. Testantur hæc ab illis adulteris abscissa membra virilia, quibus pro fornicatione hanc vltionis irrogabat iacturam. Dicebat enim. Ecce iam iudicium imminet belli & libet fornicari vt Deus ad iracundiam prouocetur. Vt credo ad examen pugnæ acceditis, videte ne in vestris sordibus pereatis. Nam ego si ista non vindico, iam ligatus inuado. Ad hæc ergo vadam, vt iusto Dei iudicio capiar, si iniquitatem populi videns ipsam nō puniam. Frustra enim pergit ad bellum vt vincat quem iniquitas comitatur. Exemplum vobis præbere debet, quod Heli sacerdos ille in diuinis litteris eruditus, qui pro sceleribus neglexit filios increpare: & ideo illos in bello didicit concidisse: ipse quoque filiosq; sequens fractis cetuicibus expirauit. Hæc igitur nobis timenda sunt, & ideo si purgati maneamus à crimine, non erit dubium quod triumphum capiamus ex hoste. Subiit, vt præmissum est, disciplina princeps Bamba exercitum gloriose perducens, mores singulorum sub diuinis tenens regulis, prosperari sibi videbat per incrementa dierum dispositum belli & victoriam præliandi. Sicut enim erat regali Gothico clarissimus genere, sic erat magnanimus mente, sic & abundans scientia litterali. Itaque prima ex rebellione omnium ciuitatum Barcinona in potestate principis religiosi adducitur, deinde Gerunda subiicitur. Huius ciuitatis venerabili viro Amatori episcopo Paulus pestifer sub isto sensu miserat epistolam scriptam. Audiui quod Bamba Rex cum exercitu ad nos venire disponat. Sed cor tuum non turbetur, nec enim hæc fieri puto. Et tamen quem primum de nobis ambobus tua sanctitas cum exercitu viderit accedentem, ipsum se credat habere dominum, & in eius debeat persistere charitate. Hæc miser scripsit nescíens, quod iustum contra se iudicium protulit. Vnde horum scriptorum verba Rex Bamba sapienter coniiciens dixit. Non in his scriptis Paulus à semetipso locutus est, sed licet ignoranter, tamen illud censeo prophetasse. Egressus igitur post hæc princeps de ciuitate Gerunda belligerosis incursibus gradiens ad Pyrenæi montis iuga peruenit, vbi duobus diebus exercitu repausato, per tres diuisiones vt dictum est, exercitus Pyrenæi montis dorsa adiuit, & castra Pyrenaica quæ vocantur Caucolibeum, Vulturariam & Libiam mirabili victoriæ triumpho cepit, atque perdomuit, multam copiam in his castris auri & argenti reperit, quæ copiosis exercitibus in præda cessit. Excusserat manus suas ab omni munere, vnde præliantium animos accendebat ad victoriam obtinendam. Castrum etiam quod vocatur Clausuras, missis ante se exercitibus per duces duos facta irruptione cepit: ibique Ranosindum Hildigiam cum cætero agmine perfidorum, qui ad defensionem castri conuenerant, exercitus capit, atq; deuinctis post tergū manibus eos principi repræsentat. Vuitimirus vnus ex coniuratis, qui se in Sordoniam clauserat, nostros irrupisse persentiens statim fugit, & tantæ cladis nuntium Paulo Narbonem perlaturus accessit. Quæ res grandi timore tyrannum concussit.

Princeps vero religiosus prædictorum castrorum exercitu subiugato, in plana post transitum Pyrenæi montis descendens duob. tantum dieb. exercitum ad vnum cõgregaturus expectat. At vbi è diuersis partib. collecta in vnũ multitudo percrebuit, statim per quatuor duces electum numerum armatorum ad expugnationem Narbonæ ante faciem suam mittit, alium exercitum destinãs, qui nauali prælio accederet bellaturus. Et quidem iam erant pauci dies ex quo de Narbona rebellis Paulus recesserat seruiliter fugiendo, cõperto q; tam feliciori prouentu pars religiosi principis properaret. Quã ciuitatem Paulus muniuit præsidio multiplici perfidorum & Vuitimiro duci suo commisit. Quem cum nostrorum exercitus blanditer hortaretur, vt ciuitatem sine sanguinis effusione traderet, prius renuit: obseratisq; ciuitatis portis muro, viua voce nostrorum exercitum conuitiis detestatur. In principem quoq; religiosum maledicta congeminat, minisq; conatur exercitum perturbare. Quod nostræ partis animositas nõ ferẽs subita cordiũ accensione incanduit: & telorum iactu perfidorũ ora petiuit. Immanis ab vtrisq; pugna cõseritur: & sagittis alternatim sibimet partes obsistunt. Sed vbi ab vtrisq; fortiter agitur, rãtos imbres lapidũ nostri intra vrbem cõiiciunt vt clamore vocũ & collisione petrarũ ciuitas subuerti existimaretur: vnde ab hora fere quinta diei vsq; ad octauam horã fundibulorũ instantia acriter à nostris pugnatũ est. Incanduit itaq; nostrorũ animus victorię dilatione ferre nõ valẽs, & ad portas propius pugnaturus accessit. Tũc victoriosa per Deũ manu portas incẽdunt, & ciuitatẽ victores ingrediuntur. Vbi dum Vuitericus adhuc armata manu ecclesiã peteret, accessu nostrorũ turbatus, post aram Dei genitricis se vindicaturũ non reuerẽtia loci miser sed vltore gladio testabatur, dextera tenẽs gladiũ, & mortẽ minitans singulorũ. Ad cuius ergo insaniæ tumorẽ ꝓtinus comprimendũ, vnus ex nostris tabulã manu arripuit, & ferocissimo ictu se ad illũ direxit, at vbi tabula nisus est eũ ingenti iactu percutere, mox in terrã tremebũdus prosternitur, protinusq; capitur, & ferrũ illi de manu extrahitur, viliter tractus põdere vinculorũ arctatur, verberibusq; vna cũ sociis quib. vrbẽ nitebatur vendicare afficitur. Posthæc deuicta subiugataq; Narbona ad insequendum Paulum, qui se in Nemausum contulerat, iter dirigitur. Deinde Beterius & Agathæ ciuitates illico subiugantur. In Magalonẽsi vero vrbe Gumildus loci ipsius antistes cum ad obsidionem sui circumfusum videret exercitum, vrbemq; ipsam non tam ab iis qui per terram pugnaturi accesserat, quam ab iis cingi, qui nauale prælium acturi per mare commeauerant: huius rei clade perterritus compendii viam arripuit: Nemausumq; secum Paulo contulit. Sed cũ exercitus Hispaniæ Guimildum fugisse persensit, ciuitatem mox Magalonensem nõ dissimili victoria cepit: & directa acie Nemausensem vrbem debellare cõtendit. Prima per quatuor duces præliãdi facies cum electo pugnatorum agmine destinata est: quorum robusta iuuentus triginta ferme millibus principem anteibat. Hic idẽ nobili præcursu Nemausum, vbi cum Paulo Francorum exercitus se ad vindicandum compulerat, nostri tendentes, cum nocte tota cursum festinati itineris cõfeciſſent, subito cum diei lux orta prodiret, apparuere nostrorum acies armorum pariter & animorum apparatu dispositæ. Quas vt è ciuitate conspiciunt, vtpote dimicaturi cũ paucis in patentes campos armis eos expetendos definiunt: sed insidiarum dolos suspicati eligunt potius intra vrbem siti de muris bellum cõficere quam extra vrbem improuisos casus & pericula sustinere: & expectare auxilium promissum gentium aliarum. Vbi aũt sol refusus est, consertum est bellum à nostris clangentib. tubis sagittisq; ac lapidib. hostes in manu valida ferientes. Resistunt perfidi & ad instar guttarum pluuiæ petras & spicula iaciũt. Acrius ab vtrisq; pugna conficitur, æquo certamine præliatur. Nec à nostris nec ab illis certamini ceditur: & tota die illa sub ancipiti sorte certatur. Sed vnus de incentoribus seditionis acriter pugnans, aspiciens è muro, nostris insultans, hæc verba commentat. Quid hic, ait, instanter pugnantes consistitis morituri? cur lares proprios non repetitis? an forte casum mortis ante tempus excipere vultis? quin potius prærupta petrarum non queritis vbi vos abscondatis cum facies auxilii nostri apparuerit? cõdolere meæ credite vobis sciẽs occursum solatii superuẽturi nobis. Mihi res notissima manet, q; multiplici nobis auxilia præliãdi occurrant. Tertia dies est ex quo inde properãs venio. Quapropter hoc sciens miserabilis pompæ vestræ occasum contristatus expecto: & principem vestrum, pro quo pugnaturi venistis, vobis ligatum ostendam. Non igitur pro eo vobis hic expedit tam superuacue decertare: quem forsan iam constat nostrorum insidiis interiisse. Et quod grauius est, dum patuerit victoria nostra, nulla erit de reliquo vobis venia. Hæc dicens nostrorum animos non solum terruit, sed acrius in prælium furorem accendit. Propinquant ad murum. Acrius quam cæperant in bellando cõsistunt: acriterque consertum innouant prælium. His igitur actis per spatia tot

diei nox tandem finem prælio dedit. In ipso tamen primo feruore diei, cum adhuc nostri infatigabili virtute in præliando persisterent, remandant ad principem sibique dirigi auxilium petunt non mediocri prouisione saluti propriæ consulentes, scilicet, ne aut extrancæ gentis dolo præuenti, aut aliis cum quibus decertabant subruerent viribus fatigati. Et bene res acta est: nam vbi princeps cognouit cum nostris Paulum tyrannum decertare nulla de reliquo mora fuit: & per Vandemirum Ducem electos de exercitu decem millia viros ad auxilium pugnantibus destinauit: qui nocte tota peruigiles maturatum iter conficerent, & superuentu suo non tam hostem frangerēt, quam nostrorum animos solaturi ocius peruenirent. Vbi autem auxilium sibi missum nostri aspiciunt, nimia lætitia confortati illi vires sumunt, & statim ab omnibus pugnandi definitur occursus. Iam aurora apparere inceperat, & stipata per murum hostilis prospiciēs multitudo videt per serenam aciem luminum multiplices, quam pridiana die viderat, excreuisse acies pugnaturum. Iam tunc caput perfidiæ Paulus ad tantæ rei visionem in quondam præminenti loco conscensurus occurrit. Qui mox vt nostrorum acies dispositas videt, animo decidit his verbis pronunciando. Recognosco, inquit, hoc dispositum pugnæ ab æmulo meo procedere. Hic ipse est nec alius puto. in suis enim eum dispositionibus recognosco. Hæc & his similia dicens animum reuocans, verbis suasoriis suos cæpit confortare dicens: Nolite pauore turbari. Hæc est tantum Gotthorum illa famosissima virtus, quæ se venire ad superandos nos solita temeritate iactabat. Hic principem, hic totum eius exercitum credite nunc adesse. Nihil est quod de reliquo timeatis: famosa siquidem virtus Gotthorum antea fuit, & suis in defensionem & aliis in timorem: nunc autem omnis in illis præliandi virtus emarcuit, omnis scientia pugnæ defecit. Nullus illis bellandi mos, nulla conflictandi experientia subest. Quod si in vnum conferti prælium conserant, ad definita statim euolabunt latibula: quia degeneres eorum animi pondus prælii nequeunt sustinere: sed potius hæc quę dico cum præliari cæperitis in meis verbis actu probabitis. Nihil ergo est de cætero quod pauescere debeatis, præsertim cum Regem & totum exercitum eius hic videatis adesse. Ad hæc plerique ex suis astruebant, Regem sine vexillis signorum nō posse procedere. Ad quod ille dicebat, ideo illum bandorum signis absconditis accessisse vt intellectum suis hostibus daret alium adhuc exercitum superesse cum quo ipse post futurus accederet. *Sed hæc tota, dicit, illusio, agit fraus: vt quos virtute non valet deuincere dolo confi[illegible]ii humiliat ad pauorem. Nec dum Paulus hæc verba compleuerat, & ecce subito à nostris bellorum concrepant tubæ, bellumque adorsi pridiani diei decertandi faciem innouant. Sed illi plus in muris quam in viribus vincendi locantes confidentiam intra vrbem per murum spicula iactant, & rediuiua cum nostris iterum certamina innouant. Efferbuit itaq; ab vtraque parte incendium belli, sed acrius à nostris virtus patuit præliandi. Cum autem totis viribus decertarent, & hostem intra vrbem diuerso genere armorum prosternerent: plerique ex iis qui erant vulnerati Gotthorum virtutem pariter ac constantiam admirantes, Paulum adorsi sunt dicentes. Non illam quam dicebas, in Gothis bellandi segnitiē cernimus: multam enim in illis audaciam & vincendi videmus constantiam. Hæc quæ excipimus vulnera docent, quod tam validos ictus in hostem proiiciunt, & ante fragor ipse deterret, quam percussi vitā extinguat. Quorū Paulus deterritus verbis multiplici desperationis iaculo angebatur. Gothi vero constantius dimicantes victoriam suam recrastinari dolentes, acriori animositate insurgunt, victos se per omnia reputantes si cito non vincerent. Vnde ferociori quam fuerant incensione commoti vsq; in horam diei quintam continuis præliorum ictibus muros ciuitatis illidunt: imbres lapidum fundibularii cum ingenti fragore dimittunt, suppositoque igne portas incendunt & irrumpunt. Deinde ciuitatem glorioſe intrantes viam sibi ferro aperiunt. At vbi feroces nostrorum animos sustinere nō possunt intra arenas, quæ validiori muro antiquioris ædificii cingebantur, se muniendos includunt. Sed vbi nostri hoc persenserunt, post eos fortiter insequentes, plures eorū antequam se in castro arenarum reciperent gladio ancipiti peremerunt. Pleriq; tamen è vulgo nostrorum qui prædæ inhiabant gladio concisi sunt. Surgit & noua inter seditiosos seditio: & dum suspicionem proditionis ciues ipsi vel incolæ ad suorum aliquos referunt, gladio vindice hos in quibus suspicio vertebatur interimunt. Erat siquidem valida perturbatio, ita vt Paulus proprium quendam de suis, manibus suorum ante se iugulari prospiciens suum esse vernulam lamentabili voce clamaret, nec sic morituro in aliquo subueniret, vnde effectus exanguis & tremebundus à suis ipsis omnino contemnitur. Nam suspectus & ipse ab incolis cum cæteris qui de Hispania cum illo com-

meaucrant habebatur; ne ille ad liberationem sui eorum excogitaret traditionem: Hispani vero ne irrogata incolis morte ad religiosum transiret Regem. Quid multa? fit intra vrbem miserabile spectaculum præliandi; vtrobiq; cadit perfidorum caterua, vtrobiq; prosternitur, vtrobiq; iugulatur; & qui nostrorũ gladios euadebant, armis suorum peribant. Repletur itaq; ciuitas permixto funere mortuorum cadauerib. humanorum. Miserabile etiam funus erat in domibus, & vbi domorum abdita perlustrasses, parentes mortuos reperires: per vias quoq; & plateas vrbis iacere hominum cadauera cerneres minaci quodam vultu & ferocitate immani, tãquam essent adhuc in ipsa bellorum acie positi. Erat tamen color deformis, cutis lurida, horror immanis, fœtor intolerabilis. Quidam etiam de ipsis iacentibus adhuc viuis, qui exceperãt lethalia vulnera mortis, speciem mortuorum simulabant vt mortem euadere possent. Hæc & his similia Paulus fieri videns tyrannidis ferocitate deposita, magna cordis anxietate ac miseria stringebatur: cum nec hosti resistere nec suis posset in aliquo subuenire. Accessit tamen ad eum insultaturus illi vir quidam ortus ex familia sua. Quid hic ait, assistis? vbi sunt consiliarii tui qui te ad istud perduxerunt calamitatis ludibrium? quid tibi profuit contra tuos insurgere, cũ nec tibi nec tuis minime nunc valeas in tanta mortis clade prodesse? Hęc dicens insultabat illi non tam conuitiandi voto quam amaritudinis studio prouocatus. Sed cum ab illo blandis hortaretur sermonib. vt dolori eius parceret, & cõfusionem confusioni non adderet in ipsis gradib. marmoreis cõsistens, in quib. ista illi insultaturus aduenerat in oculis ipsius Pauli circumuẽtus à suis iugulatus occubuit. Paulus autem quid huic quæritis tremebundus clamabat. Meus est dicens, ne pereat: & vt reseruaretur frequenti vocum lamentatione orabat. Sed iam contemptui habitus quasi & ipse continuo moriturus audiri nõ poterat. Tunc omnimoda desperatione permotus regalia indumenta, quæ potius tyrannidis ambitione quam ordine præeunte perceperat, tabefactus deposuit. Miro occultoque Dei iudicio id agente, vt ea die perceptum tyrannidis regnum deponeret, qua religiosus princeps regnandi sceptrum à domino percepisset. Erat enim dies illa Kalend. Septemb. in qua principem nostrum constabat regale assumpsisse fastigium, in hac ergo die irruptio patuit vrbis, tyrãnus Paulus regalia deposuit indumenta, & sanguinea vltio illata est inimicis.

Tertia post hæc dies aduenerat cum Paulus post noctis suspiria vltimũ sui funus expectat: atq; cum iis cum quib. consilia suæ perditionis habuerat verbum habere cœpit: vt aut vale sibi vltimũ dicerent, aut si possent saluti suæ in aliquo consulerẽt. Tunc Argebaudus Narbonensis episcopus communi consilio ad principem mittitur: qui vitam rogaret offensis & veniam precaretur. Qui oblatis Deo hostiis in ipsis vestimentis quib. dominici corporis & sanguinis peregerat sacramentum principẽ adiit rogaturus: & quarto fere ab vrbe milliario principi dedit occursum inæstimabili pugnatorum agmine constipato. Quem vt vidit Episcopus, de æquo prosiliit, & humo prostratus veniam precabatur. In cuius occursu princeps equum paulisper tenuit, & vt erat misericordiæ visceribus affluens, & ipse illacrymans subleuari episcopum à terra præcepit. Episcopus autem lachrymarum singultib. intercluſus lamẽtabili voce dicebat: Heu peccauimus in cœlum & coram te, sacratissime princeps, non sumus digni, quib. euentus tuæ pietatis occurrat. Qui & promissam tibi maculauimus fidem, & in tãto sumus prolapsionis scelere voluti. Parcat orationi tua pietas cito, nec gladius vindex feminecesreliquias nostrorum extinguat, nec plusquam cæpit mucro animas petat. Iube iam exercitum cessare à sanguine & ciuem ciuib. parcere; pauci siquidem euasimus gladiũ, sed pro paucis veniam deprecamur. Parce misericorditer nostris reliquiis, vt quia iã in cæteras nostrorũ emanauit iugulum mortis, saltem remaneant aliqui quib. miserearis. Si enim cito non peperceris, nec ipsi quidem remanebunt incolæ ad vrbis tuitionem. His auditis cõmotus religiosus princeps cum lacrymis episcopo dixit: victus precib. tuis dono tibi animas quas petisti: & non illas vltore gladio perdam, nec hodie cuiusquã sanguinem fundam: quãquam talium offensa non transeat impunita. Cui venerabilis præsul diuitiæ insistebat, vt quorum sibi donauerat vitam, nullam in eis exerceret dãnationis iacturã. Sed princeps mox furore cõmotus inclementior redditus dixit. De cætero nobis alias conditiones non imponatis, cũ vitam vobis donasse sit satis. Tibi autem soli ex toto me peperciſſe sufficiat: pro reliquis vero nihil horũ promitto. Et hæc indignans quadam animi succensione efferbuit: & concita progressione triumphũ posturus victoriæ properat ad vrbem capiendam. Appropinquante aũt principe glorioso cũ incredibili exercituum multitudine, cum sol refulsisset in clypeis, gemino tamẽ ipse lumine coruscabat. Erant ibi innumera bellorũ signa terrentia, & ipsa quoq; arma radiãria sul-

gorem solis solito plus augebant. Sed quid dicã? quæ ibi fuit exercitus põpa? quis decor armorum? quæ species iuuenum? quis robur pugnatorum? quæ cõcordia animorum? singula explicare quis poterit? maxime cum manifestè diuina protectio affuerit, quod cælestibus indiciis patuit euidenter. Visus est enim Angelorum excubiis protectus noster exercitus, & ipsos angelos super castra coruscæ volitatione protectionis suæ signa prætendere. Sed paulisper talia sub silentio relinquentes suscepti operis ordinem prosequamur. Cumq; in vnum cõgregatum iam princeps sensisset exercitum, eminus ab vrbe fere vno stadio positus, incredibili animi accessione permotus disponit duces, ordinat plebes, diuidit acies, & quibus modis pugnã conficerent instruebat. Siquidem vt fama detulerat quod Franci cõuenirent ad auxilium perfidorũ. Tunc electos quosq; de ducibus mittit viribus & animis præstantiores, vt Paulum carerosque incentores seditionum à cauernis arenarum abstraherẽt: in quibus se mortem fugientes absconderant. Nec mora: cum iussa factis explerent, extrahitur subito Paulus cũ sociis de abditis arenarum, & per murum depositus viliter contrectatur. Deinde omnis illa multitudo Gallorum atq; Francorum quæ hinc inde contra nostros pugnatura conuenerat, cum immensis thesauris capta est & detenta. Deferebatur nequissimus Paulus à duobus ducibus nostris insedentibus equis, ex vtraq; parte protensis manibus hinc inde ipsum per capillos tenentes, donec illum religioso principi præsentarent. Quo viso magnificus princeps protensis cum lacrymis in cælum manibus ait: Te Deum Regem omnium Regũ, collaudo: qui humiliasti sicut vulneratũ superbum: & in virtute brachii tui contriuisti aduersarios meos. Hæc & his similia flentib. intercluſus princeps aiebat. Sed mox tyrannus idẽ erectis oculis vt faciẽ principis vidit, statim se humo prostrauit, sibiq; cingulũ soluit & collo suo ligauit. Iam quidẽ exanimis, & nimio pauore turbatus, quid illi acciderat nõ attendẽs. Spectabile quidem erat oculis, quomodo de tã sublimi licet prærepti ordinis culmine, in hac subito humiliatione Paulũ reprobum deueniſſe. Erat cernere magnũ, quã facilis fuerat rerũ ipsa mutatio: tam cito videre deiectũ quem pridem viderant gloriosum: & quem præterita dies adhuc Regẽ tenuerat, tã præcipiti ipsũ concideret, in ruinam. Impleta satis est in ipso prophetia quæ dicit. Vidi impium superexaltatum & exaltatũ sicut cedros Libani. Transiui & ecce non erat: quæsiui eum & non est inuentus locus eius. Quid multa? cum iam ante principis equũ Paulus & cæteri huiusmodi factionis capti iacerent gloriosus princeps dixit. Cur in tanto malo vestrũ prorupistis, vt pro bonis mala mihi redderetis. Sed hîc quid morabor? ite & estote sub custodiis deputatis, quousq; de vobis censura iudicii agitetur. Viuere. n. vobis donabo etsi non meremini. Tunc diuisos per exercitũ omnes deputatis & solicitis custodib. tradidit. Francei tamen qui capti fuerant benigne tractari iubentur. Erant. n. aliqui eorũ nobilissimis parentib. geniti: qui Paulo perfido, vt à Francis ei subueniretur, erant pro obsidib. dati; sed vero ex Saxonib. erant. Posthomnes in vnum munificentia regali onustos post octauam decimam diem quam capti fuerant, libere remisit ad propria. Non debere, dicens, victorem inclementem victis existere.

Primo die Kalend. Sept. contra Nemausensem vrbem à nostris inchoatũ est bellum: & sequenti die ciuitatis ipsius irruptio facta est: tertia quoq; die, quæ fuit quarto Nonarũ Septemb. ciuitas ipsa celebri captione deuicta est. Sed post hæc religiosi principi animus de reparatione captæ vrbis solicitus statim murorũ caua reformat, inceſſas portas innouat, insepultis tumulum præstat, incolis ablatã prædam restituẽs & exulcerata quæq; publico ærario fouẽs. Iubet tamen thesaurorũ omnem quã ceperat copiam diligentiori seruare custodia: nõ illectus auaritiæ quęstu, sed amore prouocatus diuino scilicet, vt res sacratæ Deo possent facilius inueniri, & cultib. diuinis restitui. Cumulauerat. n. nefandissimus Paulus peccatis peccatũ, dũm tyrãnidi adiunxit sacrilegiũ. Quia nisi sacris ecclesiis intulisset spolium, non illi esse videbatur, vnde suũ floreret ærarium. Vnde factum est, vt vasa auri & argẽti quamplurima de thesauris dominicis raperet; & coronam illam auream diuæ memoriæ Reccaredus Christianissimus princeps ad corpus beatissimi Felicis obtulerat, idem Paulus insano capiti suo imponeret.

Tota hæc in vnũ collecta iubet princeps prout cuiq; cõpetebat ecclesiæ integræ reformari. ¶ Tertia iam post victoriã victoribus venerat dies, & Paulus onustus ferro cũ cæteris cõplicib. malitiæ suæ cõsidenti in throno principi exhibetur. Tunc antiquorum more, curuata spina dorsi vestigiis regalib. sua colla submittit. Deinde corã exercitib. cunctis adiudicatur cũ cæteris vniuersorum iudicio, vt mortẽ exciperet qui mortem principi præparasset. sed noluit princeps eos mortis sententia perdere, sed tantum decalualionis derisione eos præcipit onustos ferro ad præsens sustinere vindictã. Fere-

batur tunc quorundam opinio Francos & Teutonicos ad ereptionem Pauli quam totius festinare. Sed princeps non solum ob hanc causam, verum etiã ob gentis suæ præteritas iniurias vindicandas cũ Frãcis cupiebat acrius decertare, & sustinebat quotidie animo fortiori. Sed cũ nullus è Francis ad bellandũ accederet, ipse potius illis se occursurũ deuouerat, nisi fidelitatis reuocaretur cõsilio, ne pacis inter vtramq; gentẽ firmata pactio rumperetur à Gotthis. Sustinebat aũt vt dictũ est, eorum aduentum: & iã quarta dies effluxerat ex quo Paulũ ceperat: & nulla hostis præsumptio, nullus euentus, nulla prorsus hostilis conuentio mõstrabatur. Iam præterea Franci munitissimę vrbis vltimũ sui, vt ferebatur excidium deplorabant: & ciues earum ne à nostris præuenirentur, relictis vrbibus longe late q; incertis sedib. vagabantur, latebrosis, scilicet, vitã compendiis munientes. Nam & religiosus princeps eminus à Nemausensi vrbe in plano cum exercitu consistebat. Illic castra posuit, miraq; celeritate Nemausensem vrbem fortissimis muris & vallo instaurari fecit. Vbi cum aduentum hostium sustineret, subito percurrente nuncio audit vnum ex nobiliorib. ducib. Frãciæ nomine Lupum in Beterrẽsi territorio hostiliter accessisse: vnde concita velocitate egressus cum exercitu properãs delatas inimici nisus est insidias preuenire: sed Lupus ipse iuxta villã, cui Asperiano vocabulum fertur, regressum principis audiens, ita territus fugit, vt exercitus duci & dux exercitui videretur deesse. Non. n. fugiendo vel ipse suos sustinuit, vel sui cũ vllo modo assequi potuerũt. Quippe quorũ ita pauore dissoluta fuerãt corda, vt non tã dispersis viarum aditib. quam montium præruptis elapsi: vtpote iam gladiũ suis imminere ceruicibus cernerent, de cõpendio fugæ vitã se lucrasse mõstrabant, multas prędas hac perturbatione nostris exercitib. relinquentes tã de hominib. qui eos sequi nõ poterant, q̃ de iumentis siue substantiis quæ multipliciter innumerabilib. plaustris adduxerant. Et vtiq; iam lecta bellantium manus à principe destinata poterat eos belligerosis incursib. assequi, sed tam velox illorũ extitit fuga & tã citato finium suorum occurrere latibula, vt quo fugerent, quo latere rẽt atq; consisterent, nulla omnino censerentur vestigia reliquisse. Vnde cõperto princeps q. Lupus cum suis inueniri non posset, placida progressione Narbonam contendens vrbem victor ingreditur. Ibiq; quæ dirupta atq; depasta ab hostib. fuerant, iubet princeps solicite instaurare, atq; Narbonensem prouinciã regia dispositione reformat, consiliis instruit, Iudæos abiicit, clementiores rectores instituit, per quos tanti mali placaretur offensa; & constuprata tantis sordib. terra nouo cælestium institutionum baptismate depurata ad veniam admittatur. Statũ omniũ rerum mira pace cõposuit, & radices ab ea omnis rebellionis deterxit: atq; fortiũ bellatorum manus ibi dimisit. Exhaustis dein princeps Galliis atq; edomitis securus directo itinere ad Hispaniam commeauit. Nullos post se Gallorum motus formidans, nullas Francorum pertimescens insidias, certo sciens neminem esse principũ vicinorum, qui secum audeat virib. decertare. Tanta. n. virtute animi atq; constantia erat fretus, vt circũpositas barbarorum gentes non solum non timeret, sed cõtemneret, vnde adhuc intra Gallias positus in loco qui Canabat nuncupatur, cuncto exercitui q. fortiter & feliciter egisset relatione gratificã satisfecit, omnesq; ab eo loco statim absoluit. Ipse quoq; Heliã veniens duorum ibi dierum moram fecit, sicq; exinde profectus in Hispaniam rediit: sedemq; sui solii sexto postquam inde commeauerat mense repetiit. Quam celebri triumpho Toletanã vrbem intrauerit de inimicis exultans explicare vel in parte necesse est, vt sicut ingentis eius gloriæ signum secula subsecuta laudabunt, ita seditiosorum ignominia non excidat à memoria futurorum. Etenim quarto fere ab vrbe Rege millario Paulus princeps tyrannidis vel cæteri incentores seditionum eius decaluatis capitibus, abrasis barbis, pedibusq; nudatis, induti vilissimis saccis camelorũ vehiculis imponitur. Præibat à capite perfidorũ Rex ipse perditionis Paulus omni cõfusionis ignominia dignus, corona picea coronatus. Sequebatur deinde hunc Regem suũ longa deductione ordo suorum omnes, quib. relatum est vehiculis insidentes eisdemq; illusionib. acti, hinc inde astantib. & sibilantib. populis vrbem intrantibus. Nec enim ista sine dispensatione iusti iudicii Dei illis accessisse credendum est, scilicet, vt alta & sublimia confusionis eorum fastigia vehiculorum edocerentur læsione nimium proiecta. Et qui vltra humanum morem fastu mentis excelsa male petierant, excelsiores luerẽt suæ confusionis iniurias. Sint ergo hæc in secuturis reposita sæculis probis ad votũ, improbis ad exemplum, fidelibus ad gaudium, infidelibus ad tormentum: vt vtraque pars in contuitu quodam sese lectionis huius inspiciens, & quæ rectis semitis graditur, prolapsionis casus effugiat, & quæ iam cecidit, damnatam se æternis proscriptionibus recognoscat.

Hucusque Iulianus.

Perfidõ-

Perfidorum denotata transgressio ideo debet acrius percuti, quo in illicitis videtur ausibus perpetrari. Habeant ergo confusionis propriæ signum, quibus contigit sacramenti violare promissum. Reportent nomen perditionis ad posteros, quos indulgentia principalis fecit esse ingratos. Demorentur inter cuneos perfidorum, qui gentis suæ excidium parauerunt: vt reportent in progenies seculorum titulos infamiæ suæ, qui euersores facti sunt patriæ: quib. ex clementia princeps dederit viuere. Effossionem luminum non euadant, qui patriæ gloriam minuêres prodigionis notam temerarie incurrerunt. Ecce prodidit sese in apertum campum infausta perfidia quę nefandorum societatem cruentis sibimet amplexibus socians ad scandalū impulit ciues, ad suorum perniciem plebem, ad euersionem patriæ gentes adauteritum principis nō solum propriās, sed externarum commouit plebium nationes. testis est horum quæ dicimus terra quæ ipsorum est exterminatione detrita. Testis etiam est cœlum sub quo nobis est attributum à Deo triumphale vexillū. Spontaneo.n. promissionis fœdere perfidus Paulus irrupto nouum sponsionis iusiurandum constituit, quo voluntaria fide promissionis discissa electum diuinitus dominum nostrum Regem Bambanem abiiceret, & maturatam illi vel patriæ perniciem exhiberet. Nam nouo ritu periurij non solum suā sed & multorum decepit animas populorum, ita vt in iis illud Propheræ vaticinium impleretur, quo dicitur. Cadent in retia principes eorū à furore iræ Dei, & erit subsannatio eorum in omnem terram. Nec non & illud quod Isaias in talium narrat excessibus dicens: Inuenti sunt in populo meo impii insidiantes quasi aucupes, laqueos ponentes & pedicas ad capiendos viros. Sicut decipula plena auib. sic domus eorum plenę dolo. Et hæc quidem necessario præmissa sufficiant. Nam cum nefandissimum Paulū serenissimus dominus noster Bamba Rex ad vendicationem Galliæ destinaret, vt dissidentes quosdam ad fidem suæ gloriæ matura dispositione colligeret, subito iniunctū sibimet negotium in contrarium mutatus, non solum dissidentibus in fide persistendo non obstitit: sed ipse dissidentia sui plurimos infideles effecit. In tyrannidem.n. contra prædictum principem gentem, & patriā versus spoliauit se primo fide promissa & prauitatis textrinii sui ordiens telam, induit proditionis & periurii maculā. Deinde in gloriosum principem maledicta conjecta & multimoda detractionum atq; iniuriarū de illo conuitia protestantur. Post hæc q; nefas est dici, regnum contra Dei voluntatem arripuit, & populos in hac nefaria conspiratione ciuium iurare coegit, vt contra fidem glorioso principi redditam agerent: & necem, vel deletionem principi exhiberent. Hūc præcipue ordinem in ipsa peruersarū conditionū serie seruans vt gloriosum dominū nostrū Bambanem infaustū Regem nominare auderet. Quod vtiq; nomen iuxta interpretationem sui infelicē significat esse. Qui adhuc insuper tyrannicę sortis apice prouocatus prouinciā omnem Galliæ & partē aliquā Tarraconensis prouinciæ tumultuoso sui iuris imperio subdens speciales omniū munitiones per singulas quasq; ciuitates cōstituit, defensoresq; in eis ꝓprios ordinauit. Huius rei nefariæ temeritate cōpulsi sumus arripe te arma, & tot interiacentib. terris nefandorū perfidiam insectare. Vnde ad horū coniuratorū tyrannidem protinus extinguendā in Tarraconensem prouinciā, & in Gallias pugnantes accessimus, & diuina nobiscum comitante manu ad ipsas ciuitates vsq; atq; castella venientes, hos ipsos satellites defensoresq; ciuitatū & castrorum feliciter cepimus. Nā primum ad satellites repugnātes Barcinonā cum exercitu accedētes Euredū, Pompedium, Gutrifredum, Arnulfum, Diaconum & Neufredum eandē ciuitatē vindicantes cōprehendimus. Dein ad clausuras venientes castra ipsa disposito exercitu ꝓ iuga Pyrenæi mōtis intrauimus, & vendicatores eorundē castrorum cōprehendimus, Ranosindū, Hildegisum, Heliam, Carmenū, Maureconem, Vandemirū, Diagerū, Cixanem & Liubanē. Hos etiam belligerosis incursib. properantes cōprehendimus in castro caucoliberi, i. Leufredum & Gugidillū, atq; prædictorum coniuges. Castrū quoq; Libiæ q; est caput Ceretaniæ, simili ordine properātes ingressi sumus quoniā Iacinthus ipse cū Arangisclo in vna cōcordantes perfidia post Pauli perfidi, vendicabant. Sed q; idē Iacinthus idē castrum Libiæ vendicare nō potuit, nec ipse Deo fautore manus nostros euasit. Quorū omnium cōprehensionem, siue ingressum nostrum Gallię, cū idem Paulus perfidus per fugā Francorū, quos ad vindicādas clausuras direxerat cōperisset, relicta & ipse ciuitate Narbona fugæ se præsidio dedit: relictis ibi etiā conseruatorib. ciuitatis ipsius, scil. Ramirū pseudoepiscopū, Victimirū, Argemundū, & Galtritionē Primiceriū. Qui etiā Ramirus viso exercitu antequā ciuitas ipsa expugnaretur periit fugā. Sed nox in Beterrēsi territorio cōprehensus nostras nō effugit manus. Vnde cū ꝓdictos Victimirū & Argemundū Laicos siue Galtritionē, Primiceriū Narbonā vindicātes, &

contra nos acriter dimicantes cepissemus, Agatesem ciuitatem imperio glorioſi domini noſtri ſubegimus, cõprehendentes in ea Vilesmundum Epiſcopũ & Arangiſclum & Ranosindũ Germanum Vilesmundi epiſcopi. Poſt hæc cum diuino iudicio adiuuante ad expugnanda Magalonẽſem comitatem accederemus, cum duob. exercitibus, nauali, ſcilicet & terreſtri, Gumildus epiſcopus ſtatim eandem ciuitatẽ reliquit, & fugam petens Nemauſum ſe cum Paulo perfido contulit. Cumq; hanc ipſam Magalonẽſem ciuitatem defenſoresq; eius glorioſus cepiſſemus, ſtatim vſq; in Nemauſum poſt prædictum Paulum ſociosq; ſuos pugnatum peruenimus. Ibi ſe idem Paulus, non ſolum ſuorum perfidorum fretus audacia, ſed etiam Francorum munitus auxilio, ad dimicãdum contulerat. Quo in loco inſtantiſſime pugnans, & in perfidiæ temeritate perdurãs, tandem diuinis iudiciis noſtriſq; armis eadem ciuitate irrupta victus captuſq; eſt Paulus. Eius & ſocios eõmemorare neceſſe eſt, quos & pugnantes contra nos in eadẽ ciuitate dure pertulimus, & qui tandiu eius perfidiæ inſtantiſſime adhæſerunt, quãdiu cũ ipſo nefandiſſimo caperentur, id eſt Gumildus epiſcopus, Friuſcus, Frodarius, Vuitimirus, Ranemũdus, Adoſindus, Adulfus, Maximus & Gotila, excepta vulgi multitudine Francorum vel Saxonum, quæ in eadem ciuitate cõprehenſa eſt. Hic igitur ſceleratiſſimus Paulus dum cõuocatis aduanatiſq; omnib. ibidem ſeniorib. cunctis & palatii Gardingis omnib. omniq; palatino officio ſeu etiã adſtante exercitu vniuerſo in conſpectu Regis glorioſi noſtri Domini è prædictis ſociis ſuis iudicandus aſſiſteret, ſic prædictus princeps ſuper præmiſſa coniurationis interpoſitione eum allocutus eſt dicens: Adiuro te per nomen Omnipotentis Dei, vt in hoc conuentu fratrũ noſtrorum contendas mecũ iudicio: ſi aut te in aliquo læſi aut occaſione cuiuslibet malitiæ tibi malum nutriui, per q; exciratus hanc tyrannidem ſumens huius regni apice ſuſcipere attentares. Mox idem nefandiſſimus Paulus voce clara teſtatus eſt dicens: Per Deum quia neq; à gloria veſtra ſenſi me eſſe læſum, neq; à vobis mali aliquid pertuli, ſed tantum boni in me impartiri iuſſit clementia veſtra, q; percipere nullatenus merui. Ego tamẽ Diaboli inſtinctu prouocatus id feci. Similiter iam dicti ſocii ſui queſiti ſunt, & omnes ſimiliter reſpõderunt. Vnde prolatæ ſunt conditiones vbi ſponſanea promiſſione in electione glorioſi Domini noſtri Bambę Regis ipſe nefandiſſimus Paulus cum ſociis ſuis vna pariter nobiſcum conſenſerunt, & inuiolabiliter ſe illi & patriæ fidem obſeruaturos eſſe ſub diuini numinis ſponſione teſtati ſunt, quas etiam ſponſiones manus ſuæ ſubſcriptionib. notauerut. Quibus conditionibus perlectis, quas ipſi maligne reſecuerant, ad confuſionem perfidiæ ipſorum ſubſcriptio manus eorum in ipſis conditionibus eis aſpicienda oſtẽdit.

Poſt hæc aliæ conditiones ad quas ipſe perfidus Paulus populum ſibi iurare fecerat, relectæ ſunt. In quib. iſte impietatis, & crudelitatis ordo ſeruatus eſt, vbi ipſi Paulo omnes ſocii ſui ſub iſto ordine iurauerũt, vt & fideles illi eſſent, & vnanimes cũ eodem contra glorioſum dominum noſtrum Regem Bambanem pugnarent, atq; in deiectionem eius vel periculum vſq; ad effuſionẽ ſanguinis dimicarent, vel contra eos qui eundem Regem defendere voluiſſent. Infauſtum iam dictum Regẽ glorioſum Bãbanem (vt præmiſſum eſt) in ipſis conditionib. temerarie reperitur ſcriptum. Iis excurſis atq; perlectis Canonum eſt prolata ſententia ex Concilio Toletano qualiter debeãt puniri huiuſmodi tranſgreſſores. Regnantes poſt hæc Domino noſtro Bãbane CCLXX. naues Sarracenorum Hiſpaniæ littus aggreſſæ occurrentib. eius exercitib. omnes ibi deletæ ſunt & igniib. conſumptæ. Hic glorioſus Rex ad confirmationem catholicæ veritatis Synoda Toleto agere ordinauit ſæpius, vt in canonica ſententia clariſſime declaratur.

Et quia præpediente malignitatis auctore, qui ad bonorum diſcordiã ſemper tendit, tempore bonæ memoriæ Chindaſuindi Regis, ex Græcia venit vir quidã nomine Atthebaſtus Græcorum genere nobilis, qui ab Imperatore ſuo expulſus in Hiſpania eſt aduectus, quem Chindaſuindus Rex magnifice ſuſcepit, & ei in coniugio cõſobrinam ſuam dedit. Ex quo coniugio natus eſt filius nomine Etuigius, qui cum eſſet in palatio Regis nutritus & honore Comitis ſublimatus, elatus ſuperbia callide aduerſus Regem Bambanem excogitauit, & potionem lethiferam dedit ei, ex qua Rex officium memoriæ perdidit. Cumq; epiſcopus ciuitatis ſuæ, & optimates palatii qui erãt fideles Regis eius potionis cauſa latebat, vidiſſent Regem iacentẽ abſq; memoria, cauſa pietatis commoti pœnitentiam volentes illi perficere, vnctionem ſancti olei & communionẽ Chriſti corporis obtuleruñt. Sed factum eſt vt Rex à potione liberatus cũ perſenſiſſet quæ illi extremæ vnctionis epiſcopus peregerit ſacramentum, ad monaſteriũ perrexit, ibiq; quãdiu vixit, in religione permanſit. Regnum feliciter rexit annis decem, & in monaſterio vixit annis duodecim. Morte propria deceſſit.

Et deceſſ.

Era DCCXIIII. dictus Eruigius regnum obtinuit, quod causa quia erat consanguineus Chindasuindi tyrānide sumpsit. Hic synoda multa cum episcopis apud Toletum egit, leges quæ à prædecessoribus suis editæ fuerant ex parte corrupit, & ex parte correxit, & ab Isidoro Hispalensi episcopo Hispaniarum primate traditas ex nomine suo annotare præcepit, vel antiquas vocauit, ne nomine ecclesiæ forum iudiciale agi videretur. & Romani Pontificis assensu statuit, vt nullus archiepiscopus Hispaniarū subderetur alicui primati nisi Romano. Tamen pius & modestus erga subditos fuit, & filiā suam nomine †Casilonem magno viro Egicæ consobrino Bambæ in coniugem dedit. *Cixilonato* Regnauit annis octo, finiuit Toleti.

Era DCCXXI. Egica gener Eruigii regnum accepit. Sapiens quidem & patiens fuit, synoda generalia egit, gentes multas intra Hispanias rebellantes perdomuit. Cum Francis ter bellum gessit: sed nullum triumphum habuit, nec quidem victus fuit. Cum autem confirmatus esset in regno, auunculus eius Rex Bamba ei præcepit, vt coniugem dimitteret, eo quod pater eius Eruigius eum callide expulisset à regno. Ille quidem iussa compleuit, sed filium nomine Vuitizam habuit ex ea quem idem Rex participem in regno fecit, & in ciuitate Tudensi habitare præcepit, vt ipse pater teneret regnum Gotthorum & filius Sueuorum. Hic Vuitiza Fafilam ducem filium Chindasuindi Regis, quē Egica Rex illuc cū filio direxerat, vxore Vuitizę instigāte in capite claua percussit: vnde idē Fafila postea ad mortē venit, & in villa quæ est iuxta flumen Vrbicum quam duodecim manus appellant, & alii nunc Palatiū vocant, sepultus fuit. Rex vero Egica regnauit solus annis duodecim & postea cum filio annis quinque. Toleti vitam finiuit.

Era DCCXXXIII. Vuitiza regnum patris eo viuente obtinuit. Iste quidem probrosus & flagitiosus fuit, & multa nefanda & horribilia flagitia per Hispanias seminauit, & ad voluptates carnis soluto impudicitiæ freno se fornicationibus multis contulit, & gentem Gotthorum ad lasciuiam luxuriam & superbiam inclinauit. Namque post posita omni religione diuina spretisque animarum medicamentis, cupiditas alienas res inuadendi, rapiendi & luxuriandi exercitus Gotthorum inuasit. Sed episcopi & ecclesiæ ministeri aspernabantur ecclesiastica officia: pro nihilo habebant synodalia, clausis foribus ecclesiarum, despiciebantur ecclesiastica sacramenta. Despiciuntur sancti patris Isidori instituta, deiiciuntur concilia, sacri canones dissoluuntur, & quidquid honestatis est extirpatur. Et ne aduersus eum insurgeret sancta ecclesia, episcopis presbyteris, diaconibus, & cæteris ecclesiæ Christi ministris carnales vxores lasciuus Rex habere præcepit, & ne obedirent Romano Pontifici sub mortis interminatione prohibuit. Istud quidem causa pereundi Hispaniæ fuit sicut scriptum est, abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum. Habuit præterea nefandus Vuitiza similiter plures vxores & concubinas, atque suis ducibus vt similiter agerent imperauit. Tota Gotthorum nobilitas in cōuiuiis, libidinibus & vitiis versa, dominum ad iracundiam prouocauit, ita vt in illis impleretur quod dicitur. Impius cum venerit in profundum malorum contemnit, quod quia Reges & sacerdotes dominum dereliquerunt, cuncta agmina Hispaniarum derelicta à domino perierunt. Itaq; Vuitiza datus est in reprobum sensum & muros cunctarum vrbium sui regni subuertit, ne possent sibi resistere ciues, & vt eos ad sua scelera facilius inclinaret. Muri tamen Toletanæ vrbis & Legionensis & Astoricensis integri remanserunt propter earundem reuerentiam ciuitatum. Successus & malitiæ zelo Theudefredum Cordubensem ducē dolo cepit priuatumq; vtroq; frontis lumine miserabiliter palpitare fecit. Fuit enim Theudefredus ex Gotthorum regali stirpe progenitus, scilicet, filius Chindasuindi Regis, quem pater in ætate reliquerat puerili. Cumq; ad ætatem veniisset virilem, videns eū Egica Rex elegantem, & recogitans ne cum Gothis surgeret contra ipsum, expulit eum à regno: qui veniens Cordubam fortitus est vxorem ex regali genere nomine Ricilonem: & ex ea natus est ei filius nomine Rodericus, qui cum ad ætatem perfectā veniisset vir bellator extitit, & Cordubæ palatium fortissimum fecit. Ne igitur Theudefredus Vuitizę posset resistere eum, vt dictū est, orbauit oculis. Præterea Pelagiū filiū supra dicti ducis Fafilæ Vuitiza capere voluit, vt similiter ipsum orbaret, sed Pelagius fugit, quia voluit dominus Hispaniæ subuenire per ipsum. Exulato etiā Iuliano Toletano episcopo intrusit filiū suū Oppam vt esset Archiepiscopus Hispalensis simul & Toletanus contra sacrorū canonum instituta. Addidit & Vuitiza iniquitatem super iniquitatē, & Iudæos ad Hispanias euocauit, atq; fractis ecclesiarū priuilegiis Iudæis immunitatum priuilegia dedit. Deus aūt tantum facinus, tantamq; malitiam abhorrēs hominum ruinam & subuersionē Hispaniarum populis intulit. Regnauit Vuitiza annis quindecim & morte propria Toleti decessit.

Era DCCXLVIII. Rodericus filius Theudefredi consilio magnatorum Gothicæ gentis in regnum successit vt belliger & durus & ad omne negotium expeditus, sed vita & moribus Vuitizæ non dissimilis. Hic anno regni sui tertio iniuriam patris vlcisci festinans duos filios Vuitizæ Farmarium & Expulionem ab Hispaniis cum summo dedecore expulit. Qui ad Tingitanam prouinciam transfretantes Iuliano Comiti ipsius patrię adhæserunt, quem Vuitizá Rex intra suos scutarios familiarem habuerat carissimum. Qui condolens expulsioni eorum & dedecori consilium iniit cum eis quatenus Sarracenos euocarent, & cum eis illatas sibi iniurias vindicarent. Ad hoc facinus peragendum incitabat Iulianum, quod Rodericus Rex filiam ipsius non per vxorem, sed eo quod sibi pulchra videbatur, vtebatur pro concubina, quam pro vxore à patre acceperat. Erat hic Iulianus vir sagax & astutus, & callide incitauit Francos vt expugnarent Hispaniam citeriorem. Finxit etiam se esse amicum Regis Roderici, & callide consuluit vt equos & arma ad Gallias mitteret & ad Africam: quia in interiori Hispania ipse regnabat securus, & non erat necesse vt haberent arma in patria quibus se mutuo interficerent. Tale tunc ad hoc Rodericus Rex dedit edictum, vt vbicumque arma inuenirentur vel equi fortissimi violenter dominis auferrentur, & in Africam vel in Gallias mitterentur. Fauebat huic proditioni Oppa primas Hispalensis & Archiepiscopus Toletanus, quem pater eius Vuitiza duabus regalibus præfecerat ciuitatibus, vt per eum posset catholicæ fidei statum euertere. Igitur era septingentesima quinquagesima secunda Vlit fortissimus Rex barbarorum totius Africæ ducatu, Iuliani & filiorum Vuitizæ fretus auxilio, vt cognouit quod arma & equi non essent in Hispania & ciuitates essent absque muris Tharich Strabonem vnum ex ducib. exercitus suis cum vigintiquinque millibus fortium pugnatorum ad Hispaniam præmisit, vt cognita Iuliani dubia fide bellum cum Hispaniæ Rege inciperet. Terrebant namque barbarum Regem laquei dolosi Tingitani Comitis si forte adessent, quippe qui ipsum habuerat semper infestum & fortem viribus & consilio sapientem expertus didicerat. Ceperunt nunc Sarraceni Hispalim & circuniacentes vrbes, quia eas absque murorum ambitu inuenerunt inermes. Rex autem Rodericus dum vidisset dolos Iuliani Comitis Tingitani & barbaros sensit adesse; collecto Gotthorum exercitu armatus vt potuit acer & fortis primo subiit pugnam, adeo vt per septem continuos dies infatigabiliter dimicans sexdecim millia & Tharich exercitu interficeret. Iulianus vero & duo filii Vuitizæ, qui erant in præsidio Maurorũ, postquam Regem Rodericum in prima acie certare cernunt, Christianos milites pro mortuis Sarracenis & sauciis commutando barbaros viribus roborabant.

Sed postquam Iuliani fides per totam Africam declaratur, Muza exercitus Africani Regis princeps cum infinita multitudine equitum peditumque ad Hispaniam dirigitur. Deinde renouato bello turmas vnas post alias ad prælium barbarus augere cæpit. Porro Rex Rodericus more solito prælio intentus cæpit acrius instare, ac propensius in hostes ferire. Tandem vero instantibus barbaris Hispani milites cæperunt deficere atque per longitudinem belli fatigati, quisq; hosti locum dare. Terribiliter Gotthi qui erant ex parte Comitis Iuliani irruebant super Hispanos & ad præliandum barbaros animabant. Rodericus autem vbi se à suis vidit destitui, per aliquot dies terga præbens paulatim pugnando vt credimus occubuit, sed non scimus certum interitum eius. Regnauit annis septem mensibus sex. Rudis tamen postea in ciuitate Viseo inuenta est lapidea sepultura, in qua epitaphium est superscriptum, scilicet, hic requiescit Rodericus Rex Gotthorum. Recesserat manus domini ab Hispania ob inueteratam Regum malitiam ne in tempore huius ruinæ eam protegeret. Omnes deinceps Gotthorum milites fusi fatigatiq; fere vsque ad internicionem gladio & inedia perierunt. Non solum modo insecutionibus barbarorum, verum etiam Francorum armis ex parte Galliarum consumpti sunt.

Post hæc Mauri viribus Gotthicis non obstantibus totam Hispaniam fere atque prouinciam Burdigalam & Pictauiam ferro, flamma, fame attritas suo dominio mancparunt. Legionensem vero ciuitatem quondam caput regni Sueuorum fame sibi subiugauerunt, multis Gallecorum in defensione ipsius vrbis viriliter obsistentibus hostili gladio trucidatis. Vrbs quoque Toletana multarum gẽtium victrix Ismaelitis triumphis victa succubuit per proditionem Iudæorum, quia fortior & rebellior fuerat. Nam dum Christiani in die ramis palmarum ad ecclesiam sanctæ Leocadiæ extra vrbem regiam ob reuerentiam tantæ solemnitatis ad audiendum verbum Domini conuenissent, Iudæi qui proditionis signum dederant Sarracenis, Christianis claudentes portas Sarracenis

racenis aperuerunt. Ideo fidelis Toleranus populus inermis inuentus extra vrbem gladio deletus est. Post hæc Sarraceni præfectos per omnes prouincias Hispaniæ posuerunt, & plurib. annis Babylonico Soldano persoluerunt tributa quousque sibi Regem nomine Luzam elegerunt, & Cordubam vrbem patriam regnumque sibi firmauerunt. Hispaniam siquidem absque murorum ambitu reperientes & sine Deo vero Domino Iesu Christo quem reliquerunt Gotthi concubinali luxuriæ & sacrilegio se tradentes in paucis annis vastauerunt, & victricem gentem prostrauerunt, quã præterita secula valde pertimuerunt. Tamen residui Gotthi in arduis montium Pyrenæorum, Asturiarum & Galleciæ se recludentes qualitercumq; euaserunt, Sarracenis quę-
10 que plana & meliora gladio vindice obtinentibus, & in ecclesiis quibus laudabatur nomen Christi Mahometi nomen prophanum voce publica† proclamantes. Euerterunt præterea ciuitatum antiquarum mœnia: diruerunt quædam quæ Rex Rodericus innouauerat castra. Destruxerunt monasteria, sacræ legis libros ignis incendio tradiderunt, & multa perpetrarunt enormia, quia gens glorioſa Gotthorum ignominiose præcepta domini dereliquit. †proclamantibus.

LIBER QVARTVS.

10 POST tantam igitur Hispaniarum ruinam operæpretium est referre qualiter diuina pietas suos quos percutit sanat. Etenim ex rediuiua radice virgultum Gotthorum gentis cœpit resumptis viribus pullulare dum Sanctorum Patrum quærerent regulas quibus possent placere Deo, quas sacerdotes & Reges Hispaniæ sequentes suæ carnis desideria reliquerunt, & ideo perierunt. Eodem tempore in ciuitate Asturiẽsi nomine Gegione præfectus erat Muza consors Tharich, quia iam Sarraceni ardua montium occupabant. Ipso Muza præfecturam agente Pelagius filius suprafacti ducis Fafilæ Spatarius Regis Roderici dominationem Ismaelitarum oppressus cum propria sorore Asturias est ingressus. Muza vero videns sororem illius pulchram accẽsus libidine dolore quasi legationis causa Pelagium Cordubam misit, & eo absente sororem ipsius vi sibi sociauit. Sed Pelagius vt erat vir fortis & catholicus postquam rediit, nullatenus consensit in illicito matrimonio. Sed cum omni animositate, quod iam diu cogitauerat, de saluatione ecclesiæ Christi agere festinauit. Erat rumor per totam illam regionem quod vellet debellare Ismaelitas cum Christianis qui remanserant per mõtana. Quod cum nunciatum fuisset nefandissimo Tarich commotus ira centum milites direxit ad præfectum Muza, qui Pelagiũ comprehenderent & Cordubam ferro vinctum perducerent. Qui dum ad Asturias peruenissent, volentes eum fraudulenter comprehendere in vico cui nomen est Brete, per quendam amicum manifestatum est Pelagio consilium Chaldæorum. Sed quia Sarracenis non poterat ad præsens resistere cursu rapidissimo ad ripã fluminis Pioniæ venit & ad aliam ripam natando se transtulit & montem ascendit. Est enim vallis cui nomen est Cangas. Super quam mons magnus ille Asseua videtur eminere; ad cuius radices montis rupis quędam diuino artificio opere munita in immensum tendens claudit speculam ab omni hostium machinamento securam ex qua egreditur flumen Enna. Cum enim medio stans concaua ferme mille viros capiat ad protegendum quos recipit, nullo fere obstaculo indiget. Ad quã Pelagius Regis Roderici Spatarius qui fugiẽs oppressionem Maurorũ in locis vagabatur incertis, dũ peruenit, diuino fretus oraculo cum quibusdã Gotthorũ militib. ad expugnãdos barbatos à domino corroboratus est.

Omnes Astures in vnũ collecti Pelagium super se principẽ erexerunt. Cęterum de robore loci & facto Pelagii vbi rumor egreditur barbarorũ aures promulgãdo aperiens; Cordubam reuersi milites Sarraceni Regi suo omnia referunt, scilicet, Pelagium de quo Muza suggestionẽ fecerat, manifestũ esse rebellẽ. Quod Rex Tharich, vt audiuit, commotus vasania immensum Ismaelitarũ exercitum vndiq; cõglomerat, atq; Alcamanem socium suum ducem super eum constituens, Oppam quoq; Toletanũ episcopum Witizani Regis filium, qui iam se barbaris dederat, ob cuius fraudem Gotthi perierũt, ad capiendum Pelagium cum eis direxit: quia Christianorum primas & episcopus fuerat, & fortassis posset eum decipere. Alcaman ab imperãte præceptum acceperat, quod si Pelagius monitis Toletani episcopi obsecundare nollet, fortitudine prælii captus Cordubam vinctus catenis perduceretur.

Venientes itaque Alcamam & Oppa cum octuaginta millibus equitum & peditum fundibalorumque, Asturias ingressi sunt. Sed postquam ad beatam speluncam ventum fuerat, & circuncirca densa barbarorum fingerentur tentoria. Primo quasi Christianorum infortunio condolendo Oppa verbis quasi pacificis in dolo Pelagium tentare aggreditur, quatenus postposita recuperandæ patriæ cura se omnemq; voluntatem suam sicuti Deus permittit fieri in Chaldæorum traderet potestatem. Addit etiam magnis cum honoribus sublimari si monitis eius præbere assensum non differat. At Pelagius à bono proposito animum reuocare abhorrens præ nimio dolore motus in ira fertur talia respondisse. Tu inquit, & fratres tui cum Iuliano Sathanæ ministro regnum Gotthicæ gentis subuertistis, & Christi ecclesiam deiecistis, & propter scelera patris tui Vuitizæ, qui peccare coegit gloriosam gentem Gotthorũ, reliquit dominus ecclesiam suam; & quia Deo facile est saluare siue in paucis siue in multis, nos de misericordia Domini confidentes conuertimur ad Dominum Deum nostrum, vt fidem Catholicam conseruemus quam vos spreuistis & pater vester. Est enim ecclesia Dei sicut Luna, quæ aliquando valde diminuta & iterum reuertitur ad plenitudinem primam. Ecce in ista coua hodie inclusa est maxima pars militiæ Gotthorum, sed egredietur ex illa dante domino semen quo genus Gotthicum & ecclesia Christi in tota Hispania restauretur, quod quia aduocatum habemus apud Deum Patrem Dominum nostrum Iesum Christum totam spem nostram ponentes in eo hanc multitudinem paganorum, quibus ducatum præbes, despicimus. Confidimus enim per intercessionem gloriosæ Virginis Mariæ genitricis eiusdem Domini nostri Iesu Christi saluari, & ipsa adiuuante, quæ mater misericordiarum est, gentem Gotthorum de paucis quæ sunt in ista spelunca restaurari, sicut ex paucis granis infinitæ segetes germinantur. Quibus dictis Pelagius, & qui cum eo erant tanto hoste perterriti incluserunt in spelunca beatæ Mariæ suffragia expetentes, cuius ibidem memoria veneratur, & pro recuperatione Christianorum orationibus insistebant.

Videns autem Oppa confidentiam quam Pelagius in domino posuerat, conuersus ad Ismaelitas dixit: Properate ad speluncam, & pugnate fortiter, quia vt ex verbis eius comperi nisi per gladium pacem cum eo habere non possumus. Alcamam illico fundibalis, sagittariis, & vibrantibus iacula portam speluncæ ferire præcepit. Tunc cerneres saxa intermissis iaculis sicut densissimas pluuias euolare contra beatam speluncam, sed in hoc turbine iaculorum & lapidum qualiter diuina manus quæ percutit & sanat, pro Christianis pugnauerit, ex eo potest aduerti, quod lapides & iacula à Sarracenis emissa contra eos retorquebantur, & maximam Sarracenorum multitudinem prostrauerunt. Barbari autem vbi non solum ad peragendum negocium quod volebant se nihil proficere, sed maximam suorum partem vident prostratam armis suis, confusi turbatique retrocedendo speluncam oppugnare destiterunt. At Pelagius Dei gratia & fortitudine roboratus dum tantam multitudinem hostium prostratam aspicere, reliquos qui supererant Sarracenos egressus de spelunca cum suis stricto ense inuadit. Ibique statim Oppa captus est, & Alcamam cum viginti millibus Sarracenorum interfectus. Sed neq; sexaginta millia quæ remanserant domini vindictam euadere potuerunt. Siquidem dum per verticem montis Asseuæ fugam arriperent, atque per concaua petrarum, & deuia loca ad Leuanam venire vellent, quoddam supercilium montis dum graderentur secus flumen deuia à fundamento corruës in eodem flumine, diuino nutu oppressit eos. Vnde cum idem flumen inundatione aquarum proprium alueum excedit, multa ex eis signa armorum & ossium euidenter ostendit. Vere Deus impleuit tunc cum seruis suis illud quod Apostolus dicit, Fidelis, inquit, Deus, qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet cum tentatione, & prouentum vt possitis sustinere. Tam glorioſe egit dominus tunc cum populo Christiano, vt nec in populo Israelitico cum Deus cum paucis de multis dedit sepius triumphare, talis victoria inueniatur.

Eo tempore erat in Gegione Asturiarum maritima ciuitate præfectus quidã Maurus nomine Muza, qui cum Tharich, vt superiùs dictũ est, Roderico Regi Gotthorum bellum indixerat. Hic postquam tantam barbarorum stragem audiuit timore perterritus relicta ciuitate Gegione fugam petiit. Sed ab Asturibus interceptus in quodam vico, qui dicitur Olalies, cum suis interfectus est. Maurorum autem Rex, vbi se vidit frustratum spe sua & quos ad expugnandum Pelagium misit, didicit interfectos, Iulianum Comitem, & duos filios Vuitizæ, huius rei dolosè conscios autumans fecit eorundem capita amputari. Cæterum Gotthorum gens velut à somno surgens cæpit

patrum

patrum ordinem paulatim requirere, & consuetudines antiquorum iurium obseruare, in bello sequi signa, in regno legitimum seruare imperium, in pace fundare ecclesias, & studio deuotissimo exornare. Primo & principaliter Deum qui eis pauciſſimis de multitudine hostium dederat triumphare, collaudabant toto mentis affectu. Conuenichant ad eos omnes Gotthi qui dispersi erant per Gallias, & per cæteras regiones & Chaldæos in manu valida expugnabant. Eo tempore Adefonsus catholicus Petri Cantabriensis ducis filius, qui fortiter rebellionem parauerat Sarracenis, Hermesendã Pelagii Regis filiam accepit in coniugem. Vixit quoq; Pelagius in regno annis decem & octo & morte propria in Cangas vitam finiuit.

Era DCCLXXIIII. Fafila filius Regis Pelagii in regnum successit. Basilicam in honore sanctæ crucis opere miro construxit. Quadam occasione leuitatis à quodam vrso interfectus est, quia voluit cum eo propriis viribus decertare. Regnauit annis duobus.

Era DCCLXXVI. Adefonsus catholicus ab vniuerso populo Gotthorum in Regem eligitur. Fuerat namque Petrus ex Reccaredi sereniſſimi Gotthorum principis progenie ortus, qui debitum carnis exsoluens duos filios supradictum Adefonsum, scilicet, & Froylam reliquit. Sed Adefonsus cum quo Pelagii filia nupserat vix mortuo Fafila in Regem constituitur. Exercitum cum Froyla contra Tarracenos sæpius mouens quam plurimas à barbaris ciuitates oppressas bellando cæpit, id est, Lucum, Tudam, Portugalem, Anegiam, Braccaram, Viseum, Flauias, Letesmam, Salmãticam, Numantiam, quæ nunc est Zamora, Abelam, Astoricam, Legionem, Septimancas, Saldaniam, Amaiam, Secobiam, Oxomam, Septempuluicã, Arganzam, Cluniam, Maue, Aucam, Mirandam, Reuendecam, Carbonariam, Aluegiam, Ciniſariam, & Alsaueo. Cepit etiam castra cum terminis suis, id est, Primorias, Trasmieram, Suportam, Carnizã, Barduliam, quæ nunc est Castella, & maritima Galleciæ, Alauam, Bizcayam, Aiconem, Orduniam, Pampiloniam & Beroziam. Omnes quoque Arabes gladio interficiens Christianos qui detinebantur captiui secum ad patriam duxit. Eo quoque tempore populauit Asturias & Leuanam & totam Castellam, Alauam & Bizcayam, & Pampilonam. Alias autem ciuitates vastauit, quia illas non potuit populare. Humilis Rex fuit, & hominibus amabilis extitit, ecclesias nefando Mahometis nomine remoto in nomine Christi consecrare fecit. Episcopos vnicuique ciuitatum quas potuit capere & retinere præposuit secundum traditionem sacrorum canonum, atque ecclesias auro, argento, lapidibus pretiosis ac sacræ legis libris studuit decorare. Habuit filios ex Hermesenda filia Pelagii Regis idem, Froylanum Vimaranũ, qui fuit pater Veremundi Regis diaconi & Adosindam. Mauregatum, post hæc habuit filium, qui fuit natus de ancilla quadam de Caso pulchra nimis post mortem Hermesendæ Reginæ. Post multa vero quæ supra feliciter successerunt obiit, & voces in eius obitu auditæ fuerũt in aere laudantium Deum & dicentium. Ecce quomodo tollitur iustus & nemo considerat; ablatus est à facie iniquitatis, & erit in pace memoria eius. Regnauit annis decem & nouem, & sepultus est vna cum vxore sua Hermesenda in territorio Cangas in ecclesia sanctæ Mariæ.

Era DCCLXXXXV. filius eius Froylanus regnauit pro eo. Iste episcopatum in Oueum transtulit à Lucensi ciuitate, quæ in Asturiis à Vandalis ædificata fuerat. Perquisiuit etiam diligenter sacros ecclesiæ Christi canones, & prohibuit ne ministri ecclesiæ carnalia matrimonia vlterius sortirentur: sed in suis ordinibus secundum quod institutum est à sanctis patribus absque fœminarum manifesto coniugio ministrarent. Pro qua re quamquam in quibusdam aliis austerus fuit, quia magnum Deo exhibuit famulatum, & diuina virtus de inimicis multoties dedit triumphum. Siquidem Cordubensis barbarus Rex cum fines prouinciæ Galleciæ deuastaret, & cum manu militum armatorum obuius processit, consertoq; prælio quinquaginta millia Sarracenorum interfecit. Nec non & ducem eorum nomine Haumarinum capiens cum captiuis multis aliis trucidauit, superauit & Galleciæ populum aduersus suum imperium rebellantem. Domuit quoque Nauarros sibi rebellantes, ex quibus scilicet ex regali stẽmate nomine Moniam duxit vxorem ex qua genuit filium nomine Adefonsum. Fratrem suum Nimaranem ob zelum regni innocuum interfecit. Veremundum filium eius sibi adoptauit, & ipse à suis ob vindictam fratris in Cangas interfectus est. Erat enim Vimaranus valde pulcher & miles strenuus, qui propter bonitatem suam ab omnibus amabatur. Regnauit annis duodecim, & sepultus est Oueti vna cum vxore sua Munina, quam duxerat è Vasconia.

Era DCCCVII. Aurelius patruus eius succeſſit in regnum. Cuius tempore ſeruilis origo contra proprios dominos tyrannidem ſumpſit. Sed Regis induſtria ſuperati ſeruituti priſtinæ ſunt redditi. Prælia cum Chaldæis nunquam geſſit, ſed pacem cum eis firmauit, & quaſdam Chriſtianas nobiles mulieres Sarracenis permiſit in coniugio copulari. Suo tempore Silo de genere Regum Adoſindam Froylæ Regis ſororem coniugem accepit: per quam poſtea regnum obtinuit. Aurelius autē anno regni ſui ſexto vitam finiuit & ſepultus eſt in Cangas.

Era DCCCXIII. Silus regnum adeptus eſt, & cum Iſmaelitis pacem firmauit. Galleciam rebellantem in monte Ciperio ſuperauit. Dum iſte regnaret, Adefonſus Regis Froylæ filius cauſa dilectionis Adoſindæ Reginæ vices Regis ſupplebat in regno, quia Silus carebat filiis ex coniuge. Hic anno regni ſui octauo vitam finiuit, & ſepultus eſt vna cum vxore ſua Adoſinda in eccleſia ſancti Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ, quam ipſe conſtruxit.

Era DCCCXXI. Adefonſus in ſolio patrio in Regem conſtituitur. Mauregatus autem patruus eius ex ancilla natus cum exercitu Sarracenorum venit, & eum de regno expulit. Adefonſus vero fugiens Alauam petiit, ad propinquoſque matris ſuæ Muninæ ſe contulit. Et quia Mauregatus erat affabilis & benignus regnū quod inuaſit quinque annis vendicauit. Multas nobiles puellas & etiam ignobiles ex conditione Sarracenis matrimonio dedit cum eis habens pacem. Poſt hæc mortuus eſt & ſepultus in Prauia.

Era DCCCXXVI. Veremundus Diaconus filius Nimarani in Regem eligitur. Qui Veremundus vir magnanimus fuit duobus annis regnauit & regnum ſponte dimiſit reminiſcens ordinem Diaconi ſupra ſe olim impoſitum, & Adefonſum quem Mauregatus à regno expulerat ſcilicet, ſucceſſorem in regno conſtituit, & cum eo aliis quatuor annis & menſibus ſex cariſſime vixit & in pace vitam finiuit & ſepultus eſt vna cum vxore ſua Nunilo Regina Oueti relictis ex ea filiis paruulis Ramiro & Garſia.

Era DCCCXXVIII. Adefonſus caſtus & pius filius Froylani Regis regnum ſuſcepit, multis virtutibus emicuit, ſolium ſuum pulchro & forti opere Oueto firmauit, templum Saluatoris noſtri ibidem fabricauit aulamque ſanctæ Mariæ iuxta ipſum templum ædificauit. Baſilicam quoque ſancti Tyrſi pulchro ædificio fieri fecit, omnesque has domini domos cum arcubus lapideis atque columnis marmoreis auro argentoque ornauit. Palatium regale Oueto fecit, quod picturis variis decorauit, omnem Gotthorum ordinem ſicuti Toleto fuerat tam in eccleſia quam in palatio Oueto fieri ordinauit. Cum eſſet omnino caſtus & pius & catholicus arcam quam Pelagius Rex à Toleto detulerat in Aſturias diuerſorum ſanctorum reliquiis plenam Ouetum detulit. Ædificauit & altare meridianum in vltima parte eccleſiæ ſancti Saluatoris, vnde aſcēſio fit per gradus ad honorem ſancti Michaelis Archangeli: vbi trāſtulit glorioſiſſimam arcam cum multis aliis ſanctorum reliquiis propter loci tuitionem & ſecuritatem. Hoc factum credens eſſe ad firmitatem ſui regni & ſalutem totius populi Chriſtiani. Concurrunt ad pia ſanctorum ſuffragia ex multis partibus fideles vota cum deuotione ferentes, & auctoritate apoſtolica tertiæ partis ſuæ pœnitentiæ indulgentiam conſequentes. Quæ nimirum arca gentili terrore comminante tempore Mahometi pſeudoprophetæ ab Hieroſolymis nauigio Hiſpalim eſt delata. Deinde per annos nonaginta quinque Toleti permanſit. Rurſus cum à Mauris Toletum opprimeretur arcam Dei Pelagius rapuit, & per abdita loca ad Aſturias duxit, quam Rex Adefonſus vt dictum eſt in eccleſia Ouetenſi honorifice cum multis aliorum ſanctorum reliquiis collocauit.

Iulianus quoque quondam Archiepiſcopus Toletanus qui à nefario Vuitiza Rege ab Archiepiſcopali dignitate fuit expulſus, cum prædicta arca venit, & Oueto quieſcit. Decoratur etiam dicta Ouetenſis eccleſia angelici miraculi nouitate. Dum ei quadam die Rex Adefonſus haberet caſu coram ſe pondus auri ſplendidiſſimum & quoſdam lapides pretioſos, cogitare cæpit intra ſe, quomodo ad opus dominici altaris inde crux fieri poſſet. In eadem ſancta deuotione Rege exiſtente cum poſt auditam Miſſam à templo noſtri Saluatoris regale palatium peteret, obuios habuit duos angelos in figura peregrinorum, qui ſe aurifices eſſe dixerunt.

Rex

Rex autem Adefonſus illico tradidit eis aurum,& lapides, & iuſſit illis dare domum in qua poſſent ſine impedimento hominum operari. Sed Rex dum pranderet ad ſe reuerſus quibus perſonis dederit aurum inquirit,&ſtatim vnum poſt alium legatum mittit,vt viderent quod ignoti aurifices agerent. Iam miniſtri domini fabricæ accedebãt, cum ſubito tanta lux intra domum reſplenduit, vt non poſſent eam oculi humani aſpicere præ nimia claritate. Quod cum nunciatum Regi fuiſſet cito occurrit ad domum, & crucem ſolam ſine aurificibus reperit, quæ totam domum ſicut ſol irradiabat. Rex autem accipiens benedictam crucem conuocato omni clero cum laudibus & hymnis Deo gratias agens eandem ſimiliter in altari ſancti Saluatoris reuerenter poſuit. ad augmentum etiam ſuę felicitatis à reuerendo patre Leone tertio Romano antiſtite impetrarunt,vt Ouetenſis eccleſia Archiepiſcopali dignitate dictaretur. Anno regni ſui tertio exercitus Chaldæorum Aſturias ingreſſus eſt,qui in loco qui dicitur,Lutos ab eiuſdem piiſſimi Regis militibus præuenti † nonaginta millia cũ duce ſuo nomine Muzay ex eis proſtrata ſunt. Multa prælia cum Sarracenis habuit dum vixit:& ſemper victor extitit. Erat Regi ſoror nomine Xemena; quam Sanctius Comes iam adamauit & ex ea filium genuit nomine Bernaldum. Rex autem Adefonſus, vt factum comperit nimium iratus Comitem Sanctium in caſtro de luna ſub iuramento perpetuo incarcerauit,& ſororem ſuam in ordine monaſtico truſit. Fecit tamẽ Bernaldum delicate nutriri,quia eo quod non habebat filium illum tenerrime diligebat. Hic Bernaldus poſtquam ad adoleſcentiam venit tanto viguit robore, vt nullus miles tunc temporis poſſet ei viribus adæquari. Erat quidem ſtatura magnus,vultu decorus,ſuauis eloquio,ingenio clarus,armis ſtrenuus,& conſilio prouidus. Per idem tempus Magnus Carolus Rex Franciæ & Imperator Romanus venerando ſenio decoratus, funeſta truncatione Iſmaeliticum populum trucidauit,& Burgundiam, Pictauiam,& Galliam vſq; ad montes Pyrenæos expulſis Sarracenis reſtituit cultui Chriſtiano. Vnde tranſiectis etiam Roſcidæ vallis montibus ſubdidit imperio ſuo Gothos,& Hiſpanos, qui erant in Catalonia & in montibus Vaſconiæ,& in Nauarra. Tunc Carolus ſcripſit Regi Adefonſo vt ſibi eſſet ſubditus & vaſallus. Bernaldus autem hæc audiens ira commotus feſtinauit cum ſuis contra Carolum ferre auxilium Sarracenis. Carolus vero obſedit Tutelam, quam breui cepiſſet, niſi proditione cuiuſdam Galalonis ſui palatii Comitis Tutela dimiſſa Naiaram petiiſſet. Qui poſtquam cepit Naiaram & montem Iardinum , & in Franciam redire diſponeret. Marſil Rex barbarorum, qui præerat Cæſarauguſtæ ciuitati, conuocatis innumerabilibus millibus Sarracenorum,& prædicto Bernaldo atque quibuſdam Nauarris ſecum aſſociatis, & cum Francis inito bello Rodlandus Britannicus præfectus, Anſelmus Comes, Egiardus menſæ Caroli præpoſitus cum aliis multis nobilibus Francis exigentibus peccatis noſtrorum occiſi ſunt. Tranſierat iam quidem Carolus in primo ſuorum agmine Alpes Roſcidæ uallis dimiſſa in poſteriore parte exercitus manu robuſtorum ob cuſtodiam, qui Bernaldo (poſtpoſito Dei timore) ſuper eos cum Sarracenis acerrime incurſante interfecti ſunt. Sed iterum Chriſtianiſſimus Carolus exercitu reparato hoc factum triumphali victoria viriliter vindicauit ex Sarracenorum nobilibus innumerabilem extinguens multitudinem. Limina etiam beati Iacobi cum per deuia Alauæ veniens Chriſtianiſſimus Carolus gratia viſitaret orandi, ſaniori eius conſilio Rex Adefonſus Iriam ciuitatem deſtruxit, & ſancti Iacobi Apoſtoli eccleſiam quam ipſe conſtruxerat reuerendi patris Leonis tertii Romani pontificis aſſenſu Metropolitano ſublimauit honore, atque vt ſecundum ſancti patris Iſidori viuerent tam Iacobitani quam omnis Hiſpaniæ clerus ſtatuit, vt hoc eſſet Hiſpaniæ ſubleuatio cuius neglectus extiterat ei cauſa deiectionis. Carolus autem reuertens in Hiſpaniam ſecum eum honore magno Bernaldum detulit , & vitæ termino feliciter conſummato ad Aquisgranũ in domino obdormiuit: vbi condigno quieſcit honore. Bernaldus vero inter Romanos & Germanos atque Gallos ſe glorioſe geſſit,& ſub imperatoribus ſcilicet Lodoico & Lotario contra hoſtes Imperii Romani fortiter dimicauit.

viginti

Anno regni Regis Adefonſi quadrageſimo ſeptimo cum fama ſuæ bonitatis apud Chriſtianos & barbaros vbique terrarum diuulgaretur, venit ad eum quidã Mauritenſis nomine Machometh, qui aduerſus Abderramam Regem Maurorum maximum arma ſumpſit, & eius deprædatus eſt prouincias, & exercitum ſæpe proſtrauit. Cumque in patria habitare nequiret, Regem Adefonſum precibus petiit promittens ſe illi ſeruare fidem. quem Rex Adefonſus benigne ſuſcipiens cum omni exercitu ſuo eum in finibus Galleciæ habitare iuſſit. Poſt annos autem duos Machumeth ſuperbia

eleuatus contra Regem conſpirare præſumpſit, atque aggregatis Maurorum copiis validiſſimis cæpit totam Galleciam hoſtiliter deuaſtare. Huius rei accepto nuncio Rex Adefonſus grauiter commotus collecto exercitu Galleciam intrat. Tamen barbarus quamuis in ſuorum numeroſitate confideret impetum exercitus Regis formidans in quodam caſtro cui nomen eſt ſancta Chriſtina ſe cum ſuis recepit. Sed Rex eum à tergo perurgens circundedit militibus caſtrum. Milites autem ſtatim muros irrumpentes primo impetu ipſum Machumeth confodiunt, caputque eius abciſſum ad Regis præſentiam defeſunt. In cæteros etiam conſurgentes quinquaginta millia barbarorum trucidarunt. Rex autem cum magno captiuorum pecuniarumque numero Ouetum reuerſus eſt. Duxerat vxorem nomine Bertam ſororem Caroli Regis Francorum: quam quia nunquam vidit & abſtinuit à luxuria Rex caſtus vocatus eſt. Quinquaginta duobus annis regnauit feliciter, quamuis vndecim annis antequam ſolus regnare cæpit tempore Regum ſcilicet Sili & Mauregati & Veremundi Rex vocaretur. Sed antequam moreretur Ramirum filium Veremundi Regis diaconi ſibi regni ſucceſſorem elegit: & in ſenectute bona mortuus eſt & Ouetti in eccleſia ſanctæ Mariæ feliciter tumulatus.

Era DCCCLXXX Ramirus regnare cœpit. Eo tempore abſens erat à propria ſede, quia in Barduliam, quæ nunc Caſtella dicitur, perrexerat ad accipiendam vxorem, & cum Rex Adefonſus deceſſiſſet Nepotianus quidam palatii Comes tyrannidem ſumpſit. Quod factum Ramirus vt comperit venit Galleciam, & apud ciuitatem Lucenſem exercitum congregauit. Deinde animoſus Aſturias ingreſſus iuxta Narceam fluuium armatorum equitum peditumque Nepotiani multitudinem aggreditur bello. In ipſo autem primo congreſſu Nepotianus deſtitutus à ſuis in fugam conuerſus eſt. Quem duo comites Scipio ſcilicet & Somna inſequentes apud Pianoniam ceperunt & oculis orbauerunt. Rex autē Ramirus fecit eum in ordine monaſtico dum vixit miſericorditer ſuſtentari. Iuſtus & ſtrenuus fuit Rex Ramirus in regno. Qui cum regnare cæpiſſet miſerunt ad eū Sarraceni quod daret illis annuatim quinquaginta puellas nobiles quas ſibi matrimonio copularent, & quinquaginta de plebe quæ ad ſolatiū eſſent illis, ſicut olim fecerat Rex Mauregatus. Rex autem Ramirus cum hæc audiſſet iratus eſt valde propter ſtuprum & ſacrilegium puellarum, & congregato exercitu magno terram Maurorum hoſtiliter intrauit; & cuncta quæ in agreſtibus villis & in agris reperit vſque Naiaram ferro & flamma vaſtauit. Sarraceni vero in multitudine valida congregati ei bellum intulerunt in loco qui vocatur Aluella. Exercitus autem Regis Ramiri paulatim cæpit terga præbere vſque dum peruenerunt in collem qui Catuildum vocatur. Clauſit nox obſcuriſſima diem: & in vna mola omnes Chriſtiani congregati ſunt totam noctem in lachrymis & in orationibus peragentes. Rex autem Ramirus aliquantulum dormire cæpit, & apparens ei beatus Iacobus Apoſtolus ait illi: Dominus noſter Ieſus Chriſtus alias prouincias aliis fratribus noſtris Apoſtolis diſtribuens totam Hiſpaniam meæ tutelæ deputauit, atque mea muniuit protectione. Poſt hæc Apoſtolus manu ſua manum Regis aſtringens dixit illi. Confortare & eſto robuſtus. Ego enim ſum Iacobus Apoſtolus Chriſti & venio in auxilium tibi, & ſuperabis mane auxilio Dei Sarracenorum à quibus obſeſſus es hanc innumerabilem multitudinem. Multi tamen ex tuis quibus iam parata eſt æternarequies, ſunt in iſto prælio coronam martyrii ſuſcepturi. Et ne dubites ſuper hoc: videbitis me in equo albo deferentem maximum album vexillum. Summo igitur mane facta peccatorum veſtrorum confeſſione & accepta corporis & ſanguinis domini communione, armata manu non dubitetis inuadere caſtra barbarorum nomen domini inuocantes & meum. Pro certo enim noueris eos in ore gladii ruituros. Quibus dictis Apoſtolus diſceſſit. Rex autem Ramirus ad ſe reuerſus vocatis epiſcopis, abbatibus & magiſtratibus, eis retulit viſionem. Qui gratias agentes Deo fecerunt vt ſibi fuerat præceptum, & bellum barbaris intulerunt. Beatus autem Iacobus apparuit ſicut promiſerat Chriſtianos animando ad pugnam, & Sarracenos fortiter feriendo. Chriſtiani autem vt viderunt beatum Iacobum in domino roborati cæperunt magnis vocibus, concidendo gladiis Sarracenos clamare dicentes: Adiuua nos Deus & beate Iacobe. Tunc victi Sarraceni fugerunt & ceciderunt ex illis fere ſeptuaginta millia. Tunc cepit Rex Calagurram & quædam alia caſtra & reuerſus eſt cum gloria magna.

Rex

Rex autem Ramirus cum episcopis & abbatibus statuerunt tunc annuatim perpetuo dare tam in terra acquisita, quam adquirenda, quam Deus sub nomine beati Iacobi dignaretur de Sarracenorum manibus liberare, de vnoquoque iugo boum singulas mensuras ad modum primitiarum, & de vino similiter clericis in ecclesia beati Iacobi Apostoli Deo seruientibus. Concesserunt etiam similiter in perpetuum quod Christiani milites in singulis expeditionibus de eo quod à Sarracenis adquisierint, ad mensuram portionis vnius militis beato Iacobo conferre. Præsentes erant duo Archiepiscopi & quatuor episcopi cum hæc dona beato Iacobo Apostolo vouerentur, scilicet Dulcidius Cantabriensis Archiepiscopus Suarius Ouetensis, Oueto Astoricensis episcopus, Rodericus Lucensis episcopus, & Petrus Iriensis episcopus. Præsentes quoque erant Ordonius filius Regis Ramiri & Garsias frater Regis, qui ambo Reges dicebantur. Siquidem Rex Ramirus tantæ benignitatis erat, vt fratrem tanquam se ipsum diligeret, & participem faceret regni. Non apposuerunt vltra Sarraceni à Christianis tributum petere puellarum, quia Rex Ramirus barbaros in manu valida expugnabat auxilio glorioſissimi Apostoli roboratus. Inclyta quoque Regina Vrraca vxor eius quam glorioſe erga ecclesiam beati Iacobi Apostoli se habuerit, ex hoc potest aduerti quod eam multis donis, auro, argento, gemmis & cortinis sericis decorauit. Ouetensem quoque ecclesiam sancti Saluatoris multis insigniis nobiliter ditauit: quia catholica per omnia fuit. Rex autem Ramirus blandus & clemens erat, bonis scilicet tractatibus & seuerus videbatur iniquis. Latrones eorum oculos euellendo abstulit, magicis artibus per ignem finem imposuit. Eius tempore Normānorum classes per septentrionale mare ad littus Legionis ciuitatis aduenerunt. Gens hæc crudeliſsima & in partibus nostris antea non visa. Quod Rex vt comperit aduersus eos cum exercitu suo venit; & multitudinem eorum vicit, & septuaginta naues illorum combussit, atque multis ditatus diuitiis ad propria incolumis reuersus est. Duo etiam proceres magnatorum suorum aduersus eum conspirauerunt. Sed tanta illorum detecta væsania vni eorum nomine Aluito Rex oculos euellere præcepit. Alterum vero nomine Primolum Legali sententia pro traditione condemnatum capitalem sententiam cum septem filiis suis subire iussit. Construxit etiam sanctæ Mariæ ecclesiam duobus ab Oueto milliariis remotam ex marmore opere forniceo decoratam. Ad titulum etiam Archangeli Michaelis in latere Maurantii montis nobilem & pulchram ecclesiam fabricauit. Fecit quoque spatio sexaginta passuum ab ecclesia palatium opere miro inferius superiusque cumulatum, quod in ecclesiam postea versum beata Dei genitrix virgo Maria inibi adoratur. Cæterum Ramirus Rex anno regni sui sexto expleto ex hoc seculo migrauit, & Oueti tumulatus quiescit.

Era DCCCLXXXVI. Ordonius in regnum patris Ramiri succeſſit. Qui magnæ patientiæ atque modestiæ fuit, & in omnibus negotiis regni valde discretus, vxorem duxit nomine Mumadonam ex qua hos susceptos filios habuit, Adefonsum, Veremundum, Nunnium, Odarium, Froylanum. Ciuitates desertas ex quibus Adefonsus maior Chaldæos eiecerat, iste populauit & muris muniuit, id est, Legionem, Astoricam, Tudam, Margiam, Patriciam, multaque alia castra. In primo anno regni sui cum aduersus Vascones rebellantes exercitum mouetet, atque illorum patriam suo iuri subiugasset, illo ad propriam remeante nuncius aduenit, dicens: Ecce ex aduerso exercitus Arabum adest. Illico Rex ferrum & acies ad illos vertit, & sine mora eorum turbam fugauit & membratim gladio detruncauit. Eo tempore quidam Muza natione Getulus sed ritu Machometiano cum tota gente sibi subdita decepta contra Cordubensem Regem bellauit: eisque multas ciuitates partim gladio partim fraude inuasit. Prius quidem Cæsaraugustam, dein Tolosam, & Oscam, postremum vero Toletum: & ibi filium suum nomine Lupum posuit præfectum. Postea in Francos & Gallos arma conuertit: & multas ibi strages & prædas fecit & nobiles Francorum quosdam deuicit; inter quos duos Caroli Regis magnos duces vnum nomine Sanctionem & alium Oculionem fraude cepit, & eos vinctos in carcerem misit.

Carolus vero magnus Franciæ Rex, quia multis negotiis aliis pro ecclesiæ liberatione erat præpeditus, nec sine discrimine magno illis annis poterat obuiare, muneribus cæpit ei blandiri vt eius amicitiam obtineret. Igitur ob tantæ victoriæ prosperos euentus Muza tertium se Hispanorum Regem à suis appellari præcepit. Post-

hæc ex Chaldæis duos magnos tyrannos vnum nomine Hienchaza, alterum nomine Alporũ cum filio ſuo Azeth partim Muza partim filius eius Lupus præliando ceperũt. Quibus omnibus ei proſpere ſuccedentibus ſe contra Regem Ordonium in manu valida erexit. Ad cuius væſaniam comprimendam Rex Ordonius exercitum mouit: & ad ciuitatem quam ille nouiter opere miro conſtruxerat,& Albeidam vocauerat,cum exercitu venit,& munitione circumdedit. Quo nuncio Muza commotus adunatis Maurorum validiſſimis copiis ſine dilatione ad pugnam ſe præparauit, & in monte cui nomen eſt Ladurzo tentoria fixit. Rex vero Ordonius exercitum ſuum in duas partes diuiſit. Vnam partem, ſcilicet, quæ ciuitatem obſideret, & aliam quæ contra Muzam dimicaret. Initoque certamine tanta barbari cæde proſtrati ſunt, vt exceptis innumerabilibus fere militibus Chaldæorum, quorum ſanguis effuſus eſt, decẽ millia magnatorum pariter cum genere eiuſdem Muzæ nomine Garſia interempta ſint. Ipſe vero Muza ter gladio confoſſus equino curſu manus Chriſtianorum ſemiuiuus euaſit. Sed ad ciuitatem Ordonius Rex animoſus exercitum applicans poſt ſeptem dies bellando cepit eam,& vſque ad fundamenta deſtruxit. Omnes quoque bellatores barbaros gladio extinxit, & puerorum & matrum eorum magnam turbam in captiuitatem redegit,in quo bello Muza omnem fere armorum & equorum fortitudinem,ſimulque ſpolia ex diuerſis victoriis congeſta,nec non & inſignia & munera infinita quæ Carolus ei direxerat, perdidit, & nunquam poſtea effectum victoriæ habuit. Lupus vero filius eiuſdem Muzæ qui Toleto conſul præerat, dum cognouit quod pater eius taliter fuerat ſuperatus,Ordonio Regi cum omnibus ſuis ſe ſubiecit:& dum vixit ſubditus illi fuit. Poſtea vero cum eo aduerſus Chaldæos prælia multa geſſit. Multas etiam alias ciuitates Rex Ordonius præliando cepit. Idem ciuitatem Caurienſem cum Rege ſuo nomine Zeit; aliam cepit ciuitatem nomine Talamancam cũ Rege ſuo nomine Mozem & vxore ſua,& bellatores eorum omnes interfecit. Reliquum vero vulgus cum vxoribus & filiis ſub corona vendidit. Piratæ etiam Normannorum his temporibus ad noſtra littora peruenerunt,qui fugati armis Regis Ordonii per Hiſpaniam perrexerunt,omnemque maritimam gladio igneque diſſipauerunt. Exinde mari tranſuecti Nachor ciuitatem Mauritaniæ inuaſerunt,ibique multitudinem Chaldæorum gladio interfecerunt. Deinde inſulas,ſcilicet, Maioricam, Fermenteram, & Minoricam aggreſſi gladio eas depopulauerunt. Inde Græciam aduecti poſt triennium in patriam ſunt reuerſi. Ordonius autem Rex decimo ſexto anno regni ſui expleto morbo podagrico correptus Oueti eſt defunctus, & in baſilica ſanctę Mariæ tumulatus; felicia tempora duxit in regno, & nunc ſicut credimus feliciter regnat cum Chriſto.

Era DCCCCII. Adefonſus qui obeunte patre caſu à palatio aberat,poſtquam accẽpit nuncium quod pater eius Ordonius erat mortuus ſumma feſtinatione Ouetũ venit, & de conſenſu & fauore omnium magnatorum anno ætatis ſuæ quatuordecimo in Regem vnctus eſt: & commiſſam regni adminiſtrationem.ſtrenue diſponere inchoauit. Filius autem perditionis Froyla Veremundi ex partib. Galleciæ cum magno exercitu venit ad inquirendum regnum non debitum ſibi. Rex vero Adefonſus cum eſſet ſecurus cum paucis,& inopinatum illius audiret aduentum,vt exercitum cõgregaret receſſit in partibus Alauenſium. Sed nefandus Froyla dum ſe incaute gereret interfectus eſt à Senatu Ouetenſi. Quod Rex Adefonſus vt audiuit Ouetum rediit & honorifice ab Aſturibus & Gallecis ſuſceptus eſt. Exinde Legionem venit,& Sublaciam & Ceam populauit. Dum eſſet in Legione nuncius ex Alaua venit qui diceret Alauenſes ei rebellare. Rex vero cum exercitu illuc ire diſpoſuit, ſed ipſi terrore aduentus eius concuſſi iura debita cognoſcentes ſupplices colla ſubmiſerunt Regi eius ſe imperio ſubiugantes. Cepit Rex Eylonem Comitem eorum qui parauerãt rebellare,& ferro vinctum ſecum duxit Ouetum. At multo poſt vniuerſam Galleciam ſecum aſſociauit ad debellandos Sarracenos; & cepit Atentiam & multas clades ferro, flamma & fame intulit Sarracenis. Cæterum vt ab infantia Deum timere cæperat, omnes patris theſautos eccleſiis & pauperibus ſtuduit erogare, atque inter cætera regni negotia quæ ab eo legitime ac ſtrenue geſta ſunt, Maurorum infinitam multitudinem ex Toletano regno eius imperium deuaſtantem felici pugna deuicit:& quadringentos quadraginta ex eis primo impetu proſtrauit.Inſequutus etiam fugientium terga tanta cæde in eis debacchatus eſt, vt de innumerabili eorum multitudine euaderent perpauci. Habebat ſecum famoſiſſimum militem Bernaldum,qui in iſtis præliis tanquaꝫ Leo fortiſſimus ſe gerebat. Peracta hac victoria in ripa fluminis Dorii, cum

magna

magna gloria Rex Adefonſus reuerſus eſt Legionem. Prædictus autem Bernaldus in territorio Salmanticenſi caſtrum Carpium populauit. Et quia Rex Adefonſus patrem eius tenebat Comitem Sancium captum in caſtello quod dicitur Luna, quem olim Rex Caſtus ceperat Adefonſus, Bernaldus Regi rebellare cæpit. Quod videntes Sarraceni ciuitatem Legionenſem atque Aſtoricenſem, & circumiacentia ferro & flamma deuaſtare nitebantur. Rex autem Adefonſus promittens Bernaldo ſe patrem eius à vinculis ſoluere, pacem cum eo fecit; & adunatis fortiſſimorum militum copiis obuiam exire illis præparauit. Sarraceni vero præ multitudine armatorum nihil metuentes ſe in duas turmas diuiſerunt, & maior eorum pars Poluorariam venit. Glorioſiſſimus vero Rex à latere Siluæ progreſſus, irruit ſuper eos in prædicto loco Poluoriæ iuxta fluuium Vrbicum vbi barbarorum duodecim millia corruerunt. Alia quidem pars Sarracenorum Bernaldo eos inſequente Valdemora venit fugiendo. Sed Rex Adefonſus properans ad bellum, omnes ibidem Sarraceni Chriſtianorum gladiis ſunt interfecti. Nullus inde euaſit præter decem inuolutos ſanguine inter cadauera mortuorum. Rex autem cum multis ſpoliis & victoria in campos Gotthorum ſe recepit. Poſt hæc magnus exercitus Iſmaelitarum Zemoram obſedit. Quod Rex audiens eandem cum paucis ingreſſus eſt ciuitatem. Sed cum exercitu Chriſtianorum properante Bernaldo diuina clementia deleuit eos vſque ad internicionem; & Alchamam, qui eorum prophèta videbatur ibidem mortuus eſt. Sarraceni autem ad Regem Adefonſum legatos miſerunt pro pace. Duxit vero Rex vxorem ex Francorum regali genere nomine Amulinam, quæ poſtea ſe fecit vocare Xemenam magni Regis Caroli conſobrinam: ex qua quatuor filios ſuſcepit & tres filias. Nomina filiorum ſunt hæc Garſeanus, Froylanus, Ordonius & Gundiſaluus qui fuit Archidiaconus eccleſiæ Ouetenſis.

Eo tempore Carolus tertius Imperator Romanorum cum exercitu magno debellaturus tam Chriſtianos quam Sarracenos ad Hiſpaniam properabat. Sed Bernaldo cum exercitu Chriſtianorum & cum Muza Rege Cæſarauguſtano illi ad clauſuras Pyrenæorum montium obuiam hoſtiliter procedente dum exercitus Caroli inordinate ſe gereret, mox in fugam verſus eſt, & multi tam ex Romanis quam ex Gallis in illo excidio, Chriſtianorum & Sarracenorum gladiis perierunt. Carolus poſtea cum Rege Adefonſo amicitiam fecit, cuius conſilio inſtituta beati Iſidori & ſanctorum patrum Rex Adefonſus in regno ſuo firmauit. Orationis etiam gratia eccleſias ſancti Saluatoris & ſancti Iacobi Carolus viſitauit: & à glorioſo Papa Ioanne obtinuit, vt vtraque eccleſia Metropolitano priuilegio frueretur, & pacifice in Franciam reuerſus eſt ſecũ deferens ſuos qui in prædicto prælio fuerant capti Rege Adefonſo hoc & alia multa dona illi largiſſime cõferente. Quibus peractis Bernaldus cum infinita multitudine ſpoliorum in patriam ſe recepit. Aduertendum eſt diligenter tres fuiſſe Carolos Imperatores Romanos. Primus fuit Carolus magnus tẽpore Adefonſi Regis Caſti ſub glorioſo Papa Leone. Secundus fuit Carolus ſub reuerendo Papa Ioanne. cui tertius iſte ſucceſſit, qui Carolus Martellus dictus eſt. Vnde ſæpius in hiſtoriis ambiguitas oritur, & vnius factum alteri attribuitur. ¶ Poſt hæc Agareni vrbem Legionenſem oppugnare venerunt cum duobus ducibus Imundar & Alcatenetel. Bernaldo cũ eis armis fortiter feriente barbarorum multa millia perierunt, & cæteri fugerunt relictis duob. ducibus ſuis, qui ferro vincti ſub cuſtodia ſunt traditi. His diebus frater Regis nomine Froylanus tractans de Regis morte captus ab eo oculis orbatus eſt cum aliis quatuor, id eſt, Nunno, Froyla, Veremundo & Odario, qui Regem interficere ſatagebant. Ipſe autem Veremundus orbatus oculis occulte exiit ex Oueto, & Aſtoricam veniens per ſeptem annos tyrannidem geſſit, ſecum habens Arabes cum quib. exercitum Graliare direxit. Rex autem Adefonſus hæc audiens obuiam illis proceſſit, & eos vſq; ad internicionem deleuit. Cæcus vero ad Sarracenos fugit. Tunc edomuit Rex Aſtoricam & Ventoſam, Conimbriam quoq; ab inimicis obſeſſam defendit, & ſuo dominio ſubiugauit. Ceſſerunt etiã armis illius plurimæ Hiſpaniæ vrbes, quæ detinebantur à Sarracenis. Eius tẽpore eccleſia ampliata eſt. Vrbes namq;, id eſt, Portugalenſis, Veſenſis, Auconſis tunc populantur ab eo, & ſecundum canonicam ſententiam epiſcopi ordinãtur & vſq; ad Tagum fluuium populãdo regnũ perducitur. Sub cuius imperio dux quidam Hiſpaniæ & proconſul nomine Abohalit bello comprehenſus Regis obtutib. eſt præſentatus. Qui ſe pretio redimens centum millia ſolidorum pro redemptione ſua dedit. Vrbes deſertas ab antiquitus Rex populari fecit videlicet Septimãcas & Donnas & omnes villas in campis Gotthorum. Taurum dedit filio ſuo Garſeano ad populandum.

Eo tempore Rex congregato exercitu Toletum perrexit, & à Toletanis Mauris accepit pecuniam infinitam. Exinde reuersus cepit Castellum quod dicitur Quintralubel, & partem Sarracenorum gladio detruncauit, partemque secum captiuam adduxit. Atque Carrionem veniens seruum suum Adamum à filiis suis trucidari iussit, eo quod cogitauerat in mortem Regis. Fecit etiam Rex Adefonsus super corpus beati Iacobi ecclesiam opere miro: quam magnis honoribus scilicet auro, argento, sericisque cortinis & indumentis & lapidibus preciosis ditauit, quæ postea à barbaris destructa est. Ad defensionem etiam ecclesiæ Ouetensis castrum Gauzon forti opere in maritimis Asturiarum partibus fabricauit. Timebat enim ne nauigio locum sanctum hostes attingerent. Ædificauit quoque in ipso castello ad honorem sancti Saluatoris ecclesiam pulchris marmoribus decoratam, quam à tribus episcopis setuando Iacobensi, Nausto Conimbriensi, & Reccaredo Lucensi fecit honorifice consecrari. Inter cætera ornamenta quæ contulit ecclesiæ Ouetensi, eximiam crucem & auro puro preciosisque gemmis contulit venerabili loco. Super atletas quoque Christi Facundum scilicet & Primitiuum summa cum deuotione Cereæ ecclesiam construxit; hanc etiam Mauri eo tempore quo Iacobensem hostiliter destruxerunt. In ciuitate etiam Zamoræ, quam ipse fecerat populari, ad honorem sancti Saluatoris pulchram construxit ecclesiam, quam etiam glorioſe dotauit. Eo tempore mortuus est Bernaldus fortissimus miles.

Post mortem autem Bernaldi Regina Xemena quæ Regina de Galliis dicitur, cæpit callide cogitare qualiter posset virum suum Regem Adefonsum à regno expellere & filium suum Garseanum pro eo substituere. Fabricauit castra in confinio Legionis scilicet Albam, Gordonem, Arbolium, Lunam & tradidit ea filio suo Garseano occulte suggerens, vt tyrannizaret contra patrem. Hæc fuit mulier inhumana, & in regno posuit malas consuetudines, & seruiles conditiones. Rex autem Adefonsus vt intellexit filium suum Garseanum parare rebellionem, veniens Zemoram comprehendit eum & ferro vinctum ad Gauzonem direxit. Socer autem Regis Munio de consilio Reginæ Xemenæ cæpit contra Regem Adefonsum fortiter rebellare. Cui adhærentes omnes filii Regis inter se coniuratione facta patrem suum vi compulerunt Garseano filio suo regni facere cessionem. Tunc Rex Adefonsus Boytes villulam vocatis regni ducibus se à regno deposuit & filium suum Garseanum pro se constituit Regem: atque orationis causa ad sanctum Iacobum perrexit, & inde reuersus petiuit a filio suo Garseano dum esset in Astorica, vt daret sibi vel semel subsidium ad Arabes persequendos. Quod Garseanus concedens multo exercitu congregato fines Sarracenorum inuasit, & post multas strages quas fecit Zemoram reuersus ibidem proprio morbo post receptionem corporis & sanguinis domini feliciter migrauit, & Astoricæ sepultus fuit; sed postea cum vxore sua Regina Xemena translatus Ouetum in aula sanctæ Dei genitricis quieſcit. Regnauit annis quadraginta septem.

Era DCCCCXLVIIII. Garseanus filius Regis Adefonsi in regnum patris successit. Primo anno regni sui maximum exercitum congregauit, & ad persequendum Arabes properauit. Dedit illi Dominus victoriam, & multas munitiones euertit, multasque strages fecit, & ferro ac flamma vniuersa Sarracenorum deuastauit ad quæ potuit deuenire. Insuper Regem Sarracenorum nomine Ayolas cepit. Cumque reuerteretur cum præda magna in loco qui dicitur Altremulo incuria custodum Ayolas fugit. Tribus annis Rex Garseanus regnauit, & morbo proprio Zemoræ decessit, & Oueti cum aliis Regibus sepultus est.

Era DCCCCLII. Garsia defuncto Ordonius frater eius regni sceptra susceپit. Quē profecto Ordonium insignem militē Adefonsus magnus pater & Rex glorioſus dum viueret prouinciæ Galleciæ præfecerat. Ipse namque iuuenili flore paterna fortia facta sequutus prostratis totius Hispaniæ sæpe publico bello robustissimis barbaris omnes eorundem ciuitates sibi tributarias fecit. Erat enim in omni bello prouidus atque prudentissimus, in ciuilibus iustus & misericordioſissimus, in pauperum & miserorum necessitatibus compassionis visceribus affluens, atque in vniuersa gubernandi regnum honestate præclarus. Siquidem dum pater eius adhuc viueret, & ipse dominaretur Gallecis collecto exercitu prouinciam Beticam petiit. Deinde vastatis circumquaque agris & villis incensis primo impetu † Vegel ciuitatem quæ inter omnes barbarorum occidentales vrbes opulentior & fortior videbatur, pugnando cepit. Omnesque bellatores Chaldæos gladio delens cum maximo captiuorum & spoliorum

Regel

apparatu

apparatu ad Viſenſem vrbem victor reuerſus eſt. Defuncto vero patre & fratre Garſia ei ſuccedente Ordonius belliger rurſus exercitum mouens in Elbotam ciuitatem Toletani regni, quæ nunc Talauera vocatur, profectus eſt. Ad quam vbi acceſſit poſitis ſuper eam in gyro caſtris conſedit. Cui neque robur murorum neque pugnatorum valida manus profuit, quin victoriæ Ordonii fortiſſimi milites ſubiaceret. Nempe in breui facta irruptione non ſolum ciuitatem cepit, imo vniuerſos qui ad pugnam proceſſerant, cum duce ſuo interfecit, direptiſque oppidanorum ſpoliis cum magna captiuorum turba ad propria reuerſus eſt. Cæterum Rex Garſias poſtquam vltimam præſentis vitæ clauſit horam, ad Ordonium Chriſti belligerum ſucceſſio regni diuino nutu perueniebat. Omnes ſiquidem Hiſpaniæ magnates, Epiſcopi, Comites & Barones facto conuentu ſolenniter generali, eum acclamando ſibi Regem conſtituunt, impoſitoque illi diademate à duodecim pontificibus in ſolium regni Legione regia ciuitate perunctus eſt.

Anno igitur regni eius quarto ab expugnatione Maurorum quieſcere non ſuſtinēs aggregatis exercitibus vltra Emeritenſem vrbem hoſtiliter profectus eſt. Sed cum totam prouinciam Luſitaniam horrifero impetu deuaſtaſſet, caſtrum Colubri cepit, qui nunc à Chaldæis Alhanza nominatur. Interfectiſque quos inibi reperit barbaris eorum mulieres & paruulos cum immenſo auri & argenti ſericorumque ornamentorum pondere in patriam captiuauit. Cui omnes Emeritenſes cum Rege de Badalyoz obuiam exeuntes, humiliter pacem petentes, multa illi munera obtulerunt. Ipſe vero victor & præda onuſtus reuerſus eſt in Campeſtrem Gothorum prouinciam. At vero vbi venit Legionem pro tantis victoriis immenſas Deo grates deferens, eius genetrici beatiſſimæ Mariæ virgini ex proprio palatio eccleſiam fieri fecit, cathedramque epiſcopalem in ea ſtatuit, quæ prius extra murum ciuitatis perparua diœceſi in honore ſancti Apoſtolorum principis Petri habebatur. Hanc ergo pontificalem ſedem in veneratione beatæ Mariæ nouiter ſancitam ampliori diœceſi magniſque honoribus regali auctoritate locupleuauit. Erat tunc deſerta ciuitas Legionis propter impetus barbarorum, quam Rex Ordonius eo tempore populauit. Poſt hæc Rex Ordonius labori cedere neſcius, ne quaſi per otium tempus pugnæ perdere videretur, arrepto iterum commeatu ad remanentes tranſacti belli Elboræ ciuitatis deuaſtandas accedens reliquias, omnia eiuſdem vrbis ſuburbia igne combuſta depręda tus eſt, Almirantem quoque Cordubenſem pro defenſione ſuorum armatum, ſibi bellum inferentem, capiens ferro vinctum Legionem perduxit. Vnde conturbati totius Mauritaniæ barbari lugubri præconio vociferantes neceſſario ad Cordubenſem Regem legationem mittunt, dicentes, impetum Chriſtianorum ſe vlterius ſuſtinere non poſſe. Ad quorum vociferationem barbarus animum flectens vniuerſis Maurorū regibus cum omnibus copiis ad bella procedere imperat, ea conditione, vt ſi quis imperata contemneret capitali ſententia puniretur. Ad hoc etiam pro tanto hoſte expellēdo Tingitanorum præſidia Maurus rogans, immenſum Iſmaelitarum numerum adunauit. Comparatis igitur ex tota Mauritania validiſſimis copiis & à maximo barbarorum Rege omnib. magnis ſumptibus datis ad expugnandos Chriſtianorum fines innumera Sarracenorum multitudo dirigitur. Cui expeditioni Rex Cordubenſis Abderamam duos magnos duces præfecit. Nomen vnius Hulitrabulhabat & nomen alterius Veiuezuz. Verum barbari prout res poſtulabat, arrepto itinere in littore fluminis Dorii fixis innumerabilibus tentoriis apud ſanctum Stephanum de Gormaz toti Chriſtianorum regno comminabantur ruinam. Porro Ordonius Rex Chriſti clypeo protectus aggregato Gothorum exercitu eis occurrit. Non aliter miſerum pecudum gregem Libycus Leo quam fortiſſimus Rex turbam Maurorum inuadit. Tantam namque in eis ſtragem fecit, vt præ multitudine cadauerum modum numerus excedere videretur. Siquidem ab ipſo Dorii littore, quo barbari caſtra metati ſunt, vſque ad caſtrum Entenza & Paracolles omnes montes, colles ſyluas & agros exanimes Sarracenorum artus tegebant; adeo vt perpauci perſequentium manus euaderent, qui nuncium ferrent Regi Cordubenſi. Vbi inter alios quamplurimos Iſmaelitarum Reges, duo nobiles ceciderunt, quorum nomina Abulmutarchas & Ibilimatel erant. Corruit etiam ibi Alcayde, nomine Ablapaz: cuius conſilio princeps Sarracenorum regebatur. Rex quoq; Maximus Tingitanorum nomine Abolmotarap ibi cecidit: nec non & Hulitrabulhabaz in eodē loco occubuit. Cuius caput cū apri capite pro ſigno celebri Rex Ordonius ſupra mœnia ciuitatis, q̄ illi venerant expugnare, ſuſpendere iuſſit; & reuerſus eſt cum magno triumpho ad ſedem ſuam Legionem. Poſthæc Abderamam dolens de

tanta suorum clade, venit per se cum magno exercitu ad locum qui dicitur Britonia. Cui occurrit Rex Ordonius & inter se dimicantes ex ambabus partibus corruerunt multi, & neuter illorum vicit, vel victus fuit, cum per totam diem vsque ad noctem fortiter dimicassent. Exhinc in anno tertio venit Abderamam cum innumerabili multitudine barbarorum, quam ex Babylonia & Africa conduxerat, & fixit tentoria in loco qui dicitur Mohys. Castellani autem Comites noluerunt venire ad præceptum Ordonii Regis. Quod Sancius Pyrenæorum vt audiuit cum exercitu magno misit Garseam filium suum ad Regem Ordonium vt adiuuaret eum contra acies Agarenorum. Rex vero perrexit cum magno præsidio contra Regem Abderamam & obuiauerunt sibi in valle quæ dicitur Tuncaria, & peccato impediente multi corruerunt ex nostris: & etiam duo episcopi Dulcidius Salmanticensis & Ermogius Tudensis ibidem sunt comprehensi & Cordubam ducti. Pro isto Ermogio episcopo ingressus fuit sobrinus eius sanctus Pelagius carcerem, qui postea peruenit ad martyrium sub eodem Abderamam in Corduba ciuitate. Ordonius autem Rex vt potuit dictos episcopos ad propria reuocauit, & cogitans qualiter posset ista vindicare, iussit arma componi & congregato magno exercitu Gallorum & Gotthorum in eorum terra quæ dicitur Citilia strages multas fecit, terram depopulauit & castella multa cepit. Castrum quoque Scarmolon, Eliph, Palmacio & Castelion & Magnanza funditus destruxit, & omnes habitatores eorum interfecit. Cepit etiam alia multa, quæ flamma & ferro destruxit, quorum nomina est longum pernotare per plures dies in terra Maurorum fuit, & in tantum hostiliter, profectus est, quod dimidii diei spatio ad Cordubam non accessit. Exinde regressus cum magna gloria Zemoram, inuenit vxorem suam Reginam dominam Geloyram defunctam; & licet multum gauderet decollato sibi cælitus triumpho, valde tristatus est de morte Reginæ, siquidem habuerat ex ea filios scilicet Adefonsum & Ramirum. Aliam quoque duxit vxorem nomine Aragontam de partib. Galleciæ, quæ postea fuit ab eo spreta: & tenuit inde pœnitentiam dignam.

Rex autem Ordonius, vt erat prouidus direxit Burgos pro Comitibus, qui tunc Castellam regere videbantur. Hi sunt Nunnius Fernandi, Albomondaralbus, & filius eius Didacus & Fernandus filius Ansuri, qui noluerunt ad eum venire Legionem, sed fecerunt cum eo iunctam in ripa fluminis Carrionis loco qui dicitur Rebulare. Et cepit eos Rex Ordonius, & catenatos duxit ad ciuitatem regiam Legionem, & in carcere illos necare iussit. Post hæc nuncii venerunt ex parte Regis Garseani, vt illuc pergeret. Rex Ordonius ad debellandas vrbes perfidorum. Hæ sunt Nagara & Begueta. Rex vero statim perrexit cum magno exercitu & cepit prædictam Nagaram quæ ab antiquis Trucio vocabatur. Tunc accepit filiam Regis Garsiæ nomine Sanciam in vxorem quam valde dilexit, & cum magna lætitia in Legionem venit. Regnauit annis nouem, mensibus sex. Hic dum esset Zemoræ, & se ægrotare sensisset, festinat vt Legionem veniret, & ibi proprio morbo decessit atque in aula sanctæ Mariæ virginis Legionis sedis, vt tantum Regem decebat, honorifice sepultus est.

Era DCCCCLXI. Froylanus frater eius Ordonii successit in regnum & duxit vxorem nomine Mumadomam, ex qua hos filios habuit, Adefonsum, Ordonium, & Ramirum. Habuit etiam filium nomine Aznarem de concubina. Rex Froylanus nihil memorabile gessit propter paucitatem dierum, nisi quod filios Olmudi nobilis sine culpa trucidare iussit, & fratrem eorum Frominium Legionensem episcopum sine culpa in exilium misit. Iusto Dei iudicio Festinus regno caruit, quia innocuos occidit, & Christum Domini episcopum Frominium contristauit. Non audiuit Dominum per Dauid dicentem, nolite tangere Christos meos, & in prophetis meis nolite maligniari. Ob hoc abbreuiatum est regnum eius, & percussus lepra vitam finiuit & sepultus est in Legione iuxta fratrem suum Regem Ordonium. Regnauit anno vno mensibus duobus. Præfatus autem episcopus episcopatum suum tunc recuperauit.

Rege Froylano viuente nobiles de Castella contra ipsum tyrannidem sumpserunt, eum Regem habere nolentes. Elegerunt autem sibi duos iudices nobiles milites, id est Nunnum Rasoiram de Catalonia & Iainium Calnum Burgensem, qui noluit suscipere iudicatum. Nunnus vero Rasoira vt erat vir sapiens petiuit ab omnibus Comitibus Castellæ, vt darent sibi filios suos nutriendos. Habebat ipse filium nomine Gundisaluum, quem cum aliis nobilium filiis educauit. Sapienter se gessit Nunnus Rasoira in iudicatu suo, & totam Castellam vsque flumen de Pisorga iudicauit dum

vixit.

vixit. Tunc enim angustatum est regnum Legionense & in prædicto flumine metam fecit. Hunc simplicem militem Castellani nobiles super se iudicem erexerunt, ne si de nobilioribus suis iudicem facerent, pro Rege vellet in eis dominari. Post mortem autem Nunnii Rasoiræ nobiles ab eo nutriti filium eius Gundisaluum Nunnii, sibi iudicem fecerunt, & etiam Comitem vocauerunt, dantes ei pro vxore Xemenam nobilissimam filiam Nunnii Fernandi, ex qua filium habuit nomine Fernandum. Prædictus autem Gundisaluus Nunnii fuit sententia iustus & armis strenuus, & multa bella intulit regno Legionensium & Sarracenis. ad gesta veniamus.

Era DCCCLXIII. mortuo Rege Froylano Adefonsus filius Regis domini Ordonii, adeptus est regnum paternum. Duxit autem nomine Xemenam ex qua genuit Ordonium malum. Huic consistenti in regno, voluntas euenit arripiendi viam confessionis, & misit nuncios pro fratre suo Ramiro qui morabatur in partibus Vesei dicens quod vellet à regno discedere & fratri suo dare. Ramirus autem vt audiuit cum exercitu magno venit Zemoram & regnum suscepit. Adefonsus vero properauit ad monasterium quod est in loco qui dicitur Domnos Sanctos in crepidine fluminis Ceiæ, & habitum monachalem suscepit. Rex autem Ramirus vt erat vir bellicosus mouit exercitum ad Arabes persequendos. Cum esset Zemoræ nuncius venit, dicens, quod frater eius Adefonsus de monasterio esset egressus, & regnum Legionis iterum adeptus. Hæc audiens Rex Ramirus ira commotus iussit intonare buccinis: & continuo reuersus cum exercitu magno obsedit fratrem suum Regem Adefonsum in Legione per annos duos vsque dum eo se tradente ad arbitrium fratris cepit eum & in ergastulo iussit retrudi. Post hæc magnates Asturiensium arte facta miserunt nuncios pro Rege Ramiro, qui Asturias ingressus cepit omnes filios Froylani fratris Ordonii Regis, id est Adefonsum, Ordonium & Ramirum: & adduxit eos secum pariterque cum fratre suo suprafato Adefonso, qui ergastulo tenebatur, ferro vinxit, & omnes simul vna die oculis orbare præcepit. Rex autem Ramirus de eo quod fecerat pœnitentia motus construxit monasterium ad honorem sancti Iuliani in ripa fluminis Durii non longe à ciuitate Legionensi, vbi fratri suo prædicto Adefonso, & prædictis filiis Froylani fecit affluenter necessaria ministrari. Adefonsus vero Rex cæcus octauo anno ex quo regnare cæpit, mortuus est, & in ipso monasterio sancti Iuliani sepultus vna cum vxore sua Regina Xemena & prædictis filiis Froylani Regis. Regnauit quinque annis & anno quinto regni sui oculis orbatus est, atque duobus annis aliis superuixit & septem mensibus. Causa vero orbationis oculorum filiorum Froylani fuit, quia contra ipsum Regem Ramirum tyrannidem gesserant, & primum eorum scilicet Adefonsum Asturiarum Regem violenter præfecerant.

Era DCCCLXVIII. Ramirus securus regnans consilium inijt cum omnibus magnatibus regni sui, qualiter Chaldæorum terram inuaderet, vnde coadunato exercitu pergens ad ciuitatem quæ dicitur Magerita, confregit muros eius, & ipsam incendio tradidit, & multas strages fecit in Sarracenis Dei clementia adiuuante, & reuersus est in Legionem cum victoria in pace. Legione vero eo sedente cum Sancia Regina nuncius venit quod Aceyfa cum grandi exercitu Maurorum properabat ad Castellam. Quo audito Rex Ramirus immemor malorum quæ sibi fecerant nobiles Castellani cum exercitu magno obuiam Sarracenis exiuit, & in loco qui dicitur Oxoma nomen Domini inuocando acies ordinare iussit, & omnes se ad bellum parare. Dedit illi Dominus victoriam: & magnam partem ex Sarracenis interfecit, & multa millia captiuorum secum adduxit & ad propriam sedem reuersus est cum magna gloria. Tunc Castellani Ramiro Regi iura propria cognoscentes ei se subdiderunt. Tamen conditiones quasdam Rege concedente vendicauerunt ei.

Post hæc Rex Ramirus patrum suorum regno integratus congregato exercitu Cæsaraugustam Sarracenorum ciuitatem perrexit. Rex autem Cæsaraugustanus nomine Abohahya, vt concordiam Castellanorum cum Rege Ramiro vidit, perterritus valde Regi Ramiro se subdidit cum omnibus suis: & mentitus est Abderamam Regi suo, cuius nomine Cæsaraugustam regebat. Rex Ramirus vt erat fortis & potens, omnia castella quæ ad regnum Cæsaraugustanum pertinebant partim bello partim sapientia edomuit & Abohahiæ tradidit, & reuersus est Legionē cum victoria magna. Abohahia vero Regi Ramiro mentitus est, & Abderamā Regi Cordubæ

se subdidit. Postea idem Abderamam cum magno exercitu barbarorum Septimancas properauit ad euertendum regnum Christianorum. Rex autem Catholicus Ramirus congregato exercitu Gotthorum, qui vnanimiter ad vindictam Catholicæ fidei properabat, obuiam illi exiuit. Dedit dominus victoriam Regi Catholico & populo Christiano: & inito certamine secunda feria in festo sanctorum Iusti & Pastoris deleta sunt octoginta millia barbarorum, etiam ipse Abohahia Rex Cæsaraugustæ ibidem à nostris comprehensus est. Cæteri vero fugerunt relicta nostris multitudine spoliorum. Rex vero Ramirus cum exercitu suo non tantum ad spolia quàtum ad persecutionem Arabum direxit iter; & ad vrbem quæ dicitur Albandegua peruenit: vbi omnes fere Sarracenos qui de prælio euaserant, capta vrbe extinxit. Præfatus vero Abderamam semiuiuus euasit: vnde Christiani detulerunt multa spolia auri, argenti, & lapidum pretiosorum. Rex autem Ramirus reuertens in Legionem secum detulit Abohahiam ferro vinctum, & in ergastulo multis diebus permansit. Postea Aceyfa ad ripam fluminis turmis venit & ciuitates desertas ibidem populauit. Hæ sunt Salmantica, sedes antiqua castrorum, Letesma, Ripas Balneos, Alphadego, Penna & alia plura. Fernandus Gundisalui Didaco Munionis ei auxilium præbenti contra Regem tyrannidem parabat. Rex autem Ramirus bello comprehendit eos & vnum in Legione, alterũ in Gordone ferro vinctos carcere trusit. Sed multo tempore transacto iuramento Regi dato vt essent ei fideles vasalli de carcere exierunt. Tunc Ordonius filius Regis fortitus est filiam Ferdinandi in coniugio nomine Vrracam. Tunc temporis populauit Roderi- 20
cus Comes Amaiam. Didacus etiam Comes populauit Burgos per Iussionem Regis. Populauit etiam Comes Munio Muniz Raudam & Gundisaluus Tellit Oxomam, & Gundisaluus Fernandi Axeam, Cluniam & sanctum Stephanum. Populauit Fernandus Gundisalui Septempublicam. His autem omnibus feliciter succedentibus omnes prædicti barones se contra Regem Ramirum erexerunt. Rex autem studuit eos sapienter ad concordiam reuocare, ne tantorum virorum discordia Gotthorum gẽti destructio eueniret. Rex Ramirus omnibus pacificatis vt erat mitissimus, filiam suam Geloyram Deo dicauit, & ob gratiam eiusdem monasterium infra vrbem Legionensem construxit in honorem Saluatoris iuxta palatiũ Regis: vbi eam manere præcepit. Alia quidem monasteria in honorem sancti Andreæ & sancti Christophori ædificauit super ripam fluminis Ceiæ. Aliud super ripam Dorii in honore sanctæ Mariæ construxit. Aliud etiam monasterium in sua hereditate propria ædificauit in honore sancti Michaelis Archangeli in valle de Orna cuius nomen est Destriana. Adiuuabat in his sanctis operibus vxor eius Regina Tharasia cognomine Florentina, ex qua prædictos filios habuit, scilicet Sancium, & Geloyram. Nono decimo regni sui anno exercitu aggregato, obsedit ciuitatem Agarenorum quæ nunc Talauera vocatur. Sarraceni autem obuiantes ei bello inito ceciderunt ex ipsis Agarenis duodecim millia. Asportauit etiam Rex secum septem millia captiuorum, & reuersus est in pace. Et cum Ouetum causa orationis iuisset illic grauiter ægrotauit, & Legionem festinus reuersus est, atque ab episcopis & abbatibus pœnitentiam accepit vigilia apparitionis Domini, & ipsi ex proprio regno sese abstulit dicens: Nudus egressus sum de vtero matris meæ & nudus reuertar illuc. Dominus mihi sit adiutor, non timebo quid faciat mihi homo. Post hæc percepto corporis & sanguinis domini sacrificio mortuus est, & sepultus est in Legione in monasterio sancti Saluatoris quod construxit filiæ suæ dominæ Geloyræ. Regnauit annis decem & nouem, mensibus duobus, diebus viginti quinque.

Era DCCCLXXXVII. Ordonius filius eius adeptus est regnũ vir satis prudens, & in exercendis disponendisque exercitibus nimis sapiens. Frater autem eius nomine Sancius consilio inito cum auunculo suo Garseano Rege Pampilonensium, & Fernando Gundisalui Burgensium Comite, vnusquisque illorum cum exercitu suo Legionem accesserunt, vt Regem Ordonium à regno expellerent, & fratrem eius Sancium facerent Regem. Quo audito Rex Ordonius satis bene exercitatus stetit, suasque ciuitates fortiter defendit, & regni sceptrum viriliter vindicauit. His supradictis remeantibus ad propria filiam Fernandi Gundisalui, quam ob causam vt pacificaret Castellanos & Legionenses acceperat, reliquit nomine Vrracam, eo quod pater eius impugnabat ipsum & aliam duxit vxorem nomine Geloyram ex qua genuit Regem Veremundum, qui podagricus fuit. Galleci etiam videntes dissensionem inter Legionenses & Castellanos, contra Regem Ordonium rebellare cæperunt. Ipse vero Rex Ordonius magno exercitu aggregato Galleciam edomuit. Vlisbonam deprædauit & multa spolia simul cum captiuis duxit ad sedem suam Legionem. Fernandus vero Gundisalui

cuius

cuius erat ſtudium regnum omnimodè perturbare, nolens nobiles ad Regis Ordonij ſeruitium præparauit, eo quod ipſe Rex cum magno exercitu veniebat ſuper Caſtellam, & Sarraceni propter noſtrorum diſcordiam fines terræ Burgenſium deuaſtabant. Sed comes Gundiſaluus Fernandi accepto exercitu Legionenſium & ſuorum, nimiam multitudinem Sarracenorum, qui ſanctum Stephanum de Gormaz obſederant, hoſtiliter interfecit. Rex verò Ordonius cum ſuper Sarracenos ire diſponeret, propria morte in vrbe Zemoræ deceſſit, & Legione quieſcit iuxta patrem ſuum in aula Sancti Saluatoris. Regnauit annis quinque & menſibus ſex.

Era DCCCCLXXXXII. Ordonio defuncto Sancius frater eius pacificè apicem regni ſuſcepit. Ferdinando autem Gundiſalui cum omnibus militibus contra ipſum magna facta coniuratione Rex Sancius ex Legione egreſſus Pampiloniam venit ad auunculum ſuum Regem Garſeanum. Erat quidem Sancius craſſus nimis, ita quod non poterat ſine ſui maximo grauamine equitare, & de conſilio auunculi ſui Regis Garſeani ad Abderamam Regem Cordubenſem venit, vt de tanta craſſitudine à Sarracenis acciperet medicinam. Omnes vero magnates regni eius inito conſilio cum Fernando Gundiſalui comite Burgenſi, Ordonium malum eligeret in regnum filium eius Adefonſi cœci. Fernandus autem Gundiſalui dedit illi filiam ſuam in vxorem nomine Vracam, relictam à Rege Ordonio filio Ramiri Regis: & ipſe Fernandus Gundiſaluiſecurus Caſtellam regere cœpit. Erat tunc in Caſtella & in Alaua adoleſcens quidam comes generoſus nomine, Vela, qui contra Fernandum Gundiſalui rebellare parauit, eo quod eſſet de nobilioribus Caſtellæ, & nolebat dicto Fernando Gundiſalui ſubditus obedire. Fernandus autem comes armis eum à Caſtella & Alaua expulit, & ad Sarracenos ire coegit. Rex autem Sancius à Sarracenis accepit medicinam de craſſitudine ſua, & ad priſtinam leuitatem peruenit. Et conſilio inito cum Abderamam Rege Cordubenſium cum innumerabili Sarracenorum exercitu venit Legionem, vt regnum acciperet, à quo fuerat eiectus. At vbi terram regni ſui intrauit, & Ordonius malus hoc audiuit, vt erat muliebris, & diſſolutus, nimio timore perterritus ex Legione per noctem fugit, & Aſturias intrauit, & regno caruit. Ille caruit, Sancius regnum ſuſcepit, & ingreſſus Legionem edomuit regnum ſuum. Supradictus quippe Ordonius ab Aſturiis proiectus ad ſocerum ſuum venit. Comes autem Fernandus filiam ſuam illi abſtulit, & cum duobus filiis à Caſtella expulit, & ad Sarracenos ire compulit. Ipſa vero Vracaalterum virum accepit. Ordonius dum vixit inter Sarracenos manſit, & exulando pœnas perſoluit. Tunc præfatus Sancius Rex vxorem nomine Tharaſiam duxit, ex qua filium habuit Ramirum. Poſt hæc ſalubre iniit conſilium cum vxore ſua & ſorore Geloyra, vt nuncios mitteret Regi Cordubenſi, & peteret corpus ſancti Pelagij, qui tempore Regis Ordonij ſub Abderama Rege martyrio fuerat coronatus. Conſtruxerat quidem Rex Sancius infra muros Legionis monachorum monaſterium, ad quod volebat corpus ſancti Pelagij deferre. Et dum legatos vna cum Velaſcone Legionenſi Epiſcopo ad Sarracenos pro pace & pro corpore Sancti Pelagij Rex Sancius miſit, egreſſus ex Legione venit in Galleciam, & domuit eam vſque ad flumen Dorij. Quo audito Gundiſaluus, qui dux erat vltra flumen illud, congregato magno exercitu venit vſque ripam ipſius fluminis. Deinde miſſis nunciis, & dato iuramento vt ſolueret tributum de ipſa terra quam tenebat, callide aduerſus Regem cogitans venenum illi in pomo direxit. Quod dum guſtaſſet, ſenſit cor ſuum immutatum, & feſtinus cœpit remeare Legionem, atque in ipſo itinere die tertio vitam finiuit, & Legione iuxta patrem ſuum ſepultus eſt in eccleſia Sancti Saluatoris. Regnauit annis duodecim.

Era MIV. Sancio Ramirus filius eius habens à natiuitate quinque annos ſuſcepit regnum patris ſui, continens ſe cum conſilio amitæ ſuæ dominæ Geloyræ Deo deuotæ, & matris ſuæ Reginæ Tharaſiæ. Firmauit pacem cum Sarracenis, & corpus Sancti Pelagij martyris ab eis accepit, & cum corporibus multorum religioſorum Epiſcoporum Legione tumulauit in monaſterio, quod pater ſuus conſtruxerat. Factum eſt autem vt cum Sarraceni ſecuritatem accepiſſent à Rege Sancio, & à filio eius Rege Ramiro, quod non ferrent ſubſidium Caſtellanis, direxerunt arma contra Comitem Fernandum Gundiſalui, & cum non poſſit eis dictus Comes reſiſtere, ceperunt Sarraceni Gormaz, & Septimancas, & ſeptem Pululicam: & multas ſtrages & horrendas perpetrauerunt in terra Chriſtianorum. Erat cum Sarracenis ſupradictus Vela nobilis Caſtellanus, qui propter vindictam expulſionis ſuæ à Caſtella humanitatis immemor trucidabat crudeliſſime Chriſtianos. Eo tempore ceperunt Sarraceni Zemoram, & ſubuerterunt eam. In tanta clade ſe gerente terra mortuus eſt Fernandus Gun-

diſalui Comes Burgenſis morte propria, & ſucceſſit ei Garſeas Fernandi Comes filius eius, qui cepit contra Sarracenos ſe viriliter exercere. Anno autem ſecundo regni Ramiri Regis centum claſſes Normannorum cum Rege ſuo Gundaredo videntes diſſenſiones Gotthorum ingreſſæ ſunt Galleciam, & ſtrages multas facientes in giro Sancti Iacobi, Epiſcopum loci ipſius nomine Siſnandum gladio peremerunt, & totam Galleciam deprædati ſunt, vſque dum peruenirent ad Alpes montis Zebrarij. Tertio verò anno remeantibus illis ad propria poſt multam cædem & captiuitatem Chriſtianorum, Comes Gundiſaluus ſanctionis in nomine Domini, & in honore Sancti Iacobi Apoſtoli, cuius terram deuaſtauerant, cum exercitu magno venit obuiam illis, & cœpit cum eis fortiter præliari. Dedit illi Dominus victoriam, & omnem gentem ipſam Normannorum ſimul cum Rege ſuo Gunderedo gladio interfecit, atque claſſes eorum igne cremauit. Rex autem Ramirus accepit vxorem nomine Vrracam, & cum eſſet in pueritia & modica ſcientia, cœpit Comites Galleciæ factis ac verbis irritare, & eis crudelis exiſtere. Ipſi autem Comites talia ægre ferentes Regem alium nomine Veremundum filium Regis Ordonij ſuper ſe erexerunt, quem in ſede Sancti Iacobi Apoſtoli confirmauerant, era MXVIII. Idibus Octobris. Quo audito Rex Ramirus ex Legione ad Galleciam cum exercitu properauit. Rex vero Veremundus obuiam illi exiuit, in portella de arenis, & cœperunt acriter præliari. Nullus tamen eorum alteri cedens ſunt ſeparati ad inuicem, & multi ex vtraque parte Chriſtianorum ſe cæde mutua proſtrauerunt. Per duos continuos annos inter Legionenſes & Gallecos inteſtinum bellum fuit, quo ex his & illis innumerabiles corruerunt. Qua cæde valde diminuta fuit fortitudo Gotthorum. Rex vero Ramirus proprio morbo Legione deceſſit, & in Deſtriana ſepultus fuit. Regnauit quindecim annis, menſibus ſeptem.

Era MXX. mortuo Ramiro Veremundus Ordonij Regis filius, vt audiuit de morte eius, venit Legionem, & accepit regnum pacifice, quia ipſe erat propinquior generi regali, ad quē ſpectabat ſceptrum regni. Is fuit vir ſatis prudēs, leges factas à prædeceſſoribus ſuis Gotthorum Regibus firmauit, Canones aperire iuſſit, & ſanctorum Patrum inſtituta perquiſiuit. Tamē obtenebrauit leuitas mores eius bonos, quoniam leuiter ſuſurronibus præbebat aurem. Vnde tres ſerui eccleſiæ ſancti Iacobi Apoſtoli, quorum nomina hæc ſunt, ſcilicet Zadon, Cadon, & Anſilon, accuſauerunt apud eum falſo dominum ſuum Adulphum Epiſcopum de criminibus peſſimis, & quod promiſerat Agarenis ſe Sarracenum futurum, & eis totam terram Galleciæ traditurum. Rex verò indiſcrete credidit tribus falſis teſtibus, & iuſſit velociter Iacobenſem Epiſcopum ad ſe venire Quetum. Prouocabat Regem hoc magis credere, quia idem Epiſcopus filius fuerat illius Gundiſalui ducis, qui Regi Sancio dederat venenū in pomo. Iuſſit itaq; Rex quærere taurum ferociſſimum ad interficiendum dictum Epiſcopum. Pontifex vero in die cœnæ Domini, ſicut ſibi præceptum fuerat, venit Quetum. Cui milites Regis dixerunt vt prius veniret ad Regem quam Eccleſiam intraret. Ipſe autē fultus à Domino dixit: Ego prius ibo ad Regem Regum Saluatorem meum, & poſtea veniam ad tyrannum Regem veſtrum. Illico intrauit Epiſcopus eccleſiam noſtri Saluatoris, ſciens quod futurum erat, & induit ſe ſacris pontificalibus indumentis, & celebrato diuino myſterio ſic ab eccleſia indutus exiit, & ad locum vbi erat taurus venit ante fores palatij Regis, vbi fere omnes nobiles Aſtures conuenerant ad tractandum in curia Regis contra Sarracenos, qui regnum Legionenſe deuaſtabant. Tunc Rex taurum dimitti præcepit. Taurus autem velociter cucurrit, & cornua in manu Epiſcopi dimiſit, & reuerſus multos deriſores interfecit, & poſtea ſiluas vnde venerat, petiit. Epiſcopus vero ad eccleſiam reuerſus, cornua quæ in manibus tenebat, ante altare noſtri Saluatoris proiecit: & Cadonem & Zadonem & Anſilonem excommunicauit, & omnit voce clara dicens: Quod de ſemine eorum vſque in finem mundi quidam eſſent leproſi, alij cœci, alij claudi, & alij manci propter crimen falſum quod impoſuerāt ei. Rex vero vt miraculum vidit, nimium doluit, & ſatisfacere Epiſcopo voluit. Sed Epiſcopus vltra Regem videre noluit. Manſit in eadem ſede quatuor diebus, & ſecunda feria poſt Paſcha ab Queto cum ſuis exiit, & in vallem Pramarenſem ad Eccleſiam ſanctæ Eulaliæ venit. Quo loco per cuſſus infirmitate corpus & ſanguinē Domini ſumpſit, & quarta feria illuceſcente die ſpiritum Domino tradidit. Tunc ſui qui venerant cum eo feretrum fecerunt, vt eum ad Eccleſiam ſancti Iacobi Apoſtoli deportarent. Sed Dominus tam immobilem eum fecit, vt à mille manibus hominum moueri non poſſet. Deinde accepto conſilio ſepelierunt eum in ipſa Eccleſia ſanctæ virginis Eulaliæ.

Eo tem-

Eo tempore Rex Agarenus, nomine Alphagip, fecit se vocare Almanzor, & vna cum filio suo Abdameleh, & cum prædicto Vela comite Castellano, & aliis comitibus Christianis exulatis regnum Legionensium, & regnum Pampilonensium, & comitatum Burgensium fortiter deuastabat. Erat enim discordia magna inter Gotthos: & non erat qui alteri ferret subsidium. Habebat secum dictus Almanzor multitudinem Christianorum, quos ita honorabat, vt si inter Christianos aliqua oriretur seditio ad sedandum tumultum potius de barbaro quam de Christiano mortis sententia ferebatur. Largus erat & hilaris barbarus Almanzor, & dum multis abundaret thesauris, cunctos muneribus ad suam beneuolentiam attrahebat. Iam cuncta quæ à flumine Dorij, quod tunc temporis inter Christianos & Sarracenos pro limite habebatur, vsque ad flumen Estolæ deuastauerant Sarraceni, & ad debellandam Legionensem vrbē properans Almanzor in ripa fluminis Estolæ tentoria fixit. Rex autem Veremundus cum exercitu suo hostibus armatus occurrit. Commissoq; cum eis prælio vsque ad tentoria illos magna cæde prostrauit. Porro Almanzor vbi suos fæda fuga præbere terga vidit, indignatus de solio in terram prosiliit. Fertur enim Almanzor hoc signum calumnię dum malepugnarent ostendere suis militibus, quod depositio aureo galero, quo assidue caput tegebat, humi cum calumnia resideret. Quem decalua tum videntes sui milites, alteri alteros adhortantes nostros vndiq; magno cum fremitu circumuenerunt, atque versa vice eos à tergo perurgentes per medias ciuitatis Legionensis portas intermixti irruerent, nisi ingens pluuia cum turbine hanc dirimeret litem. Barbarus attamē hoc anno propter imminentem hyemem in patriam se recepit. Sequenti vero anno obsedit Legionem, & eam fortiter oppugnabat. Rex autem Veremundus podagrica ægritudine nimium grauatus, cum nō posset barbaro obuiare, se recepit Ouetum. Dum itaque per annum integrum oppugnaretur ciuitas Legionis, facta est murorum irruptio iuxta portam occidentalem. Comes Guillelmus Gundisalui Gallecus, qui ad defensionem Christianitatis eidem se cōtulerat ciuitati, cum grauissime ægrotaret & audisset, quod erat facta irruptio, fecit se suis armis indui, & in lecto ad locum, vbi murus erat suffossus, deferri: vbi per tres dies adeo fuit fortiter dimicatum, vt multa millia Sarracenorum occumberent in eodem loco. Quarta autem die fortiter pugnantibus barbaris alia irruptio facta est iuxta portam meridionalem. Deinde irruentibus barbaris ciuitas capta est. Comes autem Guillelmus Gundisalui in eo loco, vbi iacebat, armatus à Sarracenis occisus est. Tunc Rex Almanzor iussit portas ipsius ciuitatis, quæ opere marmoreo erant constructæ, à fundamentis destrui, & turres murorum diruere præcepit. Fecit etiam destrui arcem à fundamentis iuxta portam Orientalem, quæ altissimis & fortissimis turribus lapideis erat munita. Mandauit tamen ad portam Septentrionalem vnam relinquere turrem, vt secula futura cognoscerent, quantam ipse destruxerit ciuitatem, cum omnes aliæ murorum turres fere illius fuerint altitudinis. Post hæc barbarus cepit Astoricam, & turres illius aliquantulum præcipitauit, Coyancam etiam à fundamentis destruxit, & Ecclesiam Sanctorum Facundi & Primitiui subuertit. Veruntamen Aluam, Lunam, Gordonem, & Arbolium non cepit, nec Berizum intrauit. Deinde reuersus in Castellam Almanzor cepit Atenzam, & Osmam, & Alcobam, & ab ipsis fundamentis destruxit. Venientes autem Astures Legionem tulerunt corpus sancti Pelagij, & corpora Regum, quæ erant in Astorica, transtulerunt Ouetum. Multa etiam Sanctorum corpora ex destructis Christianorum ciuitatibus Ouetum delata sunt & sepulta. Quidam etiam clerici Legionensis Episcopatus corpus sancti Froylani Episcopi transtulerunt ad loca tuta submontana, quæ dicitur Vallis cesar, & posuerunt illud super altare sancti Ioannis Apostoli. In tantum Dominus pro peccatis nostris Regi Almanzor super gentem Christianorum sæuire permisit, vt per duodecim continuos annos totidem vicibus Christianorum fines aggrederetur, & semper victor reuerteretur Cordubam. Postremo omnia loca plana sibi subiugauit, & tributaria fecit. Ea tempestate in Hispania cultus diuinus periit, & omnis gloria Gotthorum decidit, atque congesti Ecclesiarum thesauri funditus direpti sunt.

Tertiodecimo vero anno Almanzor barbarus cum magno exercitu per fines Portugaliæ hostiliter intrans illius regionis omnia deuastauit. Non fuit ciuitas, nec munitio, quæ illi resistere posset, vsque dum peruenit ad partes maritimas Occidentales Hispaniæ, & ciuitatem & ecclesiam, in qua corpus beati Iacobi tumulatum est, destruxit. Ad sepulchrum vero beati Iacobi Apostoli, vt illud frangeret, audacter accedit, sed territus quadam fulguratione rediit: Ecclesias, monasteria, & palatia fregit, atque igne cremauit. Rex autem cœlestis Dominus IESVS Christus non continens in ira sua mi-

sericordias suas, beati Iacobi Apostoli meritis vltionẽ fecit de inimicis suis. Misit namque Dominus diarriam & dyssenteriam in ventrem Agarenorum: & partim infirmitate, partim subitanea morte quotidie gens ipsa minuebatur, & ad nihilum veniebat. Tulit autem barbarus Almanzor campanas minores ecclesiæ sancti Iacobi, & ob insigne fecit eas Cordubem deduci, & in oratorio suo pro lampadibus suspendit eas. Rex autẽ Veremundus misit pedites agiles, & expeditos plurimos, qui adiuti auxilio beati Iacobi Apostoli, per montana Galleciæ Sarracenos more pecudum trucidabant.

Post hæc Rex Veremundus misit nuncios ad Comitẽ Garsiam Fernandi de Castella, & ad Garseanum Regem Pampilonensium, vt auxilium præberent ad tantũ hostem debellãdum. Tunc Rex Garseanus maximã partem sui exercitus misit, & Comes Garsias Fernandi per se cum omni exercitu suo venit. Rex autẽ Veremundus, quia eo quod podagricus erat, nullatenus poterat equitare, humeris hominũ baiulatus cum suo exercitu properauit. Cumq; Almanzor egressus de Gallecia Castellæ fines vellet iterum deuastare, occurrit ei cum magno exercitu Rex Veremũdus, & in loco qui dicitur Canatanazor, inito certamine multa Sarracenorum millia corruerunt; & nisi nox diem clausisset, ipse Almanzor fuisset captus. Tamen ipsa die non fuit victus, sed de nocte arripuit fugam cum suis. Sequenti vero die Rex Veremundus præcepit acies ordinare, vt in ipso diei crepusculo contra Sarracenorum exercitum dimicarent. Sed properante exercitu ad castra Sarracenorum inuenerunt tantummodo tentoria fixa cum multitudine spoliorum. Comes autem Garsias Fernandi insecutus Sarracenos, qui fugiebant, eorum innumerabilẽ extinxit multitudinẽ. Mirabile est dictu ipsa die qua in Canatanazor succubuit Almanzor, quidam quasi piscator in ripa fluminis de Guadalquiuir quasi plangens modo Chaldaico sermone, modo Hispanico clamabat, dicens: En Canatanazor perdio Almãzor el tambor: id est, in Canatanazor perdidit Almanzor tympanum siue sistrum, hoc est, lætitiam suam. Veniebant ad eum barbari Cordubenses, & cum appropinquarent ei, euanescebat ab oculis eorũ, & iterum in alio loco apparens eadem plangens repetebat. hunc credimus diabolũ fuisse, qui Sarracenorũ plangebat deiectionem. Almanzor autem ab hac die qua succubuit, noluit comedere, neque bibere, & veniens in ciuitatẽ, quæ dicitur Medinacelem, mortuus est, & ibidem sepultus.

Post hæc Abdamelech filius eius anno sequenti venit cum exercitu magno iterum Legionẽ, & destruxit denuo muros eius, ne Christiani eam iterum popularent. Comes autem Garsias Fernandi cum Legionensibus & Castellanis exiuit obuiam ei, & fugauit eum à regno Legionensi. Gens vero Gotthorũ Dei miseratione à tanto hoste liberata, vires paulatim recepit, & in cõcordiam versa est. Nam miserunt ad Velam supra fatum nobilem, & ad certos comites Christianos, qui erant cum Sarracenis: & tam Rex Veremundus quam Rex Garseanus, necnon & Comes Garsias Fernandi eos restituerunt hæreditatibus, & directuris suis; & pro patria & fide Catholica fortiter dimicarunt. Rex vero Veremundus adiutus à Domino cœpit construere Ecclesiam sancti Iacobi Apostoli, & certa loca sacra in melius restaurare. Sed dum in multis recepisset correctionem, tamen semper susurrones audiuit. Nam in multis, accusantibus quibusdam domnum Gudesteum Ouetensem Episcopũ, cepit eum, & in castro quod dicitur Pinna reginę in finibus Gallecię per tres annos in vinculis tenuit. Sed mundi Saluator tantam siccitatẽ dedit in terra, quod nullus homo arare potuit, vnde facta est fames valida in tota Hispania. Tunc homines quidam Deum timentes dixerunt Regi: Domine Rex, quidam serui Dei in visione viderunt, & dixerunt nobis, quod peccasti in Dominum; quando cepisti Ouetensem Episcopum, & non pluet, nec fames exiet à regno tuo quousque soluas eum, & restituas ei Episcopatũ suum. Hoc audito Rex misit nuncios ad Astoricensem Episcopum dominum Xemenum, cui commendauerat Ouetensem Ecclesiam, & iussit absolui prefatũ Ouetensem Episcopum, & honorifice restituit eum ecclesię suę. Etenim Rex Veremundus quia facile deuiabat ad malum, facilius ad bonũ misericordia flectebatur. Ab illa igitur die Dñs Iesus Christus super faciem terræ dedit pluuiam, & terra dedit fructum suum, & expulsa fuit fames à regno Gotthorum.

Habuit duas legitimas vxores Rex Veremundus: vnam Velasquitam quam viuentem dimisit, & aliam nomine Geloyrã, ex qua habuit filios Adefonsum, scilicet & Tharasiam. Habuit etiam duas nobiles concubinas: & ex vna genuit infantem domnũ Ordonium, & ex alia infantissam domnam Geloyram. Ipse infans Ordonius ex infantissa Fronildi Pelagij genuit plures filios; quorum nomina hæc sunt, Adefonsus, Pelagius, Sancius & Xemena. Ipsa vero Xemena ex comite Munione Roderici genuit Comitem Rodericum Munionis, qui postea mortuus fuit in lite de sacralias. Præfatus etiam

Rex ex vna fœmina nomine Lieſquita, pulcherrima genuit infantiſſam Chriſtinam. Ipſa vero Chriſtina genuit ex infante Ordonio cœco filio Ramiri Regis plures filios & filias, Adefonſum ſcilicet, Ordonium, Pelagiam Comitiſſam, & Eſdonciam, quæ fuit vxor Pelagij Froylæ, qui diaconus fuit, & genuit ex eo Comitem Petrum, Ordonium, Pelagium, Munionem & matrem Suari Comitis & fratrum eius, & Tharaſiam Comitiſſam Carrionenſem, quæ ædificauit eccleſiam ſancti Zoyli martyris. Iſti omnes dicti fuerunt infantes de Carrione. Rex autem Veremundus maxima pedum grauatus ægritudine per manum Epiſcoporum & Abbatum multas eleemoſynas faciens de malis commiſſis pœnitentiã egit, & in Berizo vitam finiuit: atque in Villa bona ſepultus fuit, & poſt aliquantos annos à filio ſuo Rege Adefonſo tranſlatus eſt Legionem: & vna cum vxore ſua Regina domna Geloyra in eccleſia ſancti Ioannis Baptiſtæ quieſcit. Regnauit attamen annis decem & ſeptem. Poſt mortem Regis Ramiri cum ante duobus annis regnauerit, & menſibus ſeptem.

Era MXXXVII. Adefonſus filius eius habens à natiuitate ſua annos quinque adeptus eſt regnum. Hic nutritus eſt à Melendo Gundiſalui Comite Galleciæ, & ab eius vxore Comitiſſa domna Maiore: & dederunt ei filiam ſuam in coniugem, nomine Geloytam: ex qua genuit Veremundum & Sanciam, poſt mortem cuius duxit aliam nomine Vrracam. Eo fere tempore cum rebellaret Sancius contra patrem ſuum virum ſtrenuum Burgenſium comitem Garſiam Fernandi, ipſe comes Garſias mortuus eſt, & ſucceſſit, & filius eius nomine Sancius in comitatu Burgenſi vir armis ſtrenuus, prudens in agendis, in ſententia iuſtus, & labori cedere neſcius, qui multas clades intulit Sarracenis. Tamen dum ipſe rebellaret contra patrem ſuum, venerunt Sarraceni propter eorum diſcordiam, & capientes vrbem Abelam funditus deſtruxerunt eam. Ceperunt etiam Sanctum Stephanum & Cruniam. Comes autem Garſias Fernandi dum cum paucis vellet obuiare Sarracenis, & incaute ſe gerere, captus eſt ab eis, & poſt paucos dies propria morte deceſſit. Tunc comes Sancius filius eius collecto multo exercitu Legionenſium, Pampilonenſium, & ſuorum perrexit Toletum, vt patris iniuriam vindicaret, & multas ſtrages circumquaque ferro & flamma faciens, acceptis multis muneribus à barbaro Toletano Rege, in Caſtellam victor reuerſus eſt, & multas victorias nobiliter de Sarracenis obtinuit ſæpe; ita vt vſque Cordubam hoſtiliter pergeret, & multas cædes Sarracenis inferret. Præfatus autem Rex Adefonſus ſceptrum regni nobiliter gubernauit eo, quod ſapientum ſe conſilio rexit.

Tamen dum eſſet puerulus, & † Adella Rex Toletanus Legionenſe regnum hoſtiliter infeſtaret, inito cõſilio nobiles regni dederunt Tharaſiam ſororem Regis Adefonſi barbaro pro coniuge, ipſa nolente eo, quod occulte ſe ſimulabat Chriſtianum, & auxilium contra Agarenos cæteros Regi Adefonſo ſe præſtaturum iuramento firmauit. Quæ cum eſſet virgo Chriſtianiſſima, & Toletum perductam barbarus vellet eam cognoſcere, dixit ei: Noli me tangere, quia paganus. Si vero me tetigeris, Angelus interficiet te. Tunc Rex deriſit eam, & concubuit cum ea ſemel, & ſtatim ſicut illa prædixit, percuſſus eſt ab Angelo Domini. Ille autem vt ſenſit mortem propinquam adeſſe, ſibi vocauit cubicularios ſuos, & præcepit eis onerare camelos auro, argento, gemmis & veſtibus pretioſis, & adducere illam ad fratrem ſuum. † Abdella

Rex autem Adefonſus celebrauit concilium cum Epiſcopis, Comitibus & poteſtatibus ſuis. era MLVIII. & repopulauit Legionenſem vrbem, quæ vt prædictum eſt à Rege Agarenorum Almanzor fuerat depopulata. Reædificauit omnes portas eiuſdem ciuitatis ex luto & ligno, & dedit ei bonos foros, & mores: quos debet habere tam ciuitas, quam totum Legionenſe regnum à flumine Piſorga, vſque ad extremam Galleciæ partem in perpetuum. Fecit etiam eccleſiam ſancti Ioannis Baptiſtæ in ipſa vrbe ex luto & latere, & collegit omnia oſſa Regum & Epiſcoporum, quæ in ipſa erant ciuitate, & in ipſa eccleſia ſepeliuit ea ſimul, & ſuper ea ædificauit altare ad honorem ſancti Martini Epiſcopi & Confeſſoris. Deinde tranſtulit oſſa patris ſui Veremundi Regis, qui ſepultus fuerat in Berizo in Villa bona, & ſepeliuit ea in Occidentali parte ipſius eccleſiæ in ſepulchro marmoreo vna cum matre ſua Regina domna Geloyra. Reſtauratum etiam iuxta eandem eccleſiam monaſterium ſancti Pelagij, quod ab Agarenis fuerat deſtructum. Quo loco ſoror eius prædicta Tharaſia in monachali habitu cum virginibus Deo dicatis diu permanſit, & poſtea Ouero obiit, & in monaſterio ſancti Pelagij ſepulta fuit. Eo fere tempore ſupradicto Vela comite mortuo duo filij eius Didacus & Syluester cum Sancio duce Burgenſium nollent obedire, à Caſtella cum magno dedecore eiecti ſunt ab ipſo duce. Ij venientes ad Regem Adefonſum, honorifice

sunt ab eo recepti: & dedit eis terram in submontanis. Post hæc Rex Adefonsus ordinatis sapienter per regni confinia rebus cœpit Sarracenis bella inferre, & regnum sibi subditũ nobiliter gubernare. Anno igitur regni sui vigesimo octauo aggregato magno exercitu obsedit Vescum in Portugale magnum oppidum, quod adhuc detinebatur à Sarracenis. Cumq; quadam die propter nimium feruoré Solis indutus, tantummodo pallio & camissia longe à muris ipsius ciuitatis equitaret, à quodam insigni baleario Sarraceno inter scapulas sagitta percussus est. Cumq; sensisset se lethaliter vulneratũ, vocauit Episcopos & Abbates, & ab eis accipiens corpus & sanguinem Domini, mortuus est, & sepultus in Legione iuxta patrem suum & matrem suam.

Era M L X V. mortuo Rege Adefonso filius eius Veremundus successit in regnum Légionensium. Qui reuera Veremundus Patricius, puer constitutus in Regem, non vt illa ætas diuersis puerilibus & lasciuis cupiditatibus astringi assolet, constrictus dignoscitur; sed in ipso teneri regni exordio ecclesias Christi gubernare, easque à prauis hominibus defendere, cœnobiorum ceu pius pater consolator existere, & pauperum tutor sedulus esse cœpit. Duxit vxorem filiam Sancij ducis Castellani nomine Tharasiam: ex qua suscepit filium Adefonsum, qui post paucos dies mortuus est. Sancius vero Burgensium dux quam gloriose se gesserit in suo comitatu, non posset noster ad plenum euoluere stylus. Dedit namque bonos foros & mores in tota Castella, & sapienter & fortiter se gessit in suo ducatu. Hic accepit à Sarracenis Gormaz, Osmam, & sanctũ Stephanum, & alia multa in Extremadura Habuit filium nomine Garseam, & filias duas: quarum vnam dedit Regi Veremundo Legionensium in vxorem: & aliam Sancio Cantabrorũ Regi: ex qua idem Sancius genuit duos filios, scilicet Garseam, & Fernandum. Obiit comes Sancius, & successit ei in ducatu Burgensium infans Garsea filius eius. Tunc Burgenses comites inito consilio miserunt ad Veremundum Regem Legionensium, vt sororem suam Sanciam comiti Garsiæ daret in coniugem, & concederet eundem Regem Castellæ vocari. Rex attamen Veremundus hoc se factutũ promisit. Vnde factum est, vt cum esset Rex Veremundus Oueto, venerunt Burgensium nobiles cum comite suo infante Garsia in Legionem proponentes ire Ouetum, tum causa orationis, tum vt loquerentur cum Rege de matrimonio contrahendo, & Regis nomine Garsiæ duci obtinendo: sed filij Velæ comitis supradicti aggregantes exercitus in submontanis memores malorum, quæ sibi fecerat dux Sancius, ambulantes per totam noctem intrauerunt Legionem: & tertia feria illucescente die occiderunt ipsum infantem Garseam in porta ecclesiæ sancti Ioannis Baptistæ. Didacus comitis Velæ filius ipsum Garsiam in Baptismo de sacro fonte leuauerat, & propria manu occidit eum enormi sacrilegio perpetrato, & Dei timoré postposito. Tunc occisi fuerunt multi tam de Castellanis, quam de Legionensibus, qui ad defensionem Garsiæ ducis confluebant. Post hæc cum iam multitudo confluxerat ad vindicandam mortem Garsiæ ducis, prædicti filij Velæ, scilicet Didacus & Syluester fugientes se in montibus, locis tutissimis contulerunt. Infans vero Sancia prædicta fecit planctum magnum super ducem Garsiam, & sepeliuit eum honorifice iuxta Regem Adefonsum patrem suum in ecclesia sancti Ioannis Baptistæ. Puer fere tredecim annorum erat infans Garsias quando mortuus est.

Sancius autem Rex Cantabriensium, qui gener erat Sancij ducis Castellani, successit Garsiæ in comitatu Burgensium, & cœpit regnare in Nauarra & in Castella. Rex autem Sancius filius fuit Garseani Regis Nauarrorum, qui & ipse Garseanus genitus fuit de Sancio Rege Cantabriæ, qui de nobili Gotthorũ regali semine extitit procreatus. Hic tempore cladis Almanzor, & aliorum Agarenorum fortiter se habuit contra Sarracenos. Nam cum Agareni quæque plana Hispaniæ occupassent, Cantabri algoris & laborum pro loco & necessitudine iniurias fortiter patientes, arreptis leuioribus armis, per colles & opaca siluarum loca pedites serpendo ex improuiso castra hostium, dum aderant inuadendo sæpe conturbabant. Neque huiusmodi factum ab hostibus vsquam poterat vindicari, quia Cantabri succincti & leues, statim vt res postulabat, in diuersa rapiebantur. Itaque Maurorum rabies, quæ aliis formidolosa erat, Cantabris ludibrio habebatur. Quapropter Cantabriorum regnum propter difficultatem introitus & agilitatem incolarum pro maiori parte solidum manfit. Vnde Rex Sancius primus, cuius cognomen Auarca, cum Sarraceni tempore hyemali vrbem Pampilonam debellarent, & ipse esset in Pyrenæis montibus, vltrà Alpes roscidæ vallis, & ingens nix clauderet portum, fecit sibi & suis militibus de coriis crudis & ligneis viminibus rusticorũ more calceamenta, quæ vulgariter, Auarcas & Baraliones vocãt, & nocte

Alpes

Alpes roſcidæ uallis per niues tranſiit, & illuceſcente die Agarenos iaculis & gladiis in tantum fortiter inuaſit, vt perpauci Sarracenorum euaderent, qui ſuis facta prælij nunciarent. Poſt ipſum ſurrexit filius eius Rex Garſeanus, qui nobiliſſimi patris fortiſſima facta ſecutus, barbaris armatus crebro occurrit: & eorum impetus, ne in finibus Chriſtianorum more ſolito deuenirent, conſtanter compeſcuit. Quo defuncto Sancius filius eius paternum ſubiit regnum, qui victoria ſimili, ſicut auus eius, per auarcas & baraliones, ſuper eandem vrbem Pampilonam multa millia Sarracenorum proſtrauit, quare etiam ipſe Rex Auarca dictus fuit, & ad plana deſcendens, inimicos fidei Chriſtianæ longius ſecedere compulit. Hic autem vt prælibatum eſt, poſtquam in Caſtella regnare cœpit, ita comitatum Burgenſem ampliauit, vt iam non comitatus Caſtellæ, ſed regnum merito diceretur. Ab ipſis namque Pyrenæis iugis vſque Naiaram, quidquid terræ infra continetur, à poteſtate Paganorum eripuit; & iter ſancti Iacobi aperuit, quod barbarica infeſtatione clauſum erat, & per deuia Alauæ peregrini declinabant, quos Sancius Rex abſque retardationis obſtaculo recta via currere fecit, & in cunctis fere victor extitit. Meruit quoque, vt dictum eſt, natorum contubernio diu fœliciterque perfrui: quibus viuens pater benigne regnum diuidens Garſiam primogenitum Pampilonenſibus præfecit, Fernandum vero bellatrix Caſtella iuſſione patris pro Rege ſuſcepit. Dedit etiam Ramiro, quem ex concubina habuerat, Aragonem quandam ſe motam regni ſui particulam, ne fratribus eo quod materno genere impar erat, quaſi regni hæreditarius videretur. Deinde mouens arma contra Regem Veremundum Legionenſe regnum valde minorauit. Tamen contra eum inſurgentibus vehementer Legionenſibus & Gallecis, ne hoc deueniret in patriæ deſtructionem, petiuit à Veremundo Rege Legionis adhuc in teneris annis conſtituto Sanciam ſororem ſuam nobiliſſimam puellam, dari filio eius Fernando in cõiugem propter pacem Chriſtianorum reformandam. Rex autem Veremundus largiſſima manu regales ſororis nuptias exhibuit, & Ferdinandus Sanciam in coniugem accepit. Cæterum Rex Veremundus ab extremis finibus Galleciæ vſque ad flumen Piſorgam, quod tunc Cantabrienſium regnum ſeparabat, Rex conſtituitur. Porro Sancius Rex in ſenectute bona plenus dierum dum filius eius Garſias ob vota ſoluenda Romam commearet, ab hac vita deceſſit. Quem Fredenandus apud Onienſe cœnobium magno cum honore, vt tantum patrem decebat, humari fecit. Rex vero Garſias poſtquam ſolutis Deo votis Roma rediit, & obitu patris percepto Pampilonenſi prouinciæ appropinquauit, audiuit Ramirum fratrem ſuum ex concubina ortum, ſuper regno ſibi inſidias tendere. Qui nimirum Ramirus ad hoc perficiendum adunauerat ſibi quoſdam Maurorum Reges, Cæſarauguſtanum ſcilicet & Oſcenſem, atque Tutelanum: quorum præſidio fretus poſitis caſtris ſuper Taphaiam fratri campale bellum indigne comminabatur. Cuius ſuperbiam, quia animoſitas Garſiæ Regis ferre non ſuſtinebat, collectis Pampilonenſium fortiſſimorum copiis caſtra hoſtium extemplo aggreditur. Deinde maxima parte hoſtium trucidata, cæteri qui remanſerunt, relictis tentoriis, ſtipendiiſq; inermes fugam arripiunt. Ramirus autem niſi diſcalceatus ſuper equum capiſtro regente tuta petteret loca, dies illa ſibi vltima foret.

Poſt hæc ex vinculo vnitatis & dilectionis oritur inter Regem Fernandum, & Regem Veremundum ſæua diſcordia, quæ omnium malorum ſeminarium bonorumque ſemper turbatrix fuit. Siquidem præfatus Rex Sancius pater Regis Ferdinandi poſt mortem Legionenſis Regis Adefonſi Rege Veremundo puerilibus annis impedito, partem regni ſui, videlicet à flumine Piſorga vſque Ceiam, ſuo domino mancipauerat, & tam in ipſa terra, quam in tota Caſtella eidem filio ſuo Fredenando Regi & Sanciæ Reginæ dominandi dederat poteſtatem. Veremundus autem vbi Rex Sancius expirauit paternum regnum ſibi vendicare diſpoſuit. At hoc Fredenando, cui Adefonſi Regis filia nupſerat, videbat eſſe iniuſtum, ſi vxor eius foret omnino expers regni patris ſui. His itaque repugnantibus magna inter vtrumque naſcitur commotio belli: ſed quoniam viribus militum impares erant, adeo quod Fredenandus ferre Veremundi impetus non valeret, auxilia fratris ſui Regis Garſiæ ad expugnandum hoſtem obnixius poſcit. Fernandus igitur & Garſias frater eius aggregatis fortiſſimorum militum copiis, dum ad expugnandum hoſtem properant, ecce Rex Veremundus cum ſuis tranſiecto Cantabrienſium limite eis armatus occurrit: & iam in ripa fluminis de Piſorga ſuper vallem Thamaron vtriuſq; exercitus oppoſitæ acies conſpiciebãt ſe fulgentibus armis, cum Rex Veremundus acer & imperterritus primo inſignem equum ſuum Pelagiolũ calcaribus vrgeret: & cupiens hoſtem ferire, rapido curſu inter

denſiſſimum cuneum militum Cantabrorum ſtricta haſta incurrit. Sed dum ferox Garſias & Fernandus acrius inſtarent, in ipſo equi ſui rabido impetu confoditur lanceis, atque corruens in terram mortuus eſt. Multi etiam ſui milites inordinate currentes poſt ipſum, quia non potuerunt eum contingere propter equi eius nimium curſum, accelerantes tamen vt poterant, ſuper eum occubuerunt. Corpus autem Veremundi Regis delatum eſt Legionem, & cum patribus ſuis eſt ſepultum, vna cum vxore ſua regina Tharaſia. Regnauit autem annis decem.

Era MLXXV. prædictus Rex Fredenandus venit & obſedit Legionem, & cum eſſet fere abſque muris, poſt paucos dies cepit eam, & intrauit cum multitudine militum, & accepit ibi coronã regni, & factus eſt Rex in Legione & in Caſtella. Non enim ſupererat aliquis de regali ſemine, ad quem ſpectaret regnum Legionenſe iure propinquitatis, niſi Sancia Regina vxor eiuſdem Regis Fernandi. Conſecratus eſt dominus Fredenandus in Eccleſia ſanctæ Mariæ Legionenſis ſedis, & vnctus in Regem à venerandæ memoriæ Seruando eiuſdem eccleſiæ Catholico Epiſcopo decimo Kalen. Iulij. Qui poſtquam cum coniuge ſua Sancia ſceptra regni gubernandi ſuſcepit, incredibile eſt memoratu, quam breui barbarorum prouincias totius Hiſpaniæ formido eius inuaſerit. Quas in principio regni maturius depopularet, niſi ad ſedandos regni ſui tumultus, prius quorundam magnatum rebelles animos corrigere ſagaciter procuraret. Terrebantur Sarraceni cum viderent Legionem & Caſtellam in vnam concordiam conuenire, & Regem fortem & ſapientem illis imperare. Sancia vero Regina peperit ei filium, qui Sancius eſt vocatus. Deinde peperit filiam nomine Geloyram. Tertio peperit filium, quem vtrique parenti vocari placuit Adefonſum. Quarto minimus Garſias genitus eſt. Vracam namque decore & moribus nobiliſſimam puellam priuſquam obtinuiſſet regni apicem genuerunt. Rex vero Fredenandus filios ſuos & filias ita cenſuit inſtruere, vt primo litteralibus diſciplinis, quibus & ipſe ſtudium dederat, erudirentur. Deinde vbi ætas patiebatur maſculos more Hiſpanorum equos curſare & armis & venationibus fecit filios exercere. Filias autem ne per otium torperent, ad omnem muliebrem honeſtatem erudiri fecit. Sed inimica omnium bonorum inuidia animum Garſiæ Regis Pampilonenſium fratris eius cœpit acrius ſtimulare & de Regis Fredenandi opulentia & felicitate Garſias nimium torquebatur. Rex vero Fernandus cum per omnia manſuetus & pius inueniretur, quadam naturali benignitate fratris inuidia perturbatum animum ſtudebat ad dilectionem fraternam reuocare. Igitur dum Rex Garſias apud Naiaram ægrotaret, Rex Fernandus fraternis commotus viſceribus eum viſere feſtinat. Rex autem Garſias inito conſilio iuſſit ſuis, vt caperent Regem Fredenandum. Sed Fredenandus vt hoc comperit, velociter in patriam ſe recepit. Factum eſt autem conuerſo Rege Fredenando, & ægrotante eum Rex Garſias pro tanto ſcelere mitigando & fratre placando acceſſit humiliter viſitare. Quem viſum Rex Fredenandus Ceiæ in vinculis ponere iuſſit. Sed Rex Garſias callide poſt aliquos dies euaſit, & cum quibuſdam militibus furtim præparatis ad propria remeauit. Qui deinceps Garſias acer & furibundus cœpit aperte manifeſtas occaſiones belli quærere, atque fraternum ſanguinem ſitiens Fernandi fines quouſque attingere poterat, hoſtiliter deuaſtare. Quibus auditis Rex Fredenandus collecto à finibus Galleciæ vniuerſo exercitu iniuriam regni vlciſci properat. Tamen legatos idoneos ad Regem Garſiam miſit, quatenus dimiſſis finibus ſuis vteretur pace, & cũ eo mortiferis gladiis confligere nollet. Fratres enim erant; ideoq; vnumquemq; in regno ſuo deceret quiete viuere. Ad hoc etiam tantam ſuorum militũ multitudinem Garſiam ſuſtinere non poſſe, illi prædicit. Porro Rex Garſias ferox & animoſus audita legatione nuncios de caſtris ſuis deſpecta pietate fratris exire imperat, & ſtatim ſubinferendo minas ipſos nuncios cum ſociis, qui pugnam ſubierint, triumphato domino more pecudum ſe rapere in patriam dicit. Præſumebat namq; Rex Garſias de iuribus ſuis eo quod tunc temporis, excepto imperio regio, præ omnibus militibus habebatur miles inſignis. Siquidẽ in omni bello ſtrenui militis & boni imperatoris officia nobiliter agere conſueuerat; illexerat quoque ſibi maximam turbam Maurorum, quos tumultus cauſa ſuis ad pugnam ſociauerat. Igitur Rege Fredenando, & à Rege Garſia dies & locus infœlicis pugnæ conſtituitur. Sed iam Rex Garſias in media valle de Mata Porca poſuerat caſtra, cum Fernandi Regis milites noctu deſuper imminentem præoccupant collem. Qui nimirum milites ex cognatione, vel familia Regis Veremundi fuerant, & vbi voluntatem domini ſui Regis Fredenandi auidam Regem Garſiam viuum capiendi potius quam extinctum animaduertunt, inſtinctu Sanciæ Reginæ communem ſibi ſan-

ſibi ſanguinem vel dominum vindicare ſingulariter anhelabant. Mane itaque facto cum primo Sol refulſiſſet, vndique ordinatis aciebus ingens clamor vtrinque attollitur, inimica pila eminus iaciuntur, & mortiferis gladiis res geritur. Cohors tamen fortiſſimorum militum, quos paulò ante tetigi, laxis habenis deſuper incurſantes per medias acies ſecando omnem impetum criſpatis haſtis in Regem Garſiam inferunt, atq; confoſſum, exanimem de equo in terrā præcipitāt. In quo bello duo ex magnis militibus Garſiæ cum eo interfecti ſunt. Rex autē Fernandus præcepit ſuis ne fugientes Chriſtianos occiderent volens ciuibus parcere, Vnde factum eſt, vt Sarraceni, qui venerant ad pugnandum dum fugerent, maior pars illorum captiuata eſt. Corpus vero Garſiæ Regis in eccleſia B. Mariæ de Naiara ſepulturæ traditū eſt, quā ipſe à fundamēto deuote cōſtruxerat, atq; argēto & auro ſericiſq; ornamētis pulchre ornauerat.

Rex autem Fernandus poſtquam mortuo Rege Garſia & Rege Veremundo ab vltimis finibus Galleciæ vſque Toloſam, omne regnū ditioni ſuæ ſubactum vidēt, omne tempus reliquum iam ſecurus de patria in expugnādis barbaris, & eccleſiis Chriſti decorandis agere decreuit. Igitur anno regni ſui decimoſexto de campis Gotthorū cum exercitu magno mouens in Portugalem profectus eſt. Etenim ex Luſitania prouincia & Betica barbari erumpentes impie dominabantur in partibus illis. Rex autem Fernandus per omne vitæ ſuę tempus hoc immobili mente firmiter ſtatuerat, ſcilicet non prius ab incepto deſiſtere, aut ſemel ſuſcepto labori cedere quam hoc q̄ efficere conaretur, perfecto fine cōcluderet: ex qua re formido eius corda barbarorū perterruerat. Paratis itaq; ſtipendiis omnibus primo impetu oppidum Sena cum circumiacentibus caſtellis inuaſit interfectis barbaris, & ex eis quos voluit in ſeruitutē ſibi ſuiſq; redegit.

Triumphato ergo oppido Sena ad debellandam Veſenſem ciuitatē accelerat ea ſcilicet cauſa, vt factorum ſuorum reddita vice pro Adefonſo Rege ſocero ſuo interfecto ciuitatis illius barbari ſoluerent debitas pœnas. Erat in ipſa ciuitate ſagittariorum fortiſſima manus, cuius impetū ſi aliquando milites ad murū cauſa dimicandi accederēt, niſi clypeis tabulas ſuperponerēt, aut aliqua obſtacula fortiora ferre nō valerent, cum ſagitta ſingularē clypeum & loricam pertranſiret. Exploratis igitur omnibus ciuitatis ingreſſibus, poſitiſq; caſtris Rex electos & milites & balearios ad ciuitatē curſu tēdere, & portas obſidere præcepit. Deinde cōmiſſo prælio per aliquot dies cū magna fortitudine certaretur cepit eam: atq; inuento inibi ſagittario inſigni qui Adefonſum Regem interfecerat, eum manibus & oculis & altero pede priuare iuſſit. Cęteri vero Sarraceni qui gladium euaſerūt, militibus fuere præda. Inde propere mouens caſtra ad Lamecū ciuitatē peruenit, & circumdato exercitu murū magno conamine irrumpere nititur, q̄ quāuis difficultate loci inexpugnabilis videretur, oppoſitis turribus ligneis, & diuerſorū generū machinis, eam breui expugnauit, & Mauros inibi degentes partim gladio interfecit; partim ob diuerſa eccleſiarū opera anſis ferreis iuſſit cōſtringi. Siquidē Rex Fernandus ſolerti ſemper cura prouidebat, vt de victoriarū ſuarū ſpoliis ad laudē Dei, quicum victorē reddebat, melior pars per eccleſias, & Chriſti pauperes diſtribueretur. Cepit etiā caſtrum ſancti Iuſti ſuper flumen Malua ſitum & Taroca, cum aliis pluribus circumquaq; poſitis, ne in eis cōtra Chriſtianos barbari vlterius præſidia ponerent, ad ſolum vſq; detraxit. Quibus triumphatis vt Conimbria illarū partium maxima ciuitas, quæ iſtis præfuerat, Chriſto ſubiiceretur limina B. Iacobi Apoſtoli petiit: atque in ipſa eccleſia, quæ dicti Apoſtoli corpus cōtinet, triduū fecit, & vt gentē Chriſtianā dignaretur adiuuare, & Conimbriā ciuitatē Chriſtiano cultui ſubiugare Apoſtolus Iacobus, deuotis precibus precabatur. Dotataq; ipſa eccleſia multis muneribus Rex Fernādus diuino fretus auxilio Conimbriā accelerat, poſitiſq; ſuper eam caſtris cōſedit. Exaudiunt Dñs preces Regis Ferdinādi: & cū ipſe pugnaret apud Conimbriā martiali gladio, Iacobus Apoſtolus Chriſti intercedēdo Dñm pro eo pugnabat in cœlo. Et cum per aliquot tēporis ſpatia infra muros Conimbriæ Sarracenos teneret incluſos, poſitis in giro machinis & arietib⁹ muros ciuitatis in parte fregerat. Quod videtes barbari legatos ſupplicādo ad Regē Fernandū miſerunt, quatenus Mauris tantūmodo cōcederet vitā, & acciperet vrbē cum omni eorū ſubſtantia. Rex vero Fernandus adquieſcit, & eiectis Sarracenis quadā die Dominica hora tertia ciuitatē cepit. Quod hęc ciuitas meritis B. Iacobi Apoſtoli à Rege Ferdinando capta fuerit, ſic manifeſte innotuit. Venerat enim ab Hieroſolymis quidā Græculus peregrinus, qui in porticu eccleſiæ B. Iacobi diu permanēs vigiliis & orationibus inſiſtebat. Cumq; intrātes populi laudando, beatū Iacobum militē decantarent, ipſe peregrinus dicere cœpit eū non fuiſſe militē, ſed piſcatorem. Cum vero pernoctaret in oratione, ſubito raptus in extaſi, ei Apoſtolus Iacobus

apparuit, & tenens quasdam claues manu cum alacri vultu alloquens dixit. Heri, inquit, pia precantium vota deridens dicebas me militem non fuisse. Post hæc allatus est magnæ staturæ splendidissimus equus ante fores ecclesiæ, cuius nimia claritas totam apertis ianuis ecclesiam perlustrabat. Quem Apostolus ascendens innotuit peregrino illis clauibus se ciuitatem Conimbriam aperiturum, & Regi Fernando in crastinum circa tertiam diei horam se daturum. Quibus dictis Apostolus disparuit. Facto autem mane peregrinis vocatis clericis & maioribus ciuitatis indicauit eis visionem, & expeditionis ignarus dixit ipsa die Regem Fernandum Conimbriam habiturum. Quidenotato die legatos cum festinatione ad castra inuictissimi Regis dirigentes inuenerunt Conimbriam à Rege Ferdinando captam ea die & hora qua dixerat peregrinus.

Expulsa itaque de Portugali Maurorum rabie, omnes Sarracenos vltra fluuium Mondego, qui vtramq; prouinciam separat, Rex Fernandus armis ire coegit. His vero ciuitatibus, quas de potestate paganorum eripuit Sesnandum consiliis illustrem præfecit. Is namque à Benabeth Rege Beticæ prouinciæ cum alia præda ex Portugali olim raptus, multis præclaris commissis inter barbaros insudãdo in tantam peruenerat claritatem, vt præ omnibus regni sui barbaris Regi charior haberetur. Quippe cuius neque consilium neque inceptum vllum frustratum fuerat opus. Cæterum vbi relicto Benabeth Sesnandus ad Regem Fredenandum profectus est, actis & consilio & Christianis insignis & barbaris vsque ad extremum diem valde terribilis fuit. Rex vero Fernandus post triumphum limina beati Iacobi Apostoli cum immensis donis deosculans ad Legionensem vrbem alacriter est reuersus. Vbi magnatorũ suorum generalem habens conuẽtum statuit barbaros qui à parte Orientis ex prouincia Carthaginensi & Cæsaraugustano regno inundantes, munitiones & castella secus flumen Dorij sita inhabitabant bello aggredi. Erant autem affinitate loci, confinibus Castellæ prædas pecudum & mancipiorum extemplo agentes.

Redeunte igitur anni congruo tempore Fernandus Rex dictas ciuitates & castella cum magno exercitu inuadit captoque in breui castro Gormaz, vadum Regis accessit. Quod oppidum postquam suæ ditioni mancipauit, ciuitatem Berlangam quæ cæteracircumquaq; posita protegebat castra, animosus petiit. Sarraceni autem illius ciuitatis, ne præda fierent Christianis, nimio terrore concussi antequã eos Rex interciperet, murum in diuersa perforantes relicta turba puerorũ & mulierum fugerunt. Post cuius triumphum Rex oppidum Aquilera inuasit. Castro quoq; sancti Iusti triumphato, sanctæ Mariæ munitionem pugnando cepit. Castrum etiam Guerinos aggrediens ad solum vsque destruxit. Postremum etiam destruxit omnes turres vigiliarũ, quæ barbarico more super monte Patrantago erant eminentes; atque municipia quę in valle Porceo Rex ob tuitionem arantium & pecudum construxerat. Cæterum vbi Cantabriensium confinia à fortitudine barbarorũ ex Celtiberia prouincia, & Toletano regno eructantium fecit secura, compactis ex omni regno validissimis militum baleariorumq; copiis Carthaginensem prouinciã Fernandus Rex expugnare intendit. Qui superatis Oniæ alpibus plana etiam loca, quæ Sarraceni detinebant, ferro & flamma vastauit. Deinde secus oppidum Talamanca castra mouens cepit eam, & pleraque loca barbarorum armentis & pecoribus aliisq; prosperis rebus opulentissima occuparunt, agros vastauit, multa castella & oppida cepit & incẽdit, Mauros masculos interfecit, & pueros ac mulieres, & omnẽ eorum substantiam militum prædam esse iussit. Ciuitatem etiam Complutensem pertingens depopulatis ferro & flamma vndique illius prędiis circumuenit eiusdem mœnia castris. Complutenses vero barbari postquam intra muros constricti omnes res suas de foris direptas murumq; arietibus feriri vident, necessario ad Regem Almemonem Toletanũ legatos mittunt, quatenus tantũ hostem vel bello propulsando, seu muneribus mitigãdo de sua & regni incolumitate pertractet. Quod nisi celerius faciat, se Toletanũ regnum perditurum in proximo sciat. Barbarus autem sanioriusvsus consilio immensam pecuniam auri & argenti & pretiosarum vestium conglomerat, atque accepta formidinis securitate ad Regis Fernandi præsentiam humiliter properans, excellentiam illius obnixius postulat, vt acceptis muneribus fines suos vastare desistat. Ad hoc etiam & se & regnum suum potestati illius commissum dicit. Porro Fernandus Rex quamuis barbarum ficte loqui intelligebat, tamen pro tempore accepta pecuniã & Sacramenti sponsione, vt sibi esset subditus, Carthaginensem prouinciam expugnare desinens, multa onustus prædain campos Gotthorum se recepit.

Cumq; iam gloriosa securitate ditatus Legione in solio suo resideret gloriosus, vt patrum suorum Regis Reccaredi atq; Regis Adefonsi fidem augeret, & opera ad cumulũ

suæ for-

ſuæ fœlicitatis, cum Regina Sancia blandis adit colloquiis, quatenus in ciuitate Legionenſi ſibi ſuiſq; poſteris decenter pararet ſepulturam, quam etiam Sanctorum reliquiis ad ſuam & ſuorum tam præſentis vitæ quam futuræ tuitionem decorare ſtuderet. Hæc ſuggerens Regina Sancia dicebat ei: Pollet hæc ciuitas ſitus nobilitate, eo quod ſit iucunda terris, ſalubris aere, fluminibus irrigua, pratis & hortis fœcunda, montibus & fontibus delitioſa, arboribus nemoroſa, atque religioſorum virorum habitationi aptiſſima. Decreuerat namq; Fredenandus Rex apud monaſterium Sancti Facundi, quod ſemper carum habebat, vel in Eccleſia ſancti Petri de Arlanza corpus ſuum tradere ſepulturæ. Sed victus petitionibus, ſuæ dilectiſſimæ coniugis ſtatim deputantur cæmentarij, qui aſſidue dent operam in lapidibus dolandis & Eccleſia conſtruēda tam digniſſimo labori. Tunc Rex Fernandus Legionenſium ciuium precibus inclinatus Zemoram, quæ à Sarracenis deſtructa fuerat, populauit & dedit ei perpetuo bonos foros & nobiliſſimos mores. Extiterant quippe ab antiquo Legionenſes & Zamorenſes amicitiis copulati, & Almanzor barbarus vtramq; deſtruxerat ciuitatem. Interea Rex Fernandus cum venerabili coniuge, quibus idem inerat ſanctum & firmum deſideriū, excogitans qualiter de ſanctorum Martyrum corporibus, qui fuerant in Hiſpalenſi ciuitate trucidati pro Chriſti nomine poſſet adipiſci vel vnum, ordinatis per cōfinia rebus cum primo aduenit opportunitas temporis congregato exercitu innumerabili in Beticam & Luſitaniam prouincias, quibus barbarorum Rex Benabeth præerat, hoſtiliter profectus eſt. Depopulatis itaque barbarorum agris, & pleriſq; villis incenſis eidem Benabeth Rex occurrit cum magnis muneribus, eumq; per amicitiam & regni decus obſecrat, ne ipſum regnumq; perſequi velit, ſed illum ſicut cæteros Sarracenos Hiſpaniæ Reges ſubiectum tributariū dignetur habere. Rex vero Fernandus grandæui barbari precibus flexus omnes idoneos viros, qui ex hybernis conuenerant ad bellandum pro fide vocari iubet, quorum conſilio diſponat, quem finem ſupplicationibus Regis Maurorum imponat, ſed viri prudentes ſuperni diſpenſatione conſilij conſulunt illi, vt barbarum recipiat cum muneribus, & corpus beatæ Iuſtæ martyris, quæ olim apud Hiſpalim cum corona virginitatis & martyrij perrexit ad Chriſtum, prout eius inſidebat animo expeteret ad Legionenſem vrbem transferendum, quod factum eſt petitionibus eius, vt catholicus Fredenandus voluit, aſſenſum præbuit Benabeth: & ei ſe daturum ſanctæ Iuſtæ virginis corpus promiſit. Qua ſponſione accepta poſtquam de expeditione illa glorioſe venerum fuit Legionem, conuocauit Rex miræ ſanctitatis Aluitum Legionenſem Epiſcopum, & Ordonium immutabilem fide, prudentia & largitate Aſtoricenſem antiſtitem, ſimulq; Munionem comitem, atque Fernandum & Gundiſaluum ſui palatij optimates: & cum manu militum eos ad deferendum ſupradictæ virginis corpus Hiſpalim miſit. Qui venientes cauſam ſuæ legationis Regi Benabeth patefecerunt. Rex itaq; paganus eos cum magno ſuſcipiens honore egit conſilium cum ſuis quid ſupra hoc ageret; & accepto ſuorum conſilio reſpōdit nūciis Regis Fernandi, ſe neſcire vbi eſſet prædictæ virginis & martyris corpus. Tunc beatus Aluitus Legionenſis Epiſcopus vna cum glorioſiſſimo Ordonio Aſtoricenſi Epiſcopo indixerūt triduanum ieiunium ſociis, vt Dominus eis oſtendere dignaretur corpus ſanctiſſimum quod quærebant. Tunc apparuit ambobus Epiſcopis orātibus Chriſti confeſſor Iſidorus, & oſtendit eis ſui corporis locum, præcipiens vt eum deferrēt ad ciuitatem Legionenſem decorandam. Sed cum ex licentia Regis Benabeth tumulus beatiſſimi Doctoris Hiſpaniarum Iſidori aperiretur, balſami ros de oſſibus illius exhalauit, & arbores & homines qui aderant, perfudit. Multa etiam alia miranda in ipſo loco & in itinere facta ſunt, dum duceretur Legionem. Delata ſunt beati confeſſoris Iſidori membra Legionem, & in tumulo aureo à Rege Fredenando & Sancia Regina ſuper altare ſancti Ioannis Baptiſtæ venerabiliter collocata, vbi tot miracula ad laudem Chriſti nominis quotidie declarantur, vt ſi quis peritus ea membranis traderet, non minima conficeret librorum volumina.

Poſt aduentum autem ſancti corporis Iſidori ſummi Pontificis in Legionem, quia ciuitas Abulenſis in vaſtitatē olim à Sarracenis redacta fuerat, tranſtulit ex ea Rex Fernandus corpora ſanctorum Martyrum Vincentij, Sabinæ, & Chriſtetæ. Corpus ſancti Vincentij martyris cum parte reliquiarum ipſius germanarum Rex Fernandus iuxta techam beati Iſidori Doctoris Hiſpaniarū honorifice collocauit in Legione. Corpora vero ſanctarum Sabinæ, & Chriſtetæ in eccleſia ſancti Petri de Arlanza tumulauit. Sed magnam ex eis partem Palentiæ contulit. Regina etiam Sancia poſtulante patrē ſuum Regem Sanciū à monaſterio Onienſi tranſtulit, & cū aliis Regibus Legione ſepeliuit.

Post hæc venerabilis Rex Fernandus in defendendo, ampliando simulque exornando regno inuictissimus Princeps cum in solio suo Legione resideret serenus, habito magnatum suorum concilio generali, vt filij sui, si fieri posset, post obitum eius quietam ducerent vitam, illi regnum etiam eis diuidere placuit. Dedit Domno Sancio à flumine de Piforga totam Castellam, Naiaram, & Pampilonam cum omnibus regalibus sibi pertinentibus in montibus Pyrenæis vsque Tolosam. Dedit domno Adefonso Legionem per flumen de Piforga, & toras Asturias de Transmera vsque ad flumen Ouæ. Astoricam etiam Campos, Zemoram, campum de Tauro, Berizum vsque in villam Vxor in monte Zebrero. Dedit domino Garsiæ totam Galleciam vna cum toto Portugali. Tradidit etiam filiabus suis Vrracæ scilicet & Geloyræ totum infantaticum eum omnibus monasteriis, quæ ipse construxerat, admonens, vt vsque ad exitum huius vitæ ipsas Ecclesias adornarent, & absque mariti copula viuerent. Religionem etiam Christianam, quam ab infantia deuotè amplexatus fuerat, summa cum deuotione custodiens, quam in Legione nouiter construxerat Ecclesiam, & in honore Sancti antistitis Isidori fecerat dedicari, plurimæ pulchritudinis auro & argento lapidibusque preciosis & cortinis sericis decorauit. Eandem Ecclesiam mane, vespere & nocturnis horis atque sacrificij tempore impigre frequentabat, & interdum cum clericis in Dei laudibus modulando in ecclesia pollenter vices cantoris explebat, quod quia beatus confessor Isidorus Doctor & Legislator Hispaniarum extiterat, Rex Fer-
fernarcelib nandus statuit, vt in eius Ecclesiæ leges Gothicæ à Legionensibus omnibus † discernerentur. Colebat etiam Rex Fernandus nimia veneratione Ouetensem Sancti Saluatoris Ecclesiam, quam multo auro & argento & lapidibus pretiosis ditauit. Ecclesiam etiam beati Iacobi Apostoli diuersis muneribus studuit exornare. Quid plura? neque Fernandus pius & excellentissimus Princeps vitæ suæ curriculo quicquam carius duxit, quàm vt regni suæ Ecclesiæ principales suis donis fulgerent, atque omnes per illum non solum quiete ac defensione, verum etiam suis laboribus ornatæ & ditatæ forent. Amabat pauperes peregrinos, & in eis suscipiendis magnam habebat curam. Ad hæc etiam vbicumque monachos, canonicos, clericos, vel mulieres Deo dicatas viuere in paupertate reperiebat, eorum penuriæ compatiens, aut perse, vt eos consolaretur venire, seu pecuniam mittere crebro consueuerat. Vnde factum est, vt quadam die ad Ecclesiam Sanctæ Mariæ Legionensis sedis Missam auditurus veniret, atque inspiceret subdiaconum consciſſa serica tunica ministrantem. Post hæc per singulos diligenter aspiciens vidit quosdam pueros clericulos ipsius Ecclesiæ in choro nudis pedibus stantes. Qui misericordia motus plures vestes sericas ad ministerium diuinum eidem Ecclesiæ contulit, & quingentos solidos seu amplius ad opus calceamentorum Canonicorum in castro Iudæorum, quod est iuxta ciuitatem, eandem annuatim habendos perpetuo concessit.

Post hæc cœnobium Sancti Facundi visitare misericorditer veniens, dum ibi erat monastico contentus ordine cum eisdem monachis orabat, & cum eis humiliter sumebat cibum. Cæterum quadam die ex more coram Abbatis mensa, super quam & ipse Rex recumbebat, allatum est domino Regi quoddam vitreum vas vino plenum. Quod iussu Abbatis, vt de vino pro benedictione biberet, Rex incaute accipiens, cecidit vas super mensam, & frustatim confractum est. Tunc Rex anxietate velut magni reatus percussus vocat ad se vnum de circumstantibus pueris, & vas aureum preciosis lapidibus insignitum quo ipse assidue bibebat, sibi adduci celeriter imperat. Quod sine mora defertur, & Rex eum accipiens se erexit, & fratres sic allocutus est, dicens: En domini mei pro confracto hoc beatis martyribus restituo vas. Statuit quoque per vnumquemque annum dum viueret pro vinculis peccatorum soluendis Cluniacensis Cœnobij monachis mille aureos ex proprio ærario dari. Regina autem Sancia vxor eius non minus eo consimilibus sanctis operibus insistebat, & sapientia plena ita fuberat viro, vt particeps laboris fieret in regno. Dum enim ad bellandos Agarenos Rex Fernandus longe lateq; procederet, Regina Sancia in tantum ei equos, arma & omnia necessaria ministrabat, vt nihil deesset exercitibus Christianis, sed bonis abundantes viriliter persequeretur inimicos Christi. Quibus rebus benè ordinatis cum expedita manu multorum militum ad Celtiberiæ prouinciæ pagos vastandos, ac villas Maurorum diripiendas Rex Fernandus profectus est. Non enim volebant sibi Sarraceni illius prouinciæ reddere solita tributa. Cumque ibi diu moraretur, omnia quæ extra munitiones erant, ferro & igne depopulatus, Valentiam ciuitatem accessit. Quam breui expugnasset, nisi ægritudine correptus decubuisset. Omnibus tamen

Celtibe-

Celtiberiæ prouinciæ ciuitatibus & castellis in deditionem acceptis almus Doctor Isidorus ei apparuit, & diem sui exitus imminere innotuit, & in ipsa corporis valetudine mense Decembri Legionem delatus, apud sancti Isidori confessoris Christi memoriam orauit. Ingressus est enim in ciuitatem nono Kalen. Ianuarij, die Sabbatho, & ex more corpora Sanctorum fixis genibus adorans, petebat, vt quia iam terribilis hora mortis sibi imminere videbatur, ipsis cum Angelicis choris interuenientibus anima eius à potestate tenebrarum libera ante Christi tribunal sui Redemptoris illæsa præsentaretur.

Cæterum in ipsa celebri Natiuitatis Domini nocte, cum clerici festiuo more natalicium matutinum canerẽt, affuit inter eos dominus Rex atque virtute qua poterat concinere cœpit vsque ad vltimum Psalmum matutinorum. Aduenit nobis, versus quem tunc temporis more Toletano canebant, succentoribus respondentibus. Erudimini omnes qui iudicatis terram. Quod Fernando sereniſſimo Regi non incongrue veniebat. Quia dum sibi viuere licuit, regnum catholice gubernauit, & se ipsum pressum pudicitiæ freno funditus eruditum reddidit. Porro illucescente natiuitatis filij Dei clara vniuerso orbi die, vbi dominus Rex se artubus deficere prospicit. Missam canere petit, ac percepta corporis & sanguinis Christi participatione ad lectum manibus deducitur sustentantium. In crastinum vero luce aduenientе sciens quod futurum erat, vocauit ad se Episcopos & Abbates, & quosque religiosos viros, & vt exitum suum confirmarent, vna cum eis ad ecclesiam defertur ornatus cultu regio, & corona aurea imposita capiti. Deinde fixis genibus coram altari sancti Ioannis Baptistę, & Sanctorum corporibus, scilicet Isidori confessoris, & Vincentij martyris clara voce ad Dominũ dixit: Tua est potentia, tuum regnum Domine; tu es super omnes Reges, tuo imperio omnia regna cœlestia & terrestria subduntur. Ideoq; regnũ quod te donante accepi, & quamdiu tuæ liberæ voluntati placuit, regi, ecce reddo tibi: tantum animam meam de voragine istius mundi ereptam, vt in pace suscipias deprecor. Et hæc dicens exuit regalem clamidem qua induebatur corpus, & deposuit gemmatam coronam, qua caput ambiebatur, atque, cum lachrymis solo prostratus pro delictorum venia Dominum attentius exorabat. Tunc ab Episcopis accepta pœnitẽtia, & Extremę vnctionis sacramento peracto, induitur cilicio pro indumẽto regali, & aspergitur cinere pro aureo diademate. Cui in tali pœnitentia permanenti coram prædicto altari duobus diebus à Deo viuere datur. Sequenti autem die, quæ est feria tertia, hora diei sexta, in qua sancti Ioannis Euangelistæ festum celebratur, inter manus pontificum, cœlo, vt credimus, tradidit spiritum. Sicque in senectute bona, plenus dierum, perrexit in pace, era MCIII. cuius corpus humatum est cum magna gloria in Ecclesia beati Isidori summi Pontificis in Legione iuxta patrem suum Regem Sancium. Regnauit in Legione & Castella simul annis viginti & octo, mensibus sex, diebus duodecim. In Castella vero priusquam obtineret regnum Legionense, regnauerat fere duodecim annis. Viuente adhuc patre eius Sancio regnare cœpit in Castella, & completi sunt anni regni eius feliciter quadraginta. Regina autem Sancia duobus annis superuixit, & obiit sexto Idus Nouembris, & iuxta eum quieſcit in Legione.

Postquam igitur bonæ memoriæ Rex Fredenandus superstitibus liberis Sancio, Adefonso, Garsia, Vrraca & Geloyra extremum clausit diem, quamquam adhuc viuens pater regnum eis diuisisset, per septem tamen continuos annos intestinum bellum † insolubiliter gesserunt extincta duobus magnis præliis non modica Gotthorum militum parte. Tanta fuit discordia fratrum cupiditate dominandi, quod inter mortales ab initio factum fuisse nullus ambigit prudens, nisi aliquis negotiis secularibus occupatus, qui lectionis studio nequit operam dare. Scrutare sedulo Regum gesta, & inuenies, quia sociis in regno fere nunquam pax diuturna fuit. Porro Hispanici Reges tantæ ferocitatis dicuntur fuisse, quod cum ex eorum stirpe quilibet regulus adulta ætate iam arma primo sumpserit, siue in fratres, seu in parentes, si superstites fuerint, vt ius regale solus obtineat, pro iuribus contendere parat. † implacabiliter

Vrraca siquidem moribus nobilissima à patre ac matre fratri Adefonso fuerat commendata, quem semper præ filijs carum habuerant. Rex autem Adefonsus ex quo Legionense regnũ obtinuit, obediebat sorori Vrracæ tanquam matri. Cui propter varios imminentes casus Zemoram vrbem contulit, in qua se posset à fratrum imminentibus cladibus tueri. Post hæc Rex Sancius, vt erat fortis & animosus, cum magno exercitu suorum castra mouit cõtra Regem Adefonsum. Rex vero Adefonsus in loco qui Planata dicitur, occurrit ei cum exercitu suo. Inito autem certamine succubuerũt Legio-

nenſes, & ex vtraque parte multa Chriſtianorum millia corruerunt. Deinde Rex Adefonſus maiori manu militum congregata, induxit bellum fratri ſuo Regi Sancio in loco qui dicitur Golpeyar in ripa fluminis Carrionis. In quo bello fortiter vtriſque inſtantibus tanta Chriſtianorum mutua cæde facta eſt ſtrages, vt ſine gemitu excogitari non poſſet. Tandem victus Rex Sancius cum ſuis terga dedit. Rex autem Adefonſus præcepit ſuis, vt non inſequerentur fugientes.

Sed in illis diebus ſurrexerat miles quidam nomine Rodericus Didaci armis ſtrenuus, qui in omnibus ſuis agendis extitit victor. Hic cum iam eſſet magni nominis Regem Sancium adhortatus eſt, dicens: Ecce, inquit, Gallæci cum fratre tuo Rege Adefonſo poſt hodiernam victoriam quieſcunt ſecuri in tentoriis noſtris. Irruamus igitur ſuper eos primo mane illucеſcente die, & obtinebimus ex eis victoriam. Rex Sancius acquieuit conſiliis eius, & reuocato vt potuit exercitu ſuo, illucеſcente die cum quieſcerent ſecuri Legionenſes, irruit ſuper eos; & cum eſſent inermes ceſſerunt pugnæ, & captus eſt Rex Adefonſus in Eccleſia ſanctæ Mariæ de Carrione, & in vinculis religatus. Vrraca vero nobiliſſima vt audiuit fratrem ſuum Adefonſum captum, timens ne zelo regni ipſum Rex Sancius interficeret, venit velociter & pepigit cum Rege Sancio, vt illi Adefonſus regnum Legionenſe dimitteret, & iret ad Sarracenos, nunquam ſine ſui iuſſione viuente Rege Sancio reuerſurus. Acquieuit Rex Sancius: & accepto regno fratris Adefonſum ad Sarracenos ire permiſit. Zemorenſes tamen & quidam nobiles de regno Legionis noluerunt Regi Sancio ſubiici; ſed pro Rege Adefonſo & Regina Vrraca fortiter reſiſtebant. Rex etiam Sancius fratrem ſuum Garſiam iuniorem cepit, & vt ſibi eſſet ſubditus acceptis obſidibus, & ſacramentis eum dimiſit.

Erant tunc temporis in regno Legionenſi tres fratres nobiles, & ſapientiſſimi, ſcilicet, Petrus Anſuri, Gundiſaluus Anſuri, & Fernandus Anſuri: quos nobilis Vrraca de beneplacito Regis Sancij cum Adefonſo regno priuato ad Regem Toletanum Almenonem ire fecit. Hoc autem prouida diſpenſatione Dei credimus factum fuiſſe: Cum enim Adefonſus ad Regem Toletanum Almenonem veniſſet, & vt tantus Rex à barbaro cum honore ſuſciperetur, & circumuallatus globo Maurorum huc atque illuc apud Toletum circumduceretur gratia ſpatiandi, Adefonſus altius quam credibile eſt ingemiſcens, quibus locis, quibuſue machinamentis ciuitas illa Chriſtianorum totius Hiſpaniæ olim ſpeculum à Paganorum manibus erueretur pectoris ſecreto voluebat. Sed cum die quadam Adefonſus ſub vna arborum quaſi dormiens iaceret, & Almenon cum ſuis conſiliariis loqueretur, ſi Toletum fortiſſima ciuitatum poſſet ab aliquo capi, vnus barbarorum intulit, dicens: Si, inquit, per ſeptem annos huic ciuitati continue auferantur fruges & fructus, & in octauo hoſtium obſidione valletur, poterit hæc ciuitas capi. Adefonſus, qui ſe dormire ſimulabat, hæc audiens condebat in corde ſuo. Factum eſt etiam quodam die in magno feſto barbarorum, vt Adefonſus Regi barbaro aſſiſteret cauſa ipſum exhilarandi: & cum appropinquaret Regi Almenoni, capilli verticis Adefonſi erigebantur. Rex autem Almenon eos manu comprimens, iterum atque iterum magis erigebantur. Quapropter barbaro cum ſuis conſilio habito conſulebant ei, vt Adefonſum occideret, eo quod ipſe Toletum capere deberet prognoſtico ſe erigentium capillorum. Rex vero Almenon noluit eos audire, ne fidem ſolitam frangere videretur; ſed vocato ad ſe Adefonſo, dixit ei: Iura, inquit, mihi per Deum tuum, vt me viuente nec mihi, neque regno meo inferas malum. Iurauit Adefonſus, & quod poſcebat barbarus ſe facturum promiſit, & etiam contra omnes hoſtes eius, promiſit ſe omnimodum auxilium & obſequium præſtaturum. Ex hoc factus eſt Adefonſus Almenoni Regi familiarior, & ipſum tenerrime diligebat. Regebatur tunc temporis Adefonſus conſilio ſuprafati Petri Anſuri, & eum tanquam diſcipulus audiebat.

Dum hæc agerentur, Rex Sancius voluit capere Vrracam ſororem ſuam, & horum ipſa præſcia ſe Zemoræ incluſit. Sed Rex Sancius aggregato exercitu magno Legionenſium, Caſtellanorũ & Pampilonenſium Zemoram obſedit. Zemorenſes vero Adefonſi Regis domini ſui non ferentes repulſam, eo tempore inuictiſſimi perſtiterunt, & Ariam Gundiſaluum, qui eandem Vrracam nutriebat, ſuper ſe Principem erexerunt, ſicut eis nobilis Vrraca conſtituerat. Et dum Sancius Rex eſſet in ipſa obſidione, egreſſus eſt de ipſa ciuitate magnæ audaciæ miles nomine Vellitus Arnulfi, qui ipſum Regem Sancium ex aduerſo lancea inopinate percuſſit. Qua lancea Rex dolo perfoſſus vitam ſimul cum ſanguine fudit. Idem vero miles qui eum tam audacter percuſſit,

curſu

curſu rapidiſſimi equi Zemoræ receptus eſt. Sed interempto Rege, tunc cerneres ex tanta exercituum audacia, tantaque lætitia, quanta diſperſio, quantaque triſtitia in illo tanto tamque nobili exercitu fuerit. Namque vt quiſque miles per caſtra circumſedebat percuſſus horribili ſonitu, quaſi amens effectus relicto fere omni ſtipendio arripuit fugam, & non ordinate, vt exercitus armis vigiliiſque munitus ſolitus eſt incedere, ſed noctibus diebuſque laborando, omnes in patriam rapiuntur. Cohors tamen fortiſſimorum militum de Caſtella memores ſui generis ac priſtinæ virtutis armis fortiter reſiſtendo exanime domini ſui corpus quantum licebat egregie detulerunt. & regio funere circumuectum apud Onienſe cœnobium magno cum honore ſepulturæ
10 tradiderunt, era MCIX.

Nobilis vero Vrraca concite miſit nuncios ad fratrem ſuum Adefonſum, vt acceleraret venire, & accipere regnum ſuum. Egit tamen caute præcipiens nunciis, vt hæc celarent Sarracenis, timens ne forte ſcientes mortem Regis Sancij caperent Adefonſum. Quidam etiam falſi Chriſtiani ſtatim vt mortuum viderunt Regem Sancium præcurrerunt, vt Regi barbaro Almenoni mortem Regis Sancij nunciarent. Præfatus vero Petrus Anſuri cũ eſſet vir prudens, & lingua Arabica eruditus, egrediebatur quotidie quaſi ſpatiando mane & veſperi extra Toletum trium milliariorũ ſpatio vel amplius, & aſpiciebat contra Caſtellam, ſi forte veniret aliquis qui ſibi rumores nunciaret. Sed factum eſt veſpere quodam vt veniret quidam curſor, qui dum eſſet interrogatus
20 ab eo, & Regis Sancij mortem ſibi detuliſſet, adiiciẽs etiam quod hoc volebat nunciare Regi Almenoni, Petrus Anſuri duxit eum extra viam, quaſi habens aliquid interrogare, & amputauit caput eius. Similiter fecit alio nuncio, qui veniebat poſt ipſum. Tertium vero accepit nuncium dominæ Vrracæ, & feſtinauit venire Toletum, & parare equitaturas, ac neceſſaria, quatenus Adefonſus ipſa nocte ſe in patriam † receſurte recepiſſet. Et quia Rex Adefonſus promiſerat Regi Almenoni, quod non prius ab eo diſcederet, niſi ei ſuum reditum nunciaret, Adefonſus ipſa nocte Regi Almenoni aſtitit, & ab eo cœpit auxilium militum Maurorum petere dicens, ſe velle reuerti in patriam, vt eſſe ſuis auxilio poſſet, ſed mortem Regis Sancij barbaro nullatenus vindicauit. Barbarus autem patricij hominis iacturæ primo compaſſus, ne in hoſtiles manus
30 rurſus velit incidere monet. Ad hęc Adefonſus fortunam fratris & virtutem ſatis ſe expertum dicit. Tantum vt ſibi Maurorum auxilia præberet quamuis callide, tamen inſtantiſſime ſupplicabat. Barbarus autem illius importunitate tędio affectus dixit ei. Recede modo, quia de hac re alias licentius loquemur. Porro Petrus Anſuri extra Toletum equitaturas caute parauerat antequam portæ ciuitatis clauderentur. Adefonſus autem poſtquam ſe à Rege Almenone quaſi licentiatum vidit, ſcilicet dum ei dixiſſet, recede nunc, à ſuis in conticinio noctis per murum dimiſſus, ſicut erat prouidus, per totam noctem equitando in patriam ſe recepit. Almenon autem cœpit cum ſuis conferre quare vellet ad patriam reuerti Adefonſus. Sarraceni autem barbaro dixerunt,
40 quia fortaſſis de morte fratris acceperat nuncium. Tunc ex definitione conſultum eſt, vt primo mane caperetur, ne forte eſſet in excidium aliquando Toletanis. Facto vero mane miſit Almenon apparitores qui caperent Adefonſum, & cum non eſſet inuentus, atque dictum fuiſſet, eum de nocte fugiſſe, miſit poſt eum milites plures ad capiendum ipſum, qui eo non inuento reuerſi ſunt.

Rex autem Adefonſus Zemoram veniens accerſita ſorore Vrraca aliiſq; illuſtriſſimis viris, habuit cum eis ſecretum colloquium. Quæ profecto Vrraca à pueritia Adefonſum præ cæteris fratribus fraterno amore tenerrime diligebat. Cum enim maior eſſet ætate cum loco matris alebat, induebatque. Pollębat namque Vrraca conſilio &
50 probitate. Quippe quod veritate magis quam opinione poteſt probari ſpretis carnalibus copiis periturique mariti amplexibus de foris ſub laicali habitu, ſed intrinſecus ſub moniali obſeruatione, Chriſto vero ſponſo adhęſit, ac omni vitę ſuę tempore in ornandis auro, argẽro, precioſiſq; gemmis ſacris altaribus ſacerdotalibuſq; ſtuduit veſtimentis. Igitur in ſuprafato colloquio diffinierunt qualiter nuncios per regna Hiſpaniæ mitterent, & ſapienter ſe agerent in diſpoſitione regnorum. Legionenſes autem Gallæci, & Aſtures audientes Regis Adefonſi aduentum, ei cum magna lætitia Zemoram occurrere, ſibi eum Regem ac dominum acclamantes. Rex vero Garſias frater Regis, vt vidit ſui regni Gallæcos ad Regem Adefonſum properare, iratus eſt valde: & cœpit bellum inferre Regi Adefonſo fratri ſuo. Rex autem Adefonſus habito conſilio ſororis Vrracæ & Petri Anſuri, miſit ad fratrem ſuum Regem Garſiam, vt cum eo tractarent de pace. Garſeanus autem vt nuncios fratris vidit, (& erat ſimplicis ingenij) venit ad

Regem Adefonſum nulla fide de ſecuritate accepta abeo. Rex vero Adefonſus Regem cepit Garſiam fratrem ſuum, & in vinculis poſuit, cui præter licentiam imperandi omnis regius honor exhibebatur. Conſiderabat namque Adefonſus hunc poſt ſe regnaturum. Obtinuit tunc Rex Adefonſus regnum Portugaliæ & Gallæciæ fratris ſui.

Poſt hæc Caſtellani nobiles, & Pampilonenſes, cum nullus eſſet ſibi de genere regali, quem dominum poſſent habere, venientes ad Regem Adefonſum, eum Regem fecerunt, hac tamen conditione interpoſita, vt prius iuraret, quod nunquam fuerat in conſilio mortis Regis Sancij fratris ſui. Cumque nullus eſſet, qui iuramentum à Rege auderet accipere, ſuprafatus Rodericus Didaci ſtrenuus miles iuramentum à Rege accepit. Quapropter Rex Adefonſus ſemper habuit eum exoſum. Poſtquam autē Rex Adefonſus fratrum ſuorum regna obtinuit, ſapientiſſimam ſororem ſuam Vrracam Reginam fecit vocari, cuius prudenti conſilio diſponebat quæcumque erant gerenda in regno. Tam ſapienter Rex Adefonſus regni geſſit gubernacula, vt omnes poteſtates, nobiles, diuites, vel pauperes, qui erant in regno, erant in quiete, ita quod non auderet vnus contra alterum litem mouere, nec aliquid mali facere. Pater erat & defenſor omnium Eccleſiarum, & per omnia Catholicæ religionis cultor. Tam terribilis fuit omnibus male agentibus, quod nequaquam auderent apparere in conſpectu Regis. Tanta pax fuit in diebus quibus ipſe regnauit, vt vna ſola mulier portans aurum vel argentum in manu ſua per totum regnum eius, tam in montibus quam in campis, non inueniret qui tangeret eam, vt aliquid mali faceret ei. Negociatores & peregrini tranſeuntes per regnum eius nihil verebantur, quia non erat aliquis qui eos moleſtare auderet. Studuit etiam facere omnes pontes, qui ſunt Lucronio, vſque ad ſanctum Iacobum.

Factum eſt autem cum Rex Cordubenſis Regem Almenonem impugnaret, Rex Adefonſus congregato magno exercitu, venit verſus Toletum. Rex Almenon vt hoc audiuit, timuit valde, & miſit nuncios ad Regem Adefonſum, qui ei ad memoriam reducerent bona quæ fecerat ei barbarus Toletanus, & eum ſupplicarent pro pace. Rex Adefonſus honorifice ſuſceptis nunciis barbaris dixit eis: Reuertimini ad dominum veſtrum Almenonem, & dicite ei, quia ad auxilium eius venio contra Regem Cordubenſem. Recordetur quia dum ſecum eſſem quadam die adiurans me interrogauit, vt dicerem ei, quid facerem ſi regnum patrum meorum haberem. Ego vero reſpondi ei, quod aggregato magno exercitu properarem adiuuare ipſum contra omnes aduerſarios eius. Quod dum Almenoni hæc nunciata fuiſſent, lætatus eſt valde, & miſſis ſibi famulis ſuis, qui Toleto fuerant detenti, & muneribus magnis, perrexit cum eo contra Cordubenſes. Sed Rex Adefonſus omnia, quæ in circuitu Cordubæ erant, ferro & flamma deuaſtans, cum infinita præda Legionem reuerſus eſt. Tunc accepit vxorem nomine Conſtantiam, ex qua genuit Vrracam, quæ fuit vxor comitis Raymundi. Poſt cuius mortem duxit vxorem nomine Bertam, de Tuſcia oriundam. Quartam quoque duxit nomine Eliſabeth, filiam Ludouici Regis Franciæ, ex qua genuit Sanciam coniugem comitis Roderici & Geloyram, quam duxit Rogerius dux Siciliæ. Quintam quoque duxit nomine Beatricem, quæ poſt mortem Regis in ſuam patriam repedauit. Habuit etiam duas concubinas nobiliſſimas, priorem Xemenam Munionis, ex qua genuit Geloyram vxorem comitis Toloſani Raymundi: & Raymundus genuit ex Geloyra Adefonſum Iordani. Habuit etiam Rex Adefonſus ex prædicta Xemena Munionis filiam nomine Tharaſiam, vxorem comitis Henrici, & Henricus genuit ex ea Vrracam, Geloyram, & Adefonſum, qui fuit Rex Portugalenſium. Poſteriorem quoque Rex Adefonſus habuit nomine Zaydam filiam Benabeth Regis Sibiliæ: ex hac genuit Sanctum, qui fuit mortuus in lite de Vcles.

Habuit Rex Adefonſus pacem cum Almenone Rege Toletano, quamdiu ipſe barbarus vixit: & fecit ei gratiam & honorem. Poſt obitum vero Almenonis Rex Adefonſus cœpit expugnare ciuitatem Toletum, & per ſeptem continuos annos abſtulit ipſi ciuitati fructus & fruges. Anno autem octauo cum diuino adiutorio cepit ipſam ciuitatem Toletanam, quæ olim fuerat mater & gloria regni Gotthorum. Poſt hæc cepit Talaueram, Sanctam Eulaliam, Maquedam, Alphamin, Argenzam, Magenzam, Mageritam, Olmos, Canales, Caſatalipham, Talamancam, Vzedam, Godalphaiaram, Fitam, Ribas, Caracoyam, Moram, Aluede, Conſogram, Veles, Maſatrigo, Concham, Almodouar, Alaeth, & ex alia parte cepit Cauriam, Vlisbonam, Sintriam, Santarem. Populauit etiam Rex Adefonſus totam Strematuram, & totam Caſtellam,

ſtellam, & ciuitates & villas, quarum nomina hæc ſunt, id eſt, Salmantica, Abula, Coca, Olmedo, Medina, Secobia, Iſcar & Colar. Perluſtrauit Rex Adefonſus omnes ciuitates Sarracenorum, & deuaſtauit & deprædatus eſt multa caſtella ipſorum, & fecit ſibi tributarios omnes Hiſpaniæ Sarracenos. Qui ad tantam deuenit gloriam, vt Imperatorem Hiſpaniæ faceret ſe vocari. Eodem tempore Rodericus Didaci miles ſtrenuus pugnauit cum Petro Rege Aragonum in campo, & cepit eum. Poſt hæc obſedit Valentiam, & cepit eam. Deinde vicit barbarorum Regem Buchar, & interfecit multa millia Sarracenorum. Rex autem ſuprafatus Garſias frater Regis Adefonſi cum eſſet in vinculis ægrotauit, & minuit ſe ſanguine. Sed cum nunciarum fuiſſet Regi Adefonſo fratrem ſuum grauiter ægrotare, doluit valde, & iuſſit eum extrahere à vinculis, & ducere Legionem. Per viginti annos tentus fuit Rex Garſias in vinculis, & cum Rex Adefonſus non haberet filium qui ſibi ſuccederet, ad hoc ſeruabat Regem Garſiam, vt regnaret poſt ipſum. Timebat tamen à vinculis eum extrahere, ne pararet rebellionem, & turbaretur regnum. Rex autem Garſias cum veniret Legionem in itinere mortuus eſt: cuius funeri ambæ ſorores, Vrraca ſcilicet & Geloyra more regio occurrentes, & Renerio Romanæ Eccleſiæ Legato, qui poſtea Papa effectus eſt, & cum Bernardo Toletano Archiepiſcopo, aliiſq; comprouincialibus Epiſcopis & Abbatibus Legione Synodum celebrabat, omnibus pro eius anima Deo ſalutarem hoſtiam offerentibus, corpus eius in eadem vrbe cum patribus ſuis ſepulturæ honorifice tradiderunt, era MCXXIX.

In prædicta vero Synodo almi Sacerdotes de fide Catholica colloquẽtes ſtatuerunt, vt ſecundum regulam beati Iſidori Hiſpalenſis Archiepiſcopi eccleſiaſtica officia in Hiſpania regerentur. Statuerunt etiam vt ſcriptores de cætero Gallicam litteram ſcriberent, & prætermitterent Toletanam in officiis eccleſiaſticis, vt nulla eſſet diuiſio inter miniſtros Eccleſiæ Dei. Eo tempore Rex Adefonſus offendit grauiter Comitem Caſtellanum, Garſiam de Cabrera: & cauſa placandi ipſum, dedit ei Geloyram ſororem ſuam in vxorem, & pacificauit totum regnum, quod in ſeditionem vertebatur. Videns etiam Rex ſe non habere filium qui regnaret poſt ipſum, tradidit filiam ſuam primogenitam Vrracam nobiliſſimo viro comiti Raymundo, qui erat de regali genere Gorthorum, vt de tali coniugio Regum ſemen ſuſcitaretur. Comes Raymundus de coniuge ſua Vrraca genuit primogenitam filiam Sanciam, & ſecundo Adefonſum. Tunc comes Raymundus de præcepto Regis Salamanticam populauit. Obiit glorioſa Regina Vrraca Fernandi: & Legione in eccleſia beati Iſidori ſepulta eſt. Soror quoque eius Geloyra Fernandi, obiit, & Legione iuxta ſororem ſepulta eſt.

Cum igitur Rex Adefonſus regnaret ſecurus, cum tantis proſperitatibus accepit filiam Regis Benabeth, vt præmiſſum eſt quaſi pro vxore, & genuit ex ea Sanciam. Deinde habito conſilio cum Benabeth euocauit ad Hiſpaniæ partes, barbaras, tranſmarinas gentes, quæ Almorabides ſiue Almophades vocantur. Putauerat enim Rex Adefonſus, quod prædictæ gentes pugnarent cum cæteris Sarracenis, & mutuo gladio barbari delerentur. Sed ipſi Sarraceni Almophades partim gladio, partim conſilio ipſos Hiſpaniæ Sarracenos in ſuam concordiam redegerunt: & conſtituerunt ex genere ſuo Regem, quem Miramamolinum honoris gratia vocauerunt. Facta igitur concordia inter Sarracenos, Hiſpanos, & Africanos, ipſi barbari ceperunt Regem Adefonſum grauiſſime moleſtare, & omnino illi tributa ſolita denegare. Primo Regem Benabeth occiderunt, eo quod eſſet occulte Chriſtianus, & Regi Adefonſo nimio amore coniunctus. Deinde congregato innumerabili agmine Maurorum, Chriſtianorum fines deprædari cœperunt. Comes autem Garſias & Comes Rodericus occurrerunt Sarracenis cum exercitu magno. Et finito bello in loco, qui Roda dicitur, ceſſerunt bello Chriſtiani, & multi ibi perierunt ex noſtris. Poſt Miramamolinus congregata nimia Maurorum multitudine fines Chriſtianorum intrauit. Occurrit autem ei Rex Adefonſus cum exercitu ſuo in loco, qui dicitur Barduzo, id eſt, ſacralias, commiſſo prælio innumerabilis multitudo de noſtris corruit. Rex autem Adefonſus in hoc mirabilis habebatur, quod cum victus fuiſſet, magis animabatur ad bellum. Vnde eodem anno magno exercitu congregato vſque Sibilam venit, & innumerabiles ſtrages fecit, & in pace reuerſus eſt. Erat cum Sarracenis Comes Garſias Ordonij, qui Agarenos ad prælium fortiter animabat. Cuius conſilio Rex Miramamolinus inæſtimabili ſuorum multitudine conglobata Regis Adefonſi adiit hoſtiliter regnum. Rex vero Adefonſus cum multo-

rum Christianorum agmine venit illi obuiam ad castrum quod vocatur Ocles, & inito inter se prælio, cum à mane vsque ad noctem inuincibiliter dimicatum fuisset, tanta millia ex vtraque parte corruerunt, quod præ sui multitudine dinumerati non possent. Ibi de nostris occubuit Sancius Regis filius, & comes Garsias Fernandi, & comes domnus Martinus, & alij plures. Perquisiuit autem Rex Adefonsus à sapientibus, quare sui milites non poterant laborem exercitus tolerare. Respondsumque est illi: quia eò quod erant balneis dediti, & admodum delicati. Tunc Rex fecit balnea sui regni destrui, & milites variis exercitiis insudare. Post hæc Rex Adefonsus laboris cedere nescius congregato Gallorum & suorum exercitu inæstimabili fines Maurorum inuasit, & regem Miramamolinum Cordubæ obsedit. Rex vero Miramamolinus misit ei legatos pro pace, promittens de omnibus ciuitatibus suis, quæ sunt citra mare, Regi Adefonso soluere tributa. Dum hæc agerentur, Sarracenus quidam insignis nomine Abadella, cum manu forti barbarorum de nocte irruit super castra Regis Adefonsi. Sed concurrentes nostri ad arma, ipsum Abadella viuum ceperunt, & de suis multitudinem nimiam occiderunt. Sequenti vero die ipsum Abadella iussit Rex Adefonsus videntibus Mauris, qui erant super murum Cordubæ, frustatim scindi, & igne cremari, quia occiderat Benabeth socerum Regis, de illis etiam qui capti fuerant cum illo, & erant familiares eius, igne comburi iussit. Vnde territi Sarraceni de soluendo tributo cum Rege Adefonso firmiter pepigerunt, & illi auri, argenti, lapidum pretiosorum & sericarum vestium immensos thesauros obtulerunt, & reuersus est Rex in patriam cum multis opibus & gloria magna. Rex vero Miramamolinus reuersus est Marrochos regalem sedem regni sui, & quamdiu vixit Rex Adefonsus, non apposuit venire in Hispaniam.

Rex autem Adefonsus multa gloria ditatus & opibus transcendit Hispaniæ Reges, qui fuerant ante ipsum: & regnum sibi subditum in pace & in fide Catholica confirmauit; & de cætero dum vixit constituta tributa per vnumquemque annum à Sarracenis accepit. Post hæc decidit in lecto, & per annum vnum & sex menses integros ægrotauit: & quamuis esset infirmus qualibet die aliquantulum equitabat iussu medicorum, vt aliquod corporis leuamen haberet, & ne faceret de sua valetudine lætitiam Sarracenis. Sed octauo die antequam moreretur, fecit Deus in Legionensi vrbe in ecclesia sancti Isidori prodigium magnum. In natiuitate quidem sancti Ioannis Baptistæ hora sexta, lapides qui sunt ante altare sancti Isidori, vbi tenet sacerdos pedes, quando Missam celebrat, non per iuncturas lapidum, sed per medias petras cœperunt manare aquæ videntibus cunctis ciuibus tam maioribus, quam minoribus, vna cum Episcopis, videlicet, Petro Legionensi, & Pelagio Ouetensi; & hoc fuit factum tribus diebus, quinta feria, sexta & Sabbatho. In quarta vero die, quæ erat Dominica, prædicti Episcopi induerunt se pontificalibus indumentis, & omnis ecclesiasticus ordo sacris vestimentis ornatus, singuli cereos habentes in manibus, vna cum ciuium & populi multitudine facta processione ab ecclesia sanctæ Mariæ, vsque ad altare beati confessoris Isidori, intrauerunt ecclesiam sancti Isidori, dantes voces cum lachrymis, laudantes mirabilia nostri Saluatoris. Peracto itaque sermone à prædicto Pelagio Ouetensi Episcopo, & celebrata Missa à Petro Legionensi Episcopo, accesserunt prædicti Episcopi ad locum vbi erat aqua, & ipsi Episcopi biberunt ex ea, & totus populus simul. Post hæc statim aquæ fluere cessauerunt. Iusserunt tamen ipsi Episcopi, vt de illa aqua in vasibus vitreis seruaretur in testimonium: & quamuis multi ad honorem beati Isidori curati fuerint infirmi ex potu illius aquæ, tamen hoc signum tribulationes & luctus ostendisse videtur, quæ post mortem prædicti Regis illi Ecclesiæ atque Hispaniæ euenerunt. Et ideo quidam sapientes autumant, quod lapides lachrymas quasi ploorantes produxerunt. Etenim per Regem Aragonium Petrum postea ipsa ecclesia spoliata fuit, multis possessionibus & thesauris atque pars regni maxima deuastata. Igitur Rex Adefonsus septuagesimo vitæ suæ anno accepto corporis & sanguinis Domini sacramento, obiit Toleto quadragesimotertio, ex quo regnare cœpit. Tunc Comites simulque omnes populi decaluatis capitibus, scissis vestibus, ruptis mulieres faciebus, cum magno gemitu & dolore cordis dabant voces, dicentes: Cur pastor oues deseris? Nam commendatum tibi gregem & regnum inuadent Sarraceni & crudeles homines. Post viginti autem dies deduxerunt eum in territorium Ceiæ, & omnes Archiepiscopi & Episcopi vna cum cæteris nobilibus regni sepelierunt eum in Ecclesia sanctorum Facundi & Primitiui, iuxta vxores suas, scilicet, Agnetem, & Constantiam. Hanc quidem ecclesiam prædictus Rex Adefonsus dum viueret, multis insigniis ditauerat,

nerat, libertatibus donauerat, & multis prædiis ampliauerat. Regina vero Eliſabeth eius vxor Ludouici Francorum Regis filia Legione in eccleſia ſancti Iſidori ſepulta quieſcit.

Era MCXLVI. Adefonſus filius comitis Raymundi & Vrracæ Reginæ filiæ Regis Adefonſi cœpit in Gallecia regnare. Eo tempore facta eſt perturbatio magna in Hiſpania, eo quod Regina Vrraca regere volebat regnum paternum ſine filio Adefonſo. Siquidem Pampilonenſes videntes diſſenſionem regni, quidam militem Garſiam Ramiri ſuper ſe Regem erexerunt. Erat tunc temporis in Aragonia Rex Petrus, qui amore Vrracæ Reginæ fecit ſe vocari Regem Adefonſum. Vrraca vero Regina habebat ſecum comitem Henricum, qui præerat Portugaliæ, cuius conſilio miſit ad Regem Aragonenſem, vt properaret eam accipere in vxorem, & obtineret regnum. Venit igitur Rex Aragonum cum magna manu militum, & Reginam Vrracam accepit vxorem. Cumque Rex vellet obtinere Gallæciam, obuiauit ei cum larga manu militum comes nomine Gomez, in loco qui dicitur, Campo de Spina. Initoque certamine captus eſt comes Gomez, & à comite Henrico in ipſo loco occiſus. Gallæci autem dolore nimio perturbati vna cum Rege ſuo Adefonſo conſtituerunt diem & locum, vbi cum Rege Aragonenſium dimicarent, & conuenerunt inter Aſtoricam & Legionem in loco, qui dicitur, via de Angos, vbi acriter præliari cœperunt, & multi tam de iſtis, quam de illis corruerunt. Tandem ceſſerunt Gallæci, & ſe fugæ commiſerunt. Tamen Gallæci de ſua iuſtitia confidentes, miſerunt ad Regem Aragonenſem, dicentes, quod volebant iterum in campo cum eo confligere. Rex autem Aragonenſium erat in arcto poſitus, eo quod videret Gallæcos & Aſtures pro domino ſuo mori paratos, & Caſtellani nullum ſibi ferrent ſubſidium. Defecerat etiam ſibi cenſus, eo quod primo largiſſima manu dederat militibus, & ad præſens non erat ei quod largiretur. Vnde factum eſt, vt de conſilio comitis Henrici, & Reginæ Vrracæ quaſdam nobiles eccleſias, quas Rex magnus Fernandus & filius eius Rex Adefonſus theſauris ditauerant, ſpoliaret: etiam ad aurum ſepulchri beati Iſidori mitteret manum: quod ſibi & principibus ſuis à Deo & ab hominibus in magnum ſcandalum ceſſit. Omnes enim nobiles & ignobiles ipſum, & ſuos infideles, & ſacrilegos conclamabant. Dum hæc agerentur venit illi nuncius, quod Sarracchi regnum Aragoniæ deuaſtabant. Feſtinauit itaque Rex eis obuiam procedere, & in loco qui dicitur Fraga, commiſſo præho à Sarracchis occiſus eſt. Tamen nec viuus nec mortuus de cætero potuit inueniri. Adefonſus autem filius Vrracæ Reginæ properauit cum exercitu magno Gallæcorum, & concordantibus cum eo Legionenſibus & Caſtellanis obſedit matrem ſuam Reginam Vrracam in turribus Legionis: quæ poſt paucos dies filio ſe tradidit, & multis honoribus fuit ab eo ſublimata dum vixit, & mortua eſt præfata Regina Vrraca, era MCLXIV. Habebat ſororem nobiliſſimam Adefonſus nomine Sanciam, quam ea hora qua à Legionenſibus & Caſtellanis eſt confirmatus in Regem, ſecum fœdere fecit, & Reginam vocari iuſſit. Hæc ſapientiſſima Regina Sancia quamdiu vixit in virginitate permanſit, Chriſti eccleſias multis inſigniis decorando, monaſteria conſtruendo, & Chriſti pauperes recreando. Igitur Rex Adefonſus confirmatus in Regem ſancte ac catholice ſe & ſuos regere ſtuduit. Fecit etiam congregari Epiſcopos & omnes Barones regni ſui in Legione, & † imponere ſibi coronam ſecundum legem Dei, & conſuetudinem regum priorum. Ab illa die vocatus eſt Imperator Hiſpaniæ, & dilexit iuſtitiam, & gloriose dotauit Eccleſias imperij ſui. Habuit ſucceſſiue vxores legitimas, ſcilicet Berengariam, Beatricem, & Ricam. De Berengaria genuit plures filios & filias: ex quibus quatuor remanſerunt, ſcilicet, Sancius, Fredenandus, & Eliſabeth, quam duxit Ludouicus Rex Francorum vxorem & † Beatricem, quam duxit vxorē Rex Sancius de Nauarra. Poſtea ex quadam domina nobiliſſima nomine Maria genuit Stephaniam pulchrimam puellam. Felicia tempora imperator Adefonſus duxit dum vixit, & terras Maurorum multoties inuaſit, & non fuit in Hiſpania qui poſſet reſiſtere illi. Erat quædam nobiliſſima, & opulentiſſima ciuitas barbarorum, in maritimis mediterranei maris Almeria: quam imperator Adefonſus deprædatis omnibus aliis oppidis barbarorum obſedit, & etiam Genuenſes & Venetos per mare ad obſidionem illius vrbis conuocauit. Cepit eam Imperator Catholicus in ore gladij, & omnes theſauros ipſis dedit Veneris & Genuenſibus, & ciuitatem retinuit ſibi. Captiuos autem Sarraceños dedit Raymundo comiti Barchilonenſi, qui venerat ad obſidionem vrbis, & licet theſauri eſſent infiniti Imperator nihil ſibi retinuit. Quippe nobiliſſimum animum ſuum in tantum largitate decorauerat, vt omnes theſauros pro nihilo duceret, & ſtatim tri-

imponi

Beatricem

bueret cuncta, niſi eſſent ſapientes ſui, qui ei neceſſaria reſeruabant. Poſt aliquot annos fuit ciuitas Almeria in ſuo dominio, atque ad vltimum funditus, deſtruxit eam. Obſedit etiam Cordubam ciuitatem magnam ſolium regni barbarorum, & egreſſi Sarraceni ad eum, tradiderunt ei ciuitatem, ita tamen quod ipſi Sarraceni habitarent in ea, & Chriſtiani eſſent in arce ipſius ciuitatis. Sarraceni autem licet iurauerint Imperatori noſtro, vt eſſent ei fideles vaſſalli & filiis eius, tamen tempore procedente mentiti ſunt ei, quia nunquam Sarracenorum Reges fidelitatis pactum ſeruauerunt Chriſtianis. Cepit tunc Imperator caſtrum fortiſſimum Montor, & poſuit in eo præſidium fortiſſimorum virorum. Poſt hæc obſedit Baeciam, & Sarraceni ciuitatis illius fortiter reſiſtebant. Et quia Imperator tota mente diligebat Dominum, etiam Sanctorum auxilium manifeſtum meruit habere, ipſe dilectus à Deo. Nam cum milites ſui defluxiſſent ab eo, & eſſet cum paucis, atque innumerabiles Sarraceni conglobati accederent, vt ipſum cum ſuis raperent, apparuit ei beatus confeſſor Iſidorus dum dormiret, & confortauit eum dicens, ſe datum eſſe domino illi, & ſuo generi defenſorem, & ne timeret multitudinem Sarracenorum hortabatur, ſed viriliter primo mane cum Sarracenis confligeret, quia ſicut fumus euaneſcerent à facie eius, & in ipſa die eandem caperent ciuitatem. Imperator autem tanta viſione confortatus in Domino, primo mane inito certamine cum barbaris, ſtatim terga dederunt Sarraceni noſtris relicta innumerabili multitudine ſpoliorum, ſtatimque Sarraceni eiuſdem ciuitatis tradiderunt illi vrbem, pro vita tantummodo ſupplicantes. Imperator autem deſtruxit ipſam Baeciam, & multa caſtella Maurorum, & terras deſtruxit, & captiuauit, & occidit, vt ſibi viſum fuit. Poſt hæc reuerſus Legionem cum magna gloria, ſtatuit confraternitatem fieri in ipſa ciuitate ob memoriam tanti miraculi, & ob honorem ſancti Iſidori confeſſoris. Reparauit etiam theſauros, & hæreditates pro parte magna, quas Rex Aragonum, & comes Henricus abſtulerant ab eccleſia prædicti confeſſoris, & eandem eccleſiam, quæ adhuc in iure conſiſtebat regali, conſecrauit Domino, tradens eam perpetuo iure Canonicis regularibus. Tantam illi Dominus gratiam & gloriam contulit, vt omnes Hiſpaniarum Reges & Principes Chriſtiani, & barbari ſuo imperio ſe ſubderent. Etenim Rex Garſia de Nauarra & Raymundus comes Barchilonenſis, qui tunc Aragonenſe regebat regnum, & Reges Sarracenorum ſcilicet Abephandil, & Zaphadola, & Rex Lupus vno & eodem tempore eius vaſſalli fuerunt. In tanto imperij culmine ſublimatus nunquam aliquem ſubditum oppreſſit, ſed multos de theſauris ſuis glorioſe ditauit, & libertates & immunitates eccleſiis & oppreſſis pauperibus contulit.

Quam ſedulus fuerit in iuſtitia facienda, & ſuperborum audacitate, & contumacia extirpanda, ex hoc poteſt aduerti, quod cum quidam nobilis in Gallæciæ partibus, nomine Fernandus, cuidam ruſtico hæreditatem ſuam auferens ei iniuriam inruliſſet, ipſe Toletum ad Imperatorem properans de dicto milite querimoniam fecit. Imperator autem ſtatim per ipſum ruſticum ſuis litteris præcepit ei, vt viſis litteris ſtatim ruſtico iuſtitiam exhiberet, mandans maiorino terræ, vt cum ruſtico veniret ad militem, & videret qualiter ei iuſtitiam exhibebat, & hoc ſibi reſcriberet. Miles vero, qui erat nobilis & potens, vt ruſticum vidit cum litteris Imperatoris, ſuccenſus ira cœpit ruſtico mortis inferre minas, nolens illi ſatisfacere. Reuerſus eſt autem ruſticus ad Imperatorem Toleti inferens teſtimoniales litteras maiorini, quod noluerit illi miles iuſtitiam exhibere. Imperator vt hæc audiuit, vocatis ſecretariis ſuis, præcepit eis, vt ipſum dicerent ægrotare, & nullum permitterent intrare cubiculum eius. Præcepit etiam ſibi & duobus militibus tantum ſecrete parari equos, & diebus ac noctibus nullo alio ſciente, ad Gallæciam properauit. At vbi ventum eſt ad locum, vbi præfatus miles erat, vocauit Imperator ſecrete maiorinum terræ, & diligenter ab eo, & ab aliis ſuper facto militis & ruſtici perquiſita veritate, fecit vocari plures, & ſtans ad oſtium militis, miſit ad eum dicens: Egredere, quia vocat te Imperator. Quod miles vt audiuit, nimio timore perterritus, intelligens quod futurum erat, fugere parauit, ſed præuentus à miniſtris Imperatoris captus eſt, & eo iubente in oſtio domus ſuæ ſuſpenſus. Tunc Imperator manifeſtauit ſe in Gallæcia, & totam patriam ipſam pacificauit. Tantus inuaſit terror omnes magnates totius imperij ex hoc facto, videntes zelum & animoſitatem Imperatoris in iuſtitia facienda, vt nullus eſſet qui minimo vel magno inferret iniuriam, quin ſtatim ei ſatisfacere feſtinaret.

Poſt hæc quidam maligni detractores cœperunt Ludouici Regis Francorum auribus inſtillare, quod Eliſabeth vxorem eius Imperator Adefonſus genuerat de viliſſima concubina. Vnde ipſe Rex turbatus, ſimulans ſe cauſa orationis ad ſanctum Iacobum ve-

bum venire, venit in Hiſpaniam cupiens experiri, vtrum verum eſſet, quod ſibi maligni dixerant detractores. Addiderant enim quod ipſe imperator Adefonſus erat vilis perſona, & nullius momenti inter ſuos. Denegauerat etiam ei coniux eius Eliſabeth thorum coniugalem, eo quod ita Rex Ludouicus improperabat ſibi. Imperator autem Adefonſus vt audiuit aduentum generi ſui Regis Ludouici, præcepit Regi Nauarræ, & comiti Barchinonæ, vt omnem gloriam Hiſpaniæ exhiberent ei. Sed vbi Rex Ludouicus venit Legionem, occurrit ei Imperator Adefonſus cum tam glorioſo apparatu, quod ipſe Rex Ludouicus, & Franci, qui cum eo venerant, obſtupuerunt. Venit Imperator cum eo vſque ad Sanctum Iacobum, & direxit nuncios per totum imperium ſuum ad omnes nobiles Chriſtianos, & barbaros, quatenus Toletum ad eius ciuitatem & curiam conuenirent; ſed cum reuerſi à Sancto Iacobo Imperator & Rex Ludouicus, venirent Toletum, atque omnes Reges barbarorum, & Chriſtianorum Principes occurrerent Imperatori manus eius oſculantes, vltra quam credi poteſt Ludouicus admirans; dixit Imperatori: Per Deum, inquit, iuro, quod non eſt gloria ſimilis huic in toto mundo. Siquidem tantus erat apparatus holoſericarum cortinarum, & tentoriorum per agros extra vrbem Toletanam, & diuerſorum inſignium copia, quod à nullo poterant æſtimari. Tantus erat nobilium virorum conuentus, quod à nullo poterat dinumerari. Tanta offerebantur dona auri, argenti, lapidum pretioſorum, ſericarum veſtium, & equorum Regi Ludouico & ſuis, quod præ multitudine illis tædium generabant. Imperator autem conuerſus ad Regem Ludouicum, dixit ei: Certe Rex Francorum vides, & ipſe potes veritati teſtimonium perhibere, quod mentiti fuerunt, qui mihi & filiæ meæ coram te in Francia detraxerunt. Filia mea eſt quam genui ex impetatrice Berengaria, quæ filia fuit huius præſentis Barchinonenſis comitis Raymundi. Præſens erat cum multo gloriæ apparatu comes Raymundus, & dixit Ludouico Regi: Habeas in magno honore & reuerentia Eliſabeth neptem meam, alioquin cum auxilio præſentis domini mei Imperatoris Adefonſi promitto me tibi Pariſiis in paruo ponte campale inferre bellum. Rex Ludouicus dixit eis: Gratias ago Deo, & omnibus Sanctis eius, qui de nobiliſſimo ſanguine veſtro filiam veſtram mihi dignatus eſt dare vxorem, quam ſemper dum vixero modis omnibus honorabo. Multa donaria oblata fuerunt tunc nobiliſſimo Ludouico Regi Francorum, ſed nihil inde accipere voluit, niſi quendam ſmaragdum magnum, lapidem pretioſum cogente Imperatore Adefonſo, quem Rex Zafadola detulerat. Reuerſus eſt itaque Rex Ludouicus in Franciam cum honore & lætitia magna, & hunc pretioſum lapidem, quem detulerat ab Hiſpania, monaſterio beati Dionyſij contulit; vxorem quoque ſuam Eliſabeth tenerrimè dilexit, & modis quibuſcumque potuit honorauit. Hæc poſt obitum ſuum in Eccleſia beati Dionyſij eſt ſepulta, & merito ſancta Regina vocata; quia dum vixit in ſimplicitate ſpiritus & afflictione carnis, ſtuduit Domino deſeruire. Imperator autem Adefonſus cum in tanta conſiſteret gloria, & corporis ægritudine laboraret, fœdifragus populus barbarorum ſe contra illum erexit. Sed Imperator vt erat magnanimus diſſimulans ægritudinem cum manu Gotthorum maxima contra Mauros perrexit. Qui vt viderunt eum cum magno exercitu, colla ei illico ſubmiſerunt. Sed creſcente ægritudine dum ad propria rediret iuxta portum, qui vocatur Muradal, in loco qui dicitur Freſneda, Domino, vt credimus, ſpiritum tradidit anno quadrageſimo nono, ex quo regnare cœpit, ſepultuſque eſt in vrbe Regia Toletana. Priuſquam vero moreretur, diuiſit imperium ſuum duobus filiis ſuis, Sancio ſcilicet & Fernando, Sancio quidem dedit bellatricem Caſtellam, & Fernando fidelem Legionem & Gallæciam.

Era MCLXXXXV, poſt mortem Imperatoris, duo filij eius Sancius & Fernandus vnuſquiſque in parte regni, quam eis pater eorum dederat, regnare cœperunt. Sancius duxit vxorem nomine Blancam, filiam Regis Garſiæ de Nauarra adhuc viuente patre; ex qua genuit filium nomine Adefonſum. Iſte Rex Sancius Catholicus fuit, & armis ſtrenuus, bonitate perſpicuus, & omni regia honeſtate præclarus. Diligebatur ab omnibus minoribus & maioribus, quia ipſe Deo & cunctis hominibus placere ſtudebat. Regnauit anno vno, & diebus duodecim, tam parum propter peccata populi, & vitam in pace finiuit, ſepultuſque eſt iuxta tumulum patris ſui in Eccleſia Sanctæ Mariæ Toleto.

Rex autem Fernandus frater Sancij Regis tunc temporis regnabat in Legione & Gallæcia, & regebat ſe conſilio Fernandi comitis de Gallæcia, qui eum nutrierat, & mortuo fratre eius Rege Sancio maximam partem regni Caſtellæ obtinuit. Nutriebat

quidem ipſe filium fratris ſui Adefonſum puerulum, quem dedit comiti Manrico ad cuſtodiendum. Tunc regnauit Fernandus Rex in toto imperio patris ſui, vnde Rex Hiſpaniarum fuit vocatus. Sed concordantibus comite Manrico, & fratre eius comite Nunno, cum omnibus qui ad regnum Caſtellæ pertinebant, Adefonſum filium domini ſui Regis Sancij ſibi Regem conſtituerunt. Fredenandus autem Rex, vt erat pius & hilaris acceptauit quod fecerant Caſtellani. Fuit hic Rex Fernandus armis ſtrenuus, in bellis victorioſus, circa omnes pius, benignus, liberalis, & largitate præclarus, adeo quod in omni conflictu victor extitit, & nihil proprium habere voluit. Fidem Catholicam, quam à cunabulis adeptus fuerat, in tantum dilexit, vt eccleſiis & ordinibus ſacris fere omnia regalia ſua conferret. Omnibus erat communis, ita vt omnes eum potius diligerent, quam timerent. Hic piiſſimus Rex Fernandus accepit filiam Adefonſi Regis Portugaliæ nomine Vrracam, ex qua ſuſcepit filiũ nomine Adefonſum. Sed iſte Rex Portugaliç Adefonſus filius fuit comitis Henrici & Tharaſiæ filiæ Regis Adefonſi, qui Adefonſus filius comitis Henrici fecit ſe Regem Portugaliæ vocari, & quia ſtrenuus fuit armis & bellicoſus ampliauit terram ſuam, partem de nouo populando, partem Sarracenos occidendo, & ab eis municipia capta muniẽdo, & retinendo magnum ſibi nomẽ acquiſiuit, quia contra Chriſtianos & Sarracenos fortiſſime decertauit. Huius filiam, vt dictum eſt, Rex Fernandus accepit coniugem, vt eius poſſet habere auxilia contra impetus aduerſantium. Cœpit igitur Rex Fernandus eccleſias honorare, & regnum ſuum populationes faciendo ampliare. Populauit ſiquidẽ in Extrematura ciuitatem Roderici, & Letesmam. In tranſerra Granatam, in territorio Zemoræ caſtrum Taraphei. In terra Legionis populauit Maioricam, Benauentũ, Manſellam, Villapandum & Coiancam. Terra Leonis dicitur per flumen de Piſorga, & per flumen Dorij, & per montes Submontanorum. Eſt autem in ipſa terra quædam ciuitas regia quæ Legio vocatur. Salmanticenſes autem eo quod Rex Fernandus in eorum termino ciuitatem Roderici populauerat, cœperunt rebellare contra Regem Fernandum, & elegerunt ſibi Regem nomine Nunnum, Serranum, & pugnauerunt cum Rege Fernando in valle de Muza. Siquidem incenderunt quendam montem, eo quod ventus veniebat ex parte ipſorum contra exercitum Regis Fernandi, vt fumo & vento Leonenſes fatigati ad bellum accederent. Sed miſericordia Dei non defuit Regi Fernando. Nam ventus & fumus, qui contra ſuum exercitum veniebant, contra Salmanticenſes & Abulenſes conuerſus eſt, & illorum obtenebrauit aſpectus. Rex autem Fernandus irruit ſuper eos, & cum victoria magna cepit Regem Nunnum viuum, & occidit eum, atque ſubdidit ſibi Salmanticam. Poſt hæc Rex Fernandus cupiens ciuitatem Aſtoricam decorare, tranſtulit corpus Ramiri, quod ſepultum fuerat in Deſtriana, & Aſtoricæ in Eccleſia cathedrali ipſum honorifice ſepeliuit.

Per idem fere tempus erat cum Sarracenis vir nobilis & potentiſſimus nomine Fernandus Roderici Caſtellanus. Hunc Sarraceni miſerunt ad euertendam populationem nouam, ſcilicet ciuitatem Roderici. Rex autem Fernandus eo tempore erat Benauenti. Beatus autem Iſidorus apparuit cuidam Canonico & theſaurario monaſterij ſui nomine Iſidoro, & mittens eum ad Regem Fernandum, ſignificauit ei aduentum Sarracenorum, dicens, quod cito Rex Fernandus obuiaret Sarracenis, & vinceret eos, eo quod ipſe beatus Iſidorus, & ſanctus Iacobus Apoſtolus in certamine illo forent cum eo. Quo audito velociter perrexit Rex Fernandus cum paucis Chriſtianorum, & inito certamine cum Sarracenis ſtatim vicit eos; & tantam ex illis proſtrauit multitudinem, quod præ numeroſitate indicibili non poterat numerari. Tranſactis paucis diebus Rex Fernandus reuocauit prædictum Fernandum Roderici, & dedit ei Stephaniam ſororem ſuam in vxorem. Sed Fernandus Roderici quieſcere neſcius iniit prœlium cum comitibus Caſtellanis, & vicit eos, atque occidit comitem Oſorium, & comitem Henricum, & alios plures nobiles Caſtellanos, & cepit viuum comitem Vimirum. Hic Fernandus Roderici genuit ex infantiſſa domna Stephania Petrum Fernandi potentiſſimum virum. Eo tempore quieuit terra Leonenſium ab infeſtatione Maurorum.

Præfatus autem Adefonſus Rex Portugaliæ voluit inſurgere contra Regem Fernandum: & miſit filium ſuum Regem Sancium, quem ſibi regni conſtituerat ſucceſſorem, cum magna militum manu ad euertendam prædictam ciuitatem Roderici. Infeſtabat tunc temporis validiſſime Regem Fernandum Adefonſus Rex Caſtellæ Sancij Regis filius, & dimiſſa Rex Fernandus maiori parte ſui exercitus contra nepotem ſuum Regem Caſtellæ, obuiauit Portugalenſibus in termino ciuitatis Roderici in loco qui dicitur

dicitur Arganal, & commisso prælio deuicti sunt Portugalenses, & fugato Rege Sancio reliqui miserationi Regis Fernandi se subdiderunt. At ipse motus pietate dimisit eos redire ad propria.

Præfatus Rex Portugaliæ Adefonsus Regem Fernandum fortiter molestauerat, & occupauerat in Gallæcia totam Limiam, & totum Toroniũ. Deinde obsedit Vadalozum ciuitatem Maurorum ad Regem Fernandum de iure spectantem. Tunc Rex Fernandus aggregato suorum exercitu perrexit contra Regem Adefonsum. Ceperat iam Rex Adefonsus maiorem partem ipsius ciuitatis, & in arce concluserat Sarracenos. Commisso autem prælio cum Rege Fernando deuicti sunt Portugalenses. Rex autem Adefonsus dum fugiens equo superfederet, & egrederetur per portam ciuitatis de Badalozo casu invecte ferreo portæ impegit, & crus eius fractum est. Tunc captus est Rex Adefonsus, & Regi Fernando delatus, dixit ei Rex Adefonsus, Domine, inquit, Rex, valde peccaui in Deum, & in te: sed ecce totum regnum meum libere trado tibi. Rex autem Fernandus victus misericordia, dixit ei: Redde mihi tantummodo mea, quæ abstulisti, & regnum tuum maneat tibi. Vincebatur quidem semper Rex Fernandus precibus miserorum, qui nunquam in bello potuit vinci. Tunc Rex Adefonsus tradidit Toronium & Limiam, & in tantum debilitatus fuit de fractura *cruris*, quod de cætero non potuit equitare. Sarraceni autem ad Regem Fredenãdum *egressi* de arce se & ciuitatem tradiderunt illi. Rex autem Fernandus præcipit Sarracenis, vt habitarent in ciuitate, & essent vassalli sui. Tradidit etiam arcem cuidam magno barbaro nomine Abenhabel, accepto ab eo & ab omnibus Sarracenis iuramento, vt essent Regi perpetuo fideles vassalli, atque quandocunque ipse vellet, sibi arcem traderent, & ciuitatem. Sed sicut dicit vulgus, qui per Sarracenum credit, terram suam nunquam videbit. statim vt Rex Fredenandus recessit, ipsi Sarraceni Regi Fernando mentiti suo Miramamolino cum ipsa ciuitate se contulerant, & multas iniurias Regi Fernando postea intulerunt.

Post hæc Sarraceni videntes Adefonsum Regem Portugaliæ debilitatum, & quod in quibusdam offenderat Regem Fernandum ipsum Adefonsum in oppido qui dicitur Santarem, obsederunt. Rex autem Fernandus congregato exercitu magno ad auxilium Regis Adefonsi properauit. Sed Rex Adefonsus, vt hæc audiuit, timuit valde, credens quod Rex Fernandus ad auxiliũ Maurorum veniret, & misit ad eum nuncios supplicans pro pace. Rex autem Fernandus declarauit ei, quod ad eius auxilium properaret. Quod Sarraceni vt audierunt, arrepta fuga ab obsidione turpiter recesserunt. Post hæc Rex Fernandus dimisit vxorem suam Vrracam filiam Regis Adefonsi, eo quod erat consanguinea eius propinquo gradu, & duxit aliam nomine Tharasiam, quæ fuerat vxor Nunij comitis de Castella. Post cuius mortem duxit aliam nomine Vrracam filiam Lupi comitis de Vizcaya, ex qua genuit Sancium & Garsiam. Cæterũ Rex Fernandus regni anno quinquagesimo primo feliciter cõsummato, obiit apud Beneuentum, & in ecclesia sancti Iacobi Apostoli circa tumulum matris suæ, & aui sui comitis Raymundi sepultus est.

Era MCCXXVI. mortuo Rege Fernãdo filius eius Adefonsus successit ei in regnum Legionense. Hic fuit pulcher, eloquens, clemens, fortis viribus, & armis strenuus, & in fide Catholica solidatus. Tamen in primordio regni sui inquietatus fuit valde à collateralibus suis scilicet ab auunculo suo Sancio Rege de Portugalia, & ab Adefonso Rege Castellæ consobrino suo. Vnde compulsus fuit ducere in vxorem Tharasiam filiam eiusdem Regis Sancij, vt ipsum Regem Sancium haberet in auxilium sui contra Adefonsum Regem Castellæ. Ex ista Tharasia genuit tres filios, scilicet Sanciam primogenitam, deinde Fernandum & nobilem infantissam Dulciam.

Præfatus autem Rex Castellæ Adefonsus Sancij Regis filius erat fere trium annorũ cum regnare cœpisset. Qui postquam venit ad ætatem adultam in tantum claruit præ cunctis Regibus nostri temporis, vt noster non posset euoluere stylus, quanta vigeret probitate. Fuit namque sapientia magnus, consilio prouidus, armis strenuus, largitate præcipuus & fide Catholica roboratus. Duxit vxorem filiam Henrici Regis Angliæ nomine Alionoram, ex qua genuit Fernandum, Henricum, & Berengariam, & Blancam, & Vrracam, & Alionoram, & Constantiam, filiam suam primogenitam Berengariam dedit Adefonso Regi Legionensi in vxorem, quæ fuit mulier prudentissima. Dedit Ludouico Regi Francorum filiam suam Blancam, & Adefonso Regi Portugaliæ tradidit Vrracam. Tempore etiam procedente Iacobus Rex Aragoniæ filiam eius Alionoram duxit vxorem. Quinta vero Constantia monachalem suscipiens habitum vir-

ginitatem ſuam Domino conſecrauit. Rex Caſtellæ Adefonſus cœpit quaſi leo fortiſſimus cum Chriſtianis & Sarracenis Regibus in circuitu regni ſui conſiſtentibus fortiter & ſapienter armis confligere, regnum ſuum defendere & ampliare, & populum ſibi ſubditum iuſte gubernare. Siquidem cum ex vno latere regni haberet fortiſſimum Legionenſem Regem Adefonſum, ex altero Sancium Regem ſtrenuum Nauarrenſium: tertio Regem ferociſſimum Petrum Aragonenſium, & quarto maximum Sarracenorum Regem Miramamolinum; tamen ipſe Rex Adefonſus cum omnibus armis & conſilio fortiter ſe gerebat: ſua defendebat, & omnium aliorum Regum multa caſtra & oppida capiebat. Populationes multas & nobiles fecit in regno ſuo, ſcilicet Placenciam, Beiaram, Moiam, & alias multas, quarum nomina longum eſt prænotare. Sed cum in tantis proſperitatibus famam virtutis & gloriæ ſuæ longe lateque ſpargeret, Miramamolinus congregato exercitu innumerabili barbarorum ſimulque nobilium militum exulum Chriſtianorum contra Regem Adefonſum in manu validiſſima properauit. Rex autem Caſtellæ cum exercitu ſuo Regi Miramamolino obuiam properauit. Veniebat quoque Adefonſus Rex Legionis in auxilium Regis Caſtellæ cum exercitu magno; ſed Rex Caſtellæ bellandi animoſitate incenſus noluit eum expectare; licet Rex Legionenſis cum exercitu ſuo properans iam eſſet Toleti. Iniit itaque Rex Caſtellæ bellum cum Rege Miramamolino: vbi tam innumerabilis erat multitudo Maurorum, quod noſtri habito reſpectu ad eos pauciſſimi videbantur. Ceſſerunt noſtri pugnæ, & Miramamolinus pro peccatis noſtris extitit victor. Erat tunc cum Rege barbaro Petrus Fernandi de Caſtella potentiſſimus miles, cuius conſilio Rex barbarus eo tempore ſe regebat. Vnde notandum eſt, Gotthos fere nunquam fuiſſe à barbaris victos, niſi Gotthorum exulum ſecum haberent conſilium & auxilium. Venit anno ſequenti Miramamolinus vſque Toletum, & cum ipſam regiam vrbem capere niteretur, Toletani fortiter reſtiterunt. Rex autem Caſtellæ ſuas ciuitates & caſtra muris excelſis cœpit fortiter munire, & filios nobilium, qui occubuerant in bello nutrire & exaltare dicens, quoniam filij vindicabunt ſanguinem patrum. Qui licet tunc fuerit victus, tamen eius animus inuincibilis perdurabat. Rex Miramamolinus reuerſus eſt ad propria, & Chriſtianis nõ nocuit ſicut voluit: quia tunc Reges Hiſpaniæ in vnam concordiam conuenerunt. Habuit tunc Rex Caſtellæ pacem cum Chriſtianis & Sarracenis, ſed illatum ſibi à barbaris dedecus ab eius animo nõ recedebat. Tamen dum Sancius Rex Nauarræ contra ipſum moueret prælium vna cum Adefonſo Legionenſi Rege, Rex Caſtellæ fines Nauarræ inuaſit, & victoriã cepit. Ceperat iam totam terrã de Alaua, & alia plura in regno ſuo. Poſt hæc etiã habuit diſcordiam cum Rege Adefonſo Legionenſi, & cepit caſtrum Ardon & Coiancam, caſtrum viride, & quædam alia. Poſt hæc venit vſque Legionem, & cepit caſtra Iudæorũ iuxta ipſam ciuitatem. Obſedit etiam Aſtoricam, ſed non cepit eam. Acceſſit ad ſubmontanam ad caſtrum quod dicitur Alua, & cepit illud. Rex autem Legionis Adefonſus occurrit ei cum magno exercitu ad ipſum locum, vt pugnaret cum eo. Sed Petrus Fernandi de Caſtella, qui tunc erat cum Rege Legionenſi, & alij viri Deum timentes, reformauerunt pacem inter Regem Caſtellæ & Regem Legionis.

Cum autem pax eſſet inter eos, quidam inimici Dei diſcordiã ſeminantes iterum inter eos bellum concitauerunt, & per tres continuos annos inter ſe fortiſſimorũ regum exercitus horriferis gladiis confligebant. Multæ perpetrabãtur hinc inde cædes hominum: præcedebat, quod in agris erat & flammis villæ exurebantur. Duo ferociſſimi Reges quaſi duo ferociſſimi leones alter alteri cedere neſciebat. Præibat Regem Caſtellæ fortitudo & ſapientia, ſed Regem Legionis fortitudo & ſuorum exercituũ amabilitas nimia muniebat. Sed antequã inter dictos Reges tam horribile oriretur bellũ, oſtendit Dominus quoddam prodigiũ in eccleſia ſancti Stephani extra muros vrbis Legionis. Etenim quædam imago Dei genitricis cum imagine filij ſui ex ſe cœpit emittere ſanguinem, non ſine horrore & admiratione multorum, qui hoc viderunt. Tunc clerus & populus Legionis ad prædictam eccleſiã acceſſerunt pedibus nudis, & ipſam imaginẽ ad eccleſiam beati Iſidori detulerunt: & ſuper ipſius altare poſuerunt, vbi per tres dies continuos ſanguinem emanauit. Sed fuerunt quidam ſapientes interpretes, qui ex ipſo ſigno bellum futurum cruentiſſimum prædixerunt, eiuſdem monaſterij exhæreditionem etiam prædicentes. Quod poſtea factum eſſe teſtatur veritas manifeſta. Etenim vt prædiximus bellũ cruentiſſimum inter Reges exortum eſt, & tradẽte Rege Legionenſi Rex Caſtellæ caſtrum de Pozolo accepit, qui iam acceperat villam Barxenã, Caparios, & alia plura ad eccleſiam beati Iſidori ſpectantia, ex quibus ſuſtentabantur

clerici

clerici inibi domino ſervientes Adefonſus Rex Legionis cum eſſet Catholicus habebat ſecum clericos, qui modulatis vocibus quotidie coram ipſo divinum officium peragebant, quos ipſe nimio venerabatur affectu. Habebatque cubicularios ſuos laicos quoſdam, quibus omne conſilium ſuum committebat, & licet polleret omnimoda probitate, tamen ſuſurronibus aliquando præbebat aurem. Vnde quædam faciebat minus ſpectantia ad tam regiam maieſtatem. Rex autem Caſtellæ cum eſſet ſapientiſſimus, conſilium ſuum ſemper ſapientibus committebat. Vnde præ cæteris Hiſpaniæ Regibus feliciores habebat ſucceſſus.

Pacificatum eſt inter Reges prædictos poſt multas ſtrages & damna, ſed iterum inter eos mota diſcordia cum venirent ad pacem, dedit Rex Adefonſus Legionenſis uxori ſuæ Reginæ dominæ Berengariæ quæ tunc degebat cum patre ſuo in Caſtella Villarpandum Ardon, Rodam Arbolium, Gordonem & Lunam. Adefonſus autem Rex Caſtellæ labori cedere neſcius monuit exercitum ſuum contra Vaſcones, & cepit ſanctum Sebaſtianum, Ortes & Burgum de Ponte, Salvaterram, civitatem Aquenſem & alia plura oppida, & reverſus eſt in Caſtellam cum gloria magna. Poſt hæc cœpit excogitare de ſalute animæ ſuæ, & conſtruxit de novo nobile monaſterium Sanctæ Mariæ in Olgis Burgenſis civitatis. Hoc monaſterium multis prædiis ditavit, & miræ pulchritudinis auri, argenti, pretioſorum lapidum, oloſericarum cortinarum decoravit. Alter noſtris temporibus Salomon idem Rex iuxta prædictam domum domini ædificavit palatium Regis. Adiecit etiam, & non longe ab ipſo monaſterio in via publica beati Iacobi conſtruxit miræ pulchritudinis hoſpitale: cui tantum reditum contulit, ut cuncti pauperes peregrini tranſeuntes in eo unius diei percipiant victum. Iam prædictum monaſterium quam palatium ſuum regale, quam etiam hoſpitale cum capella ſua de lapidibus vel laterculis coctis & calce conſtructa ſunt, & auro ac variis coloribus depicta. Tunc ipſa civitas Burgenſis, civitas regia vocata eſt, & in regni ſolium ſublimata. Eo tempore Rex Adefonſus evocavit magiſtros theologicos, & aliarum artium liberalium, & Palentiæ ſcholas conſtituit procurante reverendiſſimo & nobiliſſimo viro Tellione eiuſdem civitatis Epiſcopo. Quia ut antiquitas refert, ſemper ibi viguit ſcholaſtica ſapientia, viguit & militia. Iſte Rex Adefonſus primo caſtellum armis ſuis depinxit, quam vis antiqui Reges patres ipſius Leonem depingere conſueverant, eo quod Leo interpretatur Rex vel eſt omnium beſtiarum.

Suprafatus autem Adefonſus Rex Legionenſis ex quo regnare cœpit regnum ſibi ſubditum viriliter & nobiliter vendicavit, & tam terribilis fuit malè agentibus, quod eius aſpectum non poſſent aliquatenus ſuſtinere. Vox eius in ira quaſi leo rugiens videbatur. Cum eſſet indutus armis bellicis, & equũ ſuum conſcenderet, licet magnus eſſet motus corporis, quidam tamen geſtus in eo nimiæ ferocitatis fortitudinem in eius animo declarabat. Hic in bello nunquam fuit victus, ſed victor ſemper extitit, quamvis multoties cum Chriſtianis & Sarracenis pugnavit. Hanc ſuam fortitudinem & tanta clementia ſequebatur, ut iram ſtatim à corde excuderet, & miſericorditer flecteretur deponens virus quod Suſurrones ſuis auribus inſtillaverant, ſi eſſet qui diceret bonum. Hic ex ſententia domini Papæ Innocentii dimiſſa uxore ſua Regina Tharaſia, duxit Berengariam prudentiſſimam filiam Adefonſi Regis Caſtellæ uxorem, & tam nobiliter eam deſponſavit ſibi, quod dedit ei pro dote turres Legionis, Aſtoricam Valenciam, & alia triginta Caſtella. Poſuit etiam in fidelitate alia decem Caſtella in manu Baronum Regis Caſtellæ, ne recederet à pactione. Genuit ex iſta Berengaria Fernandum, Adefonſum, Alionoram, primogenitam, Conſtantiam & Berengariam. Genuerat iam ex nobiliſſima fœmina Agnete Vrracam, quam tempore procedente tradidit magno viro Lupo Didaci de Vizcaya in uxorem. Berengariam etiam filiam eius duxit Ioannes Rex Hieroſolymitanus uxorem, qui poſtea cum ipſa Conſtantinopolitanum imperium rexit. Conſtantia verò in monaſterio Sanctæ Mariæ de Burgis habitum monachalem ſuſcepit. Fuit præfata Berengaria filia Regis Caſtellæ adeo ſapientiſſima, quod patris ſapientia ad eam defluxiſſe videretur. Hæc cum primo venit Legionem blandis precibus à viro ſuo Rege Adefonſo obtinuit, ut corrigeret mores & foros Legionenſis civitatis & regni, & gravamina relevaret. Ædificavit Regina Berengaria palatium regale in Legione ex lapidibus & calce iuxta monaſterium ſancti Iſidori, & turres Legionis quas Rex barbarus quondam deſtruxerat Almazor ex calce & lapidibus ſimiliter reſtauravit.

Hæc Regina ſereniſſima auro, argento, lapidibus precioſis & ſericis indumentis monaſterium beati Iſidori, & cæteras regni principales eccleſias ſtuduit decorare.

Hoc tempore ampliata est fides Catholica in Hispania, & licet multi regnum Legionense bellis impererent, tamen ecclesiæ regalibus muneribus ditatæ sunt in tantum, ut antiquæ destruerentur ecclesiæ, quæ magnis sumptibus fuerant fabricatæ, & multo nobiliores & pulchriores in toto regno Legionensi fundarentur. Tunc reverendus Episcopus Legionensis Mauricius eiusdem sedis ecclesiam fundavit opere magno, sed eam ad perfectionem non duxit. Tunc etiam fundata est ecclesia beati Iacobi Apostoli, quæ postea per reverendissimum patrem Petrum Iacobensem Archiepiscopum est gloriosissime consecrata. Cum autem regnum Legionense frueretur pace & gloria multa, & ut suprafatum est, orta esset discordia inter Regem Legionensem & Regem Castellæ, & omnes Hispaniæ Reges Christiani & Sarraceni niterentur Legionense regnum evertere, Rex Legionis adiutus à Domino, & à beato Iacobo Apostolo regnum suum fortiter defendit. Hoc tempore Martinus presbyter doctus à Domino miraculose scientia scripturarum magna volumina edidit, & sanctitate claruit & miraculis.

Rex autem Adefonsus multas populationes in regno suo fecit & eum valde ampliavit. Populavit namque in Gallecia Cluniam Baionam, Salvaterram, Villam novam de Sarria, Melide, tria castella Milmanda, & alias multas. Similiter in Asturiis multas populationes fecit. Populavit in Berizo, Benevive, & Pontem Ferratum. Populavit in terra Legionis Rodam, Ardon, Senabriam, & alias plures. Populavit in Extrematura Mirandam, Monleon, Carpium, Montem regalem, Calisteum, Salvaterram, Salvaleon, & alia plura oppida & castella. Fecit quoque pontem magnum super flumen Mineum in loco qui dicitur de Castrello, & alios plures pontes fecit, & restauravit in regno suo. Fundavit etiam monasterium Cistercienſis ordinis vallis Dei in loco qui dicebatur antiquitus Boites. Aliud in Berizo construxit monasterium in villabona. Multa gloria regnum suum ditavit, & muros urbium ab antiquis destructos honorifice restauravit. Circa viros religiosos & moniales, adeo misericors fuit, ut quando illis deerat, præberet de suis cellariis alimenta: gregesq; omnes pecudum, quæ illi de hostium præda eveniebat cunctis monasteriis distribuebat. Latrones autem & superbos, alios à turrib. præcipitabat, alios in mari mergebat, alios suspendebat, alios igne cremabat, alios caldariis decoquebat, alios vivos excoriabat, & multis afficiebat generibus tormentorum, ut regnum in pace & iustitia conservaret.

Suprafatus autem Adefonsus inclytus Rex Castellæ quod diu conceperat animo perducere cupiens ad effectum, ut haberet occasionem gerendi prælium cum Sarracenis, cum quibus tunc pacem habebat, populavit quandam villam, quæ Mora dicitur in confinio barbarorum. Rex autem Miramamolinus nomine Abeniacob misit ei nuncios dicens quod non haberet pacem cum eo si dictam villam popularet. Sed eũ Rex Castellæ nollet à populatione desistere, venit Rex barbarus cum tanta Sarracenorum multitudine, & cum tanto bellico apparatu, quod non posset aliquatenus explicari, & obsedit castrum, quod dicitur Salvaterra. Cumque milites Cistercienſis ordinis Sarracenis in ipso castro fortiter restitissent, Mauri viriliter accedentes machinis fregerunt murum, multis ex illis occisis. Cepit Rex Miramamolinus ipsum castrum, & propter hyemem Hispalim reversus est. Rex autem Adefonsus cum esset in angustiis positus eo quod barbaris commode non poterat obviare, convocavit Regem Aragoniæ & regem Navarræ, precibus, & muneribus, ut secum accederent contra barbaros pro fide catholica pugnaturi. Misit etiam idoneos nuncios ad regem Legionensem, ut ipse quoq; dignaretur tanto periculo subvenire. Sed Rex Legionensis licet ad subveniendum desideraret accedere, tamen habito cum suis consilio respondit, quod libenter accederet, si Rex Castellæ sibi redderet castra, quæ illi abstulerat. Rex vero Castellæ cum esset erga plurima occupatus, & in arcto positus non potuit ad singula respondere, sed totum animi sui impetum direxit ad iniurias sibi à Sarracenis illatas omnimode vindicandas.

Eo tempore Archipræsul Toletanus nomine Rodericus atque omni bonitate conspicuus scientia & moribus eruditus, tactus nimio cordis dolore intrinsecus tanquam catholicæ fidei filius se non recusavit subdere laboribus & discriminib. pro defensione catholicæ veritatis. Etenim fultus auctoritate domini Papæ Innocentiæ Gallias adiit, verbum Dei assidue proponendo & suadendo populis, ut ad defensionẽ fidei conveniret, data illis remissione omniũ peccatorũ, & eos crucis signaculo muniendo. Tetigit dominus corda multorũ qui audiebant verbum domini populorum, & contra barbaros alacriter properabãt. Sed dũ hæc agerẽtur, filius regis Castellæ, qui sperabat

tur

tur regnaturus post patrem nomine Ferdandus morte præuentus est: cuius obitum in tantum cunctos dolore repleuit Hispanos Christicolas, vt †se fere cuncti amisisse de- sanct.
flerent patrem, dominum, socium, & pastorem. Etenim non immerito, quia erat clemens, fortis, pulcher, sapiens, largus & catholicus. Hic tanto fidei catholicæ feruebat ardore, vt cum quadam die fecisset sibi exponi passionem Iesu Christi, & ex relatione didicisset, quod antiqui catholici Reges Iudæos expulerint ab Hispania, & Toletana ciuitas Iudæorum proditione tradita fuerit Sarracenis, tantum concepit odium contra ipsos, quod eorum proteruiam quibuscumque poterat persequebatur modis: & quia Iudæi timebant deleri per ipsum, vt fertur, eius mortem procurauerunt veneno, quia mundus non erat dignus tanto principe gloriari. Sepultus est Burgis in monasterio sanctæ Mariæ cum honore magno.

Rex autem Adefonsus licet esset pro morte tanti filii saucius, ex multitudine exercituum confluentium recepit consolationem. Venit namque præclarus Petrus Rex Aragonum cum multitudine populorum. Accessit fortissimus Sancius Rex Navarrensium cum robustissima manu militum. Affuerunt Portugalenses, & etiam Franci & Gallæci, qui ad prælium tanquam ad epulas properabãt. Rex Miramamolinus, ut hæc audiuit, valde pertimuit, & doluit se verbum superbiæ protuliſſe, scilicet quod vinceret in campo omnes adorantes crucem Christi. Vnde iam non ad præsens Christianos imperere, sed tantum se defendere satagebat. Confluebant populi multi Christianorum apud regiam ciuitatem Toletam, & cum deficerent in expensis, Rex Castellæ in tantum manu largissima de thesauris suis singulis præbuit necessaria, vt nullus posset ab exercitu victus inopia resilire. Sed cum Rex barbarus Christianis expectantibus ad bellum, ut promiserat, non accederet, nostri mouentes castra, prima fronte castellum Malagon ceperunt, cunctos illius oppidi gladio trucidantes. Deinde ceperunt Calatiauam, & Petram bonam, Benauentum, Alarcos, & Caracuel. Post hæc Francorum populus cepit murmurare victus dulcore patriæ suæ, & statuẽtes inter se quod nullus remaneret, nec futurum expectaret bellum, ad propria reuersi sunt. Quibus recedentibus suprafati Reges Christianorum turbati sunt, volẽtes eos retinere muneribus & precibus, sed nullatenus potuerunt. Sed Rex Adefonsus in Domino roboratus iussit Christianorum populum ad portum de Muradal accedere, vbi multos inuenerunt Sarracenos armatos, quos Christiani milites gladiis ferientibus fugauerunt. Et quia excelsi montes & angustæ semitæ Christianos ad Sarracenos accedere non permittebant, diuinitus affuit quidam coram Rege Adefonso quasi pastor ouium qui eis latam ostendit viam, & eo duce peruenerunt vsq; ad castra Maurorum, & nullo vidente Pastor ipse recessit. Sarraceni autem vt viderunt Christianorum exercitum, quia ventus veniebat ex parte ipsorum ignem per spinas & tribulos posuerunt, ut fumus Christianis noceret. Sed diuina gratia fumus cessit retro & in castris Maurorum se totus ingessit, & per nimium oppressit eos. Exercitus autem Christianorum sedit in monte nocte sequente, & illucescente die iussit Rex Miramamolinus Sarracenos tubis & tympanis excitare. Tunc Reges Christiani inito consilio quieuerunt ipsa die, vt se ad bellum die altera præpararent. Ordinauerunt autem inter se, vt Didacus Lupi nobilis & strenuus cum nepote suo Sancio Ferdinandi quondam Regis Legionensis filio, prima fronte exercitum præiret. Sed ubi commissum est prælium tanta fortitudine præclarus Didacus accessit cum suis, quod Sarraceni turbati in se perstiterunt. Quod videntes Christianorum exercitus animati ad prælium, Sarracenorum castra gladiis vndique feriebant. Victus est Rex Miramamolinus cum suis & tanta multitudo cecidit barbarorum, quod nullus viuens posset mortuorum cadauera numerare. Actum est hoc felicissimum bellum in loco qui dicitur, Naues de Tolosa, cui in Hispania simile bellum nunquam fuit. Post hæc ceperunt nostri Bilchis, Ferrat, Balneos, & Vbedam, in qua multa Sarracenorum millia occidere. Sed cum populus Christianorum ex labore nimio grauiter inciperet ægrotare, inclyto Rege Adefonso præcipiente in propria reuersi sunt cum multis opibus & gloria magna.

Cum autem hæc agerentur, Rex Legionensis Adefonsus habebat secum virum potentissimum Petrum Ferdinandi de Castella, qui ei nobiliter consilium, & auxiliũ impendebat, & ipso dicto Petro Ferdinandi operam dante recuperauit de illis oppidis, quæ sibi abstulerat Rex Castellæ Rodan, Ardon, Castrum terram, Villalugam, Castrum Gonzalui, Albadalista, Lunam, Gordon, Aruolium, Alion, & quædam alia. Inuitus quoq; Adefonsus Rex Legionensis bellũ portugalię, & cepit Balsamon, Vigosum, Fresno, & ex alia parte Lanosum, Melgazon & Contrastam quã funditus diruit. Tunc

congregati sunt contra ipsum omnes Portugalenses ad prælium, & licet esset Rex Legionensis cum paucis, vicit eos in loco, qui dicitur Portella de Valdeuer, & cum multis spoliis & gloria magna reuersus est. Rex autem Castellæ Adefonsus, qui post felicem victoriam timebatur venire super Legionenses in ira & brachio extento, valde humilis venit laudans Deum de victoria reddita populo Christiano. Et inuitans ad pacem Regem Legionis indulsit ei omnia oppida, quę abstulerat sibi, & insuper restituit ei Pennamfiel, Almanzam & collem in terra Legionis & in Asturiis Mirandã de Nieua, & in territorio Salmantiæ dedit sibi ad diruendum castellum de Carpio, & montem regalem. Rex etiam Legionis ex pacto Regis Castellæ tradidit Regi Portugaliæ omnia castra, quæ abstulerat illi. Hoc Rex sapientissimus Castellæ ideo faciebat, vt pacificatis omnibus Hispaniæ Regibus eos contra Sarracenos concitaret. Tunc Rex Adefonsus destruxit Gordonem, & Arbolium, vt Legionensis ciuitas securitate frueretur & pace. Jam olim destruxerat Iudæorum castrum iuxta Legionem, quia eidem ciuitati multa damna sæpius inferebat. Destruxit etiam Mirauentum iuxta Maioricam. Et accepto à Rege Castellæ in auxilium sui potentissimo viro Didaco Lupi, sumpsit arma contra Sarracenos, & obsedit Alcantaram & cepit eam. Eo tempore mortuus est Fernãdus filius eius pulcherrimus adolescens, quem genuerat ex Regina Tharasia, & sepultus est in Ecclesia sancti Iacobi Apostoli. De cuius morte valde doluit Legionensis Rex & regnum eius. Eo tempore obierunt potentissimi viri Didacus Lupi, & Petrus Fernandi. Rex autẽ Castellæ Adefonsus in Domino roboratus obsedit fortissimum castrum Sarracenorum Alcharaz & cepit ipsum, & reuersus est in Castella cũ gloria magna atque feliciter vitæ termino consummato, obiit in termino Arenali & vt tantum Regem decebat Burgis in monasterio de Olgis, quod ipse construxerat, gloriosè sepultus est. Regnauit annis quinquaginta quinque.

Era M cc L r r. Henricus filius eius in regno Castellæ cum esset annorum decem, regnare cœpit. Regina vero Alienor expletis post mortem viri sui viginti septem diebus Burgas mortua est, & sepulta circa virum suum. Henricus autem Rex Castellæ cum esset Palenciæ quidam nobilis puer ludendo fragmen tegulæ casu proiecit, & Regem in capite grauiter percussit, vnde mortuus est, & Burgis iuxta patrem suum & matrem sepultus. Regnauit annis duobus & mensibus octo.

Era M cc L v. Fernandus filius Adefonsi Regis Legionensis in Castella ei matre Berengaria tradente regnum, felicissime regnare cœpit. Siquidẽ Castellæ nobiles regnum Berengariæ Reginæ tradiderunt, eo quod erat primogenita Adefonsi Regis Castellæ. & ipsa vt dictum est tradidit regnum filio suo Fernãdo. Hic autem Rex Fernandus grauissima adolescentia venustatus, non vt illa ætas assolet lasciuiam amplexatus est mundi, sed pius, prudens, humilis, catholicus & benignus senilibus se moribus decorauit. Etenim ita obediebat prudentissimæ Berengariæ Reginæ matri suæ, quamuis esset regni culmine sublimatus, ac si esset puer humillimus sub ferula magistrali. Habebat secum prudentissimos catholicos viros quibus tam ipse quam mater eorum illum consilium committebant. In tantum regnum sibi subditum succensus igne catholicæ veritatis strenue rexit, vt inimicos fidei Christianæ totis viribus persequeretur, & quoscumque reperiebat hæreticos flammis exureret, & ipse vice famulorum ignē & ligna in eis comburendis ministrabat. Aderat illi in humilitate iusta seueritas, qua probos puniebat, & in seueritate iusta misericors & clemens humilitas, qua postratis inimicis placebat. Eius regalis animus auaritia nũquam potuit inflammari, siquidem visum est, quod requieuerit super eum spiritus sapientiæ, qui fuit in Adefonso Rege Castellæ auo suo, & spiritus fortitudinis & clementiæ, qui erat in Adefonso Rege Legionensi patre ipsius. Quid plura? Quod de nullo Regum præcedentium legitur, omnino irreprehensibilis fuit, quantum nobis scire datum est, & thorum coniugalem vltiquam minime violauit. Duxit namq; vxorem ex imperiali genere Romanorum Deo deuotissimam fœminam nomine Beatricem, ex qua genuit Adefonsum, Fredericum, Fernandum, Philippum, Henricum, Sancium, Emanuelem, Alienor, Berengariam, & Mariam. Omnibus etiam Ecclesiis ita omnia sua iura seruauit, vt nullus esset, qui auderet eas vel in aliquo molestare. In tanta pace regnum sibi subditum rexit, vt maiores vel minores in aliorum res insurgere non auderent.

Sed cũ regnare cœpisset comes Aluarus de Castella & fratres eius Comes Fernandus, & comes Gundisaluus contra eum rebellare cœperunt, & cũ Rex Fernandus vna cum matre sua Berengaria cũ manu militũ iuxta castrũ, quod dicitur Ferrerola, iter haberet, Comes Aluarus ei bellũ indixit. Fuit autẽ Dominus cũ Rege Fernãdo, &

cepit ipsum comitem Aluarum, & tam ipse Aluarus quam fratres eius, multa castella Regi Fernando tradiderũt: in quibus rebellabant ei, & comes Aluarus est tunc à vinculis liberatus. Rex autem Legionensis Adefonsus cum exercitu suo quosdam regni Castellę fines molestabat: eo quod adhuc quædam ad regnum Legionense spectaria detinebant Castellani. Tunc congregati sunt contra eum omnes nobiles de Castella: quia reuera filius eius rex Fernandus cum patre pugnare nolebat. Inito autem certamine prædicti nobiles Castellę fugati sunt, & omnes in Castellon à Rege Adefonso inclusi. Tunc mutuo colloquentes de pace vt iustum erat, firmauerunt pacem inter patrem & filium, & ad tantam concordiam regna Hispaniæ peruenerunt, vt vnanimiter conuenirent ad Arabes persequẽdos. O quam beata tempora ista: in quibus fides Catholica sublimatur, hæretica prauitas trucidatur, & Sarracenorum vrbes & castra fidelium gladiis deuastantur. Pugnant Hispani Reges pro fide, & vbique vincunt. Episcopi, Abbates & Clerus Ecclesias & monasteria construũt, & ruricolæ absque formidine agros excolunt, animalia nutriunt, pace fruuntur, & non est qui exterreat eos. Eo tempore reuerendissimus pater Rodericus Archiepiscopus Toletanus Ecclesiam Toletanam mirabili opere fabricauit. Prudentissimus Mauricius Episcopus Burgẽsis Ecclesiam Burgensem fortiter & pulchre construxit. Et Sapientissimus Ioannes Regis Fernandi Cancellarius Ecclesiam Vallisoliti fundauit, & multis possessionibus gloriose dotauit. Hic tempore procedente factus Episcopus Oxomensis Ecclesiam Oxomensem opere magno construxit.

Nobilis Nũnus Astoricensis Episcopus inter alia quæ prudenter gessit, muros Astoricensis vrbis, Episcopium & Ecclesiæ claustrum fortiter, & pulchre studuit reparare. Regula iuris Laurentius Aurien sis Põtifex, eiusdem Ecclesiam, & Episcopium quadris lapidibus fabricauit: & pontem in flumine Mineo iuxta eandem ciuitatem fundauit. Generosus etiam Stephanus Tudensis Episcopus eiusdem Ecclesiam magnis lapidibus consummauit, & ad consecrationem vsque perduxit. Pius autem & nobilis Martinus Zamorensis Episcopus in Ecclesiis constituendis monasteriis restaurandis, pontibus & hospitalibus ædificandis continuo præbebat operam efficacem.

His & aliis Sanctis operibus nostri beati insistunt Pontifices & Abbates isti: & alii quorum nomina scripta sunt in libro vitæ. Adiuuant his Sanctis operibus largissima manu Rex magnus Fernandus & prudentissima mater eius Regina Berengaria multo auro, argento, pretiosis lapidibus, & sericis ornamentis Christi Ecclesias decorantes. Eo tempore per totam Hispaniam fratrum Prædicatorum, & fratrum Minorum construũt monasteria: & vbiq; sine intermissione verbum Domini prędicatur. Huius gloriosi Regis tempore multi cruce signatorum Mare Mediterraneum transfretantes in Ægypto nobilem ciuitatem Damiatam de Sarracenorum manibus eruerunt. Etenim per vnum annum antequam Rex Fernandus regnare inciperet, gloriosus Papa Innocentius Romæ Synodum celebrauit: vbi fuerunt quadringenti septem Episcopi, primates & Metropolitani septuaginta vnus. affuerunt etiam duo de præcipuis Patriarchis, videlicet, Constantinopolitanus, Hierosolymitanus: Antiochenus vero graui languore detentus misit procuratorem suum. Alexandrinus etiam Sarracenorum dominio pressus misit vicarium suum. Interfuerũt Abbates Benedicti, & Priores conuentuales plusquam octingenti. Procuratores Episcoporum, Abbatum, Imperatorum, Regum, & Principum non potuerunt numerari. In qua Synodo Ecclesiæ Christi columnæ, & pastores rectissime de honestate ac fide Catholica tractauerunt, statuentes vt ad liberationem terræ sanctæ cunctus clerus subsidium mitteret. Tunc missus est à Sede Romana nobilis & prudens Cardinalis Pelagius, Episcopus Albanensis Hispanus natione, qui factus Dux, Cruce signatorum ciuitatem Damiatam (vt supra dictum est) cũ thesauris innumerabilibus cepit. Hanc autem ciuitatem procedente tempore Sarraceni exigentib. peccatis nostris iterum ocupauerunt. Sed iam ad nostrorum Regum gesta veniamus.

Adefonsus Rex Legionis, vbi cum filio suo pacem habuit, quosdam rebelles in regno suo perdomuit, Rege Fernando filio suo auxilium præbente: & congregato exercitu magno contra Sarracenos arma mouit: & cuncta quæ erant in circuitu de Caceres, scilicet arbores, vineas & segetes ferro & flamma vastauit, & ad propria reuersus est. Hic salutati consilio euocauit magistros peritissimos in sacris scripturis: & constituit scholas fieri Salmantiæ, & ab illa die magis directa est Victoriæ salus in manu eius. Et quia Rex Portugalensis Regem Legionensem offendit, Rex Adefonsus obsedit castrum ipsius, quod dicitur S. Stephanus de Caulas, & accepit illud. Sed facta pace cum

Rege Portugaliæ misit nobilis regni sui cum duce Martino Sancii, qui depræ dantes terram Maurorum, fere vsque ad Hispalim accesserunt: tunc congregata est multitudo nimia barbarorum in loco qui dicitur Teiada: initoque cum nostris prælio terga dederunt barbari, & ceciderunt ex illis maxima multitudo: & nostris cum victoria magna reuersis, Rex Adefonsus iterum cum magno exercitu terram Maurorum ingressus cuncta quæ erat in circuitu de Badaioz exterminauit. Similiter Sancius Rex Portugaliæ cum exercitu suo, omnia quæ erant circum circa Elues vastauit: & ambo Reges ad propria reuersi sunt.

Rex autem Castellæ Fernandus quam sapienter se tunc temporis gesserit, non est qui scriptis ostendere possit. Etenim reuocauit virum potentissimum Aluarum Petri Fernandi de Castella filium, qui erat cum Sarracenis, & aggregato suorum exercitu magno, barbarorum fines inuasit: & multas strages Sarracenis inferens, cepit ab eis ciuitatem Bacciam, Porcunam, Quesadam, Anduiar, Aznataraph, Garciez, Martusiahen, Capellam, & alias plures, & cum magna victoria in Castellam reuersus est.

Post hæc Reuerendissimus pater Ioannes, Cardinalis Romanus Sabinensis Episcopus, Apostolicæ sedis legatus missus est in Hispaniam à gloriosissimo Papa Gregorio. Hic inter cætera quæ sancte gessit Reges Hispanos contra Sarracenos studuit incitare, vnde Rex Legionensis Adefonsus cum exercitu suo, & parte exercitus filii sui Regis Fernandi obsedit Caceres, oppidum fortissimum barbarorum, & cepit ipsum. Fecit etiam largissimus Rex quoddam memoria dignum, præ Regib. qui fuerunt ante ipsum. Nam adiurauit omnes iudices regni sui, vt non acciperent ab aliquo parum vel magnum donum. Ipse quidem eis de suo ærario omnes abundanter faciebat expensas: ne iudices propter dona peruerterent iudicium, & iustitia haberetur venalis. Filius autem eius Rex Castellæ Fernandus ingressus est terram Maurorum cum exercitu magno, & multas strages faciens, arbores, vineas, segetes & cuncta quæ erant in circuitu Gehen forte & flamma vastauit. Sequenti vero anno Adefonsus Rex Legionensis obsedit ciuitatem Emeritam, & cepit eam. Erat tunc temporis quidam barbarus insignis nomine Abenfuh, qui expulit Almophades ab Hispania, & factus est Rex barbarorum. Hic à suis vocabatur Rex virtutis, & congregato exercitu Maurorum innumerabili, venit pugnaturus cum Adefonso Rege Legionensi: qui erant Emeritæ cum paucis. Sed Rex Adefonsus, vt erat fortis, & animosus fecit exercitum suum de nocte contra Sarracenos flumen Guadianam transire. Fixerant Sarraceni tentoria iuxta castrum Alhange, & viderunt primo mane nostrorum acies paratas ad bellum; & ipsi ordinauerunt acies suas ad prælium properantes. Fuit Dominus cum Rege Adefonso, & populo Christiano, & in congressione ipsius belli tãta Sarracenorum millia prostrata sunt, quod multa barbarorum oppida remãserunt vacua omnib. habitatorib. eorum extinctis in ipso bello. Abenfuh autem Rex barbarorum fugit grauiter vulneratus. Tunc Rex Adefonsus à victoria reuersus obsedit Badaiozum, & post paucos dies cepit ipsum. Dimiserãt Sarraceni Elues, & castra alia plura se fugæ committentes: quæ Christiani populauerunt, cum vacua reperissent. Reuersus est Rex Adefonsus cum multis spoliis, & victoria magna laudans Deum & beatum Iacobum, qui sibi de inimicis dedit tã nobiliter triumphare. Siquidem in ipso bello visibiliter apparuit B. Iacobus cum multitudine militum albatorum, qui Sarracenos in manu valida prosternebant. Beatus etiam Confessor Isidorus quibusdã apparuit Zemoræ ante quam Emerita caperetur & bellum fieret: & dixit eis se ad auxilium Adefonsi Regis cum Sanctorum exercitu properare, & quod sibi dictam traderet ciuitatem, & de Sarracenis campalem præberet triumphũ. Rex autem Adefonsus multam victualium & bellici apparatus copiam præparauit, vt statim reuerteretur ad euertendas vrbes & oppida barbarorum. Sed cum causa orationis ad Ecclesiam S. Iacobi Apostoli properaret, in Galecia in loco, qui dicitur Villa noua de Zemos grauiter ægrotauit: & accepta ab Episcopis pœnitentia, & corporis & sanguinis Domini sacramento, morte pretiosa decessit: & in Ecclesia beati Iacobi Apostoli iuxta patrem suum est honorifice tumulatus. Rexit regnum feliciter quadraginta duobus annis. Obiit era millesima ducentesima sexagesima octaua, octauo Kalendas Octobris.

Rex autem Fernandus filius eius tunc temporis erat in expeditione in terra Maurorũ, & cum audisset quod decesserat pater eius, festinauit venire Legionem, & obtineret regnum patrum suorum. Eo tempore facta est perturbatio magna in regno Legionensi. Multi namque milites Gallæci & Asturcs multas populationes, quæ

Rex

Rex Adefonſus fecerat abſque murorum ambitu, incendio tradiderunt. Nitebantur etiam reſiſtere Regi Fernando ſi poſſent, ſed omnipotens Deus illū mirabiliter adiuuabat. Etenim miles nobiliſſimus Didacus cum eſſet Legione, fecit ſuos per palatium Regis furtiue aſcendere, & turrim & Eccleſiam beati Iſidori occupauit. Reuerendus autem pater Rodericus Epiſcopus Legionenſis vir nobilis, prouidus & honeſtus, vt hæc vidit, Eccleſiam Legionenſis Sedis armis, hominibus & bellicis apparatibus muniuit, vt ciuitas Regi Fernando ſeruaretur. Ciueſque turres murorum & Eccleſiarum, vt potuerunt ſimiliter munierunt. Erat tunc in ipſa ciuitate, die ac nocte, continua vox belli, & tribulatio & anguſtia magna. Sed miſericordia Dei non defuit: & prædictus Didacus ægritudine valida eſt percuſſus, ita vt ipſe vel in eo neſcio quis clamaret, quod beatus Iſidorus ob auxilium Regis Fernandi volebat ipſum militem interficere, eo quod occupauerat turrim & Eccleſiam eius. Præterea à capite dicti militis oculi videbantur auelli, & à concauitate ſua egrediebantur non ſine magno dolore. Vnde compulſus (cum ſe videret tam grauiſſime vexari) conſilio Sanciæ Comitiſſæ venerabilis matris ſuæ, Abbati & conuentui ipſius Monaſterii turrem & Eccleſiam reſtituit, & damna quæ illis intulerat, integrauit, dato ſuper ſancta Dei Euangelia iuramento, quod de cætero eſſet miles & Vaſſallus beati Iſidori Confeſſoris. Illico ſanitati reſtitutus eſt, & ſtatim cum ſuis de ciuitate egreſſus. Epiſcopus autem Rodericus & ciues gaudentes in Domino, quod etiam ſancti pro Rege Fredenando pugnabant, miſerunt nuncios illi, veniret cito ſuam acciperc ciuitatem. Venit itaque Rex Fernandus (qui vere creditur Rex virtutis, eo quod ſit virtuoſus) vna cum prudentiſſima Domina Berengaria matre ſua, & Legionenſem ciuitatem ingreſſus, cum gloria magna obtinuit regnum patrum ſuorum. Tunc confluentibus ad eum de ſingulis ciuitatibus & oppidis viris nobiliſſimis conceſſit eis bonos mores & foros antiquos, & etiam illis multa grauamina releuauit. Supererant duæ nobiliſſimæ ſorores ſuæ, filiæ Regis Adefonſi, quas genuerat ex Regina Thaſia, Sancia ſcilicet & Dulcia, quas habuit in magna reuerentia donans illis dum viuerent, annuatim triginta millia aureorum. Deinde pacificato toto regno ſuo, omnes milites, qui populationes patris ſui ſuccenderant, exulauit.

Poſt hæc congregato Legionis, & Caſtellæ exercitu magno, ingreſſus terram Maurorum obſedit Vbedam, & cepit eam. Eo fere tempore inclytus Adefonſus frater eius, & Aluarus heros potentiſſimus de Caſtella, de mandato Regis cum nobilium exercitu depræ dantes terram Maurorum, vſq; ad mare Mediterraneum hoſtiliter peruenerunt, quibus cum exercitu innumerabili occurrit Rex barbarus, nomine Abenfuth, iuxta ciuitatem quæ vocatur Xerez. Cōmiſſo certamine fugati ſunt Mauri, multis millibus ſuorum proſtratis, & Chriſtiani reuerſi ſunt in patriam cum multis opibus & gloria magna. Iterum Rex Fernandus mouit exercitum, & fines Sarracenorum inuadens, cepit fortiſſimum caſtrum quod dicitur S. Stephanus, & quædam alia: & acceptis à Sarracenis theſauris multis reuerſus eſt. Diuulgabatur fama Regis Fernandi per vniuerſas regiones, & de fide, gloria, & victoriis eius loquebantur omnes gentes. Siquidem magnanimitas eius, & ſapientia omnes hoſtes eius vehementiſſime deterrebat. Regina vero Berengaria mater eius in tanto ſapientiæ culmine ferebatur, vt in regni adminiſtratione cuncta ſapienter & nobiliter ordinaret. Quapropter ſecure Rex Fernandus faciebat moram in expeditione contra Sarracenos, eo quod Regina Berengaria vices eius ſapienter in regno Legionis & Caſtellæ ſupplebat, & tanta ſecuritate, & pace vtrumque regnum gaudebat, vt paruus vel magnus aliquis non auderet violenter res alterius occupare. Tantus inuaſerat cunctos hæreticos terror, vt cuncti de vtroque regno fugere feſtinarent. Mittebat Regina Berengaria abundanter filio ſuo Regi Fernando dum eſſet in expeditione milites, equos, aurum, argentum, cibaria, & quæcunque erant neceſſaria exercitibus ſuis.

Era MCCLXXIII. Regina domina Beatrix obiit, & ſepulta eſt Burgis in regali Cæmeterio, quod bonæ memoriæ fecerat Caſtellæ Rex Adefonſus. Ante paucos dies deceſſerat filia Regis Fernādi & Reginę Beatricis Maria puellula, quæ Legione in monaſterio Sancti Iſidori eſt ſepulta. Tunc temporis deuotiſſimus Rex Fernādus coram corpore beati Iſidori fixis genibus orauit, & votum faciens dixit viua voce: Adiuua me beate Cōfeſſor contra Sarracenos, & de his quæ acquiſiero huic Eccleſiæ tuæ conferam honorabilem portionem. Eo tempore quidam Catholici viri ſtrenui de frontaria

Maurorum, qui Almugaueres vocantur, collecta ſuorum multitudine de nocte terram Sarracenorum furtiue ingreſſi ſunt. Qui cum veniſſent Cordubam, & cuſtodes murorum ipſius ciuitatis barbari minime vigilarent, per ſcalas & funes ciuitatem magnam Cordubam intrauerunt, & maximam obtinuerunt partem turrium & murorum; & cum aduerſus Sarracenos fortiter dimicarent, & multos ex eis occiderent, feſtinanter miſerunt nuncios ad Regem Fernandum, vt ad eorum properaret ſuccurſum. Erat tunc in partibus illis heros potentiſſimus Aluarus de Caſtella, & veniens feſtinus ad ſuccurendum Chriſtianis extra Cordubam tentoria fixit. Pauciſſimi erant Chriſtiani habito reſpectu ad Saracenos; ſed quotidie de barbaris adiuuante Domino triumphabant. Quantæ autem magnanimitatis fuerit Rex Fernandus ex hoc poteſt aduerti, quod ſtatim Beneuentanis & Zemorenſibus, & aliis ſibi adſtantibus dixit: Si quis eſt mihi amicus & fidus vaſſallus ſequatur me. Erat tunc hyems valde pluuioſa, & dum non haberet ſecum centum milites, ingreſſus eſt audacter per frontariam regni Legionis, & cum paucis Cordubam venit. Magnus timor & dolor inuaſit amicos cunctos Regis Fernandi, cum peruenit ad eos, Regem ſe tanto diſcrimini contuliſſe. Accelerabant cuncti tanto domino ſubuenire, ſed reſiſtebant eis fluminia inundantia & pluuiarum tempeſtas. Rex autem Fernandus ſtabat fortis & imperterritus, & Sarracenos cū ſuis fortiter feriebat: & cū ingreſſum ciuitatis & egreſſum nō poſſent Chriſtiani Sarracenis prohibere, eo quod prohibente flumine magno Guadalquibir ad aliam partē non poterant trāſire, & Sarraceni ingrediebātur & egrediebātur per pontē, Rex Fernandus fecit fieri balſas & nauigia de lignis & coriis, & ipſe Rex cum paucis primus tranſiuit. Tunc prohibitus eſt Sarracenis ingreſſus & egreſſus, & cepit Rex caſtrū quod erat in ipſo ponte. Obſeſſa fuit ciuitas Cordubenſis, vndique properante Chriſtianorum exercitu; & cum quotidie ab vtraque parte gladiis mortiferis, & iaculis fortiter certaretur, tandem laboribus multis & fame victi Sarraceni Regi glorioſo Fernādo Cordubā ciuitatem inclytam tradiderunt; & ipſi Sarraceni recedentes ſe aliis Agarenorum oppidis contulerunt. Ingreſſus eſt Rex Fernandus Cordubam cum gloria & lætitia magna, & eliminata omni ſpurcicia Mahometi, pōtifices ſacri in feſtō Apoſtolorum Petri & Pauli ad honorem Domini noſtri Ieſu Chriſti, & genitricis eius Reginę cœlorum Marię, in eadem vrbe diuina myſteria peregerunt: magnum illud Sarracenorum oratorium, genitricis Dei Mariæ nomini, decorantes. Inuentæ ſunt ibi campanæ, quas ob inſigne ab Eccleſia S. Iacobi Apoſtoli Rex Cordubenſis olim detulerat Almazor: & Rex Catholicus Fernandus fecit eas Sarracenorum humeris ad Eccleſiam S. Iacobi reportari. Capta eſt ciuitas Cordubenſis era M c c L x x I v. & reuerſus eſt inclytus Rex Fernandus Toletum cum victoria & gloria magna. O quam beatus iſte Rex qui abſtulit opprobrium Hiſpanorum, euerrens ſolium barbarorum, & reſtituens Eccleſiæ S. Iacobi Apoſtoli campanas ſuas cum magno honore, quæ multo tempore fuerant Cordubæ, ob iniuriam & opprobrium nominis Chriſti. Acquiſiuit etiam Rex Fernandus Turgellum, Sanctam crucem, Alhange, & quædam alia caſtra.

CHRO-

CHRONICON VICTORIS EPISCOPI TVNNVNENSIS.

AD LECTOREM.

CHRONICA *hæc Victoris & Abbatis Biclarensis antehac nusquam visa, reperit in Toletana Bibliotheca Andreas Schottus, Societatis* IESV *sacerdos de litteris & antiquitate optimè meritus, qui ea ad C. V. Marcum Velserum Reipub. Augustanæ Septemvirum misit; à quo in manus meas pervenerunt, lucemq; à me iure suo postularunt; ob id magis, quod in Victoris Chronico, crebro Iustiniani nominentur.* Sed antequam Victorem legas, amicè lector, de Victore quis fuerit, docendus, & denonnullis, quæ ipse scribit, instruendus es, ne erres. *De Victore ita Isidorus*: Victor Tunnunensis Ecclesiæ Africanæ Episcopus à principio mundi, usque ad primum Iustini Iunioris Imperii annum, brevem per consules annuos bellicarum Ecclesiasticarumque rerum nobilissimam historiam promulgavit, laude & notatione illustrem, ac memoria dignam. Hic pro defensione trium Capitulorum à Iustiniano Augusto exilio in Ægyptum est transportatus; unde rursus Constantinopolim est evocatus, dum à Iustiniano Imperatore & Eutychio Constantinopolitanæ urbis Episcopo, obtrectatoribus eorundem trium Capitulorum resisteret rursus in Monasterium eiusdem civitatis mittitur custodiendus, atque in eadem damnatione, ut dicunt, permanens, moritur. *Hæc Isidorus.* *Libro de viris illustribus. cap. 25.*

Idem ferè Trithemius; nisi quod hic addat, eum scripsisse etiam libellum pro defensione trium Capitulorum. Meminit Victoris huius & Ado Viennensis, initio Chronici, & Otto Frisingensis lib. 5, cap. 6.

Quod verò Isidorus ait, hunc Victorem à principio mundi usque ad primum Iustini iunioris annum brevem quandam historiam scripsisse (cùm hunc à XIIX. Theodosii iunioris consulatu, ubi Prosper desiit, inchoâsse, palàm sit) ad ea, opinor, respicit, quæ in fine huius operis habentur; dum videlicet Victor rationem annorum à condito mundo iniens ita scribit: Colliguntur omnes anni ab Adam primo homine. &c. *Quibus verbis minimè significare voluit, se historiam ab exordio mundi texuisse, ut Isidorus existimasse videtur; sed enumerans omnes annos, qui à principio mundi effluxerunt, Chronicis q; Eusebij, Hieronymi, Prosperi, & suo comprehenduntur, asserit tot & tot annos ab Adamo protoplasto, usque ad primum Iustini iunioris annum, elapsos esse. Et quî, quæso, Victor Chronicum ab exordio mundi contexuit, cùm ipsemet fateatur, sibi Prosperi sibi esse principium scribendi?*

Cæterùm inter alia, quæ hoc Chronico continentur; est Epistola Vigilij Pontificis Maximi ad hæreticos Episcopos Theodosium Alexandrinum, Anthemium Constantinopolitanum, & Severum Antiochenum; qua profitetur, se eiusdem cum illis esse sententiæ, hoc est, Eutychianæ & hæreticæ. Extat eadem Epistola apud Liberatum; nisi quod aliam habeat inscriptionem, hanc nimirum: Dominis & patribus, *seu ut alii legunt,* fratribus. *Ex qua aliqui occasionem sumpserunt affirmandi, hanc epistolam ad ipsum Iustinianum & Theodoram Augustam fuisse scriptam. Sed aliter se habere constat; ex hoc Victore nostro; ex quo etiam restitui poterit apud Liberatum integer huius commentitiæ epistolæ titulus. Commentitiam voco; quod eam commentitiam & hæreticis confictam esse, copiosè demonstrent Illustrissimi Cardinales Baronius & Bellarminus:* enim revera scripsisset ista Vigilius, *inquit Baronius*, cur non ex iisdem suis scriptis convenitus est, cùm de restitutione Anthimi altercatus est postea Constantinopoli am Theodora? Rursus si isthæc ab ipso scripta sunt, cur non exprobrata eadem, cùm ie Constantinopoli à Theodoro Episcopo Cæsariensi, & Menna Constantinopoli eo durius vexaretur; cùm utrunque ipse Vigilius excommunicationi subiecit? Vel ur non id factum ab ipso Iustiniano Imperatore, cùm in ipsum furore accensus, et m viagendum putavit? Cur item id tacuit ipsa Quinta Synodus, in eundem Pontifim accedere renuentem, nonnihil commota? Hæc omnia publicè sunt ventilata, & blicis actis excepta, nec tamen de dicta epistola vel nutu usquam mentio. Neque *In Breviario cap. 22.* *Tomo 7. anno Christi 552. Iustiniani. imp. 12.*

etiam Facundus Hermianensis Episcopus, in Vigilium ob tria capitula subinfensus, aliquid huiusmodi (sicut cætera) ipsi obiicere ausus apparet. *Hæc Baronius.* Posset etiam dici, *inquit Bellarminus*, epistolam illam Vigilii, cuius meminit Liberatus (& hic noster Victor) fuisse confictam ab hæreticis. Liberatum autem (*& hanc nostram Victorem*) credidisse falso rumori, quem hæretici sparserant. Nam quòd hæretici confinxerint epistolam quandam Vigilii Papæ nomine ad Theodoram & Iustinianum, deprehensum fuit certis indiciis in VI. Synodo, act. 14. *Ita Bellarminus. Nec alienum hoc est à moribus hæreticorum. Nam ut olim Russinus sub nomine Pamphili Martyris finxit Apologiam pro Origene, cum esset Eusebij Cæsariensis, Arrianæ sectæ Coryphæi: & alium librum sub nomine Xisti Pontificis & Martyris, cùm esset Xisti Pythagorei: ita & hodiè fingere solent libros contra imagines sub specioso Caroli Magni titulo, & epistolas contra Cælibatum sub clarissimo Augustani Præsulis Vdalrici nomine; & alia centena sub aliorum velo & tegmine. Nec igitur mirum si olim quoq; hanc epistolam hæretici Eutychiani commenti sint sub Vigilii nomine; præsertim cum scirent se gratum facturos Theodoræ Augustæ alteri Iezabeli & Megeræ sui ævi. Nec mirum etiam Liberatum & Victorem nostrum Afros, ob tria capitula, Vigilio non valdè benevolos, monumentis suis figmentum hoc inservisse. Deinde, ut maximè epistola à Vigilio scripta fuisset, indè tamen non conficeretur, Summum Pontificem Petri successorem Christique Vicarium in hæresi Ipsam fuisse. Nam ut rectè censet Bellarminus*, id fecit cùm adhuc viveret Silverius Papa quo tempore Vigilius ipse, Papa non erat, sed Pseudopapa. Neque enim duo simul veri Pontifices Summi esse possunt; & constabat tunc omnibus, Sylverium verum Pontificem esse, licet in exilio degeret. *Cum multis aliis, quæ in eiusdem Vigilij excusationem, tum etiam commendationem adfert idem Bellarminus. Et hæc hactenus de Vigilij epistola quam Victor recitat.*

Idem Victor trium capitulorum perpetuus defensor fuit. Sunt autem tria capitula hæc. Primum de damnatione Theodori Mopsuesteni. Secundum de damnatione epistolæ Ibæ Episcopi Edesseni. Tertiũ, de damnatione scriptorum Theodori & Episcopi Cyri contra Cyrillum. Quia nimirum in Concilio Chalcedonensi Ibas & Theodoretus, qui Nestorio faverant, recepti sunt in communionem Catholicæ Ecclesiæ, actâ pœnitentiâ & repudiato Nestorio: & quia Concilium Chalcedonense Theodorum Mopsuestenum, etiam Nestorii studiosum non damnarat, sed potius probasse videbatur ob epistolam Ibæ, in qua Theodorus laudatur; ideò hæretici Eutychiani hostes Concilij Chalcedonensis, solito artificio cogitare cœperunt, quomodo non se Orthodoxis coniungere, sed Orthodoxos inter se commistere, sparsis dissidiis & excitatis iurgiis, possent. Itaque Theodorus Cæsareæ Cappadociæ Episcopus Eutychianus, fultus præsidio Theodoræ Augustæ, cùm Iustinianus Acephalos & Eutychianos ad observationem Concilij Chalcedonensis cogere iam statuisset, Iustiniano persuasit, non esse hoc opus, quando compendio omnes Acephalos ad suam communionem adducere posset: siquidem illi, inquit, hoc offenduntur in Synodum Chalcedonensem, quod laudes susceperit Theodorii Mopsuesteni Episcopi, epistolamque Ibæ, quæ per omnia Nestoriana cognoscitur, quam Synodus ipsa iudicio suo pronunciavit Orthodoxã. Qui Theodorus, si cum dictis suis & hac epistola anathematizaretur, tanquam rettacta Synodus atque purgata, susciperetur ab eis pro omnibus & in omnibus, & sine pietatis vestræ labore Ecclesiæ Catholicæ sociati gaudentes, in universali Ecclesia Clementiæ vestræ laus erit sempiterna.

Liberatus cap. 24.

Hæc audiens Imperator, *inquit Liberatus*, & dolum dolosorum minimè perspiciens, suggestionem eorum libenter accepit, & facere promptissimè spopondit. Et rursus illi callida fraude rogaverunt eum, ut dictaret librum in damnationem trium capitulorum. Quò libro eius edito, & toti mundo manifestato, dum emendari Princeps erubescit, irrevocabilis causa fieret: sciebat enim Principem solita pietate scandalo emergente, sententiam suam posse corrigere, sesequè ad periculum pervenire. Annuit his Princeps, & hoc se lætus implere promisit. Et relinquens operis sui studium, unum in damnationem trium capitulorum edidit librum, pro deliciis nostris nobis omnibus notissimum. *Hæc Liberatus.*

Cum igitur damnationi horum trium capitulorum quidam ex Catholicis sese opponerent, proque iis publicè & privatim pugnarent, in duas partes Orthodoxorum animi distracti sunt: alii damnationi trium Capitulorum subscribentibus, alii refragantibus: Eutychianis interim ob excitatum à se incendium, exultantibus. Inter eos, qui tria Capitula defenderunt fuit, Iustinianus Vigilius Pontifex, qui & Apologeticum, & quidem bene longum, quod Constitutum appellatur, pro tribus capitulis publicavit. Cui lubentes volentesque sese adiunxerunt Episcopi Africani, Itali, Provinciæ Venetiæ & Liguriæ, Epirotici, Illyrici & alii his finitimi.

Bellarmin. de Rom. Pontif. lib. 4. cap. 10.

Iam allegato loco.

Quod egerrimè ferens Iustinianus, factumque hoc contemptum Maiestatis suæ interpretans, parum clementer cum his Episcopis egit. Ita enim Liberatus, ut alios Scriptores taceam. Cætera quæ subsequenter in Episcopis & Catholica Ecclesia ab eodem Principe facta sunt; quomodo consentientes Episcopi in trium damnationem capitulorum muneribus ditabantur, vel non consentientes depositi, & in exilium missi sunt, vel aliqui fugâ latitantes in angustiis felicem exitum susceperunt, quoniam nota sunt omnibus, puto nunc à me silenda. *Hæc Liberatus.*

Imo ipse Vigilius iamdudum legitimus Pontifex: quippe mortuo pridem Sylverio, in exilium, Iustiniani iussu, pulsus est, ex quo prius non rediit, quam mutata sententia, tria capitula damnaret, quintamque Synodum adversus tria capitula, potissimùm Iustiniani auctoritate celebratam, comprobaret, suffragioque suo Oecumenicam efficeret. Quod Vigilius fecit, ut Ecclesiam Orientalem cum Occidentali coniungeret & schisma exortum sopiret. Factum hoc Vigilii Africanis Episcopis, inter quos noster Victor, cum aliis, tunc displicuit. Quare convocato Concilio excommunicarunt Vigilium, ut testatur noster Victor: excommunicarunt, inquam subditi Prælatum, oves Pastorem, de facto, non de iure, irrito conatu: cum omnes successores Vigilii, nominatim S. Gregorius Magnus, & tota posteritas, id quod Vigilius pacis & concordiæ causâ fecit, comprobarint, Synodumque V. in quatria capitula damnantur, tanquam Oecumenicam receperint. neque unquam inter hanc & illam partem quæstio de fide fuit: sed tantum de personis (ut observavit etiam sanctus Gregorius) hoc est de Theodoro Mopsuesteno, Iba Edesseno, Lib. 5. ep. 37. *& Theodoreto Cyri: quorum scripta Nestoriana, nemo Orthodoxus defendit, multò minus sanctæ à Chalcedonensis Synodus; licet hæretici vulgò iactarent Synodum, ipsam epistolam Ibæ & scripta Theodoreti contra S. Cyrillum probasse & laudasse, prout etiam Victor referre videtur. At secus res se habet. Nam Synodus personas ab errore resipiscentes, Ibam, videlicet, & Theodoretum probavit & collaudavit, non scripta. Nec potuit Vigilius aut quivis alius Orthodoxus Theodoretum & Ibam damnare, eo respectu, quo probati fuerant à Concilio Chalcedonensi, alioqui factum eiusdem Concilii improbassent. Itaque nihil egit Vigilius in præiudicium Synodi Chalcedonensis, ut putarunt Africani, & refert Victor noster. Et tamen illa damnatione Theodoreti & Ibæ satisfactum est trium capitulorum damnatoribus. Nam de Theodoro Mopsuesteno minor est difficultas: cum in Chalcedonensi Synodo non fuerit ipse nominatim receptus, ut Ibas & Theodoretus; sed tantum, quia in epistola Ibæ multis laudibus extollitur, visum fuit nonnullis, illam quoque à Synodo Chalcedonensi fuisse probatum; quod à veritate longè abhorret: cum Synodus non probarit epistolam Ibæ, sed Ibam ipsum Nestorio anathema dicentem.*

Quod autem Victor ait, Theodorum Mopsuestenum similiter Synodaliter gestis apud Antiochiam sub Iohanne Episcopo eiusdem Ecclesiæ, & Chalcedone laudatum fuisse: id quidem Liberatus quoque his verbis prodidit. Tunc Ioannes Antiochenus Episcopus, Synodo congregata, tres pro Theodoro Mopsuesteno dictavit epistolas: unam quidem direxit Theodosio Imperatori, aliam autem Cyrillo Alexandrino, & tertiam Proclo Constantinopolitano Episcopo, & eius exponens sapientiam. Ad hæc autem Imperator dirigens Sacram Ioanni, derogatores illos Theodori contra salutem propriam venire iudicavit. Cyrillus autem præscripto suo Theodorum præferens, tale de eius accusatoribus tulit iudicium, eò quod dogmate veritati contrario uterentur, interponens de Symbolo in Concilio sibi oblato tesseradecadas factas à Carisio presbytero. Nihilominus & Proclus per Mennam Diaconum suum rescribens, cuius essent illa capitula, quæ Theodori dicebantur, quæsivit. Qui pro eius excusatione ignorare se dixit. Veruntamen duas memorati Ioannis epistolas, id est, primam & tertiam laudes Mopsuesteni continentes, Chalcedonensis Synodus postea per relationem suam Marciano Imperatori directam cum tomo Procli, quem ad Armenos direxit, & aliis Sanctorum Patrum epistolis suscepit & confirmavit. *Hactenus Liberatus.* Lib. Breviar. cap. 10. Baron. Tom. 5. anno 435.

In quibus illud iterum admonendum, inquit Illustrissimus Baronius, eundem Liberatum Diaconum à nescio quo Nestoriano incautè nimis, quam narrat, esse mutuatum Historiam; quæ refert probata scripta Theodori Mopsuesteni non scriptis tantum Ioannis Antiocheni, sed & edicto Imperatoris atque etiam scriptis Cyrilli Episcopi Alexandrini, ipsum Theodorum fuisse laudatum; quin etiam (quod deterius existimari debet) dum ait, Synodum Chalcedonensem relatione ad Marcianum facta suscepisse & confirmasse Ioannis Antiocheni epistolas, quibus laudat Theodorum Mopsuestenum; eandem S. Synodum Chalcedonensem in idem crimen adducit, quod laudes Theodori receperit, & doctrinam. Videsne, quot & quales lateant colubri sibilo

ceſpite falſitatis? Sed ſecurim ad radicem admoveamus. Inprimis autem, quod ad Cyrillum ſpectat, quomodo potuit ipſe accipere laudes, probareq; ſcripta Theodori, qui eadem ſapuit cum Nestorio, cum adeo reperiatur adverſatus eſſe Neſtorio? Sed id apertius demonſtremus, ex ipſius Cyrilli ſcriptis, poſtquam hæc de Theodoro Mopſueſteno in controverſiam deducta ſunt, editis. Lucubrationem quidem Cyrilli de expoſitione Nicæni Symboli elaboratam ab eo fuiſſe poſt ſcriptam Proclı epiſtolam ad Armenos, ſua ipſius teſtificatione monſtratur, dum ipſam citat & laudat his verbis: Proclus ipſe, qui nunc ſanctæ Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ thronum adornat, religioſiſſimus & pientiſſimus Pater & Coëpiſcopus ſcripſit ad Orientales piiſſimos Epiſcopos in hæc verba: Et incarnatus quidem eſt, &c. inferius vero ſcripſerunt adverſarii, qui præ multa inſipientia Neſtorii & Theodori ſcripta non cavent, &c. vides igitur S. Cyrillum una eademq; lance, æquoque pondere Theodorum expendere cum Neſtorio.

Quod autem ad Chalcedonenſe Concilium ſpectat, quòd dicatur recepiſſe & confirmaſſe epiſtolas à Ioanne datas laudibus Theodori refertas: reddamus hic verba ipſa, quæ in relatione Synodica ad Marcianum, citata à Liberato, ſcripta habentur; ſic enim ſe habent: Si enim per epiſtolas Eccleſiæ dogmata declarari pro unaquaque quæſtione dignum culpa iudicant, ipſum inprimis beatiſſimum Cyrillum quilibet poterit denotare, qui litteris ſuis Orientalibus, quod ſentiebat, expreſſit: nec non & magnum Proclum huic vituperationi ſubiiciet, qui eiſdem Orientalibus volumen ad Armenios pro fidei congruentia deſtinavit. Huic autem conſociabitur ad culpam, & ſapientiſſimus Ioannes Antiochenus Epiſcopus, qui hæreticorum maledicta repellens & Apoſtolicâ doctrinâ religioſiſſimum dogma declarans, totius Orientis confeſſionem, velut ex uno ore, ſanctiſſimo Proclo, & ei qui per idem tempus mundi regebat gubernacula, deſtinavit. Hæc ſancta Synodus ad Martianum Imperatorem. in quibus vides nullam de Theodoro Mopſueſteno mentionem haberi, ſed iſtos ut magni nominis Epiſcopos in exemplum adduci.

Nec eſt quod quis adhuc inſtet & urgeat, laudatas à Synodo epiſtolas Ioannis Antiochem, quaſi hoc ipſum eſſet laudibus Theodori conſenſiſſe, eiusq; ſcripta probaſſe: nam cum certa in omnibus fidem (ut vidimus) dictis epiſtolis profeſſus eſſet, adeo ut non potuerint eædem epiſtolæ Proclo non recipi atque Cyrillo, & ipſo Theodoſio Imperatore, nihil virulentum ex Theodori doctrina eiſdem admiſcuiſſe, certum eſt. Sed quod ad Theodorum ſpectat, non eum laudavit Ioannes ut erroris auctorem, verum tantummodo excuſavit non eſſe Theodori, quæ nomine Theodori circumferrentur. Ita quidem ſe rem habuiſſe, verbis illis Liberati manifeſte probatur, quæ tulimus, ubi ait: Nihilominus & Proclus per Mennam Diaconum ſuum ipſi Ioanni reſcribens, cuius eſſent illa quæ Theodori dicebantur, quæſivit. Quæ pro eis excuſatione ignorare ſe dixit.

Vides igitur regantem Ioannem fuiſſe à Proclo literis interpellatum, ſi non eſſent Theodori illa hæreſum capita, quæ ab Armeniæ monachis circumferebantur; cuiuſnam eſſent: Ioannem verò reſpondiſſe, ſe penitus ignoraſſe. Quibus planè intelligis, ſic laudatum à Ioanne Theodorum, immunemq; ab omni labe criminis hæreſis redditum, eò quòd putaret calumniam paſſum dum ſub eius nomine circumferrentur errores. Quòd igitur defenſores Theodori ea ipſius ſcripta eſſe negarent, quæ diffamata per totum fuerant Orientem: inde accidiſſe videtur, ut prudens Proclus in epiſtola ad Armenos, errores ipſos redarguens nullam penitus de Theodoro haberi mentionem, detectis autem poſtea ſcriptis Theodori, eadem cum auctore prorſus damnata fuiſſe dictum eſt ſuperiùs, & ſuo loco pluribus dicemus.

Hæc Illuſtriſſimus Baronius ad Liberatum Africanum Archidiaconum: nos ad noſtrum Victorem Africanum Epiſcopum. Atque de his hactenus diſſeruiſſe ſatis fuerit. Cætera quæ in Victoris Chronico declaranda vel emendanda occurrunt, erudito Lectori committimus.

Nihil enim in exemplari repertum, temerè mutare voluimus, imitati eruditum illum Virum, qui varios Francorum Hiſtoricos edidit, eo prorſus ſtylo & ſcripturæ modo, quem in ipſis Autographis invenerat.

CHRO

CHRONICON VICTORIS TVNNVNENSIS EPISCOPI.

ANNO XIIX Consulatu Theodosii Iunioris, Victor, Episcopus Tunnunensis Ecclesiæ Africæ, historiam prosequitur, ubi Prosper reliquit.

Igitur Theodosio XIIX. & Albino Coss. Antiochenæ Ecclesiæ Episcopatum post Ioannem Diaconus suscepit. *Dominus.*

Actio III. & Symmacho.

Callipio & Ardaburio Coss. Eutyches Presbyter, & Archimandrita cuiusdam Monasterii Constantipolitani apparuit, qui sui nominis hæresin condidit. Hic etenim Dominum nostrum IESVM sic asserebat natum ex MARIA semper Virgine matre, ut nihil in eo confiteretur humanæ naturæ. Qui Synodali invitatus colloquio, Constantinopolim congregato, cui sanctus præfuit Flavianus, eiusdem urbis Episcopus, dum nollet Christum in duabus confiteri naturis, post nativitatem ex Virgine & nobis secundum carnem substantialem esse, damnationem cum proprio errore suscepit, quam Sanctus Romanus Antistes Apostolica auctoritate firmavit.

Pro quo Imperatore Theodosio patrocinante; Leone Romano, Dioscoro Alexandrino*, Diacono Antiocheno, Iuvenale Hierosolymitano, & Flaviano Constantinopolitano præsulibus sedium; Postumiano & Leone Coss. Synodus generalis II. congregatur in Epheso, in qua Dioscorus Alexandrinus Episcopus sibi principatum usurpans, imperiali favore, eundem Eutychen post legitimam damnationem absolvit, & eius obtrectatores, duarum in Christo naturarum doctores, Flavianum Constantinopolitanum, Eusebium Dorilei, Theodoretum Cyri & Ibam Edessenum, Antistites, cæterosque alios, impia auctoritate, contradicentibus etiam legatis sedis Apostolicæ, condemnavit, totamque Synodum sibi favore monachorum, seditione militariq; violentia inclinavit. *al. Donato. Domno.* *Concilium Ephesinum II. potius Cōciliabulum.*

Asterio & Protogene Coss. Attila Rex Hunnorum, postquam est Valentiniani Augusti ducis prælio superatus, & in fugam conversus, vires recepit, & ad Italiam imperrabiliter pergit, cuius mala Romana Respublica pacis fœdere sopiit. Qui Attila Leonis Papæ legatione suscepta, non solum à Reipublicæ vastatione quievit, sed & trans Danubium pace data recessit.

Valentiniano VII. & Attieno Coss. Theodosius Imperator anno vitæ suæ LXII. Constantinopoli moritur. *al. Ariento. His diebus Gothi contra Hunos dimicant in campis Catha launicis, in quo prælio Theodoredus Rex occubuit, & Gotha victores extiterunt, dimicante Turris mundo Rago, Attila Rex Hunnorum nusquā comparuit.*

Chrysaphius præpositus Imperatoris, amicitiis Eutychetis malè usus occiditur; & Martianus totius Reipublicæ consensu Imperator efficitur.

Romanorum XLVII. Martianus regnat annis V. mensibus VI. qui in ipsa regni sui exordia, Ecclesiarum paci prospiciens, Chalcedone fieri Synodum, imperiali auctoritate, denunciat. *al. XLVI.*

Constantinopolitanæ Ecclesiæ præsulatum post Flavianum Anatolius suscepit. *al. VII. Post Theodoredū Turrismundus filius eius Gothorum regnum regit, an. 10.*

Consulatu Martiani Augusti IIX. Kal. Octobris Leone Romano, Dioscoro Alexandrino, Maximo Antiocheno, Iuvenale Hierosolymitano, & Anatolio Constantinopol. præsulibus, Synodus generalis Chalcedone colligitur Episcoporum DCXXXII. ubi Ephesina II. nec dicenda Synodus, abdicatur. Eutyches cum Dioscoro patrono suo, Alexandrino Episcopo, atque Nestorio eondemnatur, Antistites- que Catholici iniustè damnati, ab eodem Dioscoro in Synodo præfata Ephesina II. sol- uuntur, fidesq; sanctorum patrum, qui in Nicæna Constantinopolitana, & Ephesina convenerunt, sanctis Synodis explanatur. His itaq; dictis & subscriptionibus to- ius Synodi robotatis, Eusebio Dorilei, Theodoreto Cyri & Iba Edesseno propriis re- stitutis Ecclesiis, iis, quos pro eis Dioscorus hæreticus substituerat pulsis, omnia, quæ statum Ecclesiæ pertinent, disposita sunt, ratumq; terminum susceperunt. *DCXXX. al.*

Opilione & Vincomalo Coss. Dioscoro Gangra exilio relegato, Proterius Alexandrinæ Ecclesiæ suscepit præsulatum-

Eo tempore Attila moritur, de cuius regno dum filii dimicant, Hunni vastantur, ac deinde minorantur.

Aetio & Studio Coss. Aetius patritius Valentiniani Augusti manu intra palatium primò percussus, circumstantium gladiis crudeli morte exanguitur, Boetiusq; praefectus nihilominus occiditur.

Valentiniano IIX. & Anthemio Coss. Valentinianus Imperator in campo maximo dolis Maximi patritii, & Heraclii Praepositi perimitur. Idemq; Maximus ex consule ac patritio eius sumit imperium, diebus LXVII. Hic itaq; malum, quod latebat, apparuit. Mox relictam Valentiniani Augustam viri exitum sui lugere non permittens in matrimonio sumit. Sed his malis peiora succedunt, dum adventum Genserici Vandalorum regis formidat, & cunctis volentibus urbe recedere licentiam tribuit; priusquam fugam, quam cogitabat, assumeret, occisus, membratimque concisus in Tiberim fluvium proiectus est.

Aetio & Studio Coss. & praefectis, tertia die, postquam Maximus occiditur, Genserici Vandalorum Rex Romanam urbem ingreditur, & per XIV. dies cunctis opibus nudat, secumque inde Valentiniani filias & uxorem ac captivorum multa milia tollit: Vt autem ab incendio tormentis & gladio abstineret, Papae Leonis intercessio facit: huius quoque captivitatis LXXV. die Anitius vir totius simplicitatis in Gallis imperium sumit.

al. cunctos.

al. Avitus.

Ioanne & Varane Coss. Ricimirus patritius Avitum superat, cuius innocentiae parcens Placentiae civitatis Episcopum facit.

His temporibus Theodoricus frater Thurismundi Gothorū regit an. IX. al. Illuro infrà Elluros Recte Aeluros.

Constantino & Rufo Cons. Martianus Imperator Orientis Constantinopoli moritur, & pro eo Leo imperator efficitur. Romanorum XLIIX. Leo regnat annis XVI.

Alexandria & Ægyptus errore Dioscori languens decreta Chalcedonensis Synodi non recepit. Proterium Antistitem, Dioscori successorem, & Synodi Chalcedonensis decretorum custodem, populus Dioscoritanus seditione facta, Timotheo auctore, cognomento Herulo, interfecit VI. Kalen. April. VI. feria ultimae Ieiuniorum hebdomadae, die qua noster Salvator & Dominus à Iudaeis est crucifixus. Tunc enim Pascha Dominicum quarto est Kal. Apr. celebratum. Proterio itaq; interempto, Timotheus praefatus, cognomento Herulus, Chalcedonen. Synodi obtrectator, eius Episcopatum Ecclesiamq; pervadit.

His diebus Gothi cōtra Suevos dimicant in campo Parami iuxta fluvium Orbeū, in quo prelio Gothi extiterē victores.

Leone Aug. Coss. Maioranus Romae imperium sumit. Timotheus Alexand. Ecclesiae incubator defensores Synodi Chalcedonensis insequitur.

His diebus Maioranus Imp. Caesar augustianus venit. al. Salasfariarius. Solofaciolus. Dagalaipho. al. Leone & Severo Viviano & Basilio.

Patritio & Ricimero Coss. Iuvenalis Hierosolymorum Episc. litteris Leonis Romani antistitis adversum errorem Eutychis, Dioscoriq; armatur.

Magno & Apollonio Coss. Timotheus Episcopus interfector Proterii Episcopi Leonis principis praecepto, vix à sede Alexand. raptus Ecclesiae. Chersona exilio relegatur, & post menses V. eidem Alexandrinae Ecclesiae alius pro eo Timotheus, cognomento Salafatiatus Synodi Chalcedonensis defensor, Episcopus ordinatur.

Gadalayfo & Severino, Leone Aug. II. Viviano V. C. Coss. Carthaginensis Ecclesiae post Capreolum. *Quod vult Deus* Eugenius Episcopus ordinatur.

His Coss. Maioranus Imp. à Ricimero interfectus est.

Maioranus Romae occiditur, & Severus imperium Non. Iul. sumit.

Olybrio & Rustico Coss. Genserico Vandalorum Rex post multarum provinciarum clades, & Christiani apud Africam populi spolia atque neces moritur, anno regni XL. post quem Vgnericus filius eius regnat annos VII. menses V. Huic Vgnericus pater Genserico Valentiniani filiam, quam ex Roma captivam abduxerat, in connubium tradidit.

Hunericus. al. X.

Hermia & Basilisco Coss. Antiochenae Ecclesiae Episcopatum post Maximum suscepit Alexander. Hierosolymitanae verò Ecclesiae post Iuvenalem praeest Anastasius.

His diebus Theodoricus Rex Gothorum à suis gladio interfectus est, & Euricus frater eius Gothorum Rex efficitur, regnat annos XVI. al. Pisseo.

Leone Aug. III. Coss. Vgnericus Vandalorum Rex, Arriano suscitatus furore, Catholicos per Africam plus patre persequitur, Christianorum Ecclesias tollit, & Catholicos Sacerdotes exilio mittit.

Buseo & Ioanne Coss. signum in coelo ex nube, velut conum apparuit, per dies X. Anthemius Romae imperium sumpsit.

Leone IV. & Anthemio II. Coss. Leo Aug. supplicationibus Ægyptiorum permotus, ut Synodus fieret, quae de gestis Synodi Chalcedonensis iudicium ferret, & cognoscendam singulorum fidem, Ecclesiarum praesulibus unicuiq; semotim scripsit, & à singulis epistolas, tanquam ex una collatione, consonas suscepit, id fieri nullatenus posse, sed magis ac magis in sua perpetuitate Synodi gesta Chalcedon. manere. Ex quae ἐγκύκλια Graeco eloquio vocitantur.

Leone & Martiano Coss. Romanæ Ecclesiæ Episcopatum post Leonem Hilarius *Hilarus.* suscepit.

Ioanne & Severo Coss. Leo Aug. Patritium Asparis filium, Cæsarem facit.

Leone Aug. V. & Probino Coss. Aspar & duo filii eius Patritius Cæsar & Ardaburius Constantinopoli, præcepto Leonis, occiduntur. His Coss. Arelatum & Massilia à Gothis occupata sunt.

Leone VI. & Probino Coss. Leo Aug. Leonem nepotem suum, Zenonis uxóris suæ filiæ, filium, Cæsarem facit, & imperat an. 11. Romanæ Ecclesiæ Episcopus post Hilarium Simplicius ordinatur, & post Simplicium Felix.

Constantinopolitanæ Ecclesiæ Gennadius Anatolio succedit in Episcopatu, & Gennadio Acatius.

Antiochenæ Ecclesiæ post Alexandrum Marturius, post Marturium Iulianus *Martyrii.* ordinatur Episcopus. Hierosolymitanæ verò Ecclesiæ Marturi⁹ post Anastasium Episcopus aderat.

His Coss. Olybrius Romam venit, & imperium factione Ricimeri Patritii, regnante Anthemio, sumit, quo agnito, Anthemius in fugam conversus, occisus est, & post certos dies Herculanus, Orestis filius, arripiens imperium, cum patre suo occiditur, & eius regnum nepos assumit.

Leone minore Augusto. Coss. Leo maior Aug. Constantinopoli moritur. Zenon à Leone Aug. F. in Septimo contra consuetudinem coronatur.

Romanorum XLIX. Zenon regnat annis XVII. post consulatum Leonis Iunioris Aug. Zenon Imperator quærens Leonem Aug. proprium filium occidere, & eius imperium pervadere, alium pro eo eius uxor Ariadne Augusta similem puerum ad mortē obtulit, & Leonem eundem Aug. occultè totondit, eumq; clericū unius Ecclesiæ Constantinopolitanæ fecit. Qui Leo usq; ad Iustiniani tempora principis vixit.

Eodem Consulatu Basiliscus cum filio Marco imperium quam tyrannicè Constantinopoli sumit.

Zenon Aug. in Isauriam, unde exortus fuerat, fugit; & eum Ariadne Aug. sub hyemis discrimine navali itinere subsecuta.

His Coss. Basiliscus Tyrannus, lege data, Chalcedonensem Synodum damnari, & Ephesinam II. præcepit absolvi & suscipi.

Timotheus Episcopus, cognomento Hellurus, Proterii successor pariter & peremptor, ab exilio Chersona redit, & fugato alio Timotheo Episcopo, *Salafatiatio*, cognomento, defensore Synodi Chalcedonensis, Alexandrinam Eccl. etiam pervadit. *al. Solafatiario.*

Basilisco Tyranno & Armato Coss. Zenon Aug. vigesimo mense, donato sibi exercitu, Constantinopolim ab Isauria redit, imperium resumit, & Basiliscum cum filiis atq; uxore exilio in *Casenis* Cappadociæ mittit, finemq; vitæ ibi miserè facit, inter hæc *al. Sasenis.* gesta sunt; quia nullus Coss. accessit & Basiliscus Tyrannus à Consulatu recessit.

Post consulatum Armati v. c. Timotheus Hellurus Chalcedonensis Synodi ob- *Additur in alio Armatus praesenti anno consul romanus.* rectator, & Proterii Episcopi interfector, moritur; & Alexandrinæ Ecclesiæ prætulatum alius Timotheus Salafatiarius Chalcedonensis Synodi defensor, resumit. Hierosolymitanæ itaq; Ecclesiæ Salustius Marturio succedit Episcopus, Antiochenæ verò Petrus, cognomēto Fullo, post Iulianū, qui Marturio successerat, ordinatur Episcopus.

Zenone Aug. Coss. Hunericus Vandalorum Rex persecutioni per totam Africam nimis insistens, Tibunnis, Macri & *Nippis*, aliisq; Heremi partibus Catholicos, iam *al. Nippis!* non solum sacerdotes & cuncti ordinis clericos, sed & monachos atq; laicos quatuor circiter millia exiliis durioribus relegat; & Confessores ac Martyres facit, Confessoribusq; linguas abscidit. Quos Confessores, quod linguis abscisis perfecte finem adusq; locuti sunt, urbs regia attestatur, ubi eorum corpora iacent.

Tunc Lætus, *Neptensis* Ecclesiæ Episcopus, glorioso martyrio coronatur III X. Kal. Octob. & Eugenius Episcopus Charthaginensis Ecclesiæ post dira Heremi exilia, *al. Neptensis. Leptensis.* plurimis afflictionibus, pœnisq; clarus habetur.

Hic itaq; Hunericus inter innumerabiles suarum impietatum strages, quas in Catholicos exercebat, octavo regni sui anno, interioribus cunctis effusis, ut Arrius pater eius, miserè finivit vitam, cui succedit Gunthamundus, regnat annis XII. qui nostros protinus de exilio revocavit.

Post consulatum Zenonis III. Timotheus, cognomento Salafatiarius, Synodi Chalcedonensis defensor moritur, & pro eo Alexandrinæ Ecclesiæ Ioannes

Tabennesiota Presbyter & Oeconomus, Synodi Chalcedonien sis defensor, Episc. ordinat. Quem Zenonis præcepto principis Petrus, qui superstite Timotheo Salafatiario Episcopo, ab hæreticis fuerat ordinatus, eiiciens, Alexand. Ecclesiam pervadit, qui confestim, favore Zenonis principis, Synodum Chalcedonien sem de pulpito, corã populis damnat. Nomina Proterii & Salafatiatii de Ecclesiasticis diptychis tollit, & Dioscori, & Helluri, qui Proteriũ interfecit, scribit, corpusq; privati Timothei Salafatiatii de Ecclesia eiiciens, in loco deserto foris civitatem proiecit.

al. præfati.

Tricundio v. c. consule Zenon Imp. Eutychiani poculo erroris sopitus, Acatium Constantinop. Episcopũ, damnatoribus Synodi Chalcedonien sis, Petro Alexandrino & Petro Antiocheno Episcopis, per Henoticum à se prolatum socians, eorum communione polluitur, & cum eis à Catholica fide recedit.

Post consulatum Tricundii v. c. Leontius Tyrannus, Hilli patritii factione, imperium in Isauria cum tyrannide sumit.

Theodorito v. c. Coss. Felix Romanæ Ecclesiæ Præsul monachis & clericis per orientem Ægyptum & Bithyniam commorantibus scribit, ut Petrum Alexandrinũ Episcopum Chalcedonen sis Synodi obtrectatorem, & eius communicatores, tanquam hæreticos, vitent.

His diebus Euricus Rex moritur, & Alaricus filius eius pro eo Rex efficitur, regnat an. XXIII.

Post consulatum Theodoreti v. c. orientales Episcopi, præter paucos, per Henoticum Zenonis, communione atque consensu polluti Petri Alexandrini, Petri Antiocheni & Acatii Constantinop. Episcoporum, Synodo Chalcedonien si renunciant.

Longino v. c. Coss. Acatius Constantinopolit. Episcopus, literis Felicis Rom. Ecclesiæ præsulis admonitus, ut à damnatorum Synodi Chalcedonen sis communione atq; societate abstineat, legatos eius custodiæ mancipat.

Post consulat. Longini v. c. Acatius Constantinop. Petrus Alexandrinus, & Petrus Antiochenus Episcopi, Chalcedonen sis Synodi inimici, à Felice R. E. præsule, & Synodo in Italia facta damnantur, & ipsa damnatio Acatio Constanopolim, legatis missis, per monachos Monasteriorum Achimitensium atq; dii ingeritur.

Acœmetarũ, al. Casiliani, Basiani.

Post conss. II. Longini v. c. consulis corpus S. Barnabæ Apostoli in Cypro, & Evãgelium secundũ Matthæum, eius manu scriptum, ipso eodem revelante inventum est.

al. Leontius, Illus Patritius.

Leontius Tyrannus, & Patritius proditione Castelli capti morte turpissima perunt. Petrus Antiochenus sub damnatione moritur, & in eius loco Calendionem ordinat. Orientales autem Episcopi, tanquam nescientes, Ioannem cognomento Codonatũ eidẽ Antiochenæ Ecclesiæ consecrant Episcopũ, cui Petrus succedit hæreticus.

al. Cãpanetum.

Eusebio v c. Coss. Acatius Constantinop. Episcopus sub damnatione moritur, & pro eo Flavianus Episcopus ordinatur, cui tertio promotionis suæ mense mortuo, Euphemius Synodi Chalcedonen sis decretorum custos, in Episcopatu succedit.

al. Provitus, al. Flavitus.

Post Consulatum Longini v. c. Petrus Alexandrinæ incubator Ecclesiæ, sub damnatione moritur, cuius Episcopatum simul & errorem suscepit Anastasius. Calendio Antiochenus Episcopus reliquias prædecessoris sui Eustachii Episcopi & confessoris ex Philippis populis Macedoniæ colligit, & Antiochiam summo cum honore producit. Hoc tempore Annianus super Euphratem fluvium oratione podagros curat, Auxentius dæmones fugat, Daniel & Anastasius, Vindimiolus, Manasse, Severus & cæteri alii, per diversa eremi loca virtutibus variis, ac præscientia claraverunt.

al. Philippopoli. Heremita.

Olybrio v. c. Coss. Zenon Imp. Constantinop. moritur, anno vitæ suæ XLII. Ariadne Aug. Zenonis relicta, Anastasium Silentiarum Illyricianum, patre Dirrchaceno, matre Arriana, Imperatorem designat, Anastasii autem fide, immo perfidia proculiam patre nota, coactus est, Euphemio Constantinop. Episcopo insistente, scripto promittere, nihil sinistrum contra Apostolicam fidem & Synodum Chalcedonen sem agere, Chirographum Euphemius Episcopus suscipit, & in Archivo Ecclesiæ reponit.

al. Patrenota. fort. pal. sim nota.

Romanorum L. regnat Anastasius annis XXVII. qui imperium sumens, violenter Chirographum suum ab Euphemio Episc. recolligit, & adversus Synodi Chalced. defensores Episcopos atrociter sævit, inter quos, mortuo Petro Antiocheno Episcopo, qui Calendione, Synodi Chalcedonen sis, defensore superstite, fuerat ab hæreticis Zenonis temporibus Principis, ordinatus, sententiam mutat in peius, ut Calendio quidem de malis ad peiora ducatur, & pro eo Palladius ordinetur.

Anastasio & Rufo Coss. Rom. Ecclesiæ Felici succedit Gelasius, & Gelasio Anastasius. Alexandrinæ verò Athanasius præerat hæreticus, Antiochenæ etiam Ecclesiæ Palladius, Calendione superstite factus, & Hierosolymorum Salustius, Euphemio Constantinop. Episcopus, Anastasii Imperatoris calliditate prævisa, Synodum congregat, Chalcedonen sis Synodi decreta confirmat.

Asterio & Præsidio Coss. Ioannes Episcopus Alexandrinus, à Romana Ecclesia ...iens, Anastasio Imp. supplicat, ut eum throno suo, pro antiqua amicitia, reddat, ...hoc pro defensione Chalcedonensis Synodi, dum non impetrat, Romam furtim, ...de venerat, remeavit. *His Coss. Sacri in Hispaniis ingressi.*

Victore v. c. Coss. Bellum Isauricum exardescit. Athenodorus & Longinus tyranni occiduntur. Athanasio Alexandrino mortuo, Ioannes cognomento *Hemula*, succedit, quo occumbente post paucos dies, ei Ioannes alius, cognomento Niceta, succedit Episcopus. *al. Mala.*

Paulo v. c. Coss. Anastasius Imp. hæreticorum Synodum faciens Henoticum Zenonis confirmat, & Euphemium Episcopū Cōstantinop. Chalcedonensis Synodi defensorem deponit, quem *Euchaida*, in exilium mittens, pro eo Macedonium facit. *His Coss. Burdimelus in Hispania tyrannidem assumit.*

Anastasio Aug. Coss. Macedonius Constantinopol. Episcopus Synodo facta, condemnat eos, qui Chalcedonensis decreta Synodi suscipiunt, & eos, qui Nestorii & Eutychis defendunt. *al. Encadii. His Coss. Gothi intra Hispanias sedes acceperunt, & Burdimelus à suis traditus & Tolosam directus in turri anso impositus igne crematus est.*

Anastasio Romano Episcopo mortuo succedit Symmachus, & ex alia parte Laurentius ordinatur qui dum Nuceriæ civitatis Episcopus nollet esse, *contentus*, Synodo Romæ facta, à cœtu est sacerdotali proiectus. *al. contemptus.*

Palladius Antiochenus moritur, & pro eo Flavianus ordinatur Episcopus. Alexandrinæ Ecclesiæ Ioannes, cognomento Niceta, adhuc præsidebat. Hierosolymæ verò post Salustium Helias suscepit præsulatum.

Gunthamundo Vandalorum rege Charthagine mortuo, Trasamundus regnat annis XXVII. men. IV. & hic Arriana insania plenus, Catholicos insectatur, Catholicorum Ecclesias claudit, & in Sardiniam exilio ex omni Africana Ecclesia CXX. Episcopos mittit.

Eo tempore Fulgentius, Ruspensis civitatis Episcopus, in nostro dogmate claruit.

Ioanne Scytha & Paulo Coss. Olympius quidam Arrianus in balneis, quæ Heliana vocantur apud regiam urbem, sanctam & consubstantialem Trinitatem blasphemans tribus *ignis ictibus*, angelo ministrante invisibiliter, in piscinā frigidæ aquæ *perfusus*, vitam impie, simulq; prodigiose finivit. *al. igneis ictibus. al. percussus.*

Gibbo v. c. Coss. Anastasius Imp. Flaviano Antiocheno & Philoxeno Hierapolitano præsulibus, Constantinopolim Synodum congregat, & contra Diodorum Tarsensem, Theodorum Mopsuestenum cum scriptis, Theodoritum Cyri, Ibam Edessenum, Andream, Eucherium, Quirum & Ioannem Episcopos, cæterosque alios, qui in Christo duas prædicabant naturas, duasq; formas, & qui non confiterentur unum de Trinitate crucifixum, una cum Leone Episcopo Rom. & eius tomo, atque Chalcedonensi Synodo inferre Anathema persuasit.

Patritio & Hypatio Coss. Barbas quidam Arriani erroris Episcopus, dum præsumit contra regulam supra baptizandum dicere, baptizatte Barbas in nomine patris, per filium, in spiritu sancto, protin⁹ aqua, ex qua futurus erat baptizare hominem, nusquā comparuit, vas verò ipsum, in quo aqua erat, confractum est. Quod considerans, qui baptizandus erat, protinus ad Catholicum currit, & Baptismum regulariter sumit. *al. Palatino. His consul. Cæsaraug. circus expiatus est.*

Abieno & Pompeio Coss. Anastasius Imp. Macedonium Constantinopolitanum Episcopum cum quibusdā clericis, nolentem Synodi Chalcedonensis decreta damnare, ab Ecclesia rapit & in exilium mittit, atq; pro eo Timotheum Presbyterū Episcopū facit, qui continuo damnatores Synodi Chalcedonensis in communionem suscepit. *His Coss. Dortosa à Gothis ingressa est, Dertyrannus interfectus est & caput eius Cæsaraugustam deportatum est.*

Abieno Iuniore Coss. ingens terræ motus, cum corruscationibus & tonitruis magnis, atq; grandine & totius cœli ac terræ commotione factus est.

Cethego v. c. Coss. Flavianus Antiochenus Episcopus sera pœnitentia Anastasiū Imperatorem deserit, & in possessione Platani vocabulo, relicto throno suo, recedit. Hinc Anastasius Imperator Severum Chalcedonensis Synodi inimicum subrogat, Ecclesiæ orientis scandala magna ministrat. *His diebus pugna Gothorum & Francorum Boglodoreta. Alaricus Rex in prælio à Francis interfectus est. Regnum Tolosanum destruitur est.*

Theodoro v. c. Coss. Eugenius Carthaginensis Episcopus confessor moritur. Iustus Boſtrenus, & Ioannes Paltensis Episcopi ab Ecclesiis ultro recedunt, & alii eis subrogantur.

Mesala v. c. Coss. Constantinopoli, iubente Anastasio Imp. sancta Euangelia, tam ab idiotis Euangelistis composita, reprehenduntur & emendantur.

Venantio & Celere Coss. populos Alexandrinos, & totius Ægypti, simul pusillos magnos, liberos ac servos, clericos atq; monachos, præter peregrinos, immundi spiritus occupant, & humana locutione privati, latrare cunctis diebus ac noctibus, ut ca-

nes, cœperunt, ita ut vinculis ferreis vincti ad Ecclesias postea, ut sanitate percipierent, traherentur. Comedebant enim suas manus, simulq; & brachia pariter omnes.

His evenientibus, Angelus in viri specie quibusdam ex populo apparuit dicens, hoc eis, pro eo, quod Anathema Synodo Chalcedonensi dederint, evenisse, comminatus deinceps nihil eos tale aliquid præsumere.

Venantio Iuniore v.c. Coss. Cannades, Rex Persarum, *Zumdaber* castellum plurimis thesauris ab initio suæ conditionis plenum, & Dæmonum *leonibus*, mancipatum custodiaq; munitum, ubi nullus unquam ingredi potuit, *Christianorum* orationibus capit, & ingressus universos ex eo thesauros tulit.

al. Leonis. al. Sacerdotum.

Importuno Iuniore v. c. Coss. Helias Episcopus Hierosolymitanus Synodi Chalcedonensis defensor, nolens Severum Antiochenum, Apostolicæ fidei inimicum, in communionem, præcipiente Anastasio Imp. suscipere, exilio *Paraxenensi* castello traditur, & pro eo Ioannes, *crucis* custos Episcopus ordinatur, qui confestim & Severũ Antiochenum in communionem suscepit, & Synodum Chalcedonensem damnavit.

al. Paraxenensi.

His Coss. Gesalecus Gosrici cum Barcinone in palatio interfecit quo anno idem Gesalecus ab Helbane Theoderici Italiæ Regis duce, ab Hispania fugatus Africam petit. Hyppathiũ. XL. & V.

Boetio v. c. Coss. Vitalianus Comes patricioli F. fidei Catholicæ subversionem & Synodi Chalcedonensis damnationem, remotionesq; orthodoxorum Episcoporũ atq; successiones hæreticorum cognoscens, virorum fortium validam manum congregat, & Anastasii imperio repellat.

Felice v. c. Coss. Vitalianus Comes, *in patritium* nepotem Anastasii principis, magistrũ Romanæ militiæ, cõgressione facta, LXVII. viris ex militia Romana peremptis, vivũ capit, & vinculis æreis vinctũ, in custodiã caveæ ferreę trudit, & postea distrahit.

Hic Barbarus sapientia Catholica vigebat. al. Marinus.

Paulo & Muschiano Coss. Alamundarus Sarracenorum Rex, à defensoribus Synodi Chalcedonensis baptizatus, Theopaschitas Episcopos, à Severo Antiocheno Episcopo ad se, cum litteris missos, barbaram mirabiliter propositionem concludens, atq; superans, DEVM immortalem ostendit.

His Coss. Gesalecus de Africa rediens ob metum Helbanis Aquitaniã petit, ibiq; latuit annum unum.

Probo v. c. Coss. Anastasii Imp. præcepto, Plato civitatis præfectus & *Maximus* pulpitum Ecclesiæ S. Theodori ascendentes, & hymno, quem Græci trisagion dicunt, ὁ σταυρωθεὶς ὑπὲρ ἡμῶν, noviter apponentes, dum per forum Constantini id psallentes, ad maiorem Ecclesiam pergunt, nubes ex improviso cinerem super eos pro pluvia emiserunt, totamq; civitatem atq; provinciam contexuerunt. Pro qua novitate Constantinopolitanæ multa mala obvenerunt civitati, tiultiq; malè sunt interemti, Prasinorum siquidem simulq; & Venetorum turbæ adversum Anastasium Imperatorem unitæ, inter mille iniurias atq; mala incendium in urbem miserunt, combustaq; est civitas ἀπὸ τῆς χαλκῆς quod vocant, usque ad Constantini forum supra longitudinem plateæ columnarum XCIV.

Post Marriũ Theodoricus Italiæ Rex Gothorum regis in Hispan. x v. Amalaricì parvuli tutelam gerens.

Senatore v. c. Coss. Vitalianus comes cum manu valida Barbarorum Constantinopolim veniens, in Sosthene sedit, qui non aliter postulatus, pacem Anastasio Imp. promittit, nisi prius defensores Synodi Chalcedonensis relegatos exilio, sedibus propriis reddat, & Romanæ Ecclesiæ cunctas orientis Ecclesias uniat.

al. Hunni:

Florentio v.c. Coss. Vgni Armeniam, Cappadociam & Galatiam, Pontumque atrocitèr vexavêre; Eo tempore Euphemius Constantinopolitanus Episcopus apud Ancyram Galatiæ, & Ariadne Augusta in regia urbe de hac vita transiere.

Petro v. c. Coss. universi Archimandritæ & monachi Heremi, trans palæstinam & Iordanem fluvium, Anastasio Imp. scribunt pro statu Chalcedonensis Synodi, & adversum impietates Severi Antiocheni Episcopi.

Agapito v. c. Coss. Ioannes Alexandrinus Episcopus moritur, & pro eo Dioscorus ordinatur. Timotheus Constantinopolitanus Episcopus obtrectator Synodi Chalcedonensis. V. die mensis Aprilis occubuit, & Ioanni Cappadoci Syncello proprio atq; Presbytero Episcopatum tradidit. Hunc Anastasius ante ordinationem suam, ut Synodum Chalcedonensem prædamnaret, coegit.

Agapito II. Magno Coss. Anastasius Imp. intra palatium suum tonitruorum terrore fugatus, & corruscationis iaculo percussus, in cubiculo, quo absconsus fuerat, moritur, & cum ignominia, absq; consuetis exequiis, ad tumulum ducitur, anno vitæ suæ XXCIIX.

Romanorum LI. Iustinus regnat annis IIX. men. IX.

Illyricianus Catholicus, Synodi Chalcedonensis amator, simulq; defensor, cui coniunx Lupicina nomine dicebatur, quam Constantinop. Euphemiam postea vocarunt, cui nepos Iustinianus vocabulo fuit, *Candidati* militia functus.

Candidati.

Iustino Aug. & Heraclio Coss. Amantius Præpositus seditiones in populo sus-

tans, Imperator alius postulatur, qui Iustini præcepto principis una cum Andrea cubiculario occiditur, & in Rheuma iactatur.

Rustitione v. c. Coss. Ioannes, qui ante Iustinum ad imperiū erat electus, Heraclīæ Thraciæ Episcopus ordinatur, & Iustinianus nepos *Iustini* Aug. ex candidato Magister militum ordinarius constituitur.

Valerio & Iustiniano Coss. Alexandrinæ Ecclesiæ Dioscoro Episcopo mortuo, Timotheus succedit. Antiochenæ verò Ecclesiæ Severus princeps hæres fuit, & Hierosolymitanæ Ecclesiæ Ioannes.

Iustinus Imp. orientales, præter parvos Pontifices, Acatium quondam Constantinopolitanum, Petrum Antiochenum, & Petrum Alexandrinum Episcopos pristino errore implicitos, occideralibus Antistitibus sub digna satisfactione coniungit, redivivaq; facit Synodi Chalcedonensis decreta, Zenonis & Anastasii principum temporibus abdicata.

Symmacho & Doctio Coss. Vitalianus, Sacramento susceptο, Constantinopolim redit, quem Iustinus Aug. gratè susciplens, magistrum militum facit & consulatum *dari* permittit. *al. dare.*

Maximo v. c. Coss. Trasamundus Vandalorum Rex Carthagine moritur, cuius uxor Amalafrida fugiens ad barbaros, congressione facta, Capsæ, iuxta Heremum capitur, & in custodia privata moritur.

Hilderix, qui ex Valentiniani Imp. filia à Giserico captivata, & Vgnerico iuncta, natus est, regnavit annis VII. Mens. III. Hic ergo Sacramento à decessore suo Trasamundo obstrictus, ne Catholicis in regno suo aut Ecclesias aperiret, aut privilegia restitueret, priusquam regnaret, ne Sacramenti terminos præteriret, præcipit & Sacerdotes Catholicos ab exilio redire, Ecclesias aperire, & Bonifacium cum dogmatibus divinis satis strenuum, ad postulationem totius urbis Carthaginensis, Ecclesiæ Episcopum consecravit.

Vitalianus Constantinopoli intra palatium, loco quem Delphicum Græco vocabulo dicunt. Iustiniani patritii factione, dicitur interfectus fuisse.

Iustino Aug. & Apione Coss. Romanæ Ecclesiæ in Episcopatu, mortuo Symmacho, succedit Hormisda. Alexand. Ecclesiæ adhuc Timotheus superfuit. Antiochenæ Ecclesiæ Severus Chalcedonensis Synodi obtrectator, cum à Iustino Imp. quæreretur ad pœnas, fugit; & in eius loco substituitur Paulus. Hierosolymitanæ Ecclesiæ Ioannes præfuit: Constantinop. verò Ecclesiæ Ioanni Epiphanius succedit Episcopus. *His consulibus Amalaricus Gothorum Rex efficitur, regnat an. v.*

Post consulatum II. Iustini & Apionis, Iustinus Aug. Iustinianum nepotem suum, ad senatorum supplicationem, invitus Cæsarem facit.

Philoxeno & Probo & Marbotio Coss. Iustinus Imp. moritur. *Marcellin.*

Romanorum LII. Iustinianus regnat annis XXXIX. Mens. VII. huic erat uxor vocabulo Theodora.

Iustiniano Aug. Coss. Orientales Ecclesiæ, eiusdem principis iussione, quatuor Synodos, Constantinop. Ephesinam I. & Chalcedonensem atque sanctorum CL. patrum fidem, præsentibus sacrificiis, publica voce susciplunt recitari.

Decio v. c. Coss. Theodoræ Augustæ factio unum de Trinitate passum non asseriens secundum quid, sed absolutè susciplendum cunctis generali lege imponit, & à clericis atque monachis subscriptiones violenter exegit. Qua de causa plurimi sé ab Ecclesia subtraxerunt, & monachi à propriis monasteriis recesserunt, asserentes, sufficere sibi fidem eorum, qui in prædictas quatuor Synodos convenerunt. *Hic dicitur Stephanus Hispaniarum præfectus efficitur, qui tertio anno præfecturæ suæ in civitate Corum tensi in cubiculi discessu est.*

Lampadio & Oreste Coss. Hypatius Anastasii principis nepos, tyrannidem Constantinopoli assumens, multis hominū millibus, in Circensi spectaculo, militari gladio cæsus, capitur, & nocte cum Pompeio occiditur, atq; in Rheuma iactatur.

Post consulatum Lampadii & Orestis, Geilimer apud Africam regnum cum tyrannide sumit, & Carthaginem ingressus Hildericum regno privat, & cum filiis custodiæ mancipat, atq; Oamer, Dignum, multosq; nobiliū perimit. Post consulatum Lampadii & Orestis, anno tertio, Belisarius Magister Romanæ militiæ duobus superatus præliis Thracium, mirabiliter Persicum prælium superavit.

Iustiniano Aug. III. Col. Geilimer Tyrannus multos nobilium Africæ provincię crudeliter extinguit, multorumq; substantias per Bonifacium tollit.

Iustiniano IV. Coss. Iustinianus Imp. visitatione Læti Episcopi, ab Hunerico Vandalorum Rege Martyre facti, exercitum in Africam Belisario Magistro militum Ducę, contra Vandalos mittit, quos idem Belisarius prælio superatis, Gumithimer, & Ge-

bamundum, Gardingos Regis fratres perimit, ipsoq; *Gelimer* Rege in fugam converso Africam capit, nonagesimo septimo Vandalorum ingressionis anno, in ipso etiam Belisarii ingressu, priusquam congressio fieret, Geilimer Tyrannus Hildericum Regem, cum quibusdam generis eius affinibus, occidit.

Belisarius Magister militum ac Patritius Geilimer Tyrannū capit, & eum cum divitiis ex rapinis Africæ conquisitis, Constantinopolim Iustiniano Imperatori adducit.

Belisario v.c. Cos. Reparatus Charthaginensis Ecclesiæ Episcopatū post Bonifacium suscipit. Hierosolymitanæ verò Ecclesiæ præsulatum Petrus, Ioanne mortuo, suscipit.

Post Consulatum Belisarii, anno secundo, Iustinianus Imp. libros de Incarnatione Dominica edidit, & Illyricianos Episcopos ad subscribendum coegit.

Post consulatum Belisarii v. c. an. III. Epiphanio Episcopo Constantinop. Ecclesiæ mortuo, qui Ioanni successerat, Anthemius Episcopus Eutychianus Trabezontensis, factione Theodoræ Aug. Constantinopolitanam pervadit Ecclesiam.

Ioanne v. c. Cos. Romanæ Ecclesiæ post Ormisdam Ioannes, post Ioannem Felix, post Felicem Bonifacius, post Bonifacium alius Ioannes, & post Ioannem Agapitus Episcopus ordinatur.

Alexandrinæ Ecclesiæ, Timotheo mortuo, qui Dioscoro mitiori successerat, duo, populi electione, perversi ordinantur uno die Episcopi, Theodosius scilicet & Gaianus. Quib' ordinatis, Alexandria in utrisq; est Christi inimicis divisa. A Theodosio etenim Theodosiani, & à Gaiano Gaianitæ voluerunt appellari, quamvis æqualiter Synodū Chalcedonensē non suscipiant, & errores Eutychetis ac Dioscori proprios faciant.

Apione v.c. Cos. Severus Antiochenus hæresis princeps, à quo Severiani vocantur, & Iulianus Halicarnasiensis Episcopi, Apostolicæ fidei & Chalcedonensis Synodi impugnatores, exilio Alexandriam, Iustiniani principis iussione, mittuntur, ubi adversus sequaces Chalcedonensis Synodi scribentes, ex duabus unam in Christo naturam esse dixerunt, quam dudum Severus corruptam, & Iulianus astruit incorruptam: Alexandria, Ægyptus & Libya in utrisq; est Christi inimicis divisa. Theodosiani enim Severum & Gaianitæ Iulianum secuti sunt. Sed à Theodosianis aliæ duæ Hæreses exiterunt, una Agnoitarum, & altera Tritheitarum: Agnoitæ siquidem perversitati, à qua exierunt, id adiiciunt, quod Christi divinitas ignoret futura, quæ sunt scripta de die & hora novissima. Tritheitæ verò, sicut tres personas in Trinitate, ita quoq; tres adstruunt Deos esse, contra illud quod scriptum est, *Audi Israel Dominus Deus tuus unus est*: & rursum, *Nullus Deus nisi unus. &, Ego sum Deus, & non est alius præter me.*

Iustino v.c. Cos. Agapitus Archiepiscopus Romanus Constantinopolim venit, & Anthemium Episcopum Constantinopolitanum, Ecclesiæ perversorem, Chalcedonensis Synodi inimicum, deponit. Theodoram Aug. eius patronam, cōmunione privat, & Mennam protinus Constantinopolitanæ Ecclesiæ Episcopum facit.

al. Eugal. al. Paulus pro eis Tabennesiotarum monachorū à defensoribus Synodi Chalced. ordinatur Episc. Qui Dioscori, &c.

Theodosius & Gaianus Alexandrini Episcopi cum suo errore damnati, exilio transportantur. Sed Theodosius Constantinopoli Sugas relegatus, totum pæne palatium, & maximam regiæ urbis partem sua perfidia maculavit. Quæ occasio cunctis pæne hæresibus licentiam tribuit, ita ut non solum Theodosianitæ, sed & Gaianitæ mōnasteria atq; oratoria apud urbem regiam construxissent. Vixit enim Theodosius prædictus hæreticus usq; ad primum Iustini Iunioris Augusti consulatum.

Eo anno, Paulo Antiocheno Episcopo superstite, subrogatur Eutrasius.

Hoc anno Francorū Reges numero v. per Pampelonā Hispaniæ ingressi Cæsaraugustā venerunt, quā obsessam per tres dies omnē seu Tarrachonensem provinciam depopulatione contriverūt. His diebus inguinalis plaga totam pene contrivit Hispaniam.

Basilio v.c. Cos. Agapito Archiepiscopo Romano Constantinopoli mortuo, Sylverius pro eo Episcopus ordinatur. Alexandrinæ verò Ecclesiæ, Theodosio atq; Gaiano exulatis, Paulus prior pro eis Tabennesiotarum Dioscori hæretici prædecessoris sui depositionem celebrans, Palæstino concilio deponitur, & pro eo Zoilus ordinatur Episcopus.

Consulatū præfato, Stuzas apud Africam, regnum in Heremi partibus cum tyrannide assumit.

Post consulatum Basilii v. c. anno secundo, Theodoræ factione Augustæ, quæ occulta esse Synodi Chalcedonensis nunquam destitit inimica, ex quo regnare cœpit, proscriptionum insidiæ præparantur. Sylverius Rom. Episcopus exilio mittitur, & pro eo Vigilius ordinatur, à quo Theodora memorata Aug. priusquam ordinaretur, occulto chirographo elicuit, ut Papa effectus, in proscriptione Synodi Chalcedonensis tria capitula condemnaret, id est, epistolam Ibæ Edesseni Episcopi ad Marim Persam, quæ iudicio Synodi Chalcedonensis approbata, & orthodoxa iudicata est, & gestis synodalibus sociata, Theodorum dein Mopsuestenum Episcopum, synodaliter similiter gestis, apud Antiochiam, sub Ioanne Episcopo, eiusdem Ecclesiæ & Chalcedone lau-

datum, & Theodoreti Cyri Episcopi dicta, cum eodem Theodoreto Synodi Chalcedonensis vocibus collaudara. Hic itaque Papa effectus ab Antoniana patritia Belisarii patritii uxore, compellitur, ut Theodosio Alexandrino, Anthemio Constantinop. & Severo Antiocheno iam pridem ab Apostolica sede damnatis, tanquam Catholicis scriberet, & ita de fide, quemadmodum & illi, sentiret, cuius Epistolæ illius tenor ita se habere probatur. *Dominis & in Christi Dei salvatoris nostri charitate cunctis fratribus Theodosio, Anthemio & Severo Episcopis, Vigilius Episcopus. Scio quidem, quæ ad sanctitatem vestram antè fidei meæ credulitas, Deo iuvante pervenit, sed quia modo gloriosa Domina & filia mea Patritia & Christianissima, desideria mea facit impleri, ut fraternitati vestræ præsentia scripta transmitterem, Salutans ergo gratia, qua nos in Christo D. N. Salvatore cuncti magnificamur, eam fidem, quã tenetis, Deo iubente, & tenuisse me, & tenere significo, scientes illud inter nos, quod prædicamus & legimus, quia anima una & cor nobis sit unum in Deo, profectus mei, qui est vester, Deo iuvante, nunciare vobis gaudia maturavi ex meo animo fraternitatem vestram, quæ optat, libenter amplectitur. Oportet ergo, ut hæc, quæ vobis scribo, nullus agnoscat, sed magis, tanquam suspectum, me sapientia vestra ante alios æstimet se habere, ut facilius possit* DEVS, *quæ cœpit operari, perficere.* Et subscripsit, *Orate pro me Domini mei fratres in Christi* DEI *nostri Salvatoris charitate conservi.* Horum exordia malorum generalis orbis terrarum mortalitas sequitur, & inguinum percussione melior pars populorum voratur. *Tiudi mortuo Teodi filii Gothos regit annos I. M. VII.*

Post cons. Basilii V. C. anno III. Stuzas tyrannus gentium multitudine ordinata, Salomoni magistro militiæ ac patritio Africæ, Ducique Romanæ militiæ, Ducib⁹ Cilio occurrit. Vbi congressione facta peccatis Africæ Romanæ Reipub. militia superatur. Salomon utriusque.....

Post consulatum Basilii v. c. an. IV. Iustinianus Imp. Acephalorum subreptionibus instigatus, Vigilium Romanum Episcopum subtiliter compellit, ut ad Vrbem regiam properaret, & sub specie congregationis eorũ, qui ab Ecclesiæ sunt societate diviſi, tria capitula condemnaret. *Theodi filio mortuo Agila Gothos regit annos 5. M. VI.*

Hierosolymitanæ Ecclesiæ præsulatum post Petrum Macarius suscipit.

Post consulatum Basilii v. c. an. V. Stuza tyrannus apud Africam portu Tacea, congressione facta, Ioannis Rom. militiæ Ducis iaculo percussus est, pariq; vice & Ioannes Stuzæ, qui confestim alterutro utriq; gladio ceciderunt, & Dominico die, quo pugna facta est, moriuntur.

Post consulatum Basilii v. c. an. VI. Ferrandus Charthaginis Ecclesiæ Diaconus clarus habetur.

Guntharith Magister militum Ariobindam patritium, principemq; Romanæ apud Africam militiæ, eo tempore ab Imp. missum, Carthagine infra Palatium nocte perimit, & regnum cum tyrannide assumit. Hunc Carthaginis Dux Artabanus trigesimo sexto regni sui die prandentem interfecit.

Post consulatum Basilii v. c. an. IIX. Iustinianus Imp. per diversas provincias in regni sui finibus constituras, instantissimè scribit, & Antistites cunctos præfata tria capitula damnare compellit. Euphemio Antiocheno Episcopo succedit Domnus.

Post consulatum Basilii v. c. an. IX. Illyriciana Synodus in defensione III. capitum, Iustiniano Aug. scribit, & Benenatum primæ Iustinianæ civitatis Episcopum, obtrectatorem eorundem trium capitum condemnat.

Theodora Augusta Chalced. Synodi inimica, cancri plaga corpore toto perfusa, vitam prodigiosè finivit.

Post Cos. Basilii v. c. an. X. Africani Antistites Vigilium Rom. Episcopum damnatorem trium capitulorum synodaliter à Catholica communione, reservato ei pœnitentiæ loco, reclũdunt, & pro defensione memoratorum III. capitulorum literas sapidoneas Iustiniano principi, per Olympium Magistrianum, mittunt. Eo tempore *Isid. lib. de script. Eccles.* VII. libri Facundi Hermianensis Ecclesiæ Episcopi refulsere, quibus evidentissimè de- *ponit XII. libros Facundi.* claravit, tria sæpe fata capitula, in proscriptione fidei Catholicæ & Apostolicæ Chalcedonensis concilii fuisse damnata.

Post consulatum Basilii v. c. an. XI. Reparatus Archiepiscopus Charthaginen. Ecclesiæ, Firmus, Numidarum Episcoporum primates, & Primasius & Verecundus Concilii Binzantenei Episcopi, pro fidei causa, ad urbem regiam, eiusdem præcepto Principis, evocantur. Apollinarius Zoilo tria memorata capitula damnare nolenti Episcopus Alex. Ecclesiæ subrogatur. Agilam mortuo, Athanagildus, qui dudum tyrannidem assumpserat, Gothorum Rex efficitur. Regn. ann. XV.

Post consulatum Basilii v. c. an. XII. Reparatus Archiepiscopus plurimis calu-

mniis imperitus, pro eo, quod damnationi trium capitulorum memoratorum assensum non præbuit, officio sumptibusq; privatus, Encayda exilio relegatur, & Primosus Diaconus apocrisarius eius, postquam damnavit, quæ sunt synodaliter atq; universaliter defensata, eo superstite, contra vota cleri simulq; & populi, Episcopus Carthaginensis Ecclesiæ ordinatur.

Firmus concilii Numidiæ Primas, donis principis corruptus, damnationi eorundem Capitulorum assensum præbuit, sed ad propria remeans in navi, morte turpissima periit. Primasius quoq; Aquimetensis Monasterio relegatus; sed Boetio Primate Byzanceni concilii morte prævento, ut ei succederet, memoratæ damnationi protin⁹ assensit, reversusq; ad sua, quæ prius defendebat, validissimis persecutionibus impugnavit, fidelibusq; calumnias generando, eorumq; substantias auferendo. sed in quibus peccavit, latere non potuit, siquidem à Catholicis sui Concilii Antistitibus prò suis prævaricationibus comdemnatus infelici morte extinguitur, & quæ conquisierat fraude, fideliter à iudicibus auferuntur. Verecundus verò Ecclesiæ Nicensis Episcopus, in defensione memoratorum perdurans capitulorum, Chalcedone urbe refugiū fecerat; in diversorio gloriosæ matris Euphemiæ de hac vita migravit ad Dominum. Macarius Hierosolymitanus Episcopus eiicitur, & eo superstite Eustochius ordinatur.

Post consulatum Basilii v. c. an. XIII. Constantinopolim Synodus Iustiniani principis præcepto colligitur, cui Præsules Sedium aderant, Vigilius Rom. Episcopus, superstite Sylverio ordinatur, Apollinarius Alexandrinus, Zoilo vivente, promotus; Antiochenus Domnus; Eustachius, Macario remoto Hierosolymitano Episcopo, Episcopus factus, & Eutychius Constantinopolitanus, qui Mennæ fuerat subrogatus. Ibi tria sæpe fata Capitula, cum defendentibus ea, damnationi subiiciunt, sibiq; ipsis pœnitentiæ regressum pœnaliter intercludunt, tali se perpetuo anathemate obstringentes, si aliquando absolvere tentaverint, quæ damnationis sententiæ subdiderunt. Quorum decretis Rusticus Romanæ Ecclesiæ Diaconus, & Felix Gillensis Monasterii provinciæ Africanæ Hegumenus contradicentes scripto, Thebaida in exilium cum suis sociis transmittuntur. His itaque gestis, terræmotus urbem regiam à fundamentis concutiens, ædificia plurima, porticusq; deiecit, & Basilicis consistentibus altaria penè cuncta prostravit.

Post Cos. Basilii v. c. an. XIV. Frontinus Episcopus ad urbem regiam evocatus, pro defensione III. eorundem capitulorum Antinoensi primæ Thebaidæ civitatis exilio deputatur, & pro eo ab hæreticis Petrus Salonensi Ecclesiæ ordinatur.

Proconsularis concilii provinciæ Africanæ Sacerdotes Rufini & Vini Episcoporū, Reparati Archiepiscopi obtrectatorū arte delusi, tanquam defensoribus fidei occurrunt, & Primosi prævaricatoris, Carthaginis Ecclesiæ communione, præter paucissimos, polluuntur.

Dacius Mediolanensis Episcopus Constantinopolim venit, & damnationi eorundem III. capitulorum consentiens, eo die percussus occubuit.

Narses Eunuchus ex præpositō Patritius, Totilam Gothorum Regem prælio apud Italiam mirabiliter superat ac perimit, & omnes eius divitias tollit.

Post Cos. Basilii v. c. XV. an. concilii Numidiæ Episcopi ad instar proconsularis Sacerdotum collecti, Charthaginem veniunt, & Primosi eiusdem Ecclesiæ incubatoris communioni polluti, prævaricatoresq; effecti, ad propria redeunt.

Victor Tunnunensis Ecclesia Episcop⁹, huius auctor operis, post custodias, simulq; & plagas, quas in Sala est Valericis perpessus, nec non in Monasterio de Mandra cum primo, ac secundo exilio Egi Mauritaniæ insulæ, tertio Alexandrinæ, unà cum Theodoro Cebarsusitanæ Ecclesiæ Episcopo, præfatorū trium capitulorū defensione, exilio mittitur, & carceris castelli Diocletiani post Prætorianum carcerem truditur. Alexandria.

Antiochensis Anastasius Domno succedit Episcopus.

Post cons. Basilii v. c. an. XVI. Primosus, Charthagine, incubator Ecclesiæ, sibi nolentes assensum prębere, nunc fustibus, nunc custodibus, nunc quoq; exiliis affligit.

Victor & Theodorus antefati Episcopi Africani de carcere eiiciuntur, & post disputationes in prætorio continuas dierū XV. ad aliam custodiā monasterii Tabennensiorum, quod est apud Canopum, XII. Mil. procul ab urbe Alexandria, mittuntur.

Post Cos. Basilii v. c. an. XVII. Vigilius Romanus Episcopus, postquā prevaricat⁹ est sub excōmunicatione totius Africanæ Ecc. Pontificum, in insula Sicilia moritur.

Eo tempore Felix Hegumenus Monasterii Gillitani, exilio apud Sinopem de hac vita migravit ad Dominum.

Post Cons. Basilii v. c. anno XIIX. Pelagius Romā: Archidiaconus II.

præfatorum defensor capitulorum, Iustiniani principis persuasione de exilio redit, & condemnans ea, quæ dudum constantissimè defendebat, Romanæ Ecclesiæ Episcopus à prævaricatoribus ordinatur, qui præfuit annis V.

Post Coss. Basilii v.c. an. XIX. illyriciani Episcopi, præter parva monasteria, parvosq; fideles, persecutiones passi, consentiunt, pristinam fidem in irritum deducentes.

Eo tempore Vgni Armeniam gravissimè vexaverunt.

Post Cons. Basilii v.c. an. XX. Bulgares Thraciam invadunt, & usq; ad Sucas Cõstantinopolim veniunt, Sergium patritium, qui dudum Africanæ fuerat Dux militiæ, capiunt, simulq; & distrahunt, sed Patritii Belisarii armis fortiter debellati, pariterque fugati Danubium transierunt.

Post Cos. Basilii v.c. an. XXI. corpus S. Antonii Heremitæ repertum cum maximo honore Alexandriam perducitur, & in Basilica S. Ioannis Baptistæ honorificè collocatur.

Post. Cos. Basilii v.c. an. XXII. Frontinianus Salonensis Episcopus de exilio *Anazinensi* Ancyram Galatiæ translatus, Petrus eius incubator Ecclesiæ moritur, & pro eo Prodromus substituitur. *Supra Frontinianus.*

Post consulatum Basilii v.c. an. *XXIII.* Reparatus Archiepiscopus Charthaginensis Ecclesiæ exilio apud Euchaidam, gloriosa confessione, transit ad Dominum, die *VII. Idus* Ianuarii.

Eo anno Iustinianus Princeps, legatos gentis Abarorum, unde venerant, facit. *Abbarorum.*

Anno *XXXVII.* imperii, præfati principis Iustiniani, Pelagius Romanus Episcopus ordinatur, præfuit annis *XI.*

Eustochius Hierosolym. Episcopus, qui fuerat, Macario superstite, ordinatus, ejicitur, & rursum Macarius reformatur.

Anno *XXXIIX.* Imp. eiusdem Musicus, Brumasius, Donatus, & Chrisonius Episcopi de Africa, & Victor ac Theodorus Episcopus similiter ex Ægypto, ad urbem regiam Imperiali præcepto evocantur. Qui dum eidem Iustiniano Principi præsentes præsenti, & postea Eutychio regiæ urbis Episcopo altercanti, novæ superstitioni resistunt, ab invicem segregati, per Monasteria eiusdem urbis custodiæ mittuntur.

Anno *XXXIX.* Imperii sui Iustinianus Eutychium Constantinopolitanum Episcopum damnatorem trium capitalorum & Evagrii Heremitæ Diaconi, ac Didymi monachi & Confessoris Alexandrini, quorum laudes supra illustrium virorum ex authoritate protulimus, exilio dirigit, & prò eò Ioannem eiusdem erroris consimilem Episcopum facit. Eo anno Prasini apud regiam urbem civile bellum faciunt, multosque Reip. vitos gladio, frequenti congressione, prosternunt, sed eorum atroces plurimi postea à Iuliano præfecto extincti sunt. *Nihil de his supra Victorensis locutus excidit. Sed cur laudat duos ipsos Orthodoxos?*

XL. Imp. sui anno Iustinianus vitæ suscepit finem, indictione XV. Theodorus Cebarsusitanus Episcopus defensor III. capitulorum, exilio apud urbem regiam, eo mense & die, quo Iustinianus moritur, & iuxta Confessores, quibus Vgnericus, Vandalorum Rex, linguas abscideràt, sepelitur.

Iustinus Iunior Vigilantiæ sororis Iustiniani Aug. filius, patre Dulcissimo natus, cum tranquillitate populi magna, imperii sumit sceptra. Huius coniunx Sophia Theodoræ Aug. neptis asseritur.

Colliguntur omnes anni, ab Adam primo homine usque ad nativitatem D. N. Iesu Christi secundum carnem, quæ facta est V. M. *CXCIX.* A nativitate verò D. N. Iesu Christi, secundum carnem, quæ facta est *XLIII.* Augusti Octaviani Cæsaris Imperii anno, usq; in annum Iustini primi principis Rom. qui Iustiniano in imperio successit, anni *D. LXVII.* fiunt simul ab Adam usq; in annum primum memorati principis Rom. anni

V. M. DCCLXVI.

FINIS CHRONICI VICTORIS.

CHRONICON

IOANNIS PRIMVM FVNDATORIS ET ABBATIS MONASTERII BICLARENSIS,

POSTEA EPISCOPI GERVNdensis.

Nunc primùm in lucem editum:

AB

HENRICO CANISIO NOVIOMAGO IC. ET PROFESSORE SS. CANONVM IN alma Academia INGOLSTADIENSI.

AD LECTOREM.

DE Auctore huius Chronici Isidorus & ex eo Illustrissimus Cardinalis Baronius, Ioannes Gerundensis Ecclesiæ Episcopus, natione Gothus, provinciæ Lusitaniæ Scalavitanus. Hic cum esset adolescens Constantinopolim perrexit, ibiq; græca & latina eruditione nutritus, septimo demum anno in Hispanias reversus est, eodem tempore, quo incitante Leovigildo Rege Ariana fervebat insania. Hunc supradictus Rex, cum ad nefandæ hæresis credulitatem compelleret, & hic omnino resisteret, exilio rursus Barcinona relegatus per decem annos multas insidias & persecutiones ab Arianis perpessus est, qui postea condidit monasterium, quod nunc Biclaro dicitur, ubi congregata Monachorum societate, scripsit regulam ipsi Monasterio profuturam. Sed & cunctis Deum timentibus satis necessaria omnia addidit; & in libro Chronicorum ab anno primo Iustini Iunioris principatus, usq; in annum octavum Mauritii principis Romanorum, & quartum Recaredi annum, historico compositoq; sermone valde utilem historiam, & multa alia scripsisse dicitur, quod ad nostram notitiam non pervenit. *Eadem ferè Thrithemius. Quibus lucem adferunt ea, quæ Ioannes Mariana Societatis* IESV *Sacerdos, memoriæ prodidit. Itaergo hic:* In ea urbe (*Constantinopoli*) Ioannes Biclarensis Abbas Scalabi in Lusitania natus; decem & septem ætatis annos studiorum gratiâ, Iunior consumpserat: inde utriusque linguæ, aliarumq; artium cognitione instructus, in patriam ex longinqua peregrinatione redux communi Ecclesiæ tempestate iactatus, Barcinonem exilii causâ missus, ad Pyrenæi montis radices, ubi hodieq; eodem nomine visitur, Biclarense Monasterium constituit, optimis legibus atq; institutis *ad D. Benedicti regulam conformatum.* Vnde Recaredo quidem Rege, ad Gerundensis Ecclesiæ procurationem: Suinthilæ autem ætate, ad cœlum morte migravit, meritis debitum præmium. Nonito successore *Hæc Mariana, qui Biclarensis Chronicum sæpe testem laudat.*

Lib. de scriptorib. Eccl. Tom. 7. anno Christi 584.

Lib. 5. de rebus Hisp. cap. 13.

Circa ipsum Chronicum nihil admonendum occurrit, nisi quod locus ille de Leovegildo Rege Ariano admodum obscurus sit. Sed ut videas, integrum adscribere placet. Leovegildus Rex in urbem Toletanam Synodum Episcoporum, sectæ Arianæ, congregat, & antiquam hæresin novello errore emendat; dicens, de Romana religione ad nostram Catholicam fidem venientes, non debere baptizari, sed tantummodo per manus impositionem & communionis præceptione ablui, & gloriam patri per filium in Spiritu sancto dare. Per hanc ergò seductionem plurimi nostrorum cupiditate potius impulsi, in Arianum dogma declinant. *Alia lectio habet,* de Ariana hæresi venientes. *Sed quomodo factum hoc multos ad Arianam fidem pertraxit? An ægrè ferentes, quod qui transibant ab Ariana hæresi non rebaptizarentur, ipsi Ariani fiebant ex indignatione? Probabilior est lectio altera. Vt Rex ille Arianus veram religionem vocet* Romanam: *& suam hæresin, Catholicam fidem; hoc enim edixit, ut qui ex Orthodoxis ad Arianismum migrarent, non rebaptizarentur, (iam enim eò impudentiæ processerant Ariani, ut qui ad Arium defecissent, rebaptizarent, tanquam non legitimè baptizatos in Ecclesia) & hac fraude multos Orthodoxos ad perfidiam Arianam pertraxit: prius enim anabaptismum metuentes, non facilè transfugiebant ad illa impietatis castra. At postea inciso hoc retinaculo, plures invenire erat, qui Deo deserto, Arium sequerentur.* Hunc sensum esse Biclarensis nostri, declarant cum alia, tum illud, quod ex antiquioribus Hispaniæ monumentis scribit Mariana; Leonigildi iussu Arianorum Præsulum conventum Toleti habitum, & in eo sublatum esse rebaptizandi morem Arianis familiarem; cum ad eorum sectam Catholici confugissent. *Sed quare factum hoc Regis nominat Biclarensis* novellum errorem? *An quia alias occasio errandi fuit? Cæterùm ut Chronicum hoc, eo melius lector intelligat, proderit evolvisse Chronicum Isidori de rebus Gothicis, & ea quæ in sua Historia scribit Mariana, maximè libro 5:*

Lib. 5. cap. 12.

CHRONICON IOANNIS BICLARENSIS, POSTEA EPISCOPI GERVNDENSIS.

POST Eusebium Cæsariensis Ecclesiæ Episcopum, Hieronymum toto orbe notum presbyterum, nec non & Prosperum virum religiosum, atque Victorem Tunnunensis Ecclesiæ Africanæ Episcopum, qui historiam omnium pene gentium, summa brevitate & diligentia contexere visi sunt, & usque ad nostram ætatem congeriem perduxerunt annorum, & quæ acta sunt in mundo ad agnitionem nostram transmiserunt. Nos ergo in adiutorio D. N. IESV Christi, quæ temporibus nostris acta sunt, ex parte, quod oculata fide providimus, & ex parte, quæ ex relatu fidelium didicimus, studuimus ad posteros noticscenda brevi stylo transmittere.

Quinta decima ergo indictione, ut dictum est, Iustiniano mortuo, Iustinus Iunior, nepos eius, Romanorum efficitur Imperator.

Romanorum LIII. regnat Iustinus Iunior an. XI. qui Iustinus anno primo regni sui ea, quæ contra Synodum Chalcedonensem fuerant commentata, destruxit, symbolumq; Sanctorum CL. patrum Constantinopoli congregatorum, & in Synodo Chalcedonensi laudabiliter receptum, in omni Ecclesia Catholica, à populo concinendum intromisit, priusquam Dominica dicatur oratio. Armeniorum gens & Iberorum, qui à prædicatione Apostolorum Christi susceperunt fidem, dum à Cosdra Persarum Imperatore, ad culturam Idolorum compellerentur, renuentes tam impiam iussionem, Romanis se, cum provinciis suis, tradiderunt: quæ res inter Romanos & Persas pacis fœdera rupit.

Addup. Anno II. memorati Principis in regia urbe Æthetius & Additus patritii, dum Iustino mortem vellent veneno potius, quàm ferro per medicos inferre; detecti capitali sententia puniri iussi, prior à feris devoratus, secundus incendiis contumacius, interiit. Iustinus filius Germani patritii consobrinus, Iustini Imp. factione Sophiæ Au-
Terminum: gustæ in Alexandria occiditur. His temporibus Athanaildus Rex Gothorum in Hi-
Luiva. spania, vitæ finem suscepit, & *Liuba* pro eo in regnum provehitur.

Anno III. Iustini Imp. Garamantes, per legatos paci Romanæ Reipublicæ & fidei Christianæ sociari desiderantes, poscunt, qui statim utrumq; impetrant. Theodorus præfectus Africæ à Mauris interfectus est. Maurusiorum gens his temporibus Christi fidem recipit. Huius Imperii an. III. Leonegildus Germanus Luibani Regis, superstite fratre, in regnum citerioris Hispaniæ constituitur; Gosuintham, relictam Athanaildi, in coniugium accipit; & provinciam Gothorum, quæ iam rebellione diversorum fuerat diminuta, mirabiliter ad pristinos revocat terminos.

Anno IV. Iustini Imp. qui est Leonegildi Regis secundus annus, Theodistus, Magister militum provinciæ Africanæ, à Mauris bello superatus; interiit Leonegildus Rex loca Bastaniæ & Malacitanæ vrbis, repulsis militibus, vastat, & victor solio redit. Iustinus Imp. per Tiberium excubitorum comitem, in Thracia bellum genti barbarorum ingerit, & victor Tiberius Constantinopolim redit. In provincia Galleciæ Miro, post Theodomirum, Suevorum Rex efficitur.

An V. Iustini Imp. qui est III. Leonegildi Regis annus, Iustinus Imp. Armeniam & Hiberiam, repulsis Persis, Romanas provincias facit, & bellum Persarum Imp. perduces parcit. Amabilis Magister militiæ Africanæ à Mauris occiditur. Leonegildus Rex Asiodam, fortissimam civitatem, proditione cuiusdam Framidani, nocte occupat, &, militibus interfectis, memoratam urbem ad Gothorum revocat iura. Donatus Abbas monasterii Seruitani, mirabilium operator, clarus habetur.

Anno VI. Iustini Imp. qui est Leonegildi Regis IV. ann. Gepidarum regnum finem accepit, qui à Longobardis prælio superati, Cunicmundus Rex campo occubuit, & thesauri eius per Trasaricum Arrianæ sectæ Episcopum, & Reptilanem Cunicmundi nepotem, Iustino Imp. Constantinopolim ad integrum perducti sunt. Leonegildus Rex Cordubam civitatem diu Gothis rebellem nocte occupat, & cæsis hostibus, propriam facit, multasq; urbes & castella, interfecta rusticorum multitudine, in Gothorum dominium revocat. Miro Suevorum Rex bellum contra Arragones movet. Do-
minus Tuclenensis Ecclesiæ Episcopus clarus habetur. Anno

Anno VII. Iustini Imp. qui est Leonegildi V. annus, *Alboinus* Longobardorum Rex, factione coniugis suæ, à suis nocte interficitur. Thesauri verò eius cum ipsa Regina in Reipub. Romanæ ditionem obveniunt, & Longobardi sine Rege & Thesauro remansere. His diebus Luiba Rex vitæ finem accepit; & Hispania omnis in regno & potestate Leonegildi; Galliaq; Narbonensis concurrit. Iustinus Imp. gravi infirmitate concutitur; quæ infirmitas ab aliis quidem cerebri motio, ab aliis dæmonum vexatio putabatur. In regia urbe morralitas inguinalis plagæ exardescit, in qua multa millia hominum vidimus defuisse. Leonegildus Rex *Sabariam* ingressus Sapos vastat, & provinciam ipsam in suam redigit ditionem, duosq; filios suos ex amissa coniuge, Ermenegildum & Recaredum consortes regni facit. Legati gentis Macuritarum Constantinopolim veniunt, dentes Elephantinos & Camelos Pardalim Iustino principi munera afferentes, sibi cum Romanis amicitias collocant. Post Ioannem Rom. Ecclesiæ Benedictus ordinatur Episcopus, præfuit an. IV. Mausona Emeritensis Ecclesiæ Episcopus in nostro dogmate clarus habetur. *Camelopardalim.*

An. IIX. Iustini, qui est Leonegildi VI. an. Persæ cum Romanis pacis fœdera rumpunt; & congressione facta, Daras civitatem fortissimam bello superant, & cæsa multitudine Romanorum, memoratam urbem ingressi, depopulati sunt.

His diebus Leonegildus Rex Cantabriam ingressus, provinciæ pervasores interfecit, Amaiam occupat, opes eorum pervadit & provinciam in suam revocat ditionem. *al. Amoyd.*

Iustinus Imp. Tiberium, quem superius excubitorum Comitem diximus, Cæsarem facit; & non multo post imperiali fastigio provehit, & Reipub. principem designat. Huius Tiberii Cæsaris die prima, in regia urbe, inguinalis plaga sedata est.

An. IX. Iustini Imp. qui est Leonegildi Regis VII. annus, Cosdroes Persarũ Imp. cum nimia multitudine exercitus ad vastandos Romanorum terminos promovet. Cui Iustinianus Dux Romanæ militiæ, & Magister militum oriebtis, à Tiberio destinatus, bellum parat, & in campis, qui inter Daras & Nozinios ponuntur, forti pugna congressus, habens secum gentes fortissimas, quæ barbaro sermone Hermam nuncupantur, memoratum Imperatorem bello superat, quo cum suo exercitu in fugam verso, castra eius pervadit, & provinciæ Persidæ fines Victor Iustinianus vastat; excubiasq; eorum pro triumpho Constantinopolim dirigit; XXIV. elephantos inter cætera, qui magnũ spectaculum Romanis in urbe regia exhibuerunt; Prædam verò de manubiis Romanorũ; Persarũ multitudo ad nimiam utilitatẽ nummo publico venundatę sunt. *Locus corruptus. Fort. utilitatem. Fort. montes.*

Leonegildus Rex Aregenses montibus ingreditur; Aspidium loci seniores cum uxore & filiis captivos ducit, opesq; eius & loca in suam redegit potestatem. Aramundarus Sarracenorum Rex Constantinopolim venit, & cum sthemate suo Tiberio principi cum donis Barbariæ occurrit; qui à Tiberio benignè exceptus, & donis optimis ornatus ad patriam abire permissus est. *Mariana lib. 5. cap. 11. legit. Seniorem, hoc est, principem.*

An. X. Iustini Imp. qui est Leonegildi Regis IIX. ann. Bandarius gener Iustini principis, à Longobardis prælio vincitur, & non multò post vitæ finem accipit. Romanus filius Anagasti patritii, Magister militiæ gentis Suevorum Regem vivum cœpit, quem cum suo thesauro, uxore & filiis Constantinopolim adducit, & provinciam eius in Romanorum dominium redigit. Leonigildus Rex in Galletia Suevorum fines conturbat, & à Rege Mirone per legatos rogatus, pacem eis pro parvo tempore tribuit. Selanini in Thracia multas urbes Romanorum pervadunt, quas depopulatas vacuas reliquêre. Abares littora maris captiosè obsident, & navibus littora Thraciæ navigantibus satis infesti sunt.

Post Benedictum Romanæ Ecclesiæ Pelagius Iunior ordinatur Episcopus, præfuit annis XI.

Anno XI. regni sui Iustinus diem clausit extremum, & Tiberius singulare obtinuit imperium.

Romanorum LIV. Tiberius regnat annis VI.

Anno ergò I. imperii Tiberii, qui est Leonegildi annus IX. Abares Thracias vastant, & regiam urbem à muro longo obsident. Leonegildus Rex Orospedam ingreditur, & civitates atq; castella eiusdem provinciæ occupat, & suam provinciam facit; & non multò post inibi Rustici rebellantes à Gothis opprimuntur; & post hæc integra à Gothis possidetur Orospeda.

An. II. Tiberii Imp. qui est Leonegildi Regis X. Gennadius Magister militum, in Africa Mauros vastat. Gasmulem fortissimum Regem, qui iam tres duces superius nominatos Romani exercitus interfecerat, bello superat, & ipsum rege gladio interfecit.

Tiberius Mauritium excubitorum Comitem, Magiſtrum militiæ Orientis inſtituit, & ad repugnandum Perſis direxit. Romani contra Longobardos in Italia lachrymabile bellum gerunt. Leonegildus Rex extinctis undique tyrannis, & pervaſoribus Hiſpaniæ ſuperatis, ſortitus requiem propriam cum plebe reſedit, & civitatem in Celtiberia ex nomine filii condidit, quæ Recopolis nuncupatur, quam miro opere, & mœnibus & ſuburbanis adornans, privilegia populo novæ urbis inſtituit. Ioannes presbyter Eccleſiæ Emeritenſis clarus habetur.

Anno III. Tiberii Imp. qui eſt Leonegildi XI. annus, Abares à finibus Thraciæ pelluntur, & partes Græciæ atque Pannonis occupant. Leonegildus Rex Hermenegildo filio ſuo filiam Sisberti Regis Francorum in matrimonium tradit, & provinciæ partem ad regnandum tribuit. Leonegildo ergo quieta pace regnante, adverſariorum ſecuritatem domeſtica rixa conturbat. Nam, eodem anno, filius eius Hermenegildus, factione Goſvinthæ reginæ, tyrannidem aſſumens in Hiſpali civitate, rebellione facta, recludit, & alias civitates atque caſtella ſecum contra patrem rebellare fecit. Quæ cauſa in provincia Hiſpaniæ tam Gothis, quàm Romanis maioris exitii, quàm adverſariorum infeſtatio fuit....

Nonellus Complutenſis Epiſcopus clarus habetur.

Anno IV. Tyberii, qui eſt Leonegildi XII. an. Mauritius Magiſter militum Orientis contra Perſas bellum movet, & repulſa Perſarum multitudine, in Oriente hyemavit. Leonegildus Rex in urbem Toletanam, Synodum Epiſcoporum, ſectæ Arrianæ, congregat, & antiquam hæreſin novello errore emendat, dicens, *de Romana religione ad noſtram Catholicam fidem venientes non debere baptizari, ſed tantummodo per manus impoſitionem, & communionis præceptione pollui, & gloriam patri per filium in Spiritu ſancto dare.* Per hanc ergo ſeductionem, plurimi noſtrorum cupiditate potius impulſi, in Arrianum dogma declinant.

Locus obſcurus.
ab Arriana. ablui.
dari.

Anno V. Tiberii, qui eſt Leonegildi XIII. an. Longobardi in Italia Regem ſibi ex ſuo genere eligunt, vocabulo Antharich, cuius tempore & milites Romani omnino ſunt cæſi, & terminos Italiæ Longobardi ſibi occupant. Sclavinorum gens Illyricú & Thracias vaſtant. Leonegildus Rex partem Vaſconiæ occupat, & civitatem, quæ Victoria, cum nuncupatur, condidit.

Tiberius Imp. Magiſtro militum Orientis filiam ſuam in coniugium tradit.

Anno VI. Tiberii, qui eſt Leonegildi XIV. Tiberius vitæ terminum dedit, & Mauritius pro eo Romanorum Imperator efficitur.

Romanorum LV. Mauritius regnat an. XX. Leonegildus Rex exercitum ad expugnandum tyrannum filium colligit.

Anno ergò I. Mauritii Imp. qui eſt Leonegildi Regis XV. annus, Leonegildus Rex civitatem Hiſpalenſem, congregato exercitu, obſidet, & rebellem filium, gravi obſidione concludit, in cuius ſolatio, Miro, Suevorum Rex, ad expugnandam Hiſpalim devenit, ibiq; diem clauſit extremum, cui Eburicius filius, in provincia Galletiæ in regnum ſuccedit. Interea Leonegildus Rex ſupradictam civitatem nunc fame, nunc ferro, nunc Betis concluſione omninò conturbat.

Anno II. Mauritii Imp. qui eſt Leonegildi XVI. an. Leonegildus muros Italicæ, antiquæ civitatis, reſtaurat, quæ res maximum impedimentum Hiſpalenſi populo exhibuit. His diebus Andeca in Galletia Suevorum regnum cum tyrannide aſſumit, & Siſeguntiam relictam Mitonis regis in coniugium accepit. Eboricum regno privat, & Monaſterii monachum facit.

Leonegildus Rex, filio Hermenegildo ad Rempublicam commigrante, Hiſpalim pugnando ingreditur, civitates & caſtella, quas filius occupaverat, cepit, & non multò pòſt memoratum filium in Cordubenſi urbe comprehendit, & regno privatu in exilium Valentiam mittit.

Mauritius Imp. contra Longobardos, Francos per conductelam movet, quæ res utriq; genti non parva intulit damna. Eutropius Abbas Monaſterii Servitani, diſcipulus S. Donati, clarus habetur.

Anno III. Mauritii, qui eſt Leonegildi XVII. an. Mauritius per duces bellum infert. Leonegildus Rex Galletias vaſtat. Andecam Regem comprehenſum regno privat. Suevorum gentem, theſaurum, & patriam, ſuam in poteſtatem redegit, & Gothorum provinciam facit. Hermenegildus in urbe Tarraconenſi à Sisberto interficitur. Franci Galliam Narbonenſem occupare cupientes, cum exercitu ingreſſi, in quorum congreſſionem Leonegildus Recaredum filium obviam mittens, & Francorum

est ab eo exercitus repulsus, & provincia *Gallatiæ* ab eorum est infestatione liberata. *Gallia.*
Castra verò duo cum nimia hominum multitudine, unum pace; alterum bello occupat. Castrum verò, quod *Hodierno* vocatur, tutissimum valde in Ripa Rhodani flu- *al. vgerni.*
minis ponitur, quod Recaredus Rex fortissima pugna aggressus, obtinuit, & victor ad patrem, patriamq; redit. Andeca verò regno privatus tondetur, & honore Presbyteri post regnum honoratur. Non dubium, quod in Eborico Regis filio, Rege suo, fecerat, patitur, & exilio Pacensi urbe relegatur. Maluricus in Gallecia Tyrannidem assumens, quasi regnare vult, qui statim a ducibus Leonegildi oppressus, comprehenditur, & Leonegildo vinctus præsentatur. Leander Hispalensis Ecclesiæ Episcopus clarus habetur.

An. IV. Mauritii Imperatoris, qui est Leonegildi Regis XIIX. Anthane Longobardorum Rex, cum Romanis congressione facta, superat, & cæsa multitudine militū Romanorum Italiæ fines occupat. Hoc anno Leonegildus Rex diem clausit extremū, & filius eius Recaredus in tranquillitate regni eius sumit sceptra.

An. V. Mauritii Imp. Romanorum, qui est Recaredi Regis primus feliciter annus, Mauritius Theodosium filium suum, ex filia Tiberii Imperatoris natum, Cæsarem facit. Pelagio Iuniore mortuo Romanæ Ecclesiæ Gregorius in Episcopatum succedit, præst an. XV. Romani per Francorum adiutorium Longobardos vastant, & provinciæ Italiæ partem in suam redigunt potestatem. Sisbertus interfector Hermenegildi, morte turpissima perimitur.

Recaredus primo regni sui anno, mense X. Catholicus, Deo iuvante, efficitur, & Sacerdotes sectæ Arrianæ sapienti colloquio aggressus, ratione potius, quàm imperio converti ad Catholicam fidem facit, gentemq; omnium Gothorum & Suevorum ad unitatem & pacē revocat Christianæ Ecclesiæ sectę Arriana, gratia divina, in dogmate veniunt Christiano.

Desiderius Francorum Dux, Gothis satis infestus, à ducibus Recaredi Regis superatur, & cæsa Francorum multitudine, in campo moritur. Recaredus Rex aliena à prædecessoribus directa, & seo sociata, placabiliter restituit, Ecclesiarum & Monasteriorum conditor & ditator efficitur.

An. VI. Mauritii, qui est Recaredi secundus annus, quidā ex Arrianis Sunna Epi- *Sunia.*
scopus, & Segga cum quibusdam tyrannidem assumere cupientes, deteguntur; convicti Sunna exilio traditur, & Segga manibus amputatis in Galleciam *exulans* mittitur. Mauritius Theodosium filium, quem supra Cæsarem diximus, Romanorum Imperatorem facit.

An. VII. Mauritii, qui est Recaredi regis III. an. Vldila Episcopus, cum Gosuin- *Vldila.*
tha regina insidiantes Recaredo manifestantur, & fidei Catholicæ communionem, quam sub specie Christiana, quasi sumentes proiiciunt, publicantur. Quod malum *Vldila.*
in cognitionem hominum deductum, Vldila exilio condemnatur. Gosuintha verò Catholicis semper infesta, vitæ tunc terminum dedit. Francorum exercitus á Gotefranno Rege transmissus, Bosone duce, in Galliam Narbonensem obveniunt, & iuxta Carcasonensem urbem castra metati sunt, cui Claudius Lusitaniæ dux à Recaredo Rege directus obviam, inibi occurrit, cum quo, congressione facta, Franci in fugam vertuntur, & directa castra Francorum, & exercitus à Gothis cæditur. In hoc ergo certamine, gratia divina, & fides Catholica, quam Recaredus Rex in Gothis fideliter adeptus est, esse nosciturq; operata. Quemadmodum non est difficile, Deo nostro sive in paucis sive in multis detur victoria. Nam Claudius Dux vix cum CCC. viris LX. millia fermè Francorum nosciturinfugasse, & maximam eorum partem gladio trucidasse. Non immeritò DEVS laudatur temporibus nostris in hoc prælio esse operatus, qui similiter ante multa temporum spatia per manum Ducis Gedeonis in trecentis viris multa millia Madianitarum, DEI populo infestantium, nosciturextinxisse.

Anno IIX. Mauritii Imp. qui est Recaredi Regis IV. an. sancta Synodus Episcoporum totius Hispaniæ, Galliæ, & Galleciæ in urbe Toletana, præcepto principis Recaredi congregatur, Episcoporum numero LXXII. in qua Synodo intererat memoratus Christianissimus Recaredus, ordinem Conversionis suæ, & omnium sacerdotum, vel gentis Gothicæ confessionem tomo scriptam manu sua Episcopis porrigens, & omnia, quæ ad professionem fidei Orthodoxæ pertinent, innotescens, cuius tomi ordinē decrevit Sancta Episcoporū Synodus Canonicis applicare monumentis. Sūma tamē Synodalis negotii penes sanctū Leandrū Hispal. Eccl. Episc. & beatissimū Eutropiū monasterii Servitiani Abbatē fuit. Memorat⁹ v. Recaredus Rex, ut diximus,

ſancto intererat concilio renovans temporibus noſtris antiquũ principẽ Conſtantinũ magnum ſanctam Synodum Nicænam ſua illuſtraſſe potentia; nec non & Martianum Chriſtianiſſimum Imp. cuius inſtantia, Chalcedonenſis Synodi decreta formata ſunt. Siquidem & Nicæna urbe, hæreſis Arriana, & initium ſumpſit & damnationem meruit radicibus non amputatis. Chalcedone verò Neſtorius & Eutyches, uñà cũm Dioſcoro ipſorum patrono, & Hæreſibus propriis condemnati ſunt. In præſenti verò ſancta Toletana Synodo Arrii perfidia, poſt longas Catholicorum neces atq; innocentium ſtrages, ita radicitus amputata eſt, inſiſtente principe memorato Recaredo Rege, ut ulterius non pullulet, Catholica ubique pace data Eccleſiis. Hæc ergo nefandæ hæreſis, ſecundum quod ſcriptum eſt: De domo domini exiet tentatio, ab Alexandrina Eccleſia, detegente ſancto Alexandro eiuſdem urbis Epiſcopo, per Arriũ Preſbyterum inolevit, qui in Nicæna Synodo CCCXIIX. Epiſcoporum iudicio vigeſimo Imperii Conſtantini ſenioris anno, Synodaliter damnationem, cum proprio errore ſuſcepit. Quæ poſt hæc non ſolum Orientis & Occidentis partem maculavit, ſed & Meridianam & Septentrionis plagam, & ipſas inſulas ſua perfidia intretivit. A vigeſimo ergò Conſtantini principis anno, quo tempore hæreſis Arriana initium ſumpſit, uſque in octavum annum Mauritii principis Romanorum, qui eſt Recaredi quartus regni annus, anni ſunt CCLXVI. quibus Eccleſia Catholica huius hæreſis infeſtatione laboravit, ſed favente DEO vicit, quoniam fundata eſt ſupra petram.

Eutyches.

In his ergo temporibus, quibus omnipotens DEVS, proſtrato veteriſq; hæreſis veneno, pacem ſuæ reſtituit Eccleſiæ, Imp. Perſarum Chriſti ſuſcepit fidem; & pacem cum Mauritio Imperatore firmavit. Recaredo ergò Orthodoxo quieta pace regnante, domeſticæ inſidiæ prętenduntur. Nam quidam ex cubiculo eius, etiam provinciæ Dux, nomine Argimundus adverſus Recaredum Regem Tyrannidem aſſumere cupiens, ita ut ſi poſſet, eum & regno privaret & vita: ſed nefandi eius conſilii detecta machinatione comprehenſus, & in vinculis ferreis redactus, habita diſcuſſione, ſocii eius impiam machinationem confeſſi, condigna ſunt ultione interfecti; ipſe autem Argimundus, qui regnum aſſumere cupiebat, primum verberibus interrogatus, deinde turpiter decalvatus, poſthæc dextra amputata, exemplum omnibus in Toletana urbe aſiñõ ſedens pompizando dedit, & docuit famulos dominii non eſſe ſuperbos.

FINIS CHRONICI BICLARENSIS.

A. SCHOT.

A. SCHOTTVS
LECTORI S:

DE Chronographis antiquis, qui post Eusebium, & B. Hieronymi additamentum supplementa dederunt, præter Prosperum Aquitanum hominem Gallum: Hispani quoque enituerunt. In his Ithacius, & Isidorus, Episcopus uterq; Doctiss. mox Victor Tunnunensis & Ioan. Gerundensis, Biclarensis Abbas, sed ut ille diu desideratus est ac nondum integer exiit; sic diu hi quidem à nobis in Hispan. reperti atque eruti Ingolstadij primum lucem aspexerunt. Veramenimvero ut de nomine controversia est, sic & duo cognomines fuisse putantur, Hispanus uterq; & Episcopus, sed scriptione diversi. Alij Idacium per quartam litteram vulgo scribunt, nonnulli per τ qui forte Ithacius per θ rescribendis? Depravatum autem id nomen non raro, ut Nardacius olim in Sulpitij Chronico sit lectum. Vrsacius in Isidoro. Anicius verò in Honorij Augustodunensis Catalogo. Duos autem fuisse temporibus tamen studioque æquales & Episcopos in Lusitania hæreticorum in primis hostes multa arguunt, quibus parum æquum fuisse Sulpitium deprehendo, forte quod à B. Martino dissentirent. Alter Idacius Emeritæ, vel, ut alii; Lamecæ; iuxtà Durium fluvium civitatis in Lusitania Præsul, Hieronymi laude nobilis: Alter Ithacius Ossonobensis Episcopus (sic enim in Chronico Sulpitii emendandum esse vidit Carolus Sigonius, & Ioan. Mariana noster lib. IIII. Annalium Hispaniæ, Cap. 20. pro illo Sossubensi) floruerunt que ad annum Christi, 383. ut & Sigeberti Chronico discas; qui & ipse in Catalogo Lenucæ Episcopum facit. Ille contrà Varamundum Arianum scripsit, & loca S. Scripturæ de Trinitate explanavit, extatque Tomo IIII. Bibliothecæ SS. Patrum.

Vtriusvero hæc Chronologia sit, quam damus Libro priore ex Eusebiano hausto; alterovero eiusdem Auctario facto, iam indè à Theodosio Aug. non facile dixero, non visa enim hactenus primumque edita, sed è vitioso codice ab Henrico Canisio I. C. egregio Tomo II. Antiquarum Lectionum; & in Chronico Eusebiano à Iosep. Scaligero, sed mutila valde ac depravata exemplaris vitio, eiusque pars duntaxat altera ad Eusebium, quid ex utriusque comparatione sim assecutus; secutus certè, æquus Lector existimabit; quod veteri verbo dicitur, hoc Catone contentus sit, dum aut melius exemplar, aut integrum opus è Democriti puteo, hoc est è tenebris, quibus delituit, in apertam lucem proferatur. Cupio quidem certè ac spero. Nam spes illa iam decolavit, quam Allobrogibus Crispinus quidam, tabulis professus typographus, daturum se HISTORIAE MISCELLAM ex Isidoro, Idacio ceteris. Verum id genus hominibus Varronianæ titulum Satyræ Menippeæ libens accino: Cras credam hodie nihil. Vale.

CHRONOGRAPHIA.

EX

IDACIO

COLLECTORE

Quodam Caroli Magni æquali.

LIBER PRIMVS.

Regnum Assyriorum.

PRimus Rex Ninus regnavit annis LI. Et mulier sua Semiramis regnavit post eum annis XLII. Eodem tempore natus est Abraham. Ninias filius Nini & Semiramis regnavit post eos annis XXXVIII.

De semine Abraham.

Abraham cum esset annorum LXXV. à Deo accepit repromissionem. De illo tempore usq; ad egressionem Hebræorum de Ægypto supputantur anni Cccccxx. Abraham de ancilla Agar habuit filium nomine Ismahel: unde Ismahelitæ & postea Agareni, postremum Sarraceni vocantur. Centenarius Abraham habuit de Sara filium nomine Isaac. Primus omnium Prophetarum Abraham. Assyriorum Arrius tunc regnavit annis Xxx. Sexagenario Isaac an. nascuntur filii gemini, primus Esau, ex quo gens Idumæa fuit: secundus Iacob, qui Israel appellatus est. Inde gens Iudæorum est. Vixit Abraham annis CLXXV. Centesimo anno repromissionis moritur Abraham. Centesimo sexagesimo anno cum esset Isaac, tunc Iacob descendit in Mesopotamiam, & servivit Laban annis XIV. pro duabus filiabus, quas accepit uxores, Lia & Rachel. Anno Cc. post repromissionem

* leg. 180.

mortuus est Isaac annorum * octoginta. Filius eius Iacob cùm esset annorum Cx. adhuc vivente Isaac, Ioseph filius Iacob venundatus est in Ægyptum. Centum triginta annorum cum esset Iacob, iam secundo anno famis ingressus est cum filiis in Ægyptũ. Iacob centesimo quadragesimo septimo anno obiit, Prophetizans de Christo. Centũ decem annos cum implesset Ioseph moritur. Fiunt autem omnes anni, quibus Hebræi in Ægypto fuerunt, ducenti quindecim. Ob hoc ab eo tempore computantur, quo Iacob cum filiis suis descendit in Ægyptum.

De Moysi & captivitate Iudeorũ. Et. corrig. ex Eus. 390. repr. an. & 40. anno Moysis.

Trecentesimo quinquagesimo an. repromissionis natus est Moyses. cum esset annorum LXXVI. Cecrops regnavit in Attica: à quo usq; ad Troiæ captivitatem fluxerunt anni CCCLV. Trecentesimo à quadragesimo repromissionis anno Moyses Ægyptum derelinquens eremo philosophatur Hebræorum. Octogesimum annum agens dux itineris ex Ægypto Hebræorum gentis efficitur, legem eis in eremo tradidit per annos XL. Ab hoc loco usque ad Salomonem ædificationem templi numerantur anni quadringenti octoginta. Primus apud Hebræos Aaron Pontifex fuit Hebræorum. Post Moysen constituitur Iesus. Iesus successit Moysi. Terrã Palæstinorum Iudææ genti sorte distribuit. Iudæorum Iudex post Gothoniel annis XL. Post Gothoniel Hebræi fuerunt subiecti alienigenis annis decem & octo, qui copulantur temporibus Aod. Ipse fuit Iudex ex tribu Effraim annis octoginta. Post Aod Hebræos in ditionem redigunt alienigenæ annis viginti; qui copulantur temporibus Deboræ & Barac, qui iudicaverunt Israel annis quadraginta. Hebræorum Iudex Gedeon. Post Deboram in ditionem redigunt alienigenæ annis septem, qui coniuncti sunt temporibus Gedeonis secundum Hebræorum traditionem, Gedeon Iudex ex tribu Manasse. Cyrus condita ante templum Ierosolymorum annis CCXL. scripsit Iosephus in libro tertio Hebræorum. Abimelech filius Gedeonis Iudex annis tribus. Post quem Tola annis XXII. Post quem Iair annis XXII. ex tribu Manasse. Sub Tautano rege Assyriorum Troia capta est. Hebræorum Iephte Iudex annis octo. Postea Hebræos in ditionem suam redigunt Ammonitæ annis VIII. qui cum temporibus posteriorum Iudicum copulantur, secundum Iudæorum traditionẽ. Iephte in libro Iudicum (Post quem Esebon annis VII.) ab ætate Moysis usque ad semetipsum ait supputari annos CCC. Post Esebon Labaion. VIII.

Euseb. & Iudic. 12. an. 6. Euseb. An. 18

Hic maior codex m.d. in seriam habet imperitiæ historiam Dareti de Origine Frã. corum.

In illo

In illo tempore Priamus Helenam rapuit. Troianum bellum decennale surrexit, causa mali, quod trium mulierum, de pulchritudine certantium, præmium fuit una earum, Helenam pastori iudici pollicente. Memnon & Amazones Priamo tulêre subsidium. Exinde origo Francorum fuit. Primo Priamum regem habuerunt: postea per historiam libros scriptum est, qualiter habuerunt Regem Friga. Postea parati sunt in duabus partibus. Vna pars perrexit in Macedoniam, vocati sunt Macedones, secundum populum, ad quem recepti sunt, & regem Macedoniæ, qui opprimebatur à gente vicina, invitati ab ipsis fuerunt, ut eis auxilium præberent. Per quos postea cum subiuncti in plurimam procreationem crevissent, ex ipso genere Macedones fortissimi pugnatores effecti sunt. Quod in postremum in diebus Philippi Regis & Alexandri filii sui fama confirmat illorum fortitudo qualis fuit. Nam & illa alia pars, quæ de Friga progressa est, ab Olexo per fraudem decepti, tamen non captivati, nisi exinde deiecti per multas regiones vagantes cum uxoribus & liberis.

Vide Aimoin. de gestis Fran. lib. 1. cap. 2.

Electe à se Rege, Francione nomine; per quem Franci vocantur. In postremo eo, quod fortissimus ipse Francio in bello fuisse fertur, & multo tempore cum plurimis gentibus pugnam gerens, partem Asiæ vastans, in Europam dirigens, inter Renũ & Danubium & mare consedit.

De Francis.

Ibiq; mortuo Francione, cum iam prælia tanta, quæ gesserat, parva ex ipsis manus remansérat, Duces ex se constituerunt. Attamen semper alterius ditione vagantes, multo post tempore cum ducibus transegerunt, usque ad tempora Pompeii Consulis, qui & cum ipsis dimicans; sicut & reliquas gentium nationes, quæ in Germania habitant, totasq; ditiones subdidit Romanis. Sed continuo Franci cum Saxonibus amicitias incuntes, adversus Pompeium rebellantes, eiusdem renuerunt potestatem. Pompeius in Hispania contra gentes dimicans plurimas morti tradidit. Post hæc nulla gens usq; in præsentem diem Francos potuit superare, qui tamen eos sitæ ditioni potuisset subiugare. Ad ipsum instar & Macedones, qui ex eadem generatione fuerũt; quamvis gravibus bellis fuissent attriti, tamen semper liberi ab externa dominatione vivere conati sunt.

De Germanis.

Saxones.

Tertiam ex eadem origine gentem Thurcorum fuisse fama confirmat. Vt cum Franci Asiam pervagantes pluribus prælis pertransissent, ingredientes Europam, super littora Danubii fluminis inter Oceanum & Thraciam, una ex eis ibidem pars resideret. Electum à se itaq; Regem nomine Torquoto, per quod gens Torquorum nomẽ accepit. Franci huius itineris gressum cum uxoribus & liberis agebant. Nec erat gens, quæ eis in prælio potuisset resistere. Sed dum plurima egerunt prælia, quando ad Renum consederunt, dum à Torquoto minuati sunt, parva ex eis manus aderat.

De Thurcis.

A captivitate Troiæ usq; ad primam Olympiadem fiunt anni CCCCVI.

Redeamus quo ordine Hebræorũ gens fuit. Hebræorũ reliqui an. L. Abdõ an. octo. Post Abdõ Hebræos in ditionẽ redigũt alienigenæ an. XL. qui copulantur temporibus iudicum posteriorũ. Post quem Samson fortissimus omnium fuit; ita ut quibusdam facta ei⁹ cum gestis Herculis computarent. Quidam ad huius memoriam cõservandã balneum ..... multo post tempore adpellatus pœna. Post quem Heli sacerdos. In Hebræorum libris XL. anni inveniuntur; in septuaginta Interpretum, viginti.

De gente Hebræorum.

In illo tempore Tautanus regnabat in Assyrios. Tunc Troia capta est. In Hebræis Lepdon Iudex erat, & in Ægypto Dinastia rex erat. Primus Rex Latinorum tunc in ipso tempore surrexit, eo quod à Troia fugaciter exierunt, & ex ipso genere & Frigas fuerunt, nisi per ipsam captivitatem Troiæ & inundationem Assyriorum. E quorum persecutione in duas partes egressi & ipsa civitate & regione. Vnum exinde regnum Latinorum erigunt, & aliud Frigorum. Post tertio anno capta Troia, Latini, qui postea Romani nuncupati sunt, & ut quidam volunt, post octo an. regnavit Æneas. Æneas & Frigas feruntur Germani fuisse. Æneas in Latinos regnavit annis III. & Frigas in Friga. Ante Æneam & Frigam Ianus, Saturnius, Picus, Faunus, Latinus, per quem Latini vocati sunt, & in Italia regnaverunt annis circiter CL. Roleta scribit. Palæphatus autem in incredibilium libro primo, Sirenas quoq; fuisse meretrices, quæ decepe-rint navigantes. Post Æneam Ascanius annis XXXVIII. Ascanius derelicto novercæ suæ regno, Latinis Albam Longam condidit, & Silvium posthumum fratrem suum, Æneæ ex Lavinia filium summa pietate educavit. Amazones illo tempore etiam templum Ephesi incenderunt. Ascanius Iulium filium procreavit, à quo familia Iuliorum orta, & propter ætatem paruuli, qui necdum regendis civibus idoneus erat, Silvium posthumum fratrem suum regni reliquit hæredem.

De regno Latinorum.

De primo ex tribu Iuda rege.

In illo tempore mortuo Heli sacerdote Hebræorum, Samuel prophetabat & Saul regnavit annis XL. In illo tempore Silvius Latinorum Rex Æneæ filius, à quo omnes Albanorum Reges Silvii vocati sunt. Hebræorum Rex primus ex tribu Iuda David annis XL. Hebræorum tunc Pontifex Abiathar clarus habebatur. Latinus Silvius regnavit annis L. Hebræorum filius David Salomon regnavit annis XL. Salomon templum in Ierosolymis ædificare cœpit, consummavit annis septem.

De Carthagine &c.

Carthago tempore Salomonis à Lacedæmoniis in Africa condita est à rege Zoastrato & aliæ urbes plurimæ. Nam & Carthago ab Arcedone Tyrio, ut verò alii, à Dido filia eius annis CXLIV. expleta fuisse refertur.

Colligitur autem omne tempus. A Moyse & egressu Israel secundum tertium librum regnorum usque ad Salomonem & ædificationem templi computantur anni *CCCCLXXX.* A diluvio usque ad Moysen anni *III.* millia *CCCCLXXXIX.* Ab Adam usque ad diluvium anni duo millia *CCXLII.* Simul omnes anni quatuor millia *CXLIX.*

De regibus Hebræorum & Latinorum.

Salomon Rex Hebræorum regnavit annis XL. Sacerdos Sadoch tunc fuit. Post Salomonem Roboam annis XVII. Post mortem Salomonis seditione orta in gente Iudæa, regno bifariam diviso in Samaria decem tribus regnavit Ieroboam. Latinorum Alba Silvius regnavit an. XXXVIIII. Roboam filius Salomonis regnavit Hierosolymis duas tribus tantum, quæ vocantur Iudæorum, quia ex Iudæ stirpe descenderunt. Vnde & universa gens illa nomine Iudæorum est vocata. Post quem Abia annis VIII. Post quem Asa annis XLI. Latinorum Ægyptius Silvius annis XXIII. Latinorum octavus Capis Silvius annis XXVI. Hebræorum Iuda Iosaphat annis *XXV.* Prophetabant in Hebræis tunc Abdias, Hieu, Ozias, Michæas. Latinorum nonus, Carpentus Silvius annnis XIII. Hebræorum Iuda (Ioram) annis octo. Postquem Ochozias anno uno, Post quem Godolia mater annis VII. Post quam Ioas annis *XL.* Latinorum tunc post Carpentum, Tyberinus annis octo. Post XI. Agrippa Silvius annis *XL.* Ioiadæ apud Hebræos insignissimus Pontifex erat. Qui solus post Moysen vixit annis *CXXX.* Hebræorum Iuda Amasias annis XXIX. Hebræorum Israel Ioas in tempore Ioram. Ipse fuit septimus in Iuda, regnavit annis VIII. In cuius tempore prophetabat Elias. In tempore Ioas Regis Heliseus moritur. Zacharias propheta à Ioas Rege interficitur. Hebræorum Iuda Amasias XI. regnavit annis XXIX.

hæc vox in utroq; m. f. exciderat.

De regibus Latinorum.

LATINORVM duodecimus Aremolus Silvius annis XIX. Post quem tertius decimus Aventinus Silvius annis XXXVI. In tempore Aremoli superioris ipse Silvius Aremolus sive Remolus Agrippæ superioris regis filius præsidium Albanorum inter montes, ubi nunc Roma est, posuit. Ab impietate postea fulminatus interiit.

Hebræi.

Hebræorum Israel secundus Nadab annis duobus. Post quem tertius Baasa annis viginti quatuor. Post quem Hela annis septem. Post quem Ambri annis duodecim. Post eum annis XXVIII. In tempore Achab prophetabat Helias. Post Ioram Iehu annis XXVIII. Post Iehu Achab annis XVII.

De Iulio & Assyriis.

IVLIVS proavus Iulii Proculi, qui cum Romulo Romam commigravit, fundavit Iuliam gentem. His diebus Hebræorum duodecimus Azarias, qui & Ozias annis LII. In illo tempore Thespie Ocorifonis filio Athenis regnante, Assyriorum imperium deletum est. Vsque ad id tempus fuisse Reges Assyriorum historia refert. Et fiunt simul anni mille nongenti novem. Omnes autem anni regni Assyriorum à primo anno Nini supputantur mille ducenti quadraginta. Ab arces Medus Assyriorum imperio destructo regnum in Medos transtulit. Et interim sine principibus res agebatur usque ad Antiochum regem Medorum. In medio autem tempore Chaldæi proprie prævalebant: quorum separatæ quædam regum successiones feruntur. Reliquæ quoque gentes propriis legibus utebantur.

De Romulo & Remo.

LATINORVM decimus quartus Procas annis XXXIII. Post quem Amulius Silvius annis XIV. In illo tempore Roma palilibus, qui nunc festus dicitur, est condita. Romulus & Remus ipsam condiderunt. Remus rutro pastorali à Fabio Romuli duce occisus. Ob asyli impunitatem magna Romulo multitudo coniungitur. Anno ab urbe condita III. una virginum pulcherrima, cunctorum acclamatione rapientium, Talasso duci Romuli decernitur. Vnde in nuptiarum solennitatibus, Talasso, vulgo clamitant; cui talis nupta sit, quam Talassus meruit. In illo tempore prima capti-

ma captivitas Israel. Decem tribus à Senacherib rege Chaldæorum translatæ sunt in montes Medorum. Regnatumque est in Samaria annis CCL.

Romanorum decimus septimus rex Romulus, annis XXXVIII. Remus & Romulus generantur Marte & Ilia. Romulus apud paludem caprenus moritur. Post quem per quinos dies senatores Remp. rexerunt, atque ita unus annus expletus, quod tempus Interregnum appellatum est. Postea Pompilius regnavit annis XLI. Romulus primum milites sumpsit ex populo, & nobilissimos senes centum, ob ætatem, senatores; ob similitudinem curæ patres adpellavit: Templa quoq; & muros, Romanæ urbis extruxerunt. Sabacan Bochirum Regem captum, vivum exussit. Tullius Hostilius, annis XXXIII. Primus regum Romanorum purpura & fascibus usus est, ac deinceps cum sua domo fulmine conflagravit. Tullius Hostilius post longam pacem bella reparavit, Albanos, Veientes, Fidenates, vicit, & adiecto monte Cœlio urbem ampliavit. Romanorum quartus Ancus Martius annis XXXIII. Ancus Martius Aventinum montem & Ianiculum urbi addidit. In tempore Procatis Silvii Latinorum regis, Hebræorum tunc prophetabant Osee. Amos; Iosias, Isaias, Ionas anno LIII. quando Roma condita fuit prophetabat. Ioathan annis XVI. Post quem Iuda decimus quartus Achazitem regnavit XVI. Cuius tempore Talat Faltasar rex Assyriorum magnam partem populi Iudæorum in Assyrios transtulit. Post quem Iuda decimus quintus Sedechias annis XLIX. Post quem Iuda decimus sextus Manasses annis LX. Post quem in Iuda decimus septimus Ammon annis XII. Post quem in Iuda decimus octavus, Iosias annis XXXII. Hieremias prophetabat. Hebræorum Iuda Ioachim annis XI. Post quem iterum Ioachim alias annis XLIII. *al. annis 44.*

De Regibus Romanorū.

Anno tertio Ioachim Nabuchodonosor rex Babyloniæ Iudæam capit, & in ditionem suam redactis plurimis Iudæorum, cum etiam partem vasorum templi invasit, & tributarium fecisse Ioachim fertur, victor ad patriam revertitur. Israhel (quando Roma condita fuit) Azarias: & Manaim principabat an. X. postea Vaceas annis X.

De Nabuchodonosor.

Anno decimo à captivitate Troiæ usque ad Olympiadē primam an. CCCCV. Primam Olypiadem AFRICANVS temporibus Ioatham regis Hebræorum fuisse scripsit. Post Vagea in Iudæa prophetabat annis novem. Tunc à Sanacherib Israelitæ in captivitatem ducti sunt. Memoravimus sub Arifrone rege Assyriorum regnum destructum. Sardanapalus eo tempore Tarsum atque Ancealem condidit, & in prælio victus ab Arbace Medo semet incendio concremavit. Primus, ut supra memoravimus, rex Macedonum Cassius regnavit annis XVIII. Ægyptii regem suum Osorton [illegible] nominaverunt. Phidon Argivus mensuras & pondera primus in-

De captivitate Troiæ: Iulius Africanus: al. Vazea. supra c. 14. al. Afroni.

Macedonum Philippus regnavit annis XXXVIII. Numa Pompilius duos [illegible] ad annum condidit, Ianuarium & Februarium; cum antehac menses decem tantum apud Romanos fuissent. Capitolium quoque à fundamentis ædificavit. Sybylla Samia quæ & Herophila, in Samo insignis habetur. Numa Pompilius nulli unquam finitimis bellum gessit. Olda mulier apud Hebræos prophetabat. Postea Sophonias, Hieremias annis XXXII. Post quem Ioachim an. XI. Post quem Sedechias XI.

Romanorum quintus Tarquinius Priscus annis XXXVIII. Ancus Martius Numæ nepos. Tarquinius Priscus circum Romæ ædificauit, numerum Senatorum auxit, Romanos ludos instituit, muros & cloacas ædificauit, ad extremum ab Anci filiis, regnum eius, cui ipse successerat ..... Primo anno captivitatis Ierusalem in Iudæa Nabuchodonosor Rex Chaldæorum, Ierosolymis captis, templum incendit: quod ab initio ædificationis suæ transierant anni CCCCXLII. quadragesima octava Olympiade captivitas & exterminium templi, quod fuit in Ierosolymis ann. LXX. In Babylone prophetabant Daniel & Ezechiel.

De Romanis ac captivitate Ierusalē.

Tunc Romæ Servius ancillæ, sed nobilis captivæ filius, tres montes urbi addidit; Quirinalem, Æsquilinum, & Viminalem. Fossas circa muros duxit, censum Romanorum civium ipse primus instituit, & ad extremum Tarquinii Superbi generi sui superioris regis filii scelere occisus est.

Romanæ urbis amplitudo.

Mortuo Nabuchodonosor Babyloniorum Rege suscepit imperium Evilmerodach. Cui successit frater eius Baltasar, cuius tempore liber Danielis scribitur. Romanorum Servius sextus regnavit annis XXXIII. Capta Hierosolyma ab Assyriis ad Pharaonem regem Ægypti Iudæorum reliqui transfugerunt: Hieremias quoq; Propheta

De regno Babyloniæ.

meminit. Corinthiorum monarchia destructa. Solis facta defectio; cum futuram eam Thales ante dixisset Olympiade LV. Initium regni Persarum. Cyrus Rex Medorum destruxit imperium.

De Cyro Persarum Rege. Cyrus regnavit Persis subverso Astyage rege Medorum. Persarum Cyrus regnavit annis XXX. Cyrus Hebræorum captivitate laxata, quinquaginta ferme millia hominum regredi fecit in Iudæam. Qui constructo altari, tẽpli fundamẽta, iecerunt. Sed cum à vicinis gentibus fabricatio impediretur imperfectum opus usq; ad Darium permansit. Cyrus Babyloniam capit.

De Prophetis. & Tarquinio. In Hebræis prophetabant Aggæus & Zacharias. quo tempore Hiesus filius Iosedech, & Zorobabel, regio genere, principes fuerunt eorum, qui regressi sunt in Iudæam. Colliguntur, omne tempus captivitatis Iudæorum, an. *LXX.* secundum quosdam à tertio anno Ioachim usque XX. an. Cyri computantur. Romanorum Tarquinius tunc regnabat annis *XXXV.* excogitavit vincla, taurea, fustes, latomias, carceres, compedes, catenas, exilia, metalla.

De Medis. Regnaverunt Medi super Assyrios annis CCCLIV. Croesus à Cyro captus est, & Lydorum regnum destructum est, quod stetit an. CCXXX.

De Holoferne. Cambyses qui & Nabuchodonosor Rex vocatus est, sub quo historia Iudith, quæ Holofernem interfecit, scribitur. Apud Hebræos Aggæus & Zacharias prophetabat. Secundo anno Darii Regis templum in Hierosolymis construitur à Zorobabel, consummatur annis quatuor remissionis captivitatis Iudæorum. Et ædificatio templi initium sub Cyro habuit, consummatur sub Dario. Regnavit Persis, Assyriis & Ægypto.

Initiũ Coss. Rom. Armodius Acidius & Aristogidus Inpargum regem interfecerunt. Et Lena meretrix amica eorum, cum tormentis cogeretur, ut reos proderet, linguam suam morsibus amputavit. Pulsis urbe regibus attenuatum est valde Romanorum imperium. Romanorum reges septem à Romulo usq; ad Tarquinium Superbum imperaverunt annis CCXLIV. Romæ post exactos reges initio Consules à Bruto esse cœperunt. Deinde tribuni plebis ac dictatores & rursum consules Remp. tenuerunt per annos ferme CCCCLXIV. Censu Romæ agitato inventa sunt hominum centum viginti millia. Lapis tunc in Ænis fluvio de cœlo ruit. Persarum septimus Artabanus regnavit annis IIX. Artaxerxes annis XL. Anno ab urbe condita CCCII. tribuni plebis Romæ erecti consulibus electis. Neemias tunc Hebræus minister vinarius consentiente domino suo, vigesimo eiusdem regni anno de Babylone venit, & muros Hierosolymis struxit. Romani denuo consules creati sunt. Si quæsieris de hebdomadis *LXX.* quæ in libro Danielis scriptæ sunt, reperies eas esse expletas in tempore Neronis Imperatoris, quæ faciunt annos * *CCCCXL.* Secundo postea a Vespasiano anno Hierosolyma capitur, ut Daniel prophetavit. Ex Ætna monte ignis erupit. Temporibus Consulum Galli Senonaci Romam incenderunt, excepto Capitolio.

Euseb. 490.

De Alexandro. Alexander filius Philippi & Olympiadis nascitur. Romani Gallos superant. Nectenebon rege Ægyptiorum in Æthiopiam pulso, Ægyptiorum regnum destructum est, & in Romanam ditionẽ redigitur. Romani Samnitas duobus prœliis & reliquas vicinas gentes superant. Descriptione Romæ facta inventa sunt civium centum quadraginta duo millia hominum. Alexander adversus Illyrios & Thracas feliciter dimicans vicit. Quibus subversis in Persas arma corripuit & apud Granicum fluvium rege ducibusq; oppressis urbem Sardis capit. Romanorum Consul Torquatus filium suum, qui plures prœlio hostes vicerat, virgis cæsum securi percussit. Alexander capta Tyro Iudæam invadit. Post multas pugnas triumphans Alexandriam in Ægypto septimo regni sui anno ædificavit: & tenuit omnia quæ cœperat annis XII. Alexander Hyrcanos & Medos cepit. Alexander Ornem ..... & Indum amnem transgreditur. Bellum egit Alexander, adversus Porum & Taxilononem dimicavit: & vicit Arpalus fugit in Asiam. Alexand. XXX. ætatis suæ anno moritur in Babylone; postquam translatum est in multos eius imperium. Macedonum regnum Philippus frater Alexandri possedit.

De Romanis. Romani Samnitas diutissime adversus se pugnantes ad extremum in servitutem subiiciunt. Seleucus Consul Babyloniam & plures urbes ædificavit. Censu Romæ agitato inventa sunt civium Romanorum ducenta septuaginta millia hominum. Legati Alexandriam Ptolomæi transmissi Romanorum amicitiam petierunt. Romani Gallos superant, & Sabinorum tertam sorte dividunt. Seleucus in Sicilia cápit. Demetrio Syriæ & Asiæ pariter imperavit. Softratus ingressus est Alexandriam

qua-

quam Romano subdidit imperio, & Pharum magnam in Alexandria fecit. Aratus argenteos nummos primus in orbe figurari fecit. Romani Carthaginenses navali prælio superant, & centum ibi urbes capiunt. Carthaginenses Romanorum naves in Sicilia capiunt Metello Consule in fugam verso. Censu Romæ tunc agitato inventa sunt hominum ducenta sexaginta millia. Post an. quatuor Romæ templum Vestale incensum est. Post annos XIII. quadraginta fere millia Gallorum fuerunt à Romanis cæsi. Post annum septimum Caria & Rhodos terræ motu concussa est, ita ut colossus magnus rueret. Post annos item septem victi Iudæi & sexaginta millia armatorum à Romanis cæsi, Romanam redacti sunt in ditionem. Post annos tres Romani Marcello consule Syracusam capiunt.... Siciliam. Post annos septemdecim Romani Græcos liberos esse iusserunt, & universis Hebræis ita fecerunt. Postea per Antiochum regem Iudæi contra Romanos cœperũt rebellare, & ad idololatriam cogente Antiocho sunt conversi. Tunc Sacerdotes & duces Machabæi propter regem custodiendum surrexerunt, sicut scriptum est in lib. Machabæorum. Romani interfecto Seleuco rege Macedones tributarios faciunt. Descriptione Romæ facta inventa sunt hominum trecenta viginti duo millia. Oppius consul Gallos capit. Et Carthago in ditionem Romanam per Scipionem redigitur; habens, quod condita fuit annos septingentos quadraginta novem. Ptolomæus Demetrio filiam suam tradidit uxorem: Cum regnaret in Ægypto & in Ierosolymis super Iudæos, dedit Demetrio genero suo regnum quod abstulerat patri suo Antiochus rex. Antiochus rex filio Alexandro fratre Demetrii interfecto, ad extremum se interfecit. Bellum civile ortum est in illo tempore in Sicilia. Primus liber Machabæorum temporibus Antiochi scriptus est in Iudæa. Arsaces Parthus Antiochum interfecit. Servi qui in Sicilia rebellabant, obsidionis necessitate compulsi ad sua invicem cadavera devoranda conversi sunt. Arvernia tunc nobilis Galliarum urbs capta. Et rex Veterus iuxta Tule insulam igni est conflatus. Samariam urbem Herodes restaurans, Sebasten in honorem Augusti appellare voluit. Græci victi à Romanis subiiciuntur. In Sicilia bellum civile consurgit. Deprehenso Ptolomæo per matrem Cleopatram in Sicilia bellum civile quievit. Ptolomæus rex Cyrenæ moriens Romanos testamento reliquit hæredes. Seleucus ab Antiocho vivus exuritur. Antiochus in Parthos fugatur; Pompeio consuli se deinceps tradidit. Pompeius Syriam in ditionem redegit. Antiochus reversus de fuga regnum obtinuit. Plotius Gallus, Latinorum Rhetoricam docuit, sicut Cicero refert: pueris nobis primum latine dicere cœpisse Plotium quendam. Descriptione tunc Romæ facta, inventa sunt hominum quadringenta quadraginta quatuor millia: Voltacilius Plautus Pompei Consulis libertus doctor scholam Romæ primum invenit. Pompeius glorioſissime triumphavit.

De primo Imperatore.

Lvcvllvs primus Imperator appellatus est, victa Armenia & Mesopotamia, & Nisibi cum fratre accepta Pompeius universam Hiberiam subiugavit. Lucullus de Bessis triumphavit. Virgilius Maro in pago qui * Ædis dicitur, non procul à Mantua nascitur. Antiochia ab Assyriis capta. Aristobulus & Hyrcanus filii Alexandræ contra se de Imperio dimicantes, occasionem præbuerunt Romanis, ut Iudæam invaderent. Pompeius Ierosolymam veniens, capta urbe & templo observato ad Sancta sanctorum accedit. Aristobulum vinctum secum adducit. Hyrcanum deinde Antipatrum Herodis Ascalonitæ filium procuratorem Palæstinæ fecit. Pompeius capris Ierosolymis, tributarios Iudæos facit. Pompeius secundus Imperator appellatur. Cæsar Lusitaniam & quasdam Insulas in Oceano capit. Cæsar Rhenum transiens Germanos & Gallos capit.

De Antiochia.

Postquam C. Iulius Cæsar primus Romanorum singulare obtinuit imperium, Romanorum princeps appellatus est. Pompeius prælio victus fugiens, à spadonibus Alexandri regis occiditur. Ptolomæi cadauer cum lorica aurea in Nilo inuenitur. Cæsar in Ægypto regnum Cleopatræ confirmat, ob stupri gratiam. Cleopatra regio comitatu ingressa urbem, prohibet lecticis & margaritis uti. Antonius decernit Quintilem mensẽ Iulium debere dici, quia in eo fuisset natus. C. Iulius Cæsar in Curia occiditur: corpus in rostro rumore concrematur. Romæ tres exorti Consules in eadem urbe fuerunt. Inter cætera portenta, quæ in toto orbe facta sunt, bos ad arantem in suburbano locutus, frustra se urgeri: non enim frumenta, sed homines brevi defuturos.

De Iulio Cæsare.

Romanorvm secundus post Iulium singulare Octavianus assumpsit imperium, qui primum Augustus Cæsar appellatus est. regnavit annos LXII. menses

De Octaviano Cæsare.

sex. Post quem Augusti appellati sunt reges Romanorum. Antonius adversus Cæsarem Augustum bellum movit. Falcidius tribunus plebis legem tulit, ne quis plus testamento legarer, quàm ut quarta pars hæredibus superesset. Trans Tyberim fluvium oleum terra erupit, quod tota die sine intermissione fluxit, significans Christi gratiam ex gentibus. Antonium superat Augustus Octavianus & interveniente Senatu, eum in gratiam recepit. Antonius Patritius contra Iudæos dimicans tandem occiditur, & regnum Iudæorum tunc fuit destructum. Herodes postea à Romanis constitutus princeps. Virgilius in Cappadocia moritur. Herodes à Romanis Iudæorum susceptit principatum. Cuius tempore Christi nativitate vicina, regnū & sacerdotium Iudæi, quod prius per successionem Assamonæorum tenebatur, destructum est; completa prophetia, quæ ita per Moysen loquitur: Non deficiet princeps ex Iuda, neque dux de femoribus eius, donec veniat, cui repositum est: & ipse erit expectatio gentium. In hoc loco etiam Christus, quem Danielis scriptura præfatur, accepit finem. Nam usq; ad Herodem, Christi, id est, Sacerdotes erant reges Iudæorum, qui imperare cœperunt * 165. Olympiade; & ab instauratione templi sub Dario usque ad Hyrcanum & CLXXXV. Olympiade; an. CCCCLXXXVII. in mediis an. transactis, quos Daniel significat, dicens: Et sciens & intelligens ab initio sermonem respondendi & ædificandi Hierusalem, usq; ad Christi principatum, hebdomades VII. & hebdomades sexaginta duæ: quæ sexaginta novem hebdomadæ faciunt an. quadraginta quatuor. Herodes Antipatri filius nihil ad se pertinentem Iudæam ab Augusto & Senatu accepit: filiique eius post eum regnaverunt, usque ad novissimam Hierosolymæ captivitatem. Quæ omnia etiam Daniel propheta vaticinatur, ita dicens: Et post hebdomadas septem & sexaginta duas, peribit chrisma, & iudicium non erit in eo: & templum & sanctuarium corrumpet populus cum duce veniente: & cædentur in cataclismo belli. Et in consequentibus: Et super templum, inquit, abominatio desolationum usque ad consummationem temporis; & consummationem dabit super dissolutionem.

Gen. 49.

Dan. 10. Euseb. 95.

Dan. 9.

Dan. 7.

Herodes Ananælum quendam Pontificem Iudæorum instituit, & post exiguum temporis Aristobulum fratrem uxoris suæ, nepotem .... successorem dedit, quo post annum unum interfecto, Ananælo reddidit sacerdotium.

Lunæ cursus tunc à Romanis inventus est.

Antonius Cleopatræ Arabiam tradit. Augusti & Antonii tertiæ dissensionis ordium fuit, quod repudiata sorore Cæsaris, Cleopatram duxit uxorem. Cleopatra & Antonius semet interficiunt, & ob hoc Ægyptus fit Romana provincia, quam primus tenuit consul Cornelius.

De Augusto & Caio.

Tertio decimo anno imperii Octaviani, monarchiam habere meruit Cæsar Augustus; & ita appellatus est: à quo Sextilis mensis Augusti nomen accepit. Cum ingenti triumphorum pompa Augustus Romam ingressus est. Cleopatræ liberi Sol & Luna ante currum eius ducti. Augustus Romanis plurimas leges statuit. Censu Romæ agitato inventa sunt civium Romanorum XLI. millia, centena & LXIV millia. Hæc descriptio XIII. anno imperii Octaviani facta est. Augustus Calabriam & Gallos vectigales fecit. Munatius Planeus Ciceronis discipulus, orator insignis habetur: qui cum Galliam Comatam regeret, Lugdunum condidit.

Anno XXIII. imperii Octaviani Tiberius, ab Augusto missus, occupavit Armeniam. Herodes ab Hierosolyma multas & magnas ædes cōstruit. Herodes Samariam olim, iam in cineribus sedentem, à fundamentis suscitans; in honorem Augusti Augustam, id est, Sebasten appellavit. Augustus Samiis libertatem dedit. In Cypro plurimæ civitatum partes terræ motu corruerunt. Germanos in arma versos Lollius superat. Augustus XXIX. anno imperii sui Caium adoptavit in filium. Tiberius Vindelicos, & eos qui Thraciarum confines erant, Romanas provincias facit. Herodes Cæsaream in nomine Cæsaris condidit. Antidonam & Antipatridam condidit: innumerabilia quoq; opera in singulis Syriarum urbibus, quas regnavit solertissimè, ædificavit. Herodes Hyrcanum, qui olim sacerdos Iudæorum fuerat, de captivitate Parthica regressum; & filium eius, qui sacerdotio patris successerat, interfecit. Sotoren quoq; eius uxorem suam cum duobus propriis filiis adolescentibus, & matrem uxoris occisæ socrum suam crudelissimè necavit. Augustus Juliam filiam suam in adulterio deprehensam damnat exilio. M. Tullius Tyro Ciceronis libertus, ipse primus notas commentus est. Herodes ad ea, quæ supra crudeliter gesserat, etiam hoc addidit,

m s. Vindelicia, & vindiculos corrigo Vindelicos ex Euseb.

virum

vitum sororis suæ Salomæ interfecit; & cum eam alii tradidisset uxorem, etiam ipsum necat. Interpretes divinæ legis occidit.

Colliguntur omnes anni ab Abraham usq; ad Nativitatem Christi, an. duo millia quindecim. Tertullianus in eo libro, quem contra Iudæos scripsit, affirmat quadragesimo primo an. Augusti natum, & decimo quinto Tiberii esse passum. Augustus Tiberium & Agrippam in filios adoptavit. Iudas Gallilæus ad rebellandum Iudæos cohortatur. Herodes cum Christi Nativitatem Magorum indicio cognovisset, universos Bethleem parvulos iussit interfici. Herodes morbo intercutis, & scatentibus toto corpore vermibus, miserabiliter & digno moritur cruciatu. Augustus quinquagesimo quinto imperii sui anno, cum Tiberio filio suo censum Romæ agitans. Inventa sunt hominum nonaginta centena millia. Archelaus nono anno regni sui in Vienna urbe Galliarum moritur. Defectio solis facta. Augustus * septuagesimo sexto ætatis suæ anno Atellæ in Campania moritur, sepultusq; est Romæ in Campo Martio. Imperavit Tiberius annis XXIII. Germanicus Cæsar de Parthis triumphavit. Tiberius multos reges ad se per blanditias evocavit, nec remisit, quem attrahere potuit, & Archelaum Cappadocem, cuius regnum in provinciam erat versum, Agiacham novissimam civitatem Cæsaream appellare iussit. Tiberius Drusum consortem imperii fecit. Drusus Cæsar veneno periit anno XLVI. imperii Tiberii. Ioannes filius Zachariæ in deserto iuxta Iordanem fluvium prædicans Christū filium Dei in medio eorum adesse testatur. Ipse quoq; Dominus Iesvs Christus hic in principio salutarem iam adnunciat signis atq; virtutibus viam: vera comprobant esse, quæ dicerentur per Prophetas.

De Christo Salvatore nostro. Tertull. ad Iudæos cap. 8

al. nonaginta ter centena millia.

Computantur in præsenti an. id est, Tiberii Cæsaris XXXIV. à secundo anno instaurationis Templi, quæ facta est sub altero an. Darii regis Persarum, an. DXLVIII. à Salomone autem & prima ædificatione templi anni mille quadraginta. à Moyse & egressu Israel ex Ægypto anni mille octingenti novem. Ab Abraham & regno Nini & Semiramidis ann. duo millia quadraginta quatuor. à diluvio usque ad Abraham anni nongenti quadraginta duo. Ipse Christus filius Dei salutarem cunctis prædicans viam, miracula, quæ in Evangelio scripta sunt, facit. Iesus Christus filius Dei discipulos suos divino imbuens sacerdotio, ut universis gentibus conversionem ad Deum nuncient imperat. Ipse Christus filius Dei secundum Prophetas, quæ de eo fuerant prælocuti, ad Passionem venit anno Tiberii decimo quinto. Quo tempore etiam in aliis Ethnicorum commentariis hæc diversa scripta comperimus. Solis facta defectio, ita ut in tenebrosam noctem dies media converteretur, & stellæ apparerent. Bithynia terræ motu concussa est, quæ omnia his congruunt, quæ in Passione Salvatoris acciderant. Argumentum autem huius diei, quod Salvator isto anno passus sit, Evangelium præbet Ioannis, in quo scribitur XV. anno Tiberii Cæsaris tribus annis dominum prædicasse. In templo Ierosolymis subito erupit vox dicentium, Transmigremus ex his sedibus. Eodem anno Pilatus præses, secreto noctis, imaginem Cæsaris in templo statuerat. Hæc prima seditio & turbarum Iudæis causa. Ecclesiæ Ierosolymorum primus Episcopus ab Apostolis ordinatus est Iacobus frater Domini. Ex hoc considerandum, quantæ deinceps calamitates Iudæorum gentem oppresserint. Pilatus post supradictam seditionem, quæ ob Cæsaris imaginem fuit concitata, sacrum thesaurum, quem Corbonam Iudæi vocant, in aquæductum Ierosolymorum exposuit. Secunda seditio Iudæorum fuit anno XXII. imperii Tiberii. Agrippa filius Herodis regis accusator Herodis Tetrarchę Romam profectus à Tiberio in vincula mittitur. Pilatus de Christianorum dogmate refert, Tiberius senatui dicens, ut inter cætera sacra reciperent; præcepit. Tiberius per edictum accusatoribus Christianorum comminatus est mortem. Multi senatorum & equitum Romanorum interfecti. Tiberius in Campania moritur.

Quando passus sit Christus. Confer cum Eusebio.

Romanorum 4. Caius imperavit an. 4. & menses 10. Gaius Cæsar cognomento Caligula Aggrippam vinculis liberatum, regem Iudæis fecit. Gaius semetipsum in Deos refert. Flaccus multos Iudæos calamitatibus premit, consentiente Alexandriæ populo. Gaius Mammii reguli uxorem duxit, impellens eum, ut uxoris suæ patrem esse inscriberet. Pontius Pilatus in multas incidens calamitates, propria se manu interfecit. Gaius Ierosolymam statuā suam sub nomine Iovis Maximi ponere præcepit. Plurimi nobiliū à Gaio sunt interfecti. Gaius sorores suas, quibus stuprum intulerat, exilio condemnavit. Gaius omnes exules iussit interfici. Gaius à protectoribus suis in patrio occiditur, anno ætatis suæ 29.

de Caio Cæsare.

Mammii regali. vel regentis exercitus. Ita enim Sueton. Calig. 25.

Lollia Paulinā C. Memmio consulari, exercitui regenti imperium &c. coniunxit sibi.

Romanorum V. CLAVDIVS imperavit annos XIV. menses IX. dies XXVIII. Iste est Claudius patruus Drusi, qui apud Moguntiam monumentum habet. Petrus Apostolorum auctor primus postquam Antiochenam Ecclesiam in Episcopatū fur dasset,

Romam mittitur. Vbi Evangelium prædicans XXV. annis eiusdem urbis Episcopus perseverat. Marcus Evangelista interpres Petri Ægypto & Alexandriæ Christum annunciat. Primus Antiochiæ Episcopus ordinatus Euodius. Agrippa rex Iudæorum regnavit an. XXVI. post quem filius suus Agrippa à Claudio substituitur in regno. Fames ingens, quæ prædicta fuerat sub Claudio, toto orbe fuit. Claudius de Britannis triumphavit, & Orcadas insulas Romanorum subiecit imperio. Descriptio Romæ V. anno Imperii Claudii facta. Inventa sunt civium Romanorum LXIX. centena & LXIX. millia. Græcia eiusq; regná in provinciam redigúntur. Hierosolymis orta seditio, ut in portarum exitu córrueret: triginta millia Iudæorum perierunt. Claudius felicem Procuratorem in Iudæam mittit: apud quem Paulus Apostolus accusatur. Sub Felice Procuratore Paulo dicitur à tribuno, Nonnè tu es Ægyptius, qui ante hos dies congregasti & eduxisti in desertum quatuor millia virorum sicariorum? Claudius XIV. anno imperii sui in palatio, ætatis suæ LXIV. moritur.

Romanorum VI. regnavit NERO annos XIII. menses VII. & dies XXVIII. Huius avunculus fuit CAIVS Caligula. Felice regnante in Iudæa seditio in Cæsarea Palæstinorum orta est. Magna Iudæorum periit multitudo. Festus successit Felici, apud quem præsente Agrippa rege Paulus Apostolus religionis suæ rationem exponens, vinctus Romam mittitur, anno tertio Imperii Neronis. Terræ motus Romæ & solis facta est defectio. NERO Agrippinam matrem suam, & sororem matris suæ interfecit. Nero tantæ luxuriæ fuit, ut frigidis & calidis unguentis lavaretur, retibusq; aureis piscaretur, quæ purpureis funibus extrahebant. Iacobus frater Domini, quem omnes Iustum appellabant, à Iudæis lapidibus opprimitur. Cui Simeon secundus Episcopatum assumpsit. Ante mensam Neronis fulmen de cœlo cecidit. Thermæ Neronianæ ædificatæ sunt. NERO vt similidudinem Troiæ ardentis inspiceret, plurimam partem Romanæ urbis incendit. Duæ tantum provinciæ sub Nerone factæ, Pontus Ptolemaicus, & Alpes Coctiæ. Coctio rege defuncto multi nobilium à Nerone interfecti. Neronis in expensas centies centena millia, decreto Senatus, annua submínistrantur. Nero cum cæteris Octaviam uxorem suam interfecit, Cornutum philosophum Persii in exilium relegat. Primus Nero super omnia scelera sua etiam persecutionem in Christianos facit. Petrus & Paulus glorioſe Romæ occubuerunt: Petrus crucifigitur, & Paulus gladio capite truncatur. Iudæos tunc contra Romanos rebellantes, Vespasianus à Nerone transmíssus, plurimas urbes Iudæorum capit. Nero cum à Senatu quæritur ad pœnam, à palatio fugiens ad Vrbis miliarium in suburbano liberti sui inter Salariam & Numentanam viam semetipsum interfecit, anno ætatis suæ XXXII. atq; in eo omnis Augusti familia consumpta est.

Sueton. Nero. cap. 48.

Post Neronem GALBA in Iberia, VITELLIVS in Germania, OTTO Romæ imperium administraverunt. Magister militum Fabius Quintilianus Romam à Galba perducitur. Galba VII. mense imperij sui in medio Romanæ vrbis foro capite truncatur. Vespasianus duobus præliis superat Iudæos. OTTO III. regni sui mense apud *Victriacum propria manu occubuit. Vitellius à Vespasiani ducibus occisus, in Tiberim proicitur.

*leg. Bebria-cum.

Romanorum VII. imperavit VESPASIANVS annos novem, menses undecim, dies 22. VESPASIANVS apud Iudæam Imperator appellatus, & bellum Tito filio suo cómendans Romam per Alexandriam proficiscitur. Tunc Iudæorum regnum finitum est. Titus Iudæam captam & Ierosolymis subversis sexcenta millia virorum interfecit, undecies centena millia fame & gladio ex eis periere: & centum millia captivorum publicè sunt vendita: quia ex omni gente Iudæorum ad tempus Paschæ in urbe quasi carcere sunt recluſi. Oportuit enim in iis diebus Paschæ eos interfici, qui Salvatorem crucifixerunt. Colligitur omne tempus, in secundo anno Vespasiani & novissima eversione Hierosolymorum CCXV. anni, Tiberii Cæsaris & ab exordio Evangelicæ prædicationis, an. XLII. à captivitate autem, quam ab Antiocho perpessi sunt, anni, CCXXXVIII. Porrò à Darii secundo anno, quo rursum templum ædificatum est, anno DCLXI. A prima autem ædificatione templi, sub Salomone, usq; ad novissimam eius ruinam, quæ à Cæsare Vespasiano facta est, anno millesimo centesimo secundo. Vespasianus capitolium ædificavit. Germanos rebellantes superat, & Aventicum civitatem ædificari præcipit, à Tito filio suo postea expletur, & nobilissimam Gallia Cisalpina efficitur. In Alexandria facta est seditio. Colossus Romæ erectus habens in altitudine pedes CVII. quem in nomen & laudem victoriæ, quam in Germania fecerat, erexit. Vespasianus mortuus est profluvio ventris, in villa propria an. ætatis suæ LXIX.

Romæ

Romanorum LIX. Titus imperauit annos duos, menſes duos. Titus filius Veſpaſiani in vtraq; lingua peritiſſimus fuit, & tantæ bonitatis, vt cum quadam die recordatus fuiſſet in cœna, nihil ſe cuiquam præſtitiſſe, dixerit, Amici, hodie perdidi diē. Mons *Bibius in Aſia ſubtus in vertice tantum eiecit incendium, vt regiones vicinas cum hominibus exureret. Titus amphitheatrum Romæ ædificauit, & in dedicatione eius quinq; millia ferarum occidit. Romæ Eccleſiæ ſecundus Epiſcopus Cletus an: XII. Titus vniuerſam Galliam circuiuit, & Auentico ciuitatem, quam pater inceperat, expleuit, glorioſe: & quod eam diligebat, ornauit. Titus Romam rediens morbo periit in ea villa qua pater ſuus.

Nomē montis huius mire variant. Georg. Cedren. Bebio. Silio Italico Veſpius: alii Veſuius, Veſenus, Veſuuius.

Regnauit DOMITIANVS an: XV. & menſes V. Titi frater iunior fuit. Domitiani vxor Auguſta appellatur. Domitianus eunuchos fieri prohibuit. plurimos Senatorū Domitianus in exilium mittit. Domitianus templum ſine lignorum adminiſtratione conſtruxit. Primus Domitianus Dominum ſe & Deum appellari iuſſit. Duos menſes alter appellari fecit; Septembrem, Germanicum; Octobrem, Domitianum. Domitianus plurimos nobiliū exilio damnauit atq; occidit. Domitianus de Dacis & Germanis triumphauit. Domitianus tantæ ſuperbiæ fuit, vt aureas & argenteas ſtatuas ſibi in Capitolio poni iuſſerit. Domitianus multos nobilium perdidit, quosdam vero in exilium miſit. Secundus poſt Neronem Domitianus Chriſtianos perſequitur: & ſub eo Ioannes Apoſtolus in Pathmos inſulam relegatus Apocalypſin ſcripſit. Domitianus rurſus philoſophos & mathematicos Romæ per edictum proſcribit. Domitianus eos, qui de genere Dauid erant, interfici præcepit vt nullus Iudæorum regum reliquus eſſet. Domitianus in palatio occiditur, & per veſpillones ignobiliter portatus ſepelitur anno ætatis ſuæ * XXXVI.

Vide Synonymiam Ortelii. De Veſuuii eruptione Sueton. Tit. cap. 8. Dio in Tito. Plin. Epiſt. ad Traci. De Domitiano Cæſare.

al. 30.

Romanorum decimus regnauit Nerua an: I. menſes IV. Senatus decreuit, vt omnia quæ Domitianus ſtatuerat, irrita eſſent, & multi, quos iniuſte eiecerat, de exilio ſunt reuerſi. Et Apoſt: Ioan: hoc tempore exilio ſolutus Ephe: ſeceſſit; in qua vrbe hoſpitiolum & amicos amantiſſimos habebat. Nerua morbo periit in hortis Saluſtianis anno ætatis ſuæ 72. cum iam Traianum adoptaſſet in filium. Traianus Agrippinæ in Galliis Imperator factus, natus in Hiſpania.

Romanorum vndecimus regnauit TRAIANVS annos XIX. menſes VI. Decreto Senatus Nerua in Deos relatus. Ioannes Apoſtolus vſq; ad Traiani tempora permanſit. Traianus de Dacis & Scythis triumphauit. Traianus victo rege Decibalo Daciam fecit prouinciam: Iberos, Sauromatas, * Ruinos, Arabes, Boſphoranos, Colchos in fidem accepit. Seleuciam, Teſiphontem, Babyloniamq; occupauit. Romæ aurea domus incendio conflagrauit. Terræ motu quattuor vrbes Aſiæ ſunt ſubuerſæ. Traianus aduerſus Chriſtianos perſecutionē mouens, multos Chriſtianos interfecit. Traianus Armeniam, Aſſyriam, Meſopotamiam fecit prouincias. Traianus profluvio ventris extinctus eſt anno ætatis ſuæ * LXIV. menſe IX. die IV.

al. Afriuna, quidā Cronos, quidam Hoſdroēnos nominant hic ſunt qui Agarenos ex Dione legūt. al. 63.

Romanorum duodecimus ADRIANVS in Hiſpania natus conſobrinæ Traiani filius fuit. Adrianus Alexandriam ſubverſam à Romanis, publicis reſtauravit expenſis. Adrianus Traiani invidens gloriæ, de Aſſyria, Meſopotamia, & Armenia, quas ille prouincias fecerat, revocavit exercitus. Adrianus Iudæos rebellantes capit. Senatus Traianum in Deos refert. Adrianus in utraq; lingua eruditus benigniter tributa urbium plurimarum relaxavit, * polepticis publicis incenſis plurimos à tributis liberos fecit. Adrianus edictum dedit, ſine obiectione criminum Chriſtianos non condemnandos. Imperator Adrianus pater patriæ appellatur, & uxor eius Auguſta. Adrianus bibliothecam miri operis extruxit. Iudæis rebellantibus Adrianus mittit ad reprimendum exercitum eorum: quæ rebellio finem accepit; & ita oppreſſi ſunt, ut ex eo tempore etiam eis introeundi in Ieruſalem ſit licentia ablata. Primus ex gentibus Ieroſolymis tunc conſtituitur Marcus Epiſcopus; ceſſantibus his qui fuerant ex Iudæis. Adrianus morbo moritur ſexagenarius.

al. Polemitis. Corrige in hac voce ex Dione & Spartiano qui de Syngraphis incenſis multā.

Romanorum XIII. regnavit Titus, cui nomen ANTONINVS PIVS, annos XXII. menſes * III. cum liberis ſuis Aurelio & Lucio. Antoninus pater patriæ appellatur. Antoninus Pius in villa propria XII. ab urbe milliario moritur, anno vitæ ſeptuageſimo ſeptimo.

al. menſes 4.

Romanorum XIV. regnavit MARCVS ANTONINVS annis XIX. menſe uno: cum quo conſortes fuerunt regni * Lucius Aurelius & Commodus. Hi primum æquo iure imperium adminiſtraverunt; cum uſq; ad hoc tempus ſinguli Auguſti fuerint. Lucio Cæſare Athēnis ſacrificante, ignis in cœlo ab oriente in occidentem ferri viſus. Luci[us]

al. Lucius & Aurelius Commodus. Hic ſollicite m.ſ. var. lect.

mota, propter ingentes dissensiones de nomen claruta horum Imp. de qua Baron. ann. 1633.

Cæsar de Parthis cum fratre triumphavit. Plurimi in Galliis glorioſe ob Chriſti nomen interfecti. Lucius Imperator anno regni ſui nono in Concordia apoplexia extinctus eſt, ſedens cum fratre in * cubiculo. Pſeudo prophetia quæ Cata-Phrygas nominatur, accepit exordium. Tanta undiq; tunc fuit inundatio gentium, ut totus Romanorum exercitus ad internecionem delectus fuiſſet. Imperator Antoninus multis adverſum ſe naſcentibus bellis ſæpe ipſe intererat; ſæpe duces nobiliſſimos deſtinabat. Semel * pertinaciter exercitu confligebat in Gothorum regione; & oppreſſo pluvia divinitus miſſa eſt; cum è contrario Germanos & Sarmatas perſequeretur imber. Chriſtianis militibus fortiter deprecantibus ad extinguendam ſitim illorum hoc fuit præſtitum. Antoninus commodum filium ſuum conſortem regni facit. Deſcriptiones iniquas in foro incendi iubet. Leges ſeveriores integra emendatione inſtituit. Antoninus poſt victoriam in editione munerum mirificus fuit. Smyrna urbs Aſiæ terræ motu ruit. Antoninus in Pannonia morbo petiit.

** Capitolin. in Marco habet: in ubiculo. al. Pertinaci exercitum cum eo in Gothorum regione oppreſſo.*

Commodus.

Romanorum XV. regnavit COMMODVS annis XIII. Commodus de Germanis triumphavit. Commodus Imperator Coloſſi capite ſublato ſuæ imagini caput iubet imponi. Commodus multos nobilium interfecit. Incendio Romæ facto, palatiũ, ædes Veſtæ, plurimaq; urbis pars ſolo æquantur. Commodus ſtrangulatus in domo Veſtali moritur.

Romanorum XVI. Ælius regnavit menſes VI. PERTINAX cognominatus: q; obſecrante uxore ſua Auguſta, ut filium ſuum Cæſarem appellaret, cõtradixit: ſufficere, dicens, quod ipſe regnaret invitus. Occiditur in palatio, IVLIANI iuriſperiti ſcelere, quem poſtea Severus apud Milvium pontem interfecit.

Romanorum XVII. regnavit SEVERVS annos XIX. Severus Parthos & Avaros ſuperavit. Severo imperante thermæ Severianæ Romæ factæ. Perſecutio in Chriſtianos facta. * Leonides glorioſe martyrium accepit, CLAVDIO ALBINO, qui ſe in Gallia Cæſarem fecerat, apud Lugdunum interfecto. Severus in Britannos bellum transfert: ubi recepta maxima eiuſdem provinciæ parte, murum per centum triginta quinq; millia à mari ad mare duxit. Severus moritur Eboraci in Britannia.

Romanorum XIIX. regnavit ANTONINVS cui nomen CARACALLA, Severi filius an. VII. Antoninus Romæ thermas ſui nominis Antoninianas ædificavit. Tam impatiens fuit ſuæ libidinis, ut novercam ſuam Iuliam uxorem duceret. Antoninus interficitur an. ætatis ſuæ XLIV.

Romanorum XIX. MACRINVS regnavit anno uno. Interficitur in Archelaide.

Romanorum XX. regnavit AVRELIVS annis IV. impudicè. Romæ occiditur in multu militari.

** Herodian. lib. 6. & Lampridius Artaxerxem vocant.*

Romanorum XXI. regnavit Alexander Mammeæ filius annis XIV. Alexander Xerxem regem Perſarum glorioſiſſime vicit. Thermæ Alexandrinæ Romæ ædificatæ. Alexander occiditur Mogunciæ, ſuper Rheno fluvio, tumultu militari.

Romanorum XXII. MAXIMINVS an. quatuor. Maximinus primus ex corpore militari ab exercitu electus eſt Imperator. à Popione occiditur.

Romanorum XXIII. regnavit GORDIANVS. In palatio occiditur Gordianus, cùm de Parthis triumphavit, fraude Philippi Præfecti Prætorii. Philippus filium ſuum conſortem regni fecit, primuſq; omnium ex Romanis Imperatoribus Chriſtianus fuit.

Regnante PHILIPPO milleſimus an. Rom. urbis expletus eſt. Philippus nominis ſui in Thracia urbem conſtruit. Philippus ſenior Veronæ occiditur.

Romanorum XXIV. regnavit DECIVS anno uno menſibus tribus: qui in Pannonia inferiori natus fuit. Cum duos Philippos patrem & filium interfeciſſet, ob odium eorum, in Chriſtianos perſecutionem movet. Antonius monachus in Ægypto naſcitur. Decius cum filio in Africa occiditur.

Romanorum XXV. regnavit GALLVS & VOLVSIANVS Galli filius an. I. menſ. III. Gallus & Voluſianus ab Æmiliano interfecti ſunt.

Romanorum XXVI. regnavit VALERIANVS & GALLIENVS an. XV. Valerianus in Rhetia ab exercitu Cæſar appellatus eſt. Valerianus in Chriſtianos perſecutione cõmota ſtatim à Sapore rege Perſarum capitur, ibique ſervitute miſerabili conſenescit. Sapor rex Perſarum Syriam, Ciliciam depopulatur Valeriano in Perſas ducto. Sapor Rex, de dorſo Valeriani ſemper equum aſcendebat.

GALLIENVS firmatur in imperio. Germani Ravennam venerunt. Alamanni vaſtatum Aventicum pervenerunt, inæſtimabili nocumento & plurimam partem Galliarum vaſtaverunt, indeq; in Italiam tranſierunt. Græci Pannoniam occupaverunt.

Germa-

Germani Hispanias obtinuerunt, etiam & Syriam incursaverunt, Francos in eorum habentes auxilio. Gallienus Mediolani occiditur.

Romanorum XXVII. regnavit CLAVDIVS annos XL. & menses* novem. Claudius Gothos, Illyricum, & Macedoniam vastantes superat. Claudius Syrmii civitate Pannoniæ moritur. *al. 8. l. frater ex Vopisco.*

QVINTILIVS Claudii* pater à Senatu Augustus appellatur. XVII. die Imperii sui occiditur.

Romanorum XXVIII. AVRELIANVS annos V. & menses II. Aurelianus, Tetrico apud Catalanensem exercitum gubernante, Gallias recepit. Cenobia apud Emmaus non longe ab Antiochia vincitur, quæ, occiso marito suo, Orientis tenebat imperium: in qua pugna strenuissime apud eandem pugnavit Pompeianus dux genere Francus, cuius familia usq; hodie apud Antiochiam perseverat. Cuius Pompeiani instantia maxima pars Asiæ ditioni Romanæ subiicitur: ex cuius stirpe EVAGRIVS charissim⁹ nobis presbyter descendit. Tetricus Aurelianum Romæ triumphantem & Cenobia præcesserunt. Aurelianus templum Solis ædificat, Romam firmiorib⁹ muris vallat. Aurelianus cum adversus Christianos persecutionem movisset, à fulmine occiditur.

Romanorum XXIX. regnavit TACITVS menses VII.

Quo apud Pontum occiso, obtinuit FLORIANVS imperium dies 89. qui apud Tharsum interficitur.

Romanorum XXX. regnavit PROBVS annos VI. menses IV. Probus Gallias à barbaris occupatas; ingenti virtute restituit. Probus Galliis & Pannoniis vineas habere permisit. Probus tumultu militari apud Syrmium in turri, quæ vocatur Ferrata, occiditur.

Romanorum XXXI. regnavit CARVS cum filio CARINO & NVMERIANO. Carus fulmine est mortuus. Numerianus ob oculorum dolorem cùm lectica veheretur, insidiis Apri soceri sui occisus est, vix fœtore cadaveris post aliquot dies comperto scelere. Carinus in prælio victus apud Murgum occiditur.

Romanorum XXXII. regnavit DIOCLETIANVS an. XX. qui primo pro scelere generum suum interfecit. DIOCLETIANVS in consortio regni sui Herculium Maximianum adsumit: qui rusticorum multitudine oppressa, qui factioni suæ Baccharidarū nomen indiderunt, pacem Galliis reddidit. Carausius sumpta purpura Britannias occupavit. Narseus in Oriente bellum intulit. Achildis Ægyptum obtinuit. ob quæ Valerius Maximianus Cæsares assumuntur in regno. DIOCLETIANVS etiam affinitate coniungitur: & Constantius privignam Herculei Theodoram accepit, ex qua postea sex liberos Constantini fratres habuit; Gallerius filiam Diocletiani Valeriam; ambo uxores, quas habuerunt repudiare compulsi. Carporum & Basternorum gentes in Romanum solum translati. Primus Dioclerianus adorari se ut Deum iussit: vestibus, calceamentisq; gemmas inseruit; cùm ante eum omnes Imperatores in modum iudicum salutarentur, & chlamydem tantum purpuream à privato habitu plus haberent. Post decem annos Britanniæ rebellantes, ab Asclepiodoto receptæ. Iuxta Lingonas à Cōstantio Cæsare sexaginta millia Alamannorum cæsa. Paulatim decimam illo tempore persecutionem adversus Christianos incipiens prælio Galerius superior, Narseo, uxoribus, ac liberis, sororibusq; eius captis à Diocletiano ingenti honore suscipitur. Thermæ Romæ à Diocletiano factæ. Diocletianus & Maximianus Augusti insigni pompa Romæ triumpharunt. Nouendecim annis Diocletiano regnante quatuor* Sedum cum populo, eodem iubente subuersi sunt: secundo anno persecutionis Diocletianus & Maximianus Mediolani purpuram deposuerunt. Maximianus & Seuerus à Galerio Maximiano Cæsares facti. Constantius XVI. imperii sui anno diem obiit in Britannia. *Maximinus.*

Romanorum XXXIII. regnauit CONSTANTINVS XXX. annos, menses decē. Constantinus Bizantium civitatem miræ magnitudinis ampliavit, & glorioſe construxit: quam sui nominis Constantinop. lim appellari iussit. Constantinus cum matre Helena Crucem Domini nostri Iesu Christi Hierosolymis invenit, effectusq; est Christianus ab Helena. Crux Domini Hierosolymis fabricatur & stabilitur. Constantinus per signum crucis omnes gentes superat. Severus Cæsar à Galerio Carnoti cum Galliam regeret, imperator factus. Galerius Maximianus moritur. Constantinus filius Constantini Cæsar factus. Herculius Maximianus à filia Fausta detectus, quod dolum Cōstantino viro suo pararet, Massiliam fugiens occiditur. Galerius Maximianus moritur. Crispus & Constantinus, filius Constantini & Licinius adolescens Licinii Augusti fi-

al. quem Crispus & Lactantius in erudiuit. lius, Constantini ex sorore nepos: quem cum Crispus & Lactantius Latinis literis eruditum, Constantinus filius Constantini Cæsaris & Liciniæ filius crudelissime interficitur. Edicto Constantini gentilium templa subversa sunt. Romani Gothos in Sarmatarum regione vicerunt. Constans filius Constantini provectus ad regnum. Constantinus cum liberis suis honorificas ad Antonium literas mittit. Constantinus extremo vitæ suæ tempore ab Eusebio Nicodemiense Episcopo baptizatus, in Arianum dogma declinat. Constantinus bellum parans in Persas in Aquiloni villa publica moritur, anno ætatis suæ LXI. post quem tres liberi eius Consules à Senatu appellantur Imperatores.

Corige hunc mendosum locum ex Euseb. Chron.

Hieronym. in Chron. Aneyrone. Vide Euseb. in vita Constant. 4. cap. 61.

Romanorum *XXXIV.* regnaverunt CONSTANTINVS CONSTANTIVS & CONSTANS annos *XXIV.* menses V, dies XIII. à quo multi nobilium sunt occisi. Sapor rex Persarum Mesopotamiam vastat: Nisibin obsidet. Dalmatius Cæsar quem patruus Constantin⁹, consortem regni filiis dereliquerat, factione Constantii patruelis & tumultu militari interimitur. Ex hoc loco impietas Ariana Constantii regis fulta est. Carceribus & variis afflictionum modis primum Athanasium Episcopum persecutus est.....

lege Constantinus iuxta Aquileia Alsam. iuxta Aquilcam à se occiditur. Vario euentu aduersus Francos à Constante pugnatur. Multæ orientis urbes terræ motu horribili consederunt: Franci à Constante perdomiti; pax cum eis facta. Solis defectio. Bellum Persicum nocturnum apud Signera: victoriam, militum stabilitate, perdiderunt. Neq; vero ullus Cõstantium ex novem

Ieronim. in Chron, singulis in quo, victoriã, militum soli ditate perdidimus. gravissimis præliis contra Persas bellasse acrius conspexit. Nam ut alia omittam, Nisibis obsessa, Nicea & Amida captæ sunt. A quatuordecim millibus militum, sexaginta millia victa & capta.

MAGNENTIO apud Augustodunum arripiente imperium, Cõstans haud longe ab Hispania in castro cui Helenæ nomen est, interficitur an. ætatis suæ *XXX.* Quamobrem turbata rep. VETRANIO Mursæ, NEPOTIANVS Romæ Imperatores facti. Romæ populus adversus Nepotianum consurgit. Caput eius ablatum, multorumq; nobilium cædes interea fiunt. Magnentius Lugduni in palatio propria se manu interfecit. DECENTIVS frater eius quem ad tuendas Gallias Cæsar miserat, apud Senonas se laqueo suspendit.

GALLVS Cæsar sollicitatus à Constantio patruelem à quo in suspitione ob egregia facta habitus, occidit. Siluanus in Gallia res nouas molitur: XXIIX. die extinctus est. Eusebius Vercellensis Episcopus, & Lucifer ac Dionysius Caralitanæ & Mediolanensis Ecclesiæ Episcopi, Pangratius Romanus presbiter à Constantio damnantur exiliis. Antonius Monachus CV. ætatis suæ anno moritur, solitus multis ad se venientibus de Paulo quodam Thebæo miræ beatitudinis viro referre: cuius exitum breui libello ex-

Sunt verba S. Hieronymi in Chron. explicuimus. Saraceni in monasterium Beati Antonii irruerunt, Sarmatam interficiunt. Constantio Romam ingresso, ossa Andreæ Apostoli & Lucæ Evangelistæ à Cõstantinopolitanis miro favore suscepta. Paulinus Treverorum Episcopus in Phrygia exulans moritur. Gratianus qui post Imperator fuit, nascitur. Hilarius cum apud Cõstantinopolim librum pro se Constantio porrexisset, ad Gallias redit. Omnes pæne totius orbis Ecclesiæ, sub nomine pacis, & regis, Arianorum consortio polluuntur. Gallia per Hilarium perfidiæ dolos damnat. Constantius Mopsocrenis inter Ciliciam Cappadociamq; moritur, anno XLV. ætatis suæ.

Romanorum *XXXV.* regnavit IVLIANVS anno uno, mensibus octo. Iuliano ad idolorum cultum converso, blanda persecutio fuit, illiciens magis quàm impellens. Multi ex Christianis voluntate propria corrueru nt. Iulianus in Persas profectus post victoriam à contrariis hostibus superatur; à suis conto ilia percussus interiit, anno ætatis suæ *XXVII.*

al. 22. quod corrigunt alii in 23.

Post quem Iovianus arripuit imperium, Romanorum XXXVI. Regnavit IOVIANVS mensibus 8. Iovianus necessitate compulsus, Nisibeum & magnam partem Mesopotamiæ Saxoni regi Persarum tradidit. Iovianus in castris moritur an. ætatis suæ XXXIII. Post quem Valentinianus tribunus scutariorum apud Niceam Augustus appellatus est; fratrem Valentem apud Constantinopolim in commune assumit regni consortium.

XXXVI. Romanorum, regnavit VALENTINIANVS VALENS ab Eudoxio Arianorum Episcopo baptizatus Christianos persequitur. Gratianus Valentiniani filius Ambianis Imperator factus. Apud Atrebates lana è cœlo pluuia mixta defluxit. Hilarius Episcopus Pictauiensis Pictauis moritur. Athanaricus Rex Gothorum in Christianos persecutione commota plurimos interfecit. Eusebius Vercellensis Episcopus moritur.

Valentinianus in Britannia antequam tyrannidem inuaderet oppressus est. Saxones cæsi Divione in regione Francorum consederunt qui superfuerunt.

In illo tempore Burgundionum LXXX ferè millia, quot nunquam antè nec nominabantur, ad Rhenũ descenderunt, & ibi castra posuerunt, Quasiburgo vocitauerunt, & ob hoc nomen acceperunt Burgundiones: ibiq; nihil aliud præsumebant, nisi quantum pretio ementes à Germanis eorum stipendia accipiebant. Et cum ibidem duobus annis resedissent, per legatos inuitati à Romanis vel Gallis qui Lugdunensium prouinciæ & Gallia domita Cisalpina ut tributarii, publice potuissent renuere, ibiq; cum uxoribus & liberis visi sunt cõsedisse. Valentinianus subita sanguinis eruptione, quod Græci apoplexiam vocant, Brivione percussus moritur. *Vitiosus locus in vetust. mss.*

Post quem GRATIANVS assumpto in imperium Valentiniano fratre cum patruo Valente regnat. Valens legem dat vt monachi militarent: nolentes iussit interfici. Alamannorum XXX. circiter millia apud Argenariam oppidũ Galliarum ab exercitu Gratiani prostrata. Gens Hunnorum Gothos vastat, qui à Romanis, sine armorum congressione susceptis, per auaritiam Maximi ducis, fame ad rebellandum coacti sunt. Superatis in congressione Rom. Gothi funduntur in Thracia. Valens de Antiochia exire compulsus Christianos de exilio reuocat. Lachrimabile bellum in Thracia, in quo deserente equitum præsidio, Romanæ legiones à Gothis vsque ad internecionem cæsæ sunt. Ipse Imperator Valens cum sagitta saucius fugeret, & dolore nimio sæpe ab equo laberetur, ad cuiusdam villulæ casam deportatus est, quo persequentibus barbaris, & incensa domo, sepultura quoque caruit. Ab vrbe condita vsque ad extremũ huius operis, Anni fiunt M. XXXI. hoc modo sub regibus an. CCXL. sub consulibus anni CCCCLXIV. sub Augustis & Cæsaribus an. CCCCXVII. A XV. Tiberii anno, & prædicatione Domini nostri Iesu Christi: secundo anno Darii Regis Persarũ, quo tempore templum Hierosolymis restauratum est, anni nongenti sexaginta nouem. Ab Olympiade prima, qua ætate apud Hebræos Isaias prophetabat, anni 655. A Salomone & prima ædificatione templi, anni 1311. A Moyse & Cecrope, primo rege Atticæ, anni 1890. ab Abraham & regno Nini & Semiramidis an. 2314. A Diluuio autem vsq; ad Abraham supputantur anni 62212. & fiunt ab Adam vsque ad XIV. Valentis & Valentiniani iterum omnes anni 5588. Et quia deinceps varietatibus temporum, & incursionibus Barbarorum ita cuncta mixta sunt, gestorum veritas, quæ historiæ inseri possit, ad plenum reperiri non potest. *Recapitulatio. al. mille CXXXI. al. 427.* *al. 344.*

Idacius seruus Domini nostri Iesu Christi, vniuersis fidelibus in Domino Iesu Christo, & seruientibus sibi in veritate Salutem. *Conclusio libri.*

Probatissimorum in omnibus virorum studio, quos præcipue in fide Catholica & conuersatione perfecta testes veritatis diuini cultus docet assertio, hucusque à sancto Hieronymo, & ipso (sicuti in capite istius voluminis præfatio prima declarat) cognomine Eusebio, Historia in aliquantis Hispaniarum prouinciis descripta retinetur. Cui si quid postea subdidi in locis, quibus decuit, certo styli studio declaratur. Verum ad hæc ignarus, indignissimus omnium seruorum Dei IDACIVS *seruus Iesu Christi Domini nostri, quæ sequuntur ab anno primo Theodosii Augusti, ut compareat, descripsi, breui ante factæ præfationis indicio.*

CHRONOGRAPHIÆ, EX IDACIO.

COLLECTORE QVODAM CAROLI MAGNI AEQVALI.

LIBER II.

ROMANORVM XXXVII. THEODOSIVS post Gratianum regnat annis XVII. Theodosius natione Hispanus prouinciæ Galleciæ ciuitatis à Gratiano Augustus appellatur. Inter Romanos & Gothos multa certamina conseruntur..... Theodosius II. anno regni sui Augustus appellatur. III. regni Theodosii anno Athanaricus rex Gothorum Constantinopoli XV. die à quo à Theodosio fuerat receptus interiit. IV. regni Theodosii anno in fœda Romanis pace se tradunt. Martinus in Galliis Turonicæ Episcopus, & vitę meritis & patratis virtutum miraculis insignis habetur. Theodosius quinto regni sui anno ARCADIVM filium suum appellans, consortem regni sui fecit. In VI. regni Theodosii anno HONORIVS filius nascitur. VII. an. regni Theodosii Graotingorum gens à Theodosio superatur. XI. an. Theodosius regni sui Romam cum filio Honorio ingressus est, legesque Romanorum integra emendatione edidit. XIV. regni sui anno Valentinianus iunior, apud Viennam scelere Comitis Arbogastis occiditur. XVII. anno Theodosius Metropoli Mediolano defunctus est anno regni sui XVII. à Romanis in Ecclesia sancti Laurentii sepultus est.

Romanorum *XXXIIX.* Arcadius & Honorius filii Theodosii defuncto patre regnauerunt annis *XXX.* Anno octauo regni eorum Theodosius Arcadii filius nascitur. Anno undecimo regni Arcadii Martinus Episcopus Spiritu sancto plenus & vir Apostolicus transit ad Dominum carne depositâ. Cuius vitam & mirabilia quæ fecit, edidit Severus, vir summus, discipulus ipsius, qui & Chronica, alia quam hæc sunt, ab initio Geneseos peritissime scripsit.

Anno *XV.* regni Arcadii & Honorii Alani, Wandali, & Svvevi Hispanias ingressi sunt tertio Idus Octobris. Honorio & Theodosio Arcadii filiis consulibus Alaricus rex Gothorum Romam ingressus. Cum intra extraq; urbem cædes agerentur, omnibus indultum est, qui ad Sanctorum limina confugerant. Opes conditas in urbe & substantiam Tyrannicus exactor diripit. Sed Placidii Theodosii filia, Honorii Imp. soror à Gothis in urbe capta est. Alaricus moritur; cui Ataulfus succedit in regno.

Anno *XVI.* imperii Honorii debachantibus per Hispanias Barbaris, peste lentiæ malo in urbe, etiam fames dira grassatur, ut humanæ carnes ab humano genere præ fame fuerint deuoratæ; matres quoque necatis, & coctis natorum suorum sint pastæ corporibus. Peste occisorum, gladio, fame, pestilentia, bestiarum infestatione interimuntur homines. His quatuor plagis [ferri, famis, pestilentiæ, & infestationis bestiarum ubique in toto orbe sævientibus] prædicta à Domino per Prophetas suos annunciantes implentur. Anno XVII. Honorii regni Galliciam Wandali occupant; & Suevi in extremitate succedunt. Alani Lusitaniam & Carthaginensem provincias, Wandali cognomento Silingi Baeticas sortiuntur. Constantinus post triennium invasit tyrannidem & ab Honorii duce Constantio Narbonæ occiditur. Iovianus & Sebastianus tyranni ab Honorii duce Narbonæ interfecti.

Anno *XX.* imperii Honorii Aistulfus apud Narbonam, Placidiam duxit uxorem: in quo prophetia Danielis putatur impleta, cum ait, filiam regis Austrii sociandam regi Aquilonis, nullo tamen ex ea semine subsistente.

Anno *XXII.* imperii Honorii Ataulfus à Patritio Constantio compellitur, ut relicta Narbona, Hispanias peteret. A quodã Gotho Barcinona iugulatur: cui successit

Wallia

al. Prouincia Gallia ciuitatis. Corrigo ex Zosimo lib. 4. natus Cauce Gallecia ciuitate. Sco à Marcellino in Chr. patriam eius vocari Italicam.

In fœdera Romanis pacis Scalig. in Euseb. ex Chronico. VIII. Scal. al. Grantingorum. Graotingorum Scal.

Imo Theodosius Iun. ut Scal. obseruat. al. Stere fort. austeritate ut aliqui legunt. vel au thoritate Comitis Arbogastis.

XL. Scal. XV. Sic Scal. edit.

Sunt autẽ de Martini obitu variantes sententiæ. Sulpitius enim Severus in eius vita cap. 7. & 15. repugnare sibi videtur Gregorio Turonensis lib. X. Hist. Eccles. Pontio Attico & Fl. Casario Coss. obiisse putat. Tu vide Vltorem Ciselini notis ad Severii Sulpitium: vel potius D. Baronii Comment. in mart. tyr. P. XI. Novemb. & Tomo 3. Eccles. Annal. an. Chr. 376. & Tomo 4. an. Chr. 402.

Lectorum sedes migrauit: IIII. Id. Octob. Scal. al. Aistulfo. al. in Galitia occiditur. Vide Sozom. 9. cap. 13. Et Ortelij Thesaurum geograph: in Narbona. Oros & alij Iouinum vocant.

VVallia in regno. Cum Patritio Constantio pax mox facta, Alanis & VVandalis cognomento Silingis, in Lusitania & Bactica sedentibus adversatur. Constantius Placidiam duxit uxorem. Fredibaldum, regem gentis VVandalorum, sine ullo certamine ingenioſe captum, ad Imperatorem Honorium destinat.

Paul. Diac. lib. 15. ponit Forū Cornelii & Adaulfus ſcribitur. Dan. 11.

Anno XXVI. Honorii regni, VVandali per Bacticam à VVallia plurimi sunt extincti. Alani adeò cæsi à Gothis, fortiter vallato Addacher rege ipsorum, pauci qui superfuerunt, oblito regni nomine, Gunderico rege Wandalorum, qui in Galliis residebat, se patrocinio subiugaverunt. Gothi sedentes in Aquitania Tolosam sibi sedem eligunt, à mari inter Rhenum & fluvium Rhodanum per Ligerim fluvium usq; Oceanum possident. Walliæ regi eorum defuncto Theudericus succedit in regnum.

Barcinonem ait Oros. 7. c. 43. cum eius chronologia nostri cōuenit: hic. Vide Baron. tom. 5. an. 415. Fredibaldum. Scal. al. Vallatia ad Dacher regem. Forte vallati à Dacher rege ipsorum. al. in Nervasis montibus obsidente à VVandalis. al. anno 19. Paul. Diac. ait Roma mortuum.

Anno XXVII. imperii Honorii inter Gundericum Wandalorum & Hermenericum Suevorum regem bellum ortum est. Suevi in Nervosis montibus à Wandalis obsessi. Valentinianus Constantii & Placidiæ filius nascitur. Wandali Suevorum obsidione dimissa, relicta Gallicia ad Bæticam transierunt. Honorius apud Ravennam Constantium consortem regni facit. Constantius Imperator Ravennæ moritur in suo tertio Consulatus anno.

An. XXVIII. imperii Honorii Castinus Magister militum magna manu in auxiliis Gothorum bellum Bæticæ Wandalis infert: quos cum ad inopiam obsidionis arctaret & tradere se pararent, inconsulto, publico certamine confligens, auxiliatorum fraude deceptus, Tarraconam victus fugit.

XLI. Scal. cui. Patrii Scal, an. XXIIII. Ioannis. tyrannidem. De Ioanne Ravennæ apud Socrat. lib. 7. cap. 23. Ordinatur. Anno IV regni Theodosii. Scal. 6. Anno V. regnavit Gaiſericus. Scal. NB.

Trigesimo Honorius imperii an. Ravennæ moritur.

Romanorum XXXIX. THEODOSIVS Arcadii filius post obitum Honorii patruelis monarchiam tenens imperat tribus & decem annis. Theodosius Valentinianum amitæ suæ Placidiæ filium Constantinopoli Cæsarem facit; quem contra Ioannem Tyranum mittit: is à ducibus suis Ravennæ occiditur. Felix Patricius coronatur. VALENTINIANVS Cæsar Romæ Augustus appellatur. Anno XVIII. Theodosii. Gundericus rex Wandalorum capta Hispali cùm insidias Ecclesiis intenderet, mox Dei iudicio correptus interiit.

Cui Gaisericus frater succedit in regno: an. uno regnavit. Gaisericus rex Wandalorum, cunctaq; eorum familia ex Mauritania in Africam transit: interfecto Ermengario rege Suevorum, iniuriam Sanctæ Eulaliæ in eodem, etsi nolens, ulciscitur. Confederunt Wandali in Baetica an. LIV.

Septimo an. imperii Theodosii Aetius, Dux utriusq; militiæ. Suevi initam cum Gallis pacem libera sibi occasione conturbant.

Anno IIX. regni Theodosii Aetius, Dux utriusq; militiæ, Patricius appellatur.

Anno X. regni Theodosii Burgundiones qui rebellabant Romanis, à Duce Aetio sunt perdomiti.

Hermericus Scal. & supr. Richilde. Vide Baron. tom. 5. an. 439.

Anno XIII. regni Theodosii ab Aetio Duce & Magistro militum, Burgundionū cæsa sunt viginti millia, Gothorum, qui eis auxiliaverunt, octo millia.

Anno XIV. regni Theodosii Suevi cum parte plebis cui adversabantur, pacis iura confirmant Emenricus rex Suevorum morbo oppressus Richilam filium suum substituit in regno, quem postea ad Bæticæ fluvium Gothi prostravetunt, auri argentiq; opibus occupatis. Carthago magna fraude direpta. Bellum Gothicum sub Theodorico rege apud Tolosam Litorius Dux Romanus inconsultius init, cum auxilia Hunnorum manu magna irruerent: cæsis parte plurima suis, ipse vulneratus, à Gothis post dies paucos capitur & occiditur. Geisericus Rex Suevorum multas in sacerdotibus fecit strages. Richila Rex Suevorum qui Geiserico successerat, Emeritam ingreditur.

XLVIII. Scal. XLII. Scal. Commilitibus & curatu ipsa uti etiam pulcherrimam sororem Theodosiam Reginam efficit & ipse eam. Scal. Tres tenebræ III. iuruntur. Post Sol ab occasu ad Aquilonem ruens quasi ignea acies sanguis efficitur. Scal. Scal. edit: Theodoricus Scal.

An. XVI. regni Theodosii, Richila Hispale obtenta Bæticam & Carthaginē capit.

An. XXIIII. regni Theodosii, Solis facta defectio. Richila Rex Suevorum Emeritæ gentilis moritur: cui mox filius suus Rich[illegible] succedit in regno. Agiulphum Gothum nobilem Hispali Cæsarius Comes iugulat. Richarius rex accepta in coniugium Theodora Gothorum regis filia, Vasconias deprædatur.

An. XXVII. regni Theodosius moritur Constantinopoli anno ætatis suæ XLIX.

Post quem XL. MARTIANVS à militibus [& ab exercitu, instante etiam Pulcheria sorore Theodosii, regina efficitur] & ipse sublimatur in regno, eamq; Valentinian in coniugium assumpsit. Valentinianus & mater Placidia moriuntur Romæ. In Gallia terræ motu facto, tertia feria post Solis occasum, ab Aquilone plaga è cœlo ruens quasi ignis & sanguis efficitur.

Gens Hunnorum pace rupta in Gallias irruit. quos cum Aetius Patricius venien-

tes comperisset, sanctum Anianum Aurelianensem Episcopum ad Theodorum regem Gothorum in legationem dirigit, petens auxiliare contra Hunos subsidium: & si superaret, mediam partem Galliæ Gothis daret. Cùm à Theodoro rege huius petitioni annuente auxilium fuisset promissum, Aetius legatos mittens ad Attilam regem Hunnorum, obviam petens auxilium contra Gothos, qui Gallias conabantur invadere: si prævalerent Hunni contra Gothos, medietatem Galliæ ab Aetio percipeperent. Attila Rex cum Hunnis festinans & parcens civitatibus Germaniæ & Galliæ, contra Gothos super Ligerim fluvium, non procul ab Aurelianis confligit certamine. Cæsa sunt Gothorum ducenta millia. Theodorus rex hoc occubuit prælio. Cæsa sunt Hunnorum centum quinquaginta millia. Civitas Aurelianis orationibus beatissimi Aniani liberata est. Hunni repedantes Trecassis in Mauriacensi confederunt Campania. Thorsimodus filius Theodori, qui ei successit in regno, collecto Gothorum exercitu, patrem ulcisci desiderans, cum Attila & Hunnis Mauriaco confligit certamine, ibiq; tres dies utræq; phalanges invicē præliantes: & innumerabilis multitudo gentis occubuit. Aetius cum esset strenuissimis consiliis, per noctem ad Attilā veniens, dixit ad eum: *Optabile duxeram, ut tua virtute regionem hanc à perfidis Gothis potuissem eripere; sed nullatenus fieri potest: cum usq; nunc cum minimis pugnatoribus prælias: hac nocte Theodoricus germanus Thorsimodi cum nimia multitudine & fortissimis Gothorum pugnatoribus advenit: hæc non sustines. atq; utinam vel evadere possis.* Tunc Attila dedit Aetio decem millia solidorum, ut per suum ingenium Pannoniam repedaret. Ipsaq; nocte Aetius ad Thorsimodum perrexit, dicens ei causam consimilem: quod apud viles Hunnorum pugnatores usq; nunc pugnaverit; nam maxima multitudo & fortissimi pugnatores à Pannoniis ipsa nocte ad Attilam venerat, & audissent fratrem suum Theodericum maures Gothorum occupasse, regnumq; velle arripere: nisi festinus ad residendum pergeret, periculum adeò grande haberet. Acceptis idemq; Aetius à Thorsimodo XM. solidis, ut suo ingenio à persecutione Hunnorum liberati Gothi ad sedes proprias remearent: protinus abierunt. Aetius verò cum suis etiam Francos secum habens, post tergum duxerat Hunnorum, quousque Toringia à longe prosecutus est; præcepitq; suis, ut unusquisq; nocte, ubi manebat, decem sparsim focos facerent, ut immensam multitudinem simularent. Quievit hoc prælium Aetii consilio: Gallia ab adversariis liberatur. Postea cum à Thorsimodo regi & Gothis hæc factio perlata fuisset, requirente promissionem Aetii implendam; & ille renueret, per pacis iuta orbiculum aureum gemmis ornatum, pensans libras quingentas, ab Aetio compositionis causa transmittitur Thorsimodo: & hæc iurgia quieverunt: quæ species devotissimè usq; in hodiernum diem Gothorum thesaurus pro ornatu veneratur & tenetur.

Thurismundus. Scal.

Thurismundi. Sustinebis. Scal. Thurismundum.

Cum Mauris. fort. arcus Scal. Periculum ad declinandum abiret. Scal. adiret. al. Turingiā.

à Gothis.

Anno tertio Principis Martiani Hunni in Italiam irruunt, eamq; deprædantur aliquantis civitatibus direptis, divinitus partim fame, partim morbo quodam, plagis cœlestibus finiuntur, iussu Martiani ab Aetio duce cæduntur, in sedes suas coacti revertuntur: & mox Attila moritur. Therismodus Rex Gothorum à Theudorico & Friderico fratribus interficitur. Cui Theudoricus successit in regno.

al. secundo Scal. rectè

Tertio regni Marciani Principis anno regina moritur Pulcheria. Aetius Dux & patritius fraudulenter Valentiniani Imperatoris manu propria occiditur.

Quarto. Scal. rectè. Alii Maio rectum vocant. Ex consulibus XLIIII. corrige: anno si de Maioriano intelligas. Scio à quibusdam hic poni Maximum tyrannū, qui post duos menses peremptus: de quo forte noster. Initā fide cū imperio ad Suevos leg. mittit: Scal.

Septimo regni anno Principis Martiani per duos Barbaros familiares Valentinianus occiditur. Post quem mox Maximianus ex consulibus, XLI. Romæ Augustus appellatur. Qui cum Imperator factus relictam Valentiniani sibi duxit uxorem. Maximianus quarto regni sui mense in urbe Romæ tumultu militari occiditur.

In ipso anno Avitus Gallus ab exercitu Gallicano, primo Tolosæ, dehinc apud Arelatum Augustus appellatus Romam pergit.

Obtentā monarchia per Avitum Gallum, qui à Romanis evocatus & susceptus fuerat Imperator: Gaisericus sollicitā relicta Valentiniani & malam famam dispergit] priusquam Avitus Augustus fieret Romam ingreditur, ditatusq; opibus Romanorum, Carthaginem redit, relictam Valentiniani & filias duas & Aetii filium Gaudentium secum ducens. Legati à Martiano pro unanimitate mittuntur. Imperatori & sic Martianus & Avitus concordes principatū Imperii Romani utuntur. Svvevi Carthaginensium regiones quas Romanis reddiderant, deprædantur. Svvevi Tarraconensem provinciam vastant. Theudoricus rex post irritam fidem imperii in Svvevos legatos mittit, ut se à provinciis, quas invaserant, removerent. Consilio & consensu Aviti Imperatoris Theudoricus rex contra Svvevos movit exercitum & in Tarraconen-

raconensem Campaniam super Vrbicam fluuium cum Richario rege Svveuorum cõ-
flixit certamine, plurimisque Svveuis extinctis, ipse Rege placito in Gallicias fuga-
citer fecit adgredi, ipsoque in itinere Theudoricus eum Gothis qui in Hispania con-
sidebãt captiuitate vastauit, & multas diripit ciuitates; sanctasq; basilicas effregit. Ri-
charius ad locum qui Portegale appellatur, profugus redit, à Theudorico captus du-
citur & in custodiam redigitur. Svveui oblito regno se tradunt Theudorico, ibique
Regnum eorum destructum est. Auitus Imperator legatum ad Theudoricum cum
sacris muneribus mittit, nuncians in Corsica cæsa multitudine Wandalorum, Auitũ
de Italia ad Gallias Arelatem secessisse, Orientalium naues Hispalim venientes per
Martianum exercitum cæsum nunciant. Occiso Richario rex Theudoricus de Galli-
cia ad Lusitaniam venit. Svveui denuo regem Maldra sibi consecrant. Theudoricus
Emeritam deprædari molitur. Auitus III. anno quam à Gothis & Gallis factus fuerat
Imperator, Gothorum promissis destituturs & auxilio, caret imperio & vita. VII. anno
imperii sui moritur.

ROMANORVM XLII. MAIORIANVS in Italia, & Cõstantinopoli LEO Augusti appel-
lantur. Theudoricus aduersis sibi nunciis territus mox post dies Paschæ de Emerita e-
greditur, Gallias repetens; partem ex ea quam habebat multitudinem variæ nationis,
cum ducibus suis ad campos Galliciæ dirigit: qui dolis & periuriis instructi, ad Svve-
os, qui remanserant, iussam sibi expeditionem ingrediuntur, pace fucata solita arte
perfidiæ. Nec mora: illis cedit multitudo Romanorum: sanctæ effringuntur Ecclesiæ,
omnis ornatus & vsus auferitur, Episcopi & Clerici captiuantur, domus dantur in ecẽdiis.
Agilulfus dum regnum Svveuorum sperat, Portugali moritur. Svveui in solitam perfi-
diam versi, Regionem Galliæ adhærentem fluuio Durio circa littora remanentes de-
prædantur. Gothicus exercitus duce suo Cyrola à Theudorico rege in Hispanias mis-
sus succedit ad Baeticam. Theudoricus duce suo Semnerico exercitus sui aliquantam
partem ad Baeticam dirigit. Cyrola reuocatur ad Gallias. Svveui Lusitaniam cum
Maldare rege & alii cum Richmundo Gallias deprædantur; Alxeroli ad Baeticam per-
tendentes. Maldras germanum suum nomine fratris interfecit, & Portogali castrum
inuadit. Legati à Maioriano Augusto & Theudorico, pace inter se inita, ad Svveuos &
Wandalos diriguntur.

Anno IV. regni Maioriani Maldras rex iugulatur mense Maio. Maiorianus Im-
perator Hispanias ingreditur, ad Carthaginensem prouinciam pertendens: naues ad
nauisecundum aduersus Wandalos præparare iubet, quas Wandali subripiunt. Maio-
rianus Imperator sua ordinatione frustrata ad Italiam repedauit. Gothicus exercitus à
Semnerico & Nepotiano Comitib⁹ vertitur. Svveuos deprædantur. A Theudorico le-
gati ad Svveuos veniũt: recurrunt à Theudorico legati ad gentes pace postulata, & ob-
tenta, reuertuntur.

Anno V. Maioriani regni Gaiserícus rex à Maioriano Imp. pacem per legatos
postulat. Maioriano de Galliis Romam redeunte Romano imperio vel res necessarias
ordinante, Richimerus Svveuorum consilio Sultus fraude interficitur.

Romanorum XLIII. SEVERVS à Senatu Romæ Augustus appellatur anno impe-
rii Leonis quinto. Atrapenus Galliarum Comes & ciuis inuidus Ægidio insignis in-
imicus..... Gothorum fœderatur. Narbona traditur Theudorico. Mense Iulio in Ga-
llicia coruscatione villæ exustæ, & greges ouium concremati, carnes concisæ, pluuiæ
de cœlo mixtæ cadunt: duo adolescentes carne inuicẽ solidati adhærentes sunt mor-
tui. In Armenia prouincia Fridericus frater Theodorici regis insurgens cum his, cũ
quibus fuerat, superatus occiditur. Luna XV. tunc conuersa est in sanguinem speciẽ.
Luna V. Sol ab hora tertia vsque ad horam nonam obscuratus est. Vvandali per Mar-
cellinum in Sicilia cæsi effugantur. Ægidius Comes veneno periit.

Romanorum XLIV. regnat ANTHEMIVS. Romæ Augustus appellatur. Anno
primo Leonis imperii expeditio ab Africa aduersus Vvandalos ordinatur. Per Theu-
doricum Salla legatus mittitur ad Remundum Regem Svveuorum; qui reuersus eum
fratre suo Theodorico nunciat esse interfectum. Gothi qui ad Vvandalos missi fue-
runt supradictæ expeditionis rumore perterriti reuertuntur. Conimbra ciuitas in pace
recepta domibus destructis cum aliqua parte murorum, habitatores capti atque
dispersi, & regio desolatur & ciuitas.

Anno II. Anthemii in medio Tolosæ ciuitatis sanguis erupit de terra, & tota
perfluxit; significans Gothorum dominationem sublatam, Francorum aduenientem
populo. Exercitus Leonis aduersus Vvandalos cum tribus ducibus descendit. Richi-

al. Vrbem. al. regi placato, locus corruptus est. Fortur Scal. al. Portugale. Portegale Scal.
Profugus redit Scal.
De Galliis. Aidra sibi consistunt. Qui à Vandalis, Gothis, & Gallis XLIV. Se inconsulto exped. ingred. Scal.
Illic creditur Scal.
Sacer ornatus Scal.
al. Gallicia. Ad Theudoricum regem Scal.
al. Sumerico. al. Gallicino. al. Æteli. vocant, alii Verulos. Haveli Scaliger. germanũ Semnorum fratrem interficiunt; & Portug. castr. invadunt. Scal.
Pro pace inter se inunda. Scal.
Frustratus, Stalien repetit. Scal.
Emittitur.
Consilio fultus. Scal.
Vide Marcellin. & Cassiodor.
Eũ interfecit. XLV.
Alii vocant, Atrabenum. Ares pannus Gallus comita & civilis. Scal.
Fœdere Narbonam tradere. Th. Sc.
In Gallia. Sc.
Fame consisa. Scal.
al. Mamonicana. Armoricana. Scal.
XLVI. Scal.
An. II. Leo. al. Remundi. Remismundi. Scal.
al. supradicta expeditione Romanorũ. & Sc. Sed Romani egit
Forte diripta ut supra.

Richimer. meris genet Anthemii Imperatoris & patricius factus adfatim degradatum ad priva-
Degradato socero ad pr. v. cum edit filiæ eius. Sca'. tam vitam filio eius occiso. Aduersus Romanorum imperium conuenere Vvandali, consulentes Gothis, vt eodē tempore hostiū legatos deferentes, partē etiam Lusitaniæ deprædentur. Richimundo cum Svveuis ad Imp. transeunte. Durissimus extra solitū hoc eodem anno imber hyemis & æstatis, autumniq; fructuū mutatione diffunditur.

Temporibus Imperatoris Honorii regnum Gothorum post captam Romam
Gaiserici Scal. Historia vet. cod. Sed historia rectum. bifaria diuisione partitur; & qui in Italia consederunt, ditioni imperii se tradunt: reliqui Aquitaniæ prouinciæ, ciuitate Tolosa eligentes sedem, Regem eligunt Ataulfum: postea, vt supra gesta confirmant, à Gothis regnatum est. In his vero qui in Italia considentes, Romano pertinebant imperio, Theodoricus natione Macedo permissu Leonis Imp. principatum assumsit, sicut huius lib. gesta testantur. Nam ille alius Theodoricus Theodori regis filius natione Gothus fuit. Natiuitas Theodorici regis ex genere Macedonum ita fuit, qui in Italia Gothis & Roman. regnauit. Idacius patricius & vxor eius Eugenia cum sine liberis essent, & haberet in ministerio creditum sibi puerum nomine Theodorum & puellam nomine Liliam: quos cum comperissent diligentes se, coniugium permiserunt copulare; erantq; ambo natione Macedones, vnde parui captiui erant adducti. Eugenia iussit puellæ cum ad viri coitum
Hactenus editio Scaligeri. Vide deinceps Caroli Sigonii Chronica de occidentis Imperio. Sequentia enim vt fabulosa magnā partē libacie indigna videntur. accesseris, quodcunq; eadem nocte sopore somnii visaueris, mihi in crastino narrare non tileas; quia creditur veritate subsistere, quod nubentes prima nocte visauerint. Qui cum coniugati eadem nocte fuissent, vidit puella somnium; quod nata illi fuisset arbor exiliens de vmbilico ventris tam excelsa, quod nubes penetraret. Narrauitque viro somnium, iussione dominæ suæ & visionem quam viderat: dixitq; ad eam vir suus, cum steteris in conspectu dominæ tuæ, eo quod sine liberis est, sic dices ad eam, Visaui hac nocte equum & equam, ambos pulcherrimos cunctorum & comam nimia pulchritudine habentes: sequebatur eos tertius equus paruulus eorum consimilis & ambulabant in domo dominorum meorum. Quod cum dixeris, inuenies gratiam in conspectu eius. Surgensq; Lilia, omnia sicut vir præceperat, protinus nunciavit dominæ suæ. Eugenia cum audisset viro narrat, putauerunt liberum esse futurum; repleti gaudio Theodorum & Liliam liberos esse iusserunt, & per tabularum scriptionem firmantes etiam rebus plurimis ditaverunt. Conceptum Lilia peperit filium nomine Theodoricum; qui diligenter nutritus est: Idacio & Eugeniæ præsentatur cum puero quem secum esse iusserunt, tanto eum amplectentes amore, vt ipsum sibi adoptarent in filium. Crescensq; puer decorus valde cubitum super aliorum staturam effectus est, prudens & fortis valde. Defuncto Idacio & Eugenia præcepto Imperatoris
vt Postri hunc. Leonis Theodoricus iussus est militare, duodecimq; an. militiam agens tantæ fortitudinis & ingenii prælia gessit, primum vt ab omnibus senatoribus palatii vehementer dil geretur. Post triennium sagaci inuidiæ morbo aduersus eum dolore fremebant, inuestigantes, quali iussu Imperatoris interiret. Ptolomæus quidam ex senatoribus huius consilii tacitus contrarius vehementer, cum Theodorico amicitias iniens, vsque diem obitus custodiuit. Gothi postquam Romam vastauerunt, & tertam Italiæ possederunt, seditioni Imperatoris Leonis spontanei tradiderunt..... Vt ad Odoagro rege & Erolis & reliquis vicinis gentibus assidue vastarentur, per legatos Leonem Imperatorem postulauerunt, vt Theodoricum eis institueret patricium, ut per ipsum aduersariis resisterent. Quod Leo Imperator clementer annuens, cum consensu senatus Theodericū Romam direxit: qui à Romanis seu Gothis patriciatus honore glorioſe susceptus est, & cum Herolis plurima prælia gessit. Nam quadam die cū apud Odoacrum regem & Herolos Theodoricus cum Gothis prælium concitasset, Theodericus fugiens cum suis Rauennam ingressus est: ibique mater sua Lilia obuiā veniēs increpans eum dixit, *Non est ubi fugias fili, nisi vt leuem vestimēta mea, vt ingrediaris vterum de quo natus es.* Quod ille audiens nimium confusus, cum suis quos potuerat reperire, plus mori volens quam viuere, obuiam Odoagro & Herolis exiuit. Qui cum eis imparatis & dispersis obuiasset, tandem cum paucis eos superat: resumptis viribus Gothi se colligentes persequuntur Odoacrum: quem cum vxore & liberis vinctum interfecit; gentemque & regnum Herolorum deleuit. Quod cum perlatum Leoni Imperatori fuisset, & senatus sæpius suaderet, vt Theudericum deleret, præcepit ei ad se venire: Theudoricus collectis secum vtilissimis pugnatoribus Gothorum, armatusque, vt qui nobilis erat vtrinque duodecim millibus tantum euectu nauali quo obediens in occursum Leonis Imperatoris Constantinopolim venit. Amicus eius Ptolomæus nullo ingenio scire poterat, qualiter eidem res, quæ agebantur, narrarentur nisi tantum in consilia prudentissime & subtili ordine, qui Theoderico erant contra-

destruebat. Decretum Imperatoris Leonis & senatus erat, vt cum in palatium ingrederetur, à cunctis membratim & separatus à suis interficeretur. Consilio Ptolomæi amici sui de hoc periculo liberatur; dicentis ad Imperatorem, non est utile gloriæ tuæ, vt homo ille sic fraudulenter interficiatur, ne dictum sit à suis qui cum eodem venerunt, quod non publice eum potuissetis interficere, nisi ingeniose separatum à suis. Sed iube eum vinctum teneri, & mittantur seniores Senatores ad castra Gothorum foris ciuitatem, narrantes eis, qui cum Theodorico venerunt offensionem Theodorici & iram gloriæ tuæ, eo quod dignus est morte; ipsi decernãt vtrum capite truncetur, an bestiis deuorandus tradatur. Cumque placuisset consiliũ Ptolomæi, transmissis quinque Senatoribus, qui præerant cæteris, & Ptolomæus cũ ipsis hæc verba Gothis nuncianda. Ibique Ptolomæus secretissime mittens puerum, nuncians Gothis, vt cum ipse & reliqui Senatores eis verba hæc narranda, accederent, eos Gothi cingerent & ligarent, imperatori mandantes, nisi dominum nostrum Theodoricum viuum & saluum nobis redderet & sacramentis firmaret incolumes nos cum ipso remeare permittat, Senatores hos interficimus, & aduersus ciuitatem hanc qua virtute possumus præliabimur. Quod cum consilio Ptolomæi fuisset impletum, Theodoricus vinctus in palatio tenetur, & Ptolomæus cum sociis itemq; vinctus sub eiusmodi ordine tenetur à Gothis. Vellet nollet Imperatorem Theodoricum sanum Gothis reddidit. Insuper promittens eum cum suis incolumem patriæ remeare. Saluatus Theodoricus consilio Ptolomæi, regressus Romam Auaris bellum intulit; plurimæ strages vtrinque factæ: Hunni Italiam inundantes Theodoricum & Gothos superant, plurimas ciuitates Italiæ vastant. Tandem Theodoricus resumptis viribus irruit super Auaros, quos victos Pannoniam in fugam dirigit quos cũ sequeretur vt finibus in Pãnoniæ non est ausus ingredi; ibiq; tutũ castra locauit, cum quatuor pueris in equis sedentibus extra castra sibi quietus egressus est, vt præuideret; ne forte Auari denuo aduersus ipsum insurgerent. Cum iam procul à castris esset, Auar, nomine Xerses vtilissimus cunctorum singulis ad præuidendum Theodoricum, eum casu ei obuiasset & à Theodorico conspectus fuisset, missi à Theodorico tres viri bellatores; vt eum aut viuum caperent, aut interficerent. Quos Auar fugam fingens, singulatim interfecit. Denuo Theodoricus alios tres viros ad ipsum capiendum direxit, qui iterum ab ipso interfecti sunt. Postea Theodoricus singulare certamen cum Auaro iniuit: quem conto in brachium percussit: diutissime inuicem cum equis girantes, à Theodorico Auar superatus est. Quem vinctum Theodoricus secum ducit ad castra: quem cum cognouisset fortissimum esse in bello, verbis & blanditiis ei suadebat, vt suo sacramento fidem Theoderico promitteret, & cum postea multis muneribus Theodoricus ditaret. Quod Auar Xerses nomine vehementer renuens, fidem promittere noluit, nisi ad terram suam cupiens remeare. postea minis & diuersis afflictionibus à Theodorico coactus est: sed tamen eius imperium denegans, fidem penitus promittere noluit. Cumque vehementer renueret, permisit eum Theodoricus ad patriam remeare. Natans cum equo perfluuium Istrum, ait, Liberatus sum ab dominatione tua: libero me arbitrio esse cognosco: nihil super me est tua potestas: reuertar ad te, eroque tibi fidelissimus cæteris. Quem Theodoricus multis opibus ditans, cunctis dilectissimum habuit: & cum plura prælia cum Wandalis & Svveuis cæterisque gentibus habebat, eum semper proximum & fortissimum præliantem suæ custodiæ in agminibus cognoscebat, ideoque à Theodorico vehementer dilectus est. Cumque vtilitas Theodorici & prælia quæ gesserat, perlata ad aulam Imperatoris fuissent, Leo Imp. iussit eum denuo venire, consilio Senatus, vt tractatũ perficerent, quem de ipso inierant. Iuramento Senatores cõstringit, vt huius cõsilii nullus proditor esset: & si quis agnitus esset, capite puniendus esset. Tunc Theodoric⁹ dirigens secrete puerũ ad Ptolomæũ, inquirens quæ suæ utilitati proficeret, aut veniret, aut forsitã oporteret remanere. Ptolomæus his verbis secretissime dixit ad puerum, Nihil penitus Theodorico remando, hodie dies festus est, iussione Augusti omnes Senatores in aula imperii discumbent ad prandium, tu vero ad instar pueri mei mihi ad dorsum obediens, diligenter attende, quod ad Senatum loquar fabulis; protinus reuertens nuncies ad eum qui te misit. Quod cum puer ille huius eadem die obediret discumbentibus Senatoribus ad prandium, dixit Ptolomæus, Lætus dies huius prandii fit, iocundemus in fabulis. Cum esset Leo fortissimus bestiarum, fuit electus à cunctis festis rex, venientesq; cuncti in eius occursum, cùm esset iam hora prandii, venit certatus. Cum adoraſſet leonem, apprehendit cornu eius, vt ei cernuus esset ad pran-

Apolog. de Cornu.

dium: ille vehementer retrahens cornu amisit, cursuque veloci fugit in eremum. Iussu Leonis inter has bestias missa est vulpes, vt eum venientem subuerteret. Illa cum sit ingeniosa, artis suæ iuramentis non pauida sacramentis præuentum cervum in conspectu Leonis adducit. Qui cum adorasset Leonem ab ipso Leone capitur, & membratim disrumpitur. Vulpes illa furtim ablatum cor eius comedit. Cor cervi ad manducandum inquirens leo & fremens vehementer: omnes bestiæ pauefactæ tremebant, eo quod cervi cor inuenire non potuissent, dixerunt, Vulpes quæ eum adduxit, ipsa proximior cunctis fuit, quando disruptus fuit, illa furata est cor eius. Apprehensa cum esset in pœna & quæreretur ab ea, vt redderet quod furauerat, dixit, Sine culpa pœnas patior. Cervus ille non habuit cor: nam si cor habuisset, ego ei præualere non potuissem, nec huc vnquam veniisset, primum amisso cornu vix tandem euasit; quo pacto cor habens hic reuerti potuerat. Puer ille diligenter audiens memoria retinens, Theodorico velociter narravit consilium Ptolomæi: iterum Theodoricus de periculis liberatur. Post hæc remãens ditioni Imperii cum summa felicitate XXV. annis cum Gothis regnavit. Fiunt omnes anni quibus Theodoricus regnum tenuit in Italia, triginta duo. A finibus Pannoniæ vsq; ad Rhodanum fluuium: a Tyrreno mari vsq; alpes, Penninas & Isera fluuium. Vnum tantum modium plenum terræ annis singulis ærariis publicis soluebat, vt diceretur, Theodoricus rex modium plenum æ-
Aimoin. medium numarium explicat lib. 1. cap. 10.
rariis per singulos annos reddet publicis, decretum imperii, vt amplius ei nullo tempore quæreretur. Ciuitates vniuersas quas regebat, miri operis restaurari & munire solertissime fecit. Palatia quoq; splendidissima Rauennæ vrbis, Veronæ & Papiæ cũ Ticinum cognomentum est fabricari iussit. Tantæ prosperitatis post regnum tenuit, pacem cum gentibus habens, vt mirum fuisset. Cum filiam Sigismvndvs rex Burgundionum habuit vxorem.

Quadam vice Clodoueus rex Francorum & Alaricus rex Gothorum, qui sedem Tolosæ habebat, post multa prælia quæ inuicem gesserunt, intercedentibus legatis cùm pacem inire cœpissent huius conuenientiæ, vt Alaricus barbam tangeret Clodouei effectus patrinus, perpetuam ad inuicem pacem seruarent, & ad huius placiti conuentionis nec Francus nec Gothus armatus penitus accederet. Statuentes diem ad locum designatum ad inuicem; ibiq; legatus Clodouei Paternus nomine ad Alaricum accessit, inquirens vtrum eo habitu Gothi sine armis quod spopondérant, placitum custodirent; aut forte more solito, vt post probatum est, mendaces apparerent. Cum loqueretur Paternus cum Alarico rege, nuncians salutem Clodouei; & diligenter inquirens, quo ordine deberent coniungere, Gothi fraudulenter buxos pro baculis in manu ferentes. Apprehensum vnum ex his Paternus extrahit dicens, Mendacia tua placita sunt, rex, vt fraude coneris cum tuis Gothis dominũ meum & Francos decipere. Accepto placito cum Alarico spondens Paternus pro Francis ad iudicium Theodorici regis Italicæ, huius rei terminus fieret. Ibi legatus Alarici regis & Paternus directus à Clodoueo ad conspectum properant Theodorici. Exponens per ordinem Paternus causam Clodoueo & Francis quod legatus Alarici denegare non potuit, nisi tantum petens, vt iudicium Theodorici finiretur. Cogitans in semetipso Theodoricus huius causæ euentum & futuris temporibus quæ oportebat obliuioni non tradens, zelum aduersus hos duos reges retinens, dicens, His legatis in crastinum, quod attentius huius rei pro pacis concordia vt iustitiæ ordo popoſcerit, cum senioribus palatii pertractare potuero, fratribus meis cum integra dilectione & amore profuso mandare non sileo: tractansq; in arcano cordis quod iam olim celauerat, cupiens hos duos reges ad inuicem semper esse discordes, tale inter eos demum iudicium terminauit, vt difficile Gothis, quos Alaricus regebat huius culpa compleretur, vt veniret legatarius Francorum sedens super equum, contum erectum tenens manu ad aulam palatii Alarici; & tamdiù Alaricus & Gothi super eos solidos iactarent, quo usque legatum & equum & acumen conti cum solidis cooperirent. Renunciantes legati Alarico protinus, quod Theodoricus huius rei terminasset iudicium. Et cum esset difficile hæc Alarico & Gothis supplere, volentes fraude Paternum legatum Francorum decipere, qui in solario, misso per noctem quod suppositum erat, ruens fracto brachio vix tandem euasit. Ducensq; eum Alaricus in castrum, suos ostendens thesauros, cum sacramento dicens; amplius solidos non habere, quàm ad præsens arcem plenis ostenderit. Vbi Paternus vnum solidum de pugno extrahens suo proiecit dicens, His solidis sit arrabo ad partem Domini mei Clodouei regis & Francis. Reuertens ad Clodoueum narrans per singula. Clodoueus aduersus Alaricum arma cõmo-
al. Vxos. Aimoin. vocat ferreum ostij obicem lib. 1. cap. 20.
ueat

uet, quem in Campagnia Nodauensi X. ab vrbe Pictaua milliario interfecit, & maximam partem exercitus Gothorum ibi gladio trucidauit, regnumq; eius à Ligeri fluuio & Rhodano per mare Tyrrhenum & montes Pirenæos vsq; Oceanum mare abstulit, quod hodieq; ditione condigna permanet ad regnum Francorum.

THEODORICVS cum Papam Romæ Apostolicum virum IOANNEM sine culpa morte damnasset, & Symmachum Patritium nullis causis existentibus itemq; trucidari fecisset, ira percussus diuina, à germano suo Gaiserico interficitur. Fertur in dialogis ..... sancti Gregorii à quodam sacerdote visibiliter ab ipso Pontifice & Patricio Theodoricus vinctus trahi in Siciliam in ollam ignis. *Greg. dial. lib. 4. cap 36.*

CROCVS rex Wandalorum cum Svveuis & Alanis egressus de sedibus Gallias appetens, consilio matris nequissimo utens, dum ei dixisset, *Si nouam rem volueris facere & nomen acquirere; quæ alii ædificauerunt, cuncta destrue, & populum quem superas, totum interfice: nam nec ædificium melius à prædecessoribus facere potes neque plus magnam rem per quam nomen tuum éleues.* Qui Rhenum Moguntiæ ponte ingeniose transiens, primum ipsamq; ciuitatem & populum vastauit: deinde cunctas ciuitates Germaniæ vallans, Metis peruenit, ubi muro ciuitatis diuino nutu, per noctem ruente, capta est ciuitas à Wandalis. Treuerici vero in harenam huius ciuitatis quam munierant, liberati sunt. Post hæc cunctas Gallias Crocus cum Wandalis, Svveuis, & Alanis peruagatus, alias obsidione deleuit, aliasq; ingeniose irrumpens vastauit. Nec vlla ciuitas, nec castellum ab eis in Galliis liberatum. Cumq; Arelatum obsiderent Crocus à Mario quodam milite captus & vinculis constrictus est. Qui ductus ad pœnam per vniuersas ciuitates, quas vastauerat, impiam vitam digna morte finiuit. Cui Trasemundus successit in regno. Alemanni aduersus Wandalos arma commouent. Vtrique consentientes ad singulare certamen præliandum duos miserunt. Sed ille qui à Wandalis missus est, ab eo qui ab Alamannis, superatus. Victusq; est Trasemundus & Wandali. Et secundum placitum Trasemundus cum Wandalis, Svveuis, & Alanis, Galliis prætermissis, Hispanias appetiuit, ibique multos Christianorum pro fide Catholica interfecit. Post paucum temporis mare traducto in Mauritaniam, credo diuino nutu, fera ducente cum Wandalis transuadendo transiuit, vt fertur, mare, vbi septem millia passuum latitudinem esse scimus. Mortuo in Mauritania Trasemundo Hynericus mente crudelior Wandalis successit in regnum terram totam occupans, nimias strages in Christianos exercuit, conciliante Cyrola Hæreticorum Episcopo, cuius persecutione plurimi de numero Christianorum martyrii palma sunt coronati. His diebus Eugenius & Vindemialis Episcopi miras virtutes in Christi nomine ostendebant, etiam mortuos suscitabant. Cyrola quendam hominem præuentum datis quinquaginta aureis, suasit vt se cæcum fingeret & clamaret coram Honorico rege, Cyrolæ virtutibus lumen se accipere, quo facto Cyrola cæcus efficitur. Postea oratione Eugenii lumen recepit. Instigante Cyrola ab inuidiæ morbo, Honorico iubente Eugenius capite truncatur. Longinus & Vindemialis diuersis pœnis afflicti pro Christi nomine ad æternam migrabant beatitudinem. Honorius merito exigente propriis se morsibus laniauit, indignã vitam iusta morte finiuit. *Isid. ait Trasimundo successisse Hildericum filium Hunerici ex filia Valentiniani Imp.*

Cui Childericus successit in regno. Ipso defuncto Childemerus regnum suscepit, apud quem Belisarius fortissime dimicauit. In quo regnum Wandalorum finiuit. *Gilimerum vocant alij.*

Iustinianus priusquam temporibus Iustini Imperatoris regnum assumeret, cum esset Comes castrorum, & Belisarius Comes Stabularius, erant inuicem nimia dilectione complexi, iurantes sibi, quantum cuiusquam ex his causa proficeret; parem sibi semper fidem seruarent. Cum quadam die inter duas germanas de lupanari electas ex genere Amazonas sibi concubitum meridie sub quadam arbore in pomerio senior Antonia cum Iustiniano distribuisset, Iustiniano sopore depresso sol declinans caput eius incaluit. Veniens aquila diuino nutu eodem dormiente, calorem solis extensis alis obumbrabat. Quod cum Antoniæ vigilanti fuisset repertum, sperans hoc signo Iustinianum imperium assumere, expergefacta à somno dixit ei, *Si Imperator effectus fueris, erit digna ancilla tua tui concubitu.* Et ille subridens, reputans se difficile hoc esse honore dignum, dixit ad eam, *Si Imperator effectus fuero, mihi eris Augusta: Commutatisque ad inuicem annulis ait Iustinianus ad Belisarium, Scias inter me & Antoniam placuisse, Si ego efficior Imperator, ipsa sit mihi Augusta.* Annulis enim commutatis hoc fœdus iniuimus. Dixitque Antonina, *Si Dominor mea tibi Augusta, ego Belisario matrona efficiar.*

Dixitque Beliſarius diuino nutu, Si Antonia Auguſta efficitur, tu ſtratus mei matrimonio ſociaberis: itemque anulis cõmutatis abierunt. Nec multo poſt tempore Iuſtinus Imperator bellum in Perſas mouit; qui cum Chalcedonem tranſiſſet, morbo periit. Conſenſu itaque Senatus & militum eleuatus eſt Iuſtinianus in regnum, oppreſſo rege Perſarũ, cum vinctum eum Iuſtinianus teneret in cathedra quaſi honorifice ſederet iuſſit, perquirens ab eo ciuitates & prouincias reip. reſtituendas, quo facto pactionis vinculum firmaret. Et ille reſpondebat, Non dabo. Iuſtinianus dicebat, Da eas. Ab hoc loco vbi hæc acta ſunt, ciuitas nomine Darea fundata eſt Iuſtiniani iuſſu, & vſque in hodierum diem hoc nomine nuncupatur. Poſt receptas prouincias & ciuitates plurimas quæ à rege Perſarum huiuſmodi ordine Iuſtinianus ſuæ ditioni aſſumpſerat omnibuſque firmatis, permiſit eum in Perſia regnum recipere. Reuertens Iuſtinianus cum magno triumpho, Conſtantinopoli ſedem tenuit imperii. Antonia ſumptis ſecum quinque aureis, duos dedit oſtiariis, à quibus permiſſa eſt introire palatium, tres vero dedit tenentibus velum, vt ſuam cauſam permitteretur ſuggerere Imperatori, dicens ad Iuſtinianũ. Clementiſſime Imperator, iuuenis aliquis in hac ciuitate dedit mihi annulum in ſponſalem arram, & meum ſibi accepit, promittens & ſacramento firmans, aliam ſe non accepturum, ſed me habiturum vxorem. Dilatatur hæc cauſa. Et illa, Iube, inquit, piiſſime Imperator, vt fiat. Dixitque Iuſtinianus; non licet hanc promiſſionem, ſi facta eſt, mutare. Tunc porrigens annulum, Dominus, inquit, cognoſcat, cuius fuerit annulus iſte: & quis eum mihi dederit, te latere non potuit. Cumque cognoſcens Iuſtinianus annulum quem dederat, recordatus fuiſſet ſuæ promiſſionis, iubet eam in cubiculo intromitti, veſtibuſque indui ſplendidiſſimis, ſuoque ſtratui in nomine Auguſtæ ſociauit. Quod cum perlatum fuiſſet in populo factione ſenatus, vulgus clamitat, Domine Imperator redde mulierem noſtram. Quod Iuſtinianus audiens, diligenter inquirens initium factionis huius, duos ob hoc verbum Senatores interfecit. Omnes quieuerunt in poſterum, nec quiſquam audebat exinde verbum proferre. Accepit & Beliſarius Antoninam vxorem. Cum vnico amore Iuſtinianus diligeret Beliſarium, & eum Patricium partibus Africæ, quæ à Wandalis fuerat occupata, inſtituiſſet, eumq; multis opibus aſſidue ditaret, quærebant Senatores ob inuidiam, quo pacto eum perdere potuiſſent, dicentes Iuſtiniano, vnanimiter ingredientes, ſingillatim ad eum, Si Beliſarii conſiliis voluiſſemus ſuccumbere, iam olim ab Imperio fuiſſes degradatus. Ipſe diſponit vt tibi ſucedat in regno. Quod ille audiens, tacite aduerſus Beliſarium zelum ducens, cum conſilio ſenatus iubet eum ab Africa Wandalos expugnare. Ibi fortiſſimi viri & multæ legiones militum à Wandalis ſepe fuerunt trucidati. Beliſarius habuit pueros proprios XII. millia quos propriis ſtipendiis alebat, & viros fortes ad prœliũ & de patriciatu XIII. millia prœliatores viros qui procedebant ad bellum. His auditis Beliſarius cum arbitraretur impoſſibile, Wandalos ſuperare ſe poſſe graui mœrore perterritus ad propria remeauit. Cumque eum Antonina afflictum & mœrentem vidiſſet, & non poſſet cognoſcere quæ hæc eſſet afflictio, ſolicite à pueris requiſiuit: nec quiſquã ei hanc rem indicare poterat dum omnibus illis eſſet incognitum. Reuertens ad ipſum, dixit, Domine mi, quare mœrore deprimeris, & more ſolito veniens de imperio non lætaris? ne forte aliquid ſit offendiculi. Indica mihi huius cauſæ euentum, forſitan ancilla tua dabit tibi conſilium oportunum, vt vertatur mœror in læticiam. Dixitque Beliſarius ad eam; hæc cauſſa conſilia mulierum non poſcit, nec quicquam eſt tecum in hanc rem vtile. Illa vero cum eſſet Chriſtiana narrat viro ſuo dicens, ſcriptum eſt: Saluabitur vir infidelis per mulierem fidelem. Indica mihi, quæ ſit iſta conditio. Credo de omnipotentis Dei virtute vt detur tibi conſilium diuina inſpiratione, vt poſſis dicere malos euadere. Beliſarius hæc audiens narrat vxori decretum Imperatoris eſſe, vt contra Wandalos iret ad bellum. Dixitque Antonina ad eum. Vade, te deinceps baptizandum, & Chriſtum Dominũ & Trinitatẽ inſeparabilẽ crediturũ fideliter: & illius virtute & ſolatio Wandalos ſuperabis, & eris ob hoc glorioſior quã fuiſſes. Quod Beliſario deuotiſſime ſe impleturũ promittẽte, dixit ad eũ Antonina. Duodecim millia puerorũ quos proprios habemus, de illis adhibe tecum quatuor millia & XIIX. patriciatus tui pugnatores adhibe tecum XII. millia. ibis cum eis terreno exercitu & ego de pueris octo millia, & ex militibus ſex millia: vado eiectu naturali; & ſtatuta die pariter vndiq; circundemus caſtra Wandalorum. Diuino protecti auxilio ſuperabimus eos. Domine mi, ſi vſus fueris conſilio ancillæ tuæ, prouidentia Dei optat[a] per[ficiemus]

Beliſarij uxorem Antoninam Vocatam teſtis Procopius.

1. Cor. 7.

perficies, qui nobiscum in domo sunt vt non te cognoscant mœrentem, quid corde retineas hilari vultu significa. Cum vero tu terrenũ, & ego maris iter arripimus, signum daturi inuicem, noctis tempore focos tui in littore faciant, & nos lucernas in nauibus erigemus causa significandi aduentus nostri. Nec oportet quenquam vrgere, sed pariter phalanges vtrinque circũdemus inimicorum. Cum fuisset consilium huius rei Antoninæ vtile vterque sic properant. Vvandali & Gildimer eorum princeps comperto exercitu terreno, nauale prælium post tergum penitus ignorantes, castra metantur super litore maris, liberis & mulieribus dimissis contra Belisarium procedunt ad bellum: Cum iam prope conflictum adessent certaminis, Antonina cum suis exiuit in litora, omnesque liberos & mulieres Vvandalorum deleuit, nec animal aliquod ex illis viuere permisit. Nuncius velocissime ad Gildimerem peruenit, vxores & liberos Vvandalorum fuisse deletos. Gildimer & Vvandali destructa phalange prælii retrorsum cursu veloci pergunt ad castra. Tunc Belisarius & Antonina vndique circundatos Vvandalos trucidant, & vsque ad internecionem deleti sunt. Gildimer rex cum paucis duodecim tantum Vvandalis in quoddam castrum tutissimum fugit, nec tamen liberatus est, coarctatus angustiis. Gildimer petebat Belisarium tantummodo non ligatum Imperatori se presentari. Belisarius promittens nec ligno, neque corrigia, nec æris ligamine eum constringendum. Gildimer credens à Belisario captus est, regali tamen ligamine, hoc est cathena argentea eum constringit, sociosque suos interfecit: Illum tantum singulum Iustiniano præsentauit, quem Iustinianus in palatio habitare iussit suo. Sed à suis exputus aduersis opprobriis opprimebatur grauiter, petensque Imperatorem, Non possum, inquit, tanta opprobria sustinere: expuunt enim me & premunt habitatores palatii tui: melius est mihi mori quàm viuere. Si iubeas, qui me expuunt & opprimunt, duodecim ex his, & ego solus cum equo quem habui ante conspectum gloriæ tuæ armati accedemus ad prælium; & cognosces cuius ex nobis sit virilitas an ignauia. Quod Iustinianus annuit & pro spectaculo contra duodecim iuuenes huius prælii Gildimer cum equite iussit confligere. Gildimer verò cùm contra eos aggreditur, fugam fingens, hos duodecim singulatim solus interfecit. Post hæc IVSTINIANI iussu Gildimer eunuchus fit, & in provincias contra Persas vicinas Patricius ordinatur & multa prælia & victorias contra Persas egit. Senatus aduersus Belisarium denuò inuidia vrente, IVSTINIANO eum faciunt odiosum, quod ille victoria super WANDALOS elatus imperium vellet arripere. De Patriciatus honore degradatur, cum non potuissent perficere, vt interficeretur. IVSTINIANVM ab honore imperii; dignitate conantes eiicere factione quadam die IVSTINIANVM hortantes, vt circum expectaret & consulatum populo daret; electum quendam nomine FLORIANVM volentes imperio sublimare. IVSTINIANVM itaq; custodia cingulum retinentes, eiusque corona ablata. IVSTINIANVS misit puerum ad Belisarium, vt eum adiuuaret. Et ille dicens, Sublimatus honoribus, quod habui & fueram, poteram adiuuari? modo nihil ei possum adiutorii præstare. Ordinans suis pueris circum apprehendere, vbi cathedra imperii. FLORIANI parabatur, Ipse illis partibus adoraturum se FLORIANVM fingens, procedit, dicens pueris suis, Omnes inimicos meos per circuitum cathedræ Imperatoris video: quodcunque me facientem videritis, & vos sitis facturi. Ille fingens se FLORIANVM adorare, gladio eum percussit, omnesq; inimicos suos circumdantes pueri interfecerunt. Corona Imperii capta, ad IVSTINIANVM veniens dixit, Adulatores mitè ab honore imperii degradati sunt: ipsorum consilio usus consecutus es humilitatem meam.

Ego vero reddam tibi bona pro malis, & non fidem retractans, sed meam meminens promissionem, fidemque seruans illibatam imposuit coronam capiti Iustiniani, cumq; imperio restituit Belisarius multa prælia cum Persis agens, eos gloriosissimè vicit. Ab Vcelino quodam Franco in Italia superatus est, tantæ victoriæ nomine gloriosus, ab Vcelino victus nomen vtrumque amisit.

IDACII LEMICENSIS IN GALLÆCIA EPISCOPI CHRONICON CONtinuans ubi Hieronymus desinit.

Isidorius de viris Illustribus. Cap. 9.

IDACIVS prouinciæ Gallæciæ Episcopus secutus Chronicon Eusebii Cæsarienſis Episcopi, siue Hieronymi Presbiteri, quod vsque [hodie] in Valentis Augusti imperium editũ declaratur: dehinc ab anno primo Theodosii Augusti vsq; in annum imperii Leonis octavum subiunctam sequitur historiam, in qua magis barbararum gentium bella crudelia narrat, quæ premebant Hispaniam. Decessit sub Leone principe, vltima iam penè senectute, sicut etiam præfationis suæ demonstratur indicio.

Sigebertus Gemblacensis Monachus ad annum CCCCXC.

Idacius Lemicæ Hispaniarum vrbis Episcopis Chronica sua à primo Theodosii consulatu inchoata hucvsque perduxit.

Idacius seruus Domini nostri Iesu Christi vniuersis fidelibus in Domino nostro Iesu Christo, & seruientibus ei in veritate, Salutem.

Probatissimorũ in omnibus virorum studio, quos præcipuos in fide Catholica & conuersione perfecta testes veritatis diuinæ cultus docet assertio, hucusque de Sancto Hieronimo, vt ipso in capite istius voluminis præfatio prima declarat, cognomine Eusebii Historiam in aliquantis Hispaniarum prouinciis conscriptam retinieri: cuiscut postea subdidit in locis, quibus debuit, certo styli studio declaratur, vtrum ad hæc ignarus ego & indignissimus omnium seruorum Dei Idacius seruus Iesu Christi & Domini nostri, quæ sequuntur ab anno primo Theodosii Aug. & comperi, & descripsi breui ante factæ præfationis indicio.

Romanorum XXXVIII. Theodosius post Gratianum regnat annos XXVII. Theodosius natione Hispanus, Prouinciæ Gallæciæ ciuitatis à Gratiano Augustus appellatur. Inter Germanos & Gothos certamina conseruntur. Theodosius secundo anno regni sui Augustus appellatur.

Tertio regni Theodosii anno Athanarius rex Gothorũ Cõstantinopoli, quintodecimo die, à quo à Theodosio fuerat receptus, interiit.

Quarto regni Theodosii anno in fœdera Romanis paci se tradunt. Martinus in Galliis Taronica Episcopus, & vitæ meritis & patratis miraculis virtutũ habetur insignis.

Theodosius V. regni sui anno Arcadium filium suum Augustum appellans, consortem regni sui fecit esse.

In sexto regni Theodosii anno Honorius filius nascitur: octauo anno regni sui Romam cum filio Honorio ingressus est, legesque Romanorum integra emendatione edidit.

XIV. Regni sui anno Valentinianus iunior apud Viennam scelere Comitis Arbegastis occiditur.

XVII. anno Theodosius valetudine metropis Mediolani defunctus est. A Romanis in sancta ecclesia Laurentii sepultus est.

ROMANORVM XL. Arcadius & Honorius filii Theodosii defuncto patre regnaverunt annos XXX.

Anno regni eorum Theodosius Arcadii filius nascitur.

Anno XV. regni Arcadii Martinus Episcopus, & vir Apostolicus transiit ad Dominum carne deposita. cuius vitam & mirabilia, quæ fecit edidit Seuerus vir sanctus discipulus ipsius, qui & Chronicam aliaque ab initio Geneſis peritissime scripsit.

A

Anno XV. regni Arcadii & Honorii, Alani, Wandali, & Sueui Hiſpanias ingreſſi. IIII. Id. Octob. Honorio & Theodoſio Arcadii filiis Coſſ. Alaricus Rex Gothorum Romam ingreſſus, quum intra & extra vrbem cædes aderant, omnibus indultum eſt, qui ad Sanctorum limina confugerunt, opes conditas in vrbe & ſubſtantiam tyrannicus exactor diripit. Placida Theodoſii filia, Honorii Imperatoris ſoror à Gothis in vrbe capta eſt. Alaricus moritur, cui Athaulfus ſuccedit in regno.

Anno XVI. imperii Honorii debachantibus per Hiſpanias barbaris peſtilentiæ malo fames dirà graſſatur, vt humanæ carnes ab humano genere fame fuerint deuoratæ: Matres quoque necatis & coctis natorum ſuorum viſceribus, ſint paſtæ corporis beſtiæ occiſorum. Gladio, fame, peſtilentia, beſtiarum infeſtatione interimebantur homines. His IIII. plagis vbique in toto orbe ſæuientibus, prædicta à domino per Prophetas ſuos adimplebantur.

Anno XVII. Honorii regni, Gallæciam Wandali occupant, & Sueui in extremitate ſuccedunt. Alani Luſitaniam & Carthaginenſes prouincias, Wandali cognomento Silingi Bæticas ſortiuntur. Conſtantinus poſt triennium inuaſit tyrannidem. Ab Honorii duce Conſtantio in Gallicia occiditur. Ioulanus & Sebaſtianus Tyranni ab Honorii duce Narbonæ interfecti.

Anno XX. imperii Honorii Athaulfus ad Narbonam Placidam duxit uxorem: in quo prophetia Danielis putatur impleta, quum ait, Filiam regis Auſtri ſociandam regi Aquilonis, nullo tamen eſt ſemine ſubſiſtente.

Anno XXII. Imperii Honorii Athaulfus à patritio Conſtantio pulſatur, vt relicta Narbona Hiſpaniam peteret; à quodam Gotho, Barcinone iugulatur. Cui ſucceſſit Vallea in regno. Cum patritio Conſtantio mox pax facta. Alanis & Wandalis cognomento Silingis in Luſitania, & Bætica ſedentibus aduerſatur. Conſtantius Placidam duxit vxorem: Freditalum regem gentis Wandalorum ſuis vllo certamine ingenioſe captum ad Imperatorem Honorium deſtinat.

Anno XXVI. Honorii regni, Wandali per Bæticam à Vallea plurimi ſunt extincti. Alani adeò cæſi à Gothis, fortiter vallati. * Othacar regem ipſorum. * Pauci, qui ſuperfuerunt, oblito nomine Ganderico regi Wandalorum, qui in Galliis reſidebat, ſe patrocinio ſubiugauerunt. Gothi ſedentes in * Aetania Toloſam ſedem ſibi elegerunt, à Mari Tyrrheno, & fluuio Rhodano per Ligerim fluuium uſque Oceanum poſſident. Vallea rege eorum defuncto Theudericus ſuccedit in regnum. * Aquitania

Anno XXVII. Imperii Honorii, inter Gandericum Wandalorum regem & Hermentricum Sueuorum regem bellum ortum eſt. Sueui in Neruaſis montibus obſidentes Wandalos: Valentinianus Conſtantii & Placidæ filius naſcitur. Wandali Sueuorum obſidione dimiſſa, relictaque Gallicia ad Bæticam tranſierunt. Honorius apud Rauennam Conſtantium conſortem regni facit. Conſtantius Imperator Rauennæ moritur in ſuo tertio conſulatu.

Anno XXVIII. imperii Honorii Caſtinus magiſter militum cum magna manu auxiliis Gothorum bellum Bæticæ Wandalis infert: quos quum ad inopiam obſidionis arctaret, &, vt traderent ſe, pararent, inconſulto certamine publico contigens auxiliorum fraude deceptus Tarraconam victus fugit.

Anno XXX. imperii ſui Honorius Rauennæ obiit.

ROMANORVM XLI. Theodoſius Arcadii filius, poſt obitum Honorii patrui Monarchiam tenens imperat annos XXIIII.

Theodoſius Valentinianum amitæ ſuæ Placidiæ filium Conſtantinopoli Cæſarem facit: quem contra Iohannis Tyrannidem mittit. Is à ducibus ſuis Rauennæ occiditur. Felix patritius ordinatur, Valentinianus Cæſar Romæ Auguſtus appellatur.

Anno IIII. regni Theodoſii regnauit Ganderícus Rex Wandalorum, captaque Hiſpali. Quum inſidias Eccleſiis tenderet, mox Dei iudicio correptus interiit: cui Geiſericus eius frater ſuccedit in regno.

Anno V. regnauit Gaiſericus Rex Wandalorum cunctaque eorum familia ex Hiſpania in Africam tranſiit. Interfecto Ermengario Rege Sueuorum iniuriam Sanctæ Eulaliæ in eodem, etſi nolens, vlciſcitur. Conſederunt Wandali in Bætica annos LIIII.

Anno VII. imperii Theodoſii Aetius dux vtriuſque militiæ. Sueui inita cum Gallicis pace libitam ſibi occaſionem conturbant.

Anno VIII. regni Theodoſii Aetius dux vtriuſque militiæ patritius appellatur.

Anno X. regni Theodosii, Burgundiones, qui rebellabant contra Romanos, à duce Aetio sunt perdomiti.

Anno XIII. regni Theodosii ab Aetio duce & magistro militum, Burgundionum cæsa XX. millia Gothorum, qui eis auxiliauerunt, VIII. cæsa sunt.

Anno XIIII. regni Theodosii Sueui cum parte plebis, cui aduersabantur, pacis iura confirmant. Hermenricus rex Sueuorum morbo oppressus Richelam filium suum substituit in regno: quem postea ad Bæticæ fluuium Gothi prostrauerunt, auri & argenti opibus occupatis. Carthago magna fraude direpta. Bellum Gothicum sub Theuderico Rege apud Tolosam Lidorius dux Romanus inconsultius init. Quum auxilia Hunnorum manu magna irruerent, cæsis parte plurima suis, ipse vulneratus à Gothis post dies paucos capitur & occiditur. Gaisericus Rex Sueuorum multas in sacerdotibus fecit strages. Richela Rex Sueuorum, qui Gaiserico successerat, Emeritam egreditur.

Anno XVI. regni Theodosii, Richila Ispale obtenta Bæticam & Carthaginem capit.

Anno XXIIII. regni Theodosii Solis facta defectio. Richila Rex Sueuorum in Emerita gentilis moritur: cui mox filius suus Richarius succedit in regem. Agiulfum Gothum nobilem in Ispale Cæsarius comes iugulat. Richarius rex accepta in cõiugio Theodora Gothorum regis filia Wascones deprædatur.

Anno XXVI. regni Theodosius moritur Constantinopoli, anno ætatis suæ XLVIII.

Post quem XLII. MARTIANVS, commilitibus & exercitu instante, etiam Pulcheriani sororem Theodosii reginam effecit: & ipse sublimatur in regno. eamque Valentinianus in coniugium adsumsit. Valentinianus & mater Placita moriuntur Romæ. In Gallia terræmotus III. fuerunt. Post sol ab occasu ad Aquilonem è cælo rubens quasi cinis ac vt sanguis effectus. Gens Hunnorum pace rupta ruit in Gallias, quam quum Actius Patritius venientes compressit, Sanctum Anianum Aurelianensem Episcopum ad * Theodoricum regem Gothorum legatum dirigit, petens auxilia contra Hunnos. Si præualerent resistere, mediam partem Galliæ Gothis daret. Quum à Theodorico Rege huius petitionis annuente, auxilium fuisset promissum Actius legatos mittens ad Attilam regem Hunnorum, petens ebrium auxilium contra Gothos, qui Gallias conabantur inuadere. Si præualerent Hunni hos contra Gothos defendere, medietatem Galliæ ab Aetio percipercnt. Attila verò cum Hunnis festinans & parcens ciuitatibus Germaniæ & Galliæ contra Gothos super Ligerim fluuium nec procul ab Aurelianis confligit certamen. Cæsa sunt Gothorum CC. millia hominum. Theodoricus Rex hoc prælio occubuit. Cæsa sunt Hunnorum CL. millia. Ciuitas Aureliana oratione beati Auiani Episcopi liberata est. Hunni repetandes Tricassis in Mauriacensi considentes Campania. Thurismundus filius Theodorici, qui ei successit in regno, collecto Gothorum exercitu, patrem vlcisci desiderans, cum Attila & Hunnis Mauriaco confligit certamen. Ibiq; tribus diebus vtraq; Phalange inuicem prælia-antes, innumerabilis multitudo gentium occubuit. Aetius, quum esset strenuissimus consilio, per noctem ad Attilam veniens dixit ad eum: Optabile duxeram, vt tua virtute regionem hanc à perfidis Gothis potuissem eripere. Sed nullatenus fieri potest. Vsq; nunc cum minimis pugnatoribus prælia-sti. Hac nocte Theodoricus Germanus Thurismundi cum * minima multitudine & fortiss. Gothorum pugnatoribus aduenit. Hæc non * sustinens. Atq; vtinam vel euadere possis. Tunc Aetio Attila decem millia solidorum, vt pro suo ingenio Pannoniam repedaret. ipsaq; nocte Aetius ad Thurismundum idemq; perrexit, ducensq; ei causam consimilem: quod apud viles Hunnorum pugnatores usq; nunc pugnauerat. Nam maxima multitudo & fortiss. pugnatores à Pannoniis ipsaq; nocte ad Attilam aduenerat, & audissent fratrem suum Theodoricum Mauris Gothorum occupasse regnum, quod vellet arripere, nisi festinus ad resistendum pergeret, & periculum ad declinandum * abiret. Acceptis idemq; Actius à Thurismundo decem millia solidorum, vt suo ingenio à persecutione Hunnorum liberati Gothi ad sedes proprias remearent, & protinus abierunt: Actius verò cum suis etiam Francos secum habens post tergum direxit Hunnorum: quousque Toringia longe persecutus est, præcepitq; suis, vt unusquisq; nocte vbi manebat. X. sparsim fossos facerent, vt immensam multitudinem simularent. Quieuit hoc prælium. Actii consilio Gallia ab aduersariis liberatur. Postea quum à Thurismundo rege & Gothis factio perlata fuisset, requirentes promissionem Actii implendam, & ille renueret, pa-

* in v. c. Theoderi. vel infra.

* nimis.

* sustinebit.

* audirent.

pacis iura orbiculum aureum gemmis ornatum pensantem libras quingentas ab Aetio compositionis causa transmittitur. Thurismundo. Et hæc iurgia quieuerunt, quæ species deuotissime usq; in hodiernum diem Gothorum thesauris pro ornatu veneratur & renetur.

Anno II. Principis Martiani, Hunni in Italiam irrunt, namq; depredantur, aliquantis ciuitatibus irruptis. Diuinitus partim fame, partim morbo quodam plagis cœlestibus finiuntur. Iussu Martiani ab Aetio duce cæduntur. in sedibus suis coacti reuertuntur: & mox Attila moritur. Thurismundus Rex Gothorum à Theodorico & Friderico interficitur: cui Theodoricus successit in regnum. III. Regni Martiani anno Regina moritur Pulcheria. Aetius Dux & Patritius fraudulenter à Valentiniano Imperatore manu propria occiditur.

IV. Regni anno Principis Martiani à duobus Barbaris Aetii familiaribus Valentinianus Imperator occiditur. Post quem mox Maximianus * ex Cõsulibus XLIIII. Romæ Augustus appellatur. qui quum Imperator factus, relictam Valentiniani Abiduxit vxorem. Maximianus quarto regni sui mense in vrbe Roma tumultu militari occiditur. * ex consul.

In ipso anno Auitus Gallus ab exercitu Gallicano primo Tolosæ, dehinc apud Arelatum Augustus appellatus Romam pergit. Obtenta Monarchia per Auitum, qui à Romanis euocatus & susceptus fuerat Imperator, Guisericus solicitatus, priusquã Auitus Augustus fieret, Romam ingreditur, ditatusq; opibus Romanorũ Carthaginem redit, relictam Valentiniani & filias duas Aetii, filium Gaudentium secum ducens.

Legati à Martiano pro amicitia mittuntur Imperatori, & sic Martianus & Auitus concordes principatu Imperii Romani utuntur. Sueui Carthaginensem regionem, quam Romanis reddiderant, deprædantur. Sueui Tarraconensem prouinciam vastant: Theodoricus inita fide cum imperio Sueuos legatos mittit, vt se à prouinciis, quas inuaserant amouerent. Consilio & consensu Auiti Imperatoris Theodoric' Rex contra Sueuos mouet exercitum, & in Tarraconensem Campaniam super Vrbicam fluuium cum Richario rege Sueuorum confligit certamen, plurimisq; Sueuis extinctis, ipso rege placato Gallicias fugaciter fertur aggredi. ipsoq; itinere Theodoricus Gothos, qui in Spaniis consedebant, vastauit & captiuitate multas diripuit ciuitates, sanctasq; Basilicas effregit. Richarius ad locum, qui Portugalæ appellatur, profugus Rex à Theodorico captus ducitur, & in custodiam redigitur. Sueui oblito regno se tradunt Theodorico: ibiq; regnum eorum destructum est. Auitus Imperator legatũ ad Theodoricum cum sacris muneribus mittit, nuncians in Conseca cæsam multitudinem Wandalorum.

Auitus de Italia ad Gallias Arelatum secessit. Orientalium naues Ispalim venientes pro Martiano exercitum cæsum nunciant.

Occiso Richario Rex Theodoricus de Galliis ad Lusitaniam venit. Sueui denuo Regem Aldra sibi constituunt. Theodoricus Emeritam deprædari molièns.

Auitus, qui à Wandalis, Gothis & Gallis factus fuerat Imperator, Gothorum promissis destitutus auxiliis, imperio caret & vita. VII. anno imperii sui moritur.

ROMANORVM XLIV. MAIORIANVS in Italia & Constantinopoli LEO Augusti appellantur.

Theodoricus aduersis sibi nuntiis territus mox propter dies Paschæ de Emerita egreditur Gallias repetens. Partem earum, quarum habebat multitudinem, variarum nationum cum ducibus suis ad campos Galliciæ dirigit: qui dolis & periuriis instructi ad Sueuos qui remanserant, se inconsulto expeditionem ingrediuntur, pace fucata solita arte perfidiæ. Nec mora illic cæditur multitudo Romanorum: Sanctæ effringuntur Ecclesiæ: sacer omnis ornatus & usus aufertur: Episcopi & Clerici captiuantur: domus dantur incendio.

Agilulfus, dum regnum Sueuorum sperat, Portugalæ moritur. Sueui in solitam perfidiam versi regionem Galliciæ adhærentem fluuio Durio, circa littora manentes deprædantur. Gothicus exercitus à duce suo Cyrola ad Theodoricum Regem in Spanias missus succedit ad Bæticam.

Theodoricus Duce suo Sunnerico exercitus sui aliquantam partem ad Bæticam dirigit. Cyrola reuocatur ad Gallias, Sueui Lusitaniam cum Maldare Rege, & alii cum Rechimundo Gallias deprædantur. Heruli ad Bæticam pertendentes Maldras germanum Senomuz fratrem interficiunt, & Portugalæ castrum inuadunt. Legati à Maioriano Augusto, & Theudorico Rege pro pace inter se ineunda ad Sueuos & Wandalos diriguntur.

Anno IIII. Regni Maioriani Maldras Rex iugulatur, mense Maio. Maioriānus imperator Hispanias ingreditur ad Carthaginensem prouinciam pertendens. Naues ad transiendum aduersus Wandalos præparari iubet, quas Wandali subripiunt. Maioriānus Imperator sua ordinatione frustratus Italiam repetit. Gothicus exercitus à Sunnerico & Nepotiano comitibus emittitur. Sueuos deprædantur. A Theodorico legati ad Sueuos veniunt, & recurrunt. Theodorici legati ad gentes pacem postulatum qui ierant, ea obtenta reuertuntur.

Maioriani V. anno Regni Gaisericus Rex à Maioriano Imperatore pacem per legatos postulat. Maioriano de Galliis Romam redeunte, Romano imperio vel res necessarias ordinante, Richimerus Sueuorum consilio fultus fraude eum interfecit.

ROMANORVM XLV. Seuerus à Senatu Romæ Augustus appellatur, anno imperii Leonis V. Atrepennus Gallus comis & ciuilis inuidus Aegidio insignis inimicus Gothorum fœdere Narbonam tradebat Theodorico. Mense Iulio in Gallia coruscatione * trādit. villæ exustæ, greges ouium concrematæ, fame concisæ: pluuiæ de cœlo mixtæ cadunt. Duo adolescentes carne inuicem solidata adhærentes sunt mortui. In Armenicana prouincia Fridericus frater Theodorici regis insurgens cum his cum quibus fuerat superatus occiditur. Luna XV. tunc conuersa est in sanguinem. In specie Lunæ V. Sol ab hora tertia usq; in horam nonam obscuratus est. Wandali per Marcellinum in Sicilia cæsi effugantur. Ægidii Comes veneno periit.

ROMANORVM XLVI. regnauit ANTHEMIVS. Romæ Augustus appellatur.

Anno Leonis imperii II. expeditio ab Africa aduersus Wandalos ordinatur. Pro Theodoricum Salla legatus mittitur ad Remismundum regem Sueuorum, qui reuersus eum à fratre suo Theodorico nunciat interfectum. Gothi qui inter Wandalos missi fuerant supradicta expeditione Romam perterriti reuertuntur. Conembra ciuitas in pace decepta, domibus destructis cum aliqua parte murorum, habitatores capti atq; dispersi; & regio desolatur & ciuitas.

Anno II. Anthemii in medio Tolosæ ciuitatis sanguis erupit de terra, & tota defluxit, significans Gothorum dominationem sublatam, Francorum aduenientē regnū. Exercitus Leonis aduersus Wandalos cum tribus Ducibus descendit. Richemeri gener Anthemii imperatoris ex Patritio Cæsar factus; adfatim degradato socero, ad priuatam vitam illum adegit, filio eius occiso. Aduersus Romanorum imperium conuenere Wandali consulentes Gothis, vt eodem tempore hostium legatos deferentem partem etiam Lusitaniæ deprædentur. Richemundo cum Sueuis ad Imperatorem transeunte; durissimus extra solitum hoc eodem anno hibernus hyemis, æstatis, autumni, fructuumq; mutatione diffunditur. Temporibus imperatoris Honorii regnū Gothorum post captam Romam Gaiserici diuisione partitur. & qui in Italia conlocarunt, ditioni imperii se tradunt. Reliqui Aquitaniam prouinciam cum ciuitate Tolo- * in v. e. Historia. sa eligentes sedem, Regem eligunt Athaulfum. Postea, vt supra confirmant, a Gothi regnatum est.

CHRONICI IDACII FINIS.

Descriptum ex Chirographo Friderici Lindenbruch Hamburgensis, qui Lutetiæ exscripsit ex veteri codice.

Vera scriptura huius nominis erat Ithacius Ἰθάκιος, quo nomine Episcopum memorat Hieronymus. Sed ex Ithacio Idacius factum. dictio huius scriptoris barbara ch vt apparet ..... velit, magis suspicari possum quam intelligere. Errores non pauci in historia Romana, vt in obitu S. Martini Turonensis: in aliis, quæ non refert. Attribuit legum emendationem Theodosio seniori: quod erat adscribendum iuniori Quia tamen quædam habet, quæ alibi non reperies, de Gothis & Sueuis, & præterea quia commendatur ab Isidoro: deniq; quia continuat Hieronymum, hunc scriptorem omittere nobis religio fuit.

DIV

DIVI EVLOGII CORDVBENSIS

Martyris, Doctoris, & electi Archiepiscopi Toletani opera.

STVDIO ET DILIGENTIA ILLVSTRISSIMI ac Reuerendissimi Domini Petri Pontii Leonis à Corduba Episcopi Placentini, summiq; fidei Christianæ per regna & ditiones PHILIPPI II. Regis Catholici Inquisitoris reperta:

EIVSDEM SANCTISSIMI MARTYRIS VITA per Aluarum Cordubensem scripta. Cum aliis nonnullis Sanctorum Martyrum Cordubensium monumentis.

OMNIA AMBROSII MORALIS CORDVBENSIS Regii Historici scholiis illustrata, eiusq; cura & diligentia excussa.

Operum Catalogus sequitur post præfationem.

QVod hoc nunc ex vetustate nouum, iam olim editum à beatissimo Martyre Cordubensi Eulogio de vitis Martyrum eiusdem Patriciæ ciuitatis: nostris vero temporibus nouiter repertum, & ab innumeris mendis tineisq; vindicatum, ab Illustrissimo Domino Petro Pontio Leone Pontifice Placentino ex eadē ciuitate oriundo, Scholiis vero mirifice illustratum ab eruditissimo viro Ambrosio Morali Regio Historico, & eloquentiæ magistro olim primario in Academia Complutensi: suscepi examinandū, de mandato præstantissimorum virorum supremi senatus Domini nostri Philippi Hispaniarum Regis Catholici. Mihi vero altius rem totam expendenti videtur in primis doctrinam sanctissimi Martyris Eulogii summam, & summo Martyre dignam redolere sanctitatem. Deinde vero grauissimi Episcopi Placentini labores, summā grauitatem, & de doctrinis antiquorum præclare meritam præ se ferre. Tandem tertio, in laboribus Ambrosianis admiror incredibilem eruditionem & pietatem in viro, alioqui eruditissimo & prorsus pio. Et non solum de sua patria (hoc est Corduba) sed de vniuersa Hispania, & de Hispaniarum vniuersis Martyribus, si mihi fides, immo suis præclaris lucubrationibus adhibenda est, bene merito. Atque adeò cum res salua sit, & hoc volumine munda sint omnia, poterit liber hic ad patientiam comparandam appositissimus, merito typis mandari, & in publicam vtilitatem efferri: vtpote in quo nihil fidei absonum, nihil Christianis moribus aduersum, sed summa sanctitas in Diuo Martyre, summa grauitas & solertia in huius operis reperiore Placentino Prælato, summa demum eruditio, diligentia, & pietas in regio Historico Ambrosio dignissimo Scholiaste, luce clarius inueniuntur. Cuius rei gratiam nostræ paruitatis hoc sit de tanta re vtcumque iudicium & censura, nomen nostrum nostrarum duximus, in signum veritatis apponendum, in nostro Regali Cœnobio sanctæ Mariæ de Horta, sacri ordinis Cisterciensis; Anno Virginei partus, orbisque reparati, M D LXXII. 15. Kalendas Nouembris.

Fr. L. Estrada, Abbas Horta.

Yo he visto lo que toca a las antiguedades de la ciudad de Cordoua, que se me cometio, y esta muy docta y diligentemente escrito, y assi se puede y deue imprimir, y este es mi parecer, y lo firme de mi nombre. En Madrid el primero de Hebrero. 1573.

Geronimo curita.

AMBROSIVS MORALES AD LECTOREM.

DVm diui Eulogij editio post censuras Regii senatus iussu iam latas, de die in diem differtur: mors Illustrissimi Petri Pontii Episcopi Placentini interuenit: quanta cum bonarum literarum per Hispaniam iactura, non est huius loci deplorare. Ibi me, qui orbata suo patrono sancti Martyris opera grauiter dolorem; nouum laborem subire necesse fuit: vt industria, diligentia & impensa etiam nostra excuderentur. Cum interim Deo Opt. Max. ingentes gratias agerem, qui hunc eximium laborem totum integrum nostrum esse voluerit: & illam nostram innatam penitus propensionem, qua eius munere vehementius in senectute incitamur, & plane incendimur, vt omnes Hispani Diuos, quorum iam vitas, quantacunque potuimus diligentia perscripsimus, ad Dei gloriam, & patriæ nostræ tium exemplum illustremus: in Diuo Eulogio plenius prouiderit exerceri & impendi. Nihil enim iam hic ferme alienum, præter inuentionem codicis (quod maximum cem fuit) superest. Quocirca nos nihil prorsus de Illustrissimi Placentini Episcopi memoria & laude voluimus deperire. Præfationes, quæ antea fuerant, nostram ad ipsum epistolam, cæteraque omnia, ad eius famam & gloriam spectantia, intacta reliquimus.

EL REY.

POR quanto por parte de vos Ambrosio de Morales nuestro Coronista nos fue hecha relacion, diziendo, que por parte del reuerendo in Christo padre dom Pero Ponce de Leon Obispo que fue de Plasencia e Inquisidor general en estos nuestros reynos, fue presentado ante los del nuestro consejo vn libro de las obras de san Eulogio martyr de Cordoua, y se pidio licentia para lo imprimir, y se auia cometido el examen dello fray Luys de Estrada, abad que al presente es del monesterio de Huerta, y a Geronymo de corita nuestro secretario, y auian dado su aprouacio. Y estando en este estado, murio el dicho obispo, sin hazer memoria en su testamento del dicho libro, ni de su impression. Y sus testamentarios, siendo vos vno dellos, sustituido por el licentiado Andres Ponce de Leon del nuestro consejo, no querian passar adelante con la impression a costa de la hazienda del dicho obispo, por iustas causas que les mouian. Y siendo esto assi, auiades pedido a los demas testamentarios, que atento el mucho prouecho Christiano, que de publicarse el dicho libro se esperaua, y a lo mucho que vos auia des trabajado en el, haziendole scholias, illustrandole, y annadiendole cosas dignas de su compannia: os diessen el derecho del dicho obispo, y su poder para imprimirle, por ser los dichos testamentarios los que lo podian hazer. Los quales os passaron el derecho, y dieron el dicho poder, como por vna escritura pareceria, de que hezistes presentacion, suplicandonos, os mandassemos dar licentia y priuilegio para imprimir el dicho libro, porque en ello seria seruido nuestro Sennor, o como la nuestra merced fuesse. Lo qual visto por los del nuestro Consejo, por quanto en el dicho licho libro se hizo la diligencia, que la prematica por nos agora nueuamente fecha sobre ello, dispone: fue acordado, que deuiamos mandar dar esta nuestra cedula en la dicha razon, e nos touimoslo por bien. Y por la presente vos damos licentia y facultad, para que vos o la persona, que para ello vuestro poder vuiere, y no otra persona alguna, podays hacer imprimir y vender el dicho libro, que de suso se haze mencion, en estos nuestros reynos de Castilla, por tiempo y espacio de diez annos, que corren, y se cuenten desde el dia de la fecha desta nuestra cedula. Sopena que qualquiera persona o personas, que sin tener para ello vuestro poder lo imprimierē y vendieren, e hizierē imprimir y vender, pierdā toda la impression que hizierē y vendierē, con los moldes y aparejos della, y mas incurran en pena de cinquēta mil marauedis por cada vez que lo contrario hizierē, la qual dicha pena sea la tercia parte para la persona que lo acusare, y la tercia parte

cia parte para el iuez que lo sentenciare, y la otra tercia parte para la nuestra camara y fisco. Con tanto que todas las vezes que quisieredes de hazer imprimir el dicho libro, durante el dicho tiempo delos dichos diez annos, le trayays al nuestro Consejo juntamente con el original, que en el fue visto, que va rubricado cada plana y firmado al fin del de Iuan Gallo de Andrada nuestro escriuano de cãera, de los que residen en el nuestro Consejo, para que se vea si la dicha impression esta conforme a el, y se os de licencia para lo poder vender, y se tasse el precio, a como ouieredes de vender cada volumen, so pena de caer e incurrir en las penas contenidas en la dicha prematica y leyes de nuestro reynos. Y mandamos a los de nuestro Consejo, y a otras qualesquier justicias destos nuestros reynos, guarden y cumplan, y executen, y hagan guardar y cumplir y executar esta nuestra cedula, y todo lo en ella contenido. Fecha en el bosque de Segonia, a treze dias del mes de Iulio de mil y quinientos y setenta y tres annos.

YO EL REY.

Por mandade de su Magestad.

Antonio de Eraso.

YO Iuan Gallo de Andrada secretaria del Consejo de su Maiestad, doy fe, que por los sennores del Consejo, fue tassado el libro intitulado, las obras del martyr sancto Eulogio, que su Magestad dio licencia para lo imprimir a Ambrosio de Morales Coronista de su Magestad, en seys reales cada volumen en papel: y a este precio, y no mas, dieron licentie que se venda el dicho libro. Y mandaron, que esta tassa se ponga al principio del. Y para que dello conste, di esta fe firmada de mi nombre, que es fecha en la villa de Madrid a diez y ocho dias del mes de Marco, de mil y quinientos y setenta y quatro annos.

Iuan Gallo de
Andrada.

PHILIPPO SECVNDO REGI CATHOLICO, REGVM OMNIVM MAXIMO, ET POTENTISSIMO,

PETRVS PONTIVS LEONIS A CORDVBA, EPISCOpus Placentinus, Summus per eius regna & ditiones fidei Christianæ Inquisitor, salutem & veram felicitatem.

INTER multas, præclaras, Christianoque principe dignissimas virtutes, quibus Catholici cognomen & merito retines, & perpetuo tueris, Philippe Maxime, illud vnum cum ingenti lætitia & vere cœlesti gaudio Hispani tui suspicimus, & semper recolimus: quod inter grauissimas tot regnorum regendorum curas, belli paciſque varias sollicitudines, nostratium sanctorum gloriæ & veneration[i] semper studes, incensaque in ipsos deuotione, eo mira prouidentia magnoque [i]mpetu iugiter incumbis. Et lõgum sit huius tuæ in Hispanos diuos religionis & obseruantiæ testimonia celebrare. Pauca percurram. Magnificentissime transferendis illorum corporibus, & qua decentia sepulti vbique sint, quaque veneratione eorum cultus vigeat, missa etiam ad id ipsum legatione pientissima, perquirendo & intelligendo: publicam etiam inter diuos relationem ab summo Pontifice expetendo, hanc pietatis tuæ partem abunde testaris. Illud vero vnum in hoc genere præterea est, quod ego præsertim admiror, & publicæ vtilitatis ergo exultanter reputo. Scripta Hispa-

norum sanctorum diligenter vndique conquisita, & ex misera obliuione extracta, vt integra, emendata, scholiis aucta, & debito suo nitori restituta in vulgus exeant, non solum cupis & iubes: sed eruditissimis hominibus eâ cura semel iam demandata, Maiestas tamen tua neque prouidentiæ, neque liberalitati interim parcit: Quæ tua in tanta Celsitudine insignis religio & pientissimæ prouidentiæ voluntas, vel eo magis me delectat, & vt inde gratias Deo Opt. Max. ingentes referam, cogit: quod eodem ego iam olim desiderio flagrauerim, sanctorum nostratium multa scripta vndique ex vetustis bibliothecis congregauerim, & munus tandem hoc, quod hic supplex offero, sacro isto tuæ Maiestatis studio, & sancta propensione dignissimum compar. erim. Diui enim Eulogii Cordubensis Martyris ædoctoris, & electi Archiepiscopi Toletani opera nunc primum in lucem eruta tibi (Princeps sanctorum Hispanorum, & hac præsertim ex parte amantissime) offerimus, quæ non dubito, quin futura sint gratissima. Vnum enim tantummodo Martyris nomen auditum, scio quam Maiestati tuæ futurũ sit iucundũ & venerandũ. Quid si paulisper libeat recolere, Martyris ardorẽ in his suis scriptis mirifice expressũ? Quid si ipsum mentis rediuiuũ, loquentẽ, & docentem, adhortantem ad te venire reputes? Quid si delituisse per septingentos & eo amplius annos hæc martyris opera, spemque omnem penè ablatam eorum reperiendorum fuisse cogites? Ea præterea, quæ his sanctissimi Martyris scriptis continentur, eusmodi sunt: vt ab quouis homine scripta plurimi profecto fierent, & magni cuiusdam thesauri loco inuenta haberentur. Etenim quinquaginta ferme nostratium Martyrum vitas & passiones, quorum alibunde præter nomen nihil ferme habebamus, ab Hispano homine, qui ipse pene omnibus interfuerit, luculenter scriptas & plene traditas, quanti inter Hispanos fieri æquum fuerit? Martyr præterea de Martyribus, Martyrii doctor de discipulis Martyribus testis oculatus scripsit. Hæc vt nemo digne possit æstimare, ita te, Principem, vere Catholicum, vere augustissimum, & in hoc ipsum studio & religiosa cura incũbentẽ, grato animo, vti decet, excepturũ & veneraturũ aperte intelligimus. Et reliqua quidẽ D. Eulogii, præter Martyrum historiã, opera, eiusmodi esse, lector, plane intelliges: vt præterquam quod historiæ eiusdem maxima sunt adminicula, flagrantissimum Martyris pectus vndique spirare, & viuam quodamodo eius imaginem exprimere videat. Hic vero thesaurus ideo mihi diuina benignitate videtur ostensus, vt Cordubensis ciuis, Cordubensem Martyrem inuenirem, Maiestatiq; tuæ oblatum; meæ ciuitati, & orbi Christiano sub tuo nomine felicius communicarem. Codicem horum operum miræ vetustatis, & D. Martyri, vt credi potest, coætaneum Gothicis literis in membrana descriptum ex Bibliotheca sanctæ Ouetensis Ecclesiæ habuimus: quo nimirum cum sancto eiusdem martyris corpore Corduba, non multo pòst ipsum coronatum, fuerat delatus. Quo nomine sanctæ eidem Ecclesiæ plurimũ debet Hispania; cum opulentissimum thesaurum per sexcentos & eo amplius annos seruauerit, & nunc oportuno tempore benigne mihi, & per me omnibus comunicauerit. Verum vt alia omnia Cordubenses ciui nostro sanctissimo præstaremus, oppòrtune præsto fuit Ambrosius Morales Cordubensis, tuus, Rex potentissime, Historicus q. D. Eulogii opera omni ex parte illustraret, & scholiis plane necessariis locupletaret. Idem etiam quædam de aliis Cordubensibus Martyribus paulo pòst tempore ob Christi fidem interfectis, noua, & nunc primum adinuenta superaddidit. Accipe igitur, Philippe Regum Maxime, D. Eulogium vere tuum, in Hispania tua natum, edoctum, Martyrum ibidem Doctorem & inuentorem, & demum Martyrem.

Illustri-

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO D. PETRO PONTIO LEONIS A CORDVBA EPISCOPO PLACENTINO, SVMMO CHRISTIANÆ FIDEI PER REGNA ET DITIONES PHILIPPI SECVNDI REGIS CATHOLICI Inquisitori, diuinæ legis & sacrorum canonum consultissimo, humaniorum studiorum amantissimo:

AMBROSIVS MORALES CORDVBENSIS Regius Historicus, salutem plurimam reuerenter dicit.

PER *Multum Tibi, Præsul Illustrissime, multis nominibus se debere Corduba nostra semper fatebitur. Cùm enim eius gloria, quæ quam plurimis naturę bonis extollitur, ciuium tamen clarissimorum multitudine & singulari celebritate maiorem in modum præcellit, præclara semper & sublimis extiterit: amplitudo tua suo splendore, morum sanctitate, doctrina, & celsis magnarum virtutum meritis, vt maxime hoc nostro tempore sit inclyta perfecit. Eum namque te ciuem præstitisti, qui patriæ clarissimæ, & magnorum virorum fœcundissimæ eximio decori & ornamento esse possis. Vt enim nobilitatem tuam, & generis claritatem præteream (quànquam quicquid penè claritatis in duabus magnificentissimis ciuitatibus Cordubensi scilicet & Hispalensi seorsum prænitet, in tuis parentibus coniunctum præfulserit) illud quod vere tuum est, oculatus ab infantia penè tua testis prosequar. Educatus à teneris sanctissimè apud D. Petrum Pontium patruum tuum Cordubensis Ecclesiæ Primicerium & canonicum: cuius egregias virtutes vitæque probatissimæ exempla nunquam nostra ciuitas desinet cum sancta quadam admiratione recolere: Latinæque linguæ cognitione iam imbutus, Salmanticam maioribus studijs imbuendus, eiusdem clarissimi viri cura & sumptu transmitteris. Sacrorum ibi canonum instituta, sanctorumque patrum consulta in primæua adèo ætate feliciter perdidicisti: vt cum publica studiorum tuorum experimenta & veluti specimina, de gymnasij illius more præberes, peritiam tuam omnibus admirantibus, etiam nondum confirmata ætas esset stupori. Quod etiam in magnis tuis, sed admodum præcocibus honoribus, magistratibus & dignitatibus mox contigit. Electus namque ab Imperatore Carolo. V. Cæsare in augustissimum, ac supremum, vti vocant, sanctæ Inquisitionis Senatum: cum collatum homines eum honorem merentissimo gratularentur, iuueni admodum contigisse admirabantur. Eadem virtutis, doctrinæ, ac meritorum celeritate festinans, Episcopus Ciuitatensis crearis. Cumque in ea dignitate, in Tridentino concilio, & in censura Vallis Oletani conuentus, alijsque grauissimis Hispanæ reip. negotijs prudentissimè amplitudo tua se gereret: ab Philippo secundo Rege catholico in Placentinum episcopatum, maioris præmij, & amplioris in Dei Ecclesia fructus ergo euehitur. Et vt dignus tandem amplitudinis tuæ, atque præstantiæ cumulus accresceret: nuper in summum fidei catholicæ Inquisitorem ab eodem Rege catholico delectus fuisti. Cuius magistratus dignitate nihil habet Hispania nostra sanctius, magis augustum, aut venerandum. Hæc tuam dignitatem, Præsul clarissime, cum magnoopere adaugeant: Corduban pariter nostram tali alumno iure optimo gloriantem, plurimum nobilitant. Illud verò quantum veræ gloriæ patriæ nostræ accumulat? Quod in hac sublimioris digni-*

tatis magnitudine, in hoc clarissimo fortunarum & splendoris fastigio, amatas olim, & diutissimè cultas bonas literas tanto studio retines, tanta assiduitate frequentas: vt si sola ea laus infimo homini, & vulgari contingeret, multum commẽdationis promeritus iure optimo videretur. Illud etiam insigne & ampliore dignum laude in tuo hoc bonarum literarum amore resplendet, quod non sui vnius commodis, aut voluptati præstantia tua vult inseruire sua studia: sed omnibus in commune prodesse cupit. Proinde cùm in conquirendis, & vndiquaque perquisitis sanctorum Hispanorũ libris multum curæ, diligentiæ & sumptus etiam semper reposuerit: quis non videt publicæ ipsam vtilitatis causa in hoc genere tanto opere elaborare? Nam opes has auidissimè congeris, sed in omnium mox vsum profusurus. Multa hoc ipsum propediem testabuntur: nunc vnus D. Eulogius, amplitudinis tuæ industria repertus, & veluti è sepulchro in vitam reuocatus, abunde manifestat. Quamuis namque sancti huius martyris opera in publicum efferendo, typisque euulgando Cordubæ nostræ præclarum hoc munus destinaueris, eidemque vni veluti tribueris: quandam tamen inde vtilitatem tota Hispania, atque adeo exteræ nationes consequuturæ sint: pij homines, & meliorum studiorum amatores tanto Christianæ opulentiæ thesauro dites, tanti boni magnitudine fruentes, melius postmodum prædicabunt. Cum vero me tua amplitudo partem eius præclari laboris subire voluerit, cum eiusdem D. Eulogij operibus emendandis, scholijs illustrãdis, & demum ædendis præesse iussit: eo nomine ingẽtes tibi gratias ago. Summi enim beneficij loco duco, sanctissimo martyri qualicunq; mea opera inseruire, gloriæq; Cordubensis hic aliqua ex parte veluti fabrum esse. Et tametsi neutrum sine ingẽti labore possem perficere: vtrunq; cum summa iucũditate ad me recepi. Quid enim? sanctißimo martyri, martyrum etiam multorum præconi, ingenij: doctrinæ & industriæ ministerium, quod scio quam sit exiguum, sed qualecunque tamen id sit, non lætarer exhibere? Iam verò Cordubensem hinc gloriam augere, præclarum munus, quod ea de causa eidem comparabas, locupletare, perpolire, & aliquantisper illustrare non delectarer? Et quamuis Cordubæ nostræ causa, cui tanta hinc gloria quærebatur, iucũdissimum mihi hoc ipsum acciderit: tũ etiam sanctæ Ecclesiæ Toletanæ (cuius maiestas primatu totius Hispaniæ sublimis, multis etiam alijs nominibus summã merito venerationem habet) dignitatem & sanctum splendorem inde præterea ignoto antea & redidiuo incremento exauctum delector. Ex iisdem enim D. Eulogij operibus intelligo, ipsummet sanctum martyrem antistitem suum fuisse, atque Vuistremiro sanctissimo archiepiscopo, & per vniuersam Hispaniam celebratissimo successisse. Horum duorum suorum præsulum, tanta gloria præcellentium, quemadmodum ante hac notitiam nullã habuerat: ita nunc habuisse magno opere lætabitur. Ego verò vtroque nomine quicquid habui libens impendi, quicquid potui, propensus contuli, Deo in primis author, quem in hoc ipsum supplici prece obsecraueram. Id quale fuerit, labor ipse noster indicabit: vt hic commemorare opus non sit. Tantum id ipsum Deo Optimo Max. in primis consecro, D. Eulogio, & celebratis ab illo martyribus dedico, Cordubensi gloriæ cœlestibus emolumentis hinc adauctæ offero: & præstantiæ tuæ, Antistes celeberrime, tuis auspicijs, tuo etiam beneficio cœptum laborem, quanto opere potui, cumulatum refero. Vale, Præsul Illustrissime, & hoc tuo tanto bono diutius fruere. Compluti anno Domini M. Dlxxij. Mense Nouembri.

OPERVM

OPERVM INDEX.

Cum in vetusto exemplari operum series præposteræ & admodum perplexa haberetur, iustis de causis in hunc modum visum est ipsam dirigere.

Vita S. Eulogij, per aluarum Cordubensem scripta.
Hymnus & epitaphia eiusdem martyris, eodem authore.
Diui Eulogij libri tres de martyribus Cordubensibus, Memoriale martyrum ab authore nuncupati.
Apologeticum eiusdem pro gestis sanctorum martyrum Cordubensium.
Exhortatio eiusdem ad martyrium, duabus virginibus Floræ & Mariæ, iam in carcere pro Christi confessione comprehensis scripta.
Eiusdem epistola ad Wiliesindum Pompelonensem Episcopum, in qua peregrinationem suam in Galliam commemorat.
Item epistolæ aliquot eiusdem martyris.
Coronidis loco adiecta sunt, quæ assequi vndecunq; etuta potuimus de S. Pelagio, S. Eugenia, S. Dominico Sarraceno, cum multis eiusdem sociis martyribus, non multis annis post Eulogium Cordubæ ob Christi fidem coronatis.
Multa etiam de Cordubæ antiquitatibus ad finem libri cum chronologia adiecimus.

DE VOCABVLIS FICTIS ET NOVATIS, ET Toto D. Eulogij sermone.

Diui Eulogij ingenium quantum fuerit, quanta doctrina excultum, ipsius opera plene satis edocebunt. Insignem præterea sacrarum literarum peritiam cum multis indicijs possis in sancto martyre deprehendere, felix tamen in explicandis & ex professo exponendis testimonijs, quæ adducit, dexteritas illam in primis declarabit. Stylus etsi pius semper & sæpe suauis, longe inferior est tanta ingenij & nativæ etiam eloquentiæ magnitudine: eamq; sententias multoties hac ope destitui. Degenerauerat nimirum iam vbique latini sermonis præstantia & puritas, eiusq; claritatem multæ sordes obscurauerant, & nostræ clades apud nos magis obruerant. Vt potius in tam dira captiuitate & miseria, quam per centum ac quinquaginta ferme iam annos tempore D. Eulogij perpetiebamur, laude dignum sit, quod vir sanctus præstare in hoc genere potuit, quam culpæ imputandum quod non est assequutus. Quendam etiam proprium & peculiarem stylum iam sibi illa tempora effecerant, in quo laudis & gloriæ fuit eminere. Argutiam, subtilitatem, vehementiæ nonnihil, atq; aliquem in rebus magnis sublimitatis impetum, non possis non suspicere. Sed verborum & totius sermonis neglectu egregios conatus doleas retundi & obscurari. Nos religione quadam reuerenter tacti, nihil emendare voluimus: tantum fictorum & nouatorum verborum & phraseon catalogum hic apponere duximus necessarium.

Vna atque alia vice. Dico vobis in veritate. Hispanismi.

Monachorum vitam oblectans, pro oblectari vita monachorum. In ante. In amplius.

Consultum gerens, pro consulens, aut prospiciens. Libri series has causas innotescet, vt sit actium. Præconabile. Preconari. Parupendulus. Glorioſiter. Deicola.

Decisus, pro occisus, aut obtruncatus. Itus, pro itinere seu via. Et itum neutro genere pro incessu in Nonio Marcello reperitur.

Prophetismus, vt Christianismus. Inculcio, pro ruditate seu barbarie sermonis.

Adepsit, pro adeptus est. Medie, pro mediocriter. Epistolatim, per epistolas. Lunatim, per singulos menses. Metabulum, pro spatio. Victoriare.

Pausare verbum, nam pausam pro quiete antiqui dixere. Eremititas, pro eremo seu solitudine. Officiositas, pro munere. Oramen, pro prece. Victimare, tanquam victimam offerre.

Sospitare, salutare. Deliquium, pro peccato. Optio pro occasione, item pro petitione. Vindicium, pro vindicta.

Grassedo, pro crassitudine. Sol, pro die. Multiplicius, pro multiplex. Versibilitas, pro mutabilitate & inconstantia. Inconuulsibiliter. Combinatus, pro imbutus.

Iugitas, pro perpetuitate. Dibellio, pro rebellio. Potestatiue. Præsentialiter. Dulcoratus. Repriorans. Anticeps. Fulcimen. Noxietas.

Taxatum, pro narratum. Compactare, pro formare, & veluti fabre facere. Pusillitas, pro parnitate. Mundialis. Discertitudo. Et quædam alia ad hunc modum.

Genera confusa, casus peruersi, numeri in nominibus & verbis neglecti: & tota inde Latini sermonis structura dissipata, describentium, non authoris fuisse vitia, est manifestum. Idcirco nos omnia huiusmodi emendauimus: cum in reliquis nihil nobis permiserimus.

QVI STATVS CHRISTIANÆ RELIGIONIS CORDVBÆ SVB ARABVM IMPERIO D. Eulogij tempore fuerit.

CCVPATA Ab Sarracenis Hiſpania, multis de cauſis Barbari victores Chriſtianis pepercerunt. Illudque eos in primis commouit, quod magnas lateque diffuſas Hiſpaniæ prouincias accolis ipſi implere non poterant. Vt igitur eſſent, qui agros colerent, conſueta mercimonia exercerent, & tributa principi perſoluerent: Chriſtianos in Hiſpania quoſcunque potuerunt, conſeruauere. Relictus iis fuit religionis cultus, templa multis locis intacta permanſerunt: libereque permiſſum, vt Chriſtiano ritu eadem frequentarent. Cordubæ vero maior Chriſtianorum numerus relictus, maiorem etiam religionis cultum retinuit. In vniuerſum namque ea ciuitas multis modis ab Mauris iam inde fuit nobilitata. Sedes regni totius, quæ Hiſpali paucis annis conſtiterat (referentibus Raſi & Ruderico Toletano Antiſtite in Arabum hiſtoria, quæ nondum eſt excuſſa) per Abdalazim Muçæ in Hiſpaniæ adminiſtratione ſucceſſorem eo fuit tranſlata. Ibi arcem, ibi templum, nunc etiam inter tot ingentia ædificia toti orbi admirandum erexerunt: ſcholas ibi philoſophiæ, & publica doctrinæ gymnaſia (vt eſt in Alfonſi regis hiſtoria, quam Generalem dicunt) eſſe voluerunt: & regni caput conſtitutam ſublimi vndique magnitudine & maieſtate extulerunt. Sed longum ſit, ſi omnia percenſere velim, quæ eo tempore ad Cordubenſis ciuitatis amplitudinem & maieſtatem collata ſunt. Verum enimuero quanquam quicquid Barbari poterant claritatis noſtræ vbi eo tempore certatim inferrent: multo tamen illam Deus Optimus Maximus maiori ſplendore inclytam eſſe voluit: cum captiuam, oppreſſam, & multis malis afflictam Chriſtianorum ibi Eccleſiam religionis cultu, fideique catholicæ amore maxime fecit excellere. Vt quæ martyrum cæde iam diu antea irrogata nobiliſſima fidei Chriſtianæ germina, & vberrimos fructus protulerat: nunc ſacri cruoris exundantibus riuis plenius imbuta, præſtantiorem ſibi gloriæ coronam in cœlis pararet, ciuibuſque ſuis firmum certumque apud Deum patrocinium maiori cumulo in omne æuum compararet. Id quale quantumque fuerit diuinæ largitatis beneficium, diui Eulogij libri fuſius & vberius declarabunt.

Corduba Maurorum regni ſedes.

ET quoniam Cordubam, cum imperij Arabici domicilio & ſede ibidem conſtituta, ſumma omnia Hiſpaniæ iura tam ſacra quam prophana immigrarunt: Chriſtianæ religionis dignitas atque poteſtas, quæcunque fuerunt, eo etiam ex tota prouincia ſeſe tranſtulerunt. Non quod Toletana Eccleſia, vt fuit olim, & nunc quoque eſt, eo tempore totius Hiſpaniæ primas eſſe deſierit, caputque Chriſtianæ apud nos religionis haberi. Non quod metropolitanum ſuum Hiſpalenſem Cordubenſis Eccleſia non agnoſceret. Sed quia tyranni cum omnia poſſent, & ad ſeſe omnia reuocarent: eo conuenire ad concilium reliquos antiſtites cogebant, ibique de quibuſcunque cuperent rebus & conſultare, & ſtatuere volebant. Indicio ſuo duo concilia Cordubæ peracta tempora congregata. Alterum, cuius D. Eulogius meminit, ab omnibus Hiſpaniæ metropolitanis cum ſubditis Epiſcopis celebratum: alterum, cuius in Sampſonis abbatis Cordubenſis, de quo ſuo loco dicemus, Apologetico mentio fit. Et quoniam hanc quam dico maiorem poteſtatem miſerabili profecto de cauſa habere Cordubenſis Eccleſia videbatur: ideo multo plura ibidem templa, baſilicæ, monaſteria virorum ac feminarum, & permanſiſſe, & denuo exædificata fuiſſe D. Eulogij ſcripta teſtantur. Operæpretium fuerit ad Dei omnipotētis gloriam catalogum hic iam ſacrorum locorum, qui Cordubæ fuere, ex D. Eulogij præſertim libris apponere. Et intra vrbem quidem hæc fuiſſe memorantur.

Concilia duo Cordubæ cōgregata.

Sampſon Cordubēſis.

Templa Chriſtianorum Cordubæ.

Sancti Aciſcli martyris Cordubenſis baſilica, vbi ſanctum eius corpus requieſcebat.

Sancti Zoyli martyris Cordubēſis baſilica, in qua ſanctum eius corpus erat tumulatū.

Sanctorum trium martyrum Cordubenſium Fauſti, Ianuarij, & Martialis baſilica, vbi eorundem cineres aſſeruabantur. Huius templi mentio etiam eſt in priſcis annalibus, quos initio liber ille Compoſtellanus habuit, de quo in Dominico Sarraceno martyre dicemus. Ibi ita legitur, Era M.xxxiij. Octauo Kalendas Ianuarij captus, & lanceatus fuit Comes Garſia Fernandi à Sarracenis, inter Alcocer & Langa in riba de Dorio. Et quinta die mortuus fuit, & ductus ad Cordubam, & ſepultus in Sanctos tres, & inde ductus fuit ad Caradignam.

Baſilica

Basilica sancti Cypriani.
Basilica sancti Genesij martyris.
Sanctæ Eulaliæ virginis & martyris basilica, quæ ex 10. cap. lib. 3. Mem. Sanct. astrui non potest intra Cordubam fuisse.

EXTRA VRBEM.

Sancti Christophori martyris monasterium, vrbi trans flumen propinquum, in parte Meridiana.
Cuteclarense monasterium in montibus vrbi vicinis, diuæ Mariæ virgini sacrum.
Tabanense cœnobium, ipso diui Eulogij tempore constructum in iisdem montibus.
Pilemellarienſe monasterium sancti Saluatoris: & ipsum etiam eodem tempore iisdem in montibus conditum, cuius etiam hodie ruinæ visuntur.
Armilatense cœnobium, ad Armilatæ fluminis ripam in montibus sancto Zoylo dicatum.
Sancti Felicis martyris monasterium in oppido Froniano eorundem montium.
Monasterium sancti Martini in montibus ad locum Roiana.
Sanctorum martyrum Iusti & Pastoris cœnobium in montibus ad viculum Leiulense.
Palma oppidum, Annanellos vicus, & alia quædam oppidula, quæ nominantur, sua templa habuere, inter quæ Colubris dictus vicus sanctorum martyrum Cosmæ & Damiani habuit ecclesiam.
Fuit etiam prope Cordubam templum sancti Sebastiani.

IN his, atque aliis multis templis, quæ nominare diuus Eulogius non potuit, præterquam quod sacra fierent, docendi quoque cura & erudiendi quamplurimos consuetudo perseuerabat. Id docet multis locis diuus Eulogius, & in eiusdem vita Aluarus: vbi etiam apparet non vulgarem illum doctrinæ cultum, sed supra captiuitatis & miseriarum, in quibus degebant fideles, tempora præcellentem. Ipsa templa etiam intra vrbem suas turres, ænea sua cymbala habuere, quibus Dei plebem assidue conuocabant. Et durat adhuc Cordubæ exiguum vnum, ab illis vsque temporibus, vt suo loco referemus, conseruatum. Sacerdotes, monachi, sacræ virgines, peculiari veste, legitimoque cultu amicti, detonsi etiam in publico conspiciebantur. Quæ omnia ex diuo Eulogio atque aliis duobus eiusdem sæculi scriptoribus, sunt manifesta. Neque sine pretio tamen, & recentibus semper exactionibus, vt idem sanctus martyr & alij tradunt, concessa fuere. Vnum illud tantummodo mortis etiam in terminatione fuerat Christianis vetitum, ne pseudoprophetam eorum Mahometum maledictis incesserent, aut legisuæ cum probro detraherent. Hoc vno fideles Christi abstinerent, Arabum templa non intrarent, tributa persoluerent: tuti, & pene liberi poterant permanere. Nam & Comitum dignitas semper Cordubæ inter Moçarabes perseuerabat: vt ex Samsone Abbate, & Cypriani Cordubensis epigrammatibus, per hæ ipsa tempora scriptis constat: & quod in diuo Eulogio legimus, publico exceptorum munere iidem fungebantur Christiani, atque inter Tyrones Regios, de quibus suo loco dicemus, Regiis annonis, vt ipsis sancti martyris verbis vtar, vescebantur. Et Samson Abbas, cum de Seruando Comite initio libri secundi agit, aperte Comitatum Cordubensem nominat. Vt intelligere debeamus, Gothorum more Comitem Cordubæ Moçarabibus Christianis datum, qui eis præesset. Ius inter eos diceret, & controuersias aliquas leuiores, neque ad publicam Regis maiestatem, fiscumve Regium pertinentes, decideret. Eius enim dignitatis Gothorum tempore, quod ex eorum legibus præsertim constat, hoc fuit proprium & peculiare, vt vrbes regeret: cum militiæ munia Duces imprimis obirent. Et inter sacerdotes etiam præter abbates, qui, vt diximus, templis præerant, Archidiaconi, atque Archipresbyteri nomen & dignitas perdurabat. Cyprianus enim in illorum suorum epigrammatum titulis Archipresbyterum sedis Cordubensis se appellat. Archidiaconi mentionē ab eodem factam mox referemus. Illud etiam scitu dignum, in templis etiam nostrorum publicas Cordubę bibliothecas fuisse: vt facile quiuis possit intelligere quanto doctrinę ardore nostri flagrarent. Vnam scriniis etiam insignem, quam in sancti Aciscli templo Adulphus Comes reposuerit, idem Cyprianus Archipresbyter longo epigrammate celebrauit. Alterius etiam meminit, quam ipse Saturnino Archidiacono magna ex parte perscripsit.

Martyrij ad tempora excesso.
Comites Moçarabes Cordubæ.
Seruandus Comes.
Archidiaconus & Archipresbyteri Moçarabes Cordubæ.
Bibliotheca sancti Aciscli.
Adulfus Comes.
Saturninus Archidiaconus.

Sed enim, cum hæc ita sint, Christianorum tamen contactum referente diuo Eulogio, tamquam in ipso contaminarentur, Sarraceni prorsus deuitabant: & ab illorum pueris nostri indigna multa in publico patiebātur. Tributa vero grauissima fuisse,

Sarracenj quanto ipsos Moçarabes despiciant.

idem ſanctus Martyr ingemiſcit, & illud in primis, quod ſingulis menſibus ſoluebatur. Nouis etiam tributis Chriſtiani Moçarabes onerabantur. Adeo vt de oblationibus omnium Eccleſiarum partem ſoluere, nouo tributo excogitato, cogerentur. Quod Samſon de Seruando Chriſtianorum Cordubæ Comite, ſed nefario homine loquens, his verbis deplorat. Exinde omnes baſilicas vrbis prædictæ tributarias fecit eſſe: & impurus hoſtis de puriſſimis oblationibus fidelium in vſus templi collatis Dominici thesauros fiſci inhiatus eſt ampliare. Vt ſpoliando menſam Chriſti, & ornando palatia fiſci, videretur aquam ſitientibus auferre, & ampliſſimo maris ſinu infundere: ſicque actum eſt, vt venale ſacerdotium ſuſtinentes ipſæ baſilicæ, non more ſolito dignos recipere, & indignos queant ſacerdotes repellere. Et quæ ſequuntur. Hæc autem ſex to octoue annis poſt diui Eulogij martyrium facta fuiſſe, ſuo loco, plenius de Samſone agentes demonſtrabimus.

Moçarabes tunc Chriſtiani dicebãtur, quaſi Mixtarabes, quia mixti Arabibus degerẽt. Rudericus Archiepiſcopus Toleta. lib. 3. cap. 22.

Cæterum quamuis Chriſtianorum eccleſia Cordubæ congregata diui Eulogij temporibus, vt dicebam, in dira captiuitate tot tantiſq; ſolatiis templorum, monaſteriorum, doctrinæ, & exemplorum in ſanctiſſimis viris alleuaretur, vt non omnino capta, aut deſerta videri poſſet: illud tamen habuit verum ac ſolidum de diuina benignitate ſolatium, illo maiori beneficio magnam perſenſit Dei miſericordiam: quod multi ex ea martyres eo tempore prodiere, qui veram fidem in viuis ſua morte confirmarent: mortui etiam viuentibus ſuo patrocinio Dei clementiam propitiam redderent. Qui autem, quotque fuerint, diui Eulogij libri, & quæ his nos adiunximus, latius oſtendent.

AD LECTOREM.

Tvius Diui Eulogij vitæ duo habuimus exemplaria. Alterum cum ſanctiſ operibus in vetuſtiſſimo Ouetenſi ad finem cohærebat. Alterum mihi benigne commodauerat Michael Ruizius Açagra, ſereniſſimorum Bohemiæ Principum Rodulfi & Erneſti à ſecretis, adoleſcens ingenio & literis ornatiſſimus, & in perueſtiganda omni antiquitate ſtudij & diligentiæ ſingularis. Fuit is etiam codex literis Gothicis in membranis deſcriptus, & quod multis indicio apparebat, itidem vetuſtiſſimus. Plura continet poemata, Dracontij nimirum de opere ſex dierum libros duos, cum diui Eugenij tertij Archiepiſcopi Toletani ſupplementis: Coryppi grammatici Africani ad Iuſtinum Imperatorem libros quatuor: eiuſdem diui Eugenij epigrammata, & quædam alia. In fine vita hæc diui Eulogij fuit adnexa. Ouetenſis codex nullum titulum habuit huic operi præfixum. Ille alter hunc præferebat, quem apposuimus. Sed Eræ computatio fuit varie in margine ſignata, cum abraſo numero, vt apparebat, alter fuiſſet ſupraſcriptus. Annus Dominicæ incarnationis recte fuit ſignatus. Inde nos & ex Aſtronomica noſtra ratione ſupputandi (cuius nobis opportunitatem Aluarus ad finem operis, quemadmodum ibi apparebit, præbuit) vtrumque recte ſignauimus, & aſtruximus. Nomen etiam Regis in titulo mendoſe fuit aſcriptum. Abderrahgman enim legebatur: cum ipſo mortuo, Mahomad eius filius diuum Eulogium, quod ex eiuſdem libro tertio conſtat, martyrio coronauerit: & Aluarus etiam ipſum Regem Mahomad nominat. Ipſe Aluarus nobilis admodum, & illuſtri genere videtur fuiſſe: ſiquidem ſereniſſimi titulo ipſum non ſemel compellat Eulogius. Quod idem præceptorem ſuum etiam vocat, humilitatis eſt prorſus: cum fuerint, vt confeſtim legenti apparebit, condiſcipuli. Quinimo & per catacriſin quandam Aluarus Doctor dicitur, homo laicus & coniugatus, quantum coniicere datur, innexus, cui huiuſmodi titulus minime eo tempore poterat competere.

VITA VEL PASSIO BEATISSIMI MARTYRIS EVLOGII PRESBYTERI ET DOCTORIS, QVI PASSVS EST Era DCCCXCVII. Anno Incarnationis Domini DCCCLIX. sub rege Mahomad, die quinto Idus Martij.

Authore Aluario Cordubensi.

BEATISSIMI Martyris & Doctoris Eulogij passionem disponens scribere, prius vitam eius putaui dirigendam in ordine, quam sui finis agonem pulcherrimum designare: vt quis vel quantus fuerit ante lectoribus innotescat: & sic deinceps adeptum ex merito palmam victoriæ, euidentissimis † eluceſcat indiciis. In cuius operis principio Domini fretus & Redemptoris nostri auxilio, profiteor me nō audita & dubia, sed visa & per me probata retexere, quoniam, gratia Dei cooperāte, à primæuo adolescentiæ flore charitatis dulcedine, & scripturarum amore vno vinculo concordi innexi, huius vitæ, licet non pari ordine, tamen pari affectu in cunctis quæstionibus duximus iugum. Sed ille sacerdotij ornatus munere, pennis virtutum in sublime euectus, altius euolabat: ego luxuriæ & voluptatis luto confectus, terra tenus repens hactenus trahor. Et inde est, quod non incerta, & quorumcumque hominum narratione comperta, sed mecum gesta, & per me cognita narrare disposui. Quia sicut de incertis temere referre sententiam, periculosum fore profiteor, ita de cognitis subprimere ea, quæ † nosci debent, vacuum periculis esse non reor. Est quoque & laudabilis pro exemplo prædicanda omnibus veritas, & nihilominus detestanda Rhetoricorum composita falsitas. Quoniam melius est de multis præclaris nihil faciñoribus dicere, quam ex paruis bonis multa falsa differe-re: tutiusq; est, omnia, quæ gesta sunt, præterire, quam ea, quæ non † fuerunt, aliqua fingere. Et mitius errat, qui non malitiæ voto, sed ſegnitiæ fastu vera subprimit, eo, qui disserte falsa confingit. Veritas enim, si studio veritatis, & non vanæ gloriæ iactantia dicitur; dicenti coronam implodit: falsitas autem, si ab aliquo intentatur, coniectantem occidit. Et ideo sicut me veritatem dicentem remunerandum esse congaudeo, ita falsitatem si dixero, condemnandum esse non nego. Quibus ergo causis ad falsitatem retexendam insilirem, ipse non habui, qui veritatem in omnibus, non mendacium remunerare cognoui.

1 *claresceat m.s.*

Aluarius Dñi Eulogij admodum familiaris.

nouit debentur.

fuerint?

IGITVR beatus martyr Eulogius nobili stirpe progenitus, Cordubæ ciuitatis Patritiæ senatorum traduce natus, ecclesiæ ministerio mancipatur, sancti ac beatissimi Zoyli æde deseruiens, & in eiusdem collegio clericorum vitam deducēs, multis & clarissimis virtutibus floruit, magnis & laudabilibus operibus viguit. Ab ipsis enim incunabulis literis ecclesiasticis hærens, & quotidie per studia bonorum operum crescens, perfectionem adeptus est, ac super omnes coætaneos doctrinæ scientia clarens, & eruditionis lumine florens, magistrorum doctor est factus. Quippe qui mentem senilem paruissimo corpore gerens, vincebat etsi nō ætate certe scientia vniuersos. Erat † enim studiosissimus scripturarum scrutator, & intentissimus sententiarum inuestigator. Ita vt nihil scripturæ præponeret sanctæ, nihil magis eligeret, quam in lege Domini meditari die ac nocte. Nec contentus magisterio doctorum suorum, alios si quos forte audiret, procul positos, requirebat: & ne offenderet proprios, furtim se horis, quibus poterat, subtrahebat. Nam & abbatem bonæ recordationis & memorię Speraindeum *opinabilem & celebritate doctrinæ præconabilem virum sæpius inuisebat; auditorioq; more ex illius ore disertissimo dependebat. Qui ipso tempore totius Bæthicæ fines prudentię riuulis dulcorabat. Ibi cum primitus videre merui, ibi eius amicitiæ dulcinhæsi: ibi illi indiuidua sum nexus dulcedine. Eram namque iam dicti inlustrissimi viri auditor: & dum frequentius eius limina rererem, incultumq; ingenium acuerem, tandem respectione diuina huius tanti viri societate coniungor. Et catenatim † insolubili nexu non innector tantum, sed vnior: factique sumus auditores viri, inquisitores veri, amatores nostri. In tantum vt illa ætas indocta sibi non concessa præsumeret. Agebamus vtrique scripturarum delectabilem lusum, & scalmum in lacu nescientes

Diui Eulogij nobilitas, & educatio.

3 4 5

Sancti Zoyli templum.

D. Eulogium puſilla corpore. (autem)

Speraindeus Abbas.

Magna scilicet opinione: Historia-mus, vt paulo inferius in passione, opinatissimum Eulogium dicit. (inaudibili)

Eulogij & Aluari in studijs exercitatio.

regere, Euxini maris credebamur fragori. Nam pueriles contentiones pro doctrinis, quibus diuidebamur, non odiose, sed delectabiliter epistolarim inuicem egimus, & rhithmicis versibus nos laudibus mulcebamus: & hoc erat exercitium nobis melle suauius, fauis iucundius, & in ante nos quotidie extendentes, multa inadibilia tentare
†in scripturis, puerilis immatura docibilitas egit. Ita vt volumina conderemus, quæ postea ætas muta abolenda, ne in posteros remanerent, decreuit.

dum annos Sed † cum iam annos iuuentutis adtingeret Eulogius, diaconij ministerio fungitur, atque in breui merito vectus ad superos, gradu presbyterij sublimatur: moxq; ma-
Eulogius presbyter & doctor factus. gistris ordine & vitæ moribus sociatur. Quanta illi humilitas, quanta bonitas, quanta inhæserat charitas, amor omnium ostendebat. Ex hinc cœpit se acriori vitæ austeritate constringere, & modestiæ legibus in vniuersis actionibus perornare. Scripturis vacare diuinis, & corpus suum vigiliis ac ieiuniis castigare, monasteria frequentare, cœnobia inuisere, regulas fratrum componere. Hinc inde cuncta eo modo curare, quo, si fieri posset, vtrobique adesset. Ita clericatum agens proprium, vt regularem ordinem non dimitteret alienum: ita monachis adhærens, vt clericus probaretur. Ita in clero degens, vt monachus videretur, vtrobique aptus adcurrens, & vtrarumque professiones vnus sufficientissime complens, currebat sæpius ad cœnobiorum sacratissimos greges. Sed ne proprium ordinem contemnere putaretur, ad clerum iterum remeabat: in quo dum aliquod tempus persisteret, ne virtus animi curis sæcularibus eneruaretur, itidem
excolendo animã monasteria repetebat. Hic doctrina oris ecclesiam ornans, illic vitam propriam † excutiendo decorans, in † cunctis virtutibus positus, viam sæculi mœrens incedebat, & anxius: & quotidie ad cœlestia volare cupiens, corporea sarcina grauabatur. In tantum vt Romam ire disponeret, vt adolescentiæ næuos lachrymis, & peregrinationis itinere domaret, immo domitos deleret: sed ecce omnes hinc inde infistimus, & eum magis corpore quam animo retinemus.

Peregrinatio Romana.

7 Verum dum ista & alia referuntur, tandem Reccaffredus episcopus super ecclesias & clericos quasi turbo violentus insiluit: omnesq; sacerdotes, quos potuit, carcerali vinculo alligauit. Inter quos vt electus aries ducitur, & cum Pontifice suo vel aliis sacerdotibus vincitur. In qua retrusione magis orationibus & lectionibus operam dedit, quam vinculis. Ibi sanctis virginibus Floræ & Mariæ, pro fide comprehensis, illud
documentum Martyrale vno libro composuit. In quo eas ad martyrium verbis tenacissimis solidauit, easque & per se verbis & per epistolas mortem contemnere docuit. Seque, suosque socios, earum suffragiis vinculo soluendos commisit, quod & obtinere mox post sextum diem passionis earum promeruit. Nam illę octauo Calendas Decembris expleuerunt martyrium, sacerdotes vero Domini tertio Calendarum earundem
8 solutionem adepti sunt. Extat super hoc inlustriore stylo confecta, & mihi his diebus directa epistola, passionem earundem virginum, & ereptionem sacerdotum ipsarum
9 virginum meritis continentem. Ibi metricos, quos adhuc nesciebant sapientes Hispaniæ, pedes perfectissime docuit, nobisq; post egressionem suam ostendit. Inde & mihi pro libris illis, quos in defensionem martyrum dederat, epistolam facundo loquutionis genere dictatam direxit. Nam cum omnes, qui cum eo erant sacerdotes, vacarent otio & quieti, ille non noctibus, non diebus à lectione cessabat, noctes dieſque ingeminans, scripturarum mella lambens, & ore & corde spiritualiter ruminans.

Reccaffredus Epis. opus. *Eulogius in carcere mittitur.* *Flora & Maria Virgines & martyres.*

Verum operæpretium reor, si paulo altius incedentes, tempore persequutionis qualiter probatus extiterit, inferamus. † Nam dum episcopi, sacerdotes, clerus, &
(Denique) *Eulogius martyrũ incentor & cultor.* sapientes Cordubę in martyrio nuper exorto deuio calle incederent, ac timoris impulsu pene fidem Christi, si non verbis, nutu tamen negarent, hic tamen inadibilis nunquam vacillare, vel tenui est visus susurro. Sed omnibus pergentibus ad agonem occurrens, vniuersorum animos roborans, cunctorumq; ossa venerans & componens, in
ardor martyrij. tantum ardescebat: † vt dote martyrij & ipse incentor ipsis diebus videretur esse martyrum. Pro quo rectitudinis zelo multis extitit contumelijs propulsatus, magnisq; terroribus fatigatus. Nam vnus ex proceribus illum impetens, & minis exasperans, diuino iusto iudicio in reprobum sensum conuersus, fidem, quam tenens nescius impugnabat, mox miser & stultus amisit. De quo plenius in libro Memoriale Sanctorum tertio
Cap. 2. iam dictus beatissimus disputauit. In quibus libris & passiones sigillatim martyrum claro fonte loquutionis explicuit, & prosequutione sufficienti quæcumq; acta sunt in martyribus domini & dicta, sequuturis generationibus propalauit. Quantus autem, vel quam excellens fuerit scientia, luce clariora eius pandent opuscula, quæ sale Attico & prosatico lepore, immo diuina inspiratione composuit.

Sed

SED redeundum est ad Reccaffredi episcopi tempora, & qua arte à sacrificio se suspenderit, ne eius glutinaretur errori, proferendum. Namque ipsis diebus cuncti ei & vi & potestate addicti, iussu regio subditi, iniquo videbantur hosti adiuncti: & qui priori insurrectione aduersi & erecti contra eum steterunt, tunc terrore † conciti, quasi familiares hærebant non mente, sed corpore: nec dilectione cordis, sed compulsione terroris, & ne aditus ei nocendi daretur in amplius. † Ita quoque Rex contra nos desæuiens legibus necessitatem induxerat, & liberum arbitrium interpollans, omnes truci subdiderat hosti. Cuius historiæ veritas in alio opere enucleatius differetur. *Reccaffre. dus Episcopus.* *(concisi)* *Ira quoque Regis*

NVNC vero huius admirabilis viri tantum enodare sanctissimam cupimus artem. † Is enim graui instinctu doloris, dum vndique circa se dolosum cerneret ipsius episcopi grassari ingeniũ, & cæteros ei communicantes deprehẽderet, nec resistẽdi sibi copiam inesse videret, nec amouendi licentiã (vtpote fideiussoribus datis) † remanere sibi cõspiceret: cœpit se graui adterere gemitu, magnoq; intrinsecus vt diximus mactari dolore. Sed nutu Dei contigit, vt quadam die præsenti Episcopo beati Epiphanij Ciriæ Salaminæ Episcopi, Ioanni Episcopo Hierosolymitano directa epistola legeretur. Quam ego cuidam diacono præceperam legere: in qua idem beatissimus pontifex Origenis nenias arguens, & ordinationem cuiusdam presbyteri in monasterio iam dicti Hierosolymitani adsignato à se consecrati defendens, causam ordinationis retexuit, beatissimorumque presbyterorum Hieronymi & Vincentij continentiam sacrificãdi laudando innexuit. Quam narrationem tum iam dictus Eulogius auida mente magis arripiens, quam suscipiens, & sibi à Deo datam occasionem cognoscens, ingenti vulnere quasi percussus, ab intimo corde trahẽs suspiria, meq; intuens, conuersus Episcopo dixit: Si lucernæ Ecclesiæ, & fidei nostræ hoc egerunt columnæ, quid nobis facere cõuenit, quos delicti onera grauiter deprimunt, & affligunt? Cognoscat ergo vestra paternitas, interdictam à me ipso mihi sacrificandi licentiam. Sicque huiusmodi ingenio tempore Reccaffredi se ipse suo ligauit arbitrio. Cuius professionis licet hoc modo ordinem sumeret, delectabili tamen † vlu perfunctus, nolebat postea statum reiectum recipere. Sed Pontifex proprius in tantum eum † amissum officium sacrificandi compulit repedare, vt eum anathemate ferire non vereretur, nisi citius redire promitteret. *Eulogij prudens constãtia.* *(Qui)* *imminere* *Epiphanij Epistola.* *Status* *admissum*

ET erat vir ille in omnibus professionibus principaliter, & non medie decoratus, cunctis ex æquo deseruiens, & cum præiret omnes scientia, humilior certe etiam infimis videbatur. Clarus vultu & honore præcipuus, eloquentia fulgĩdus, & vitæ operibus luminosus. Incitator martyrum & laudator, tractator peritissimus & dictator. Quis ardorem ingenij, quis decorem eloquij, quis fulgorem scientiæ, quis affabilitatem vsualem officij, quocunque poterit prudentiæ dicere flumine? Quæ enim illi non patuere volumina? quæ potuerunt eum latere ingenia catholicorum, philosophorum, hæreticorum, nec non & gentilium? Vbi libri erant metrici, vbi prosatici, vbi historici, qui eius inuestigationem effugerent? Vbi versus, quorum ille ignoraret canora? vbi hymni, vel peregrina opuscula, quæ eius nõ percurreret pulcherrimus oculus? Quotidie enim noua & egregie admiranda quasi à ruderibus, & fossis effodiens, thesauros elucidabat inuisos. Quanta docibilitas tam pretioso munere ornatę † inesset animę, quanta & inexhausta cura solertiæ, nullus sapiens comprehendere poterat. Et ô admirabilis suauitas mentis, nunquam priuatim scire aliquid volẽs, nobis omnia præstabat. Vitiata corrigens, fracta consolidans, inusitata restaurans, antiqua repriorans, neglecta renouans, & quæque poterat ex antiquis viris gesta competere, satagebat operib. adimplere. Seueritatem Hieronymi, modestiam Augustini, lenitatem Ambrosij, patientiam Gregorij in corrigendo errores, in sustentando minores, in demulcendo maiores, in sufferendo † horrores, vnus idem se multipliciter varium exhibebat. *D. Eulogij laus.* *inerat* *sorores*

NEC ei suffecit monasteria patriæ suę inuisere, quin potius occasione fratrum suorum, qui ipsis diebus in Franciæ finibus exulabãt, indeptam viam arripuit, & in Pampilonensium territoria vltro progrediens, monasterium sancti Zachariæ ingressus, & aliorum cœnobia ipsarum regionum gliscenti voto percurrens, multorum patrum est amicitia dulcoratus. Quorum conuersationem in epistola, quam Episcopo Pampilonensi in carcere positus dedit, nominatim locatimue digessit. In quibus locis multa volumina librorum reperiens abstrusa, & pene à multis remota, hûc remeans, suo nobis † regressu adduxit. Ibi beati Odoarij est fruitus conloquio, cui centum quinquaginta regulares monachi militabant. Inde secum librum Ciuitatis beatissimi Augustini, & Aeneidos Virgilij, siue Iuuenalis metricos itidem libros, atque Flacci † saturata poemata, seu Porphyrij depicta opuscula, vel Adhelelmi Epigrammatum opera, *Eulogij peregrinatio.* *Odoarius abbas.* *(in sacratissima pectore collocutus.)* *Libri, quos O. Eulogius Corduba attulit.* *(Satyram)*

15 necnon Auienni fabulas metricas, & hymnorum catholicorum fulgida carmina, tum
16 multis minutissimarum caularum ex sanctis quæstionibus multorum ingenio congre-
17 gatis, non priuatim sibi sed communiter studiosissimis inquisitoribus reportauit. Idem
18 præterea fulgorem operis & coruscationem ingenij resplendentibus semitis præsen-
præsentibus tialiter cunctis † sequentibus & vsualiter sequentibus, specificis semper ostentans in-
diciis, & luminosis deducens vestigiis, vbique lucidus gradiens, vndique fulgidus redi-
ens, limpidus, dulcoratus, nectareus, CHRISTI coronatus emicabat omnibus fa-
mulus.

NEC illud omittendum in hoc opere reor, quod post diuinæ memoriæ Vuistre-
** Hoc loco aliquid de esse videtur.* miri Toletanæ sedis episcopi, * in eandem sedem ab omnibus comprouincialibus, & 10
cõfinitimis Episcopis electus, & dignus est habitus, & pro relatu omnium comproba-
19 tus. Sed dispositio diuina, quæ eum sibi ad martyrium reseruabat, quibusdam repagu-
Vuistremirus Archiepiscopus Toletanus. lis obuiauit. Cumque iam ipsa communis electio cum sibi consecrare in episcopio ad-
clamaret, rerum obuiantium aduersitate impediti, alium sibi eo viuente interdixerũt
Eulogius electus Toletanus Archiepiscopus. eligere. Qui licet argute frustraretur ab ordine, tamen non priuatus eiusdem ordinis
munere. Siquidẽ episcopatum cœlestem adeptus est, dum per martyrij gloriam Chri-
sto coniunctus est. Omnes namque sancti Episcopi, non tamen omnes Episcopi sancti.
Ille vero sanctitatem per cruoris fusionem inueniens, Episcopij ordine fungitur, dum
tenus, cœlo † receptus, æternis promissionibus muneratur.

CVMQVE his virtutibus & dogmatibus insigniretur, & omnibus quasi lucerna 20
super candelabrum posita, ac veluti ciuitas in montis sita cacumine procul altius emi-
caret, & vt doctus scriba de thesauro domini sui noua & vetera vniuersis familiis præ-
uideret, in sacerdotibus primus, in confessoribus summus, in iudicibus residens non
extremus: tandem voti compos effectus, diuina sibi cooperante clementia inopinato
iudicio, sed deliberatiuo studio euectus est ad superna. Et ea, quę à martyrib. fusis postu-
lauerat lachrymis, & per tota sua opuscula more sparserat precis: obtinere meruito-
peribus sanctitatis. Quod verius poterit noscere, qui ipsa eius egregia opera curauerit
legere. Et quoniam expedit, & dignum vobis visum est pro vtilitate legentium, & pro
annuo festiuitatis suæ recursu, passionem eius breuiter explicare: ideo sequestratim,
pure & synceriter agonis sui pulcherrimum induximus finem. 30

Ab hinc passio eiusdem.

Et Arabicũ dolum dixit in epist. ad D. Eulogiũ in f. 106. b Mahomad Arabum Rex.

IN tempore igitur, quo sæua dominatio Arabum calliditatis æstu omnes fines
Hispaniæ misere deuastabat, quo Rex Mahomad incredibili rabie & ef-
frenata sententia Christicolum genus delere funditus cogitabat, multi
terrore cruentissimi Regis mutuentes, eiusque insaniam modificare ni-
tentes, per trucem voluntatis iniquæ officium diuersis & exquisitis occasionibus gre-
gem Christi impetere tentauerunt. Plerique Christum negando se præcipitio commi-
serunt: alij duris tormentis agitati, commoti sunt. Porro alij florenti virtute stabiliti
21 sunt, & fundati. In cuius (vt diximus) tempore martyrium fidelium coruscando resple-
Ecclesia sub hoc Rege persecutio. duit, & error negantium fluctuauit. Nonnulli enim, qui fidem Christi tantum menti-
bus retinebant, instinctu Dei quod celauerant, luminositer & patule proferebãt, Nul-
22 lo disquirente ad martyrium prosilientes, & coronam sibi ex tortoribus rapientes. Ex
Christophorum martyr. Aurelium & Felix martyres. quibus, Arabs genere, B. Christophorus extitit, cuius passionis ordine malibi digerere
cogitamus. Sed & ex eorum numero B. Aurelius & sanctus extitit Felix, qui cũ vxorib.
ad passionis gloriam post multa & prolixa latibula prodierunt. Ex ipsis etiam florens
Flora martyr. virtutibus Flora virgo beata, quæ contemnens sæcularem labilem pompam, æternam
meruit sine fine coronam. Quorum hic noster sanctissimus Doctor agonem singillatim
exposuit, & actus vitasque corusco sermone explicauit.

Leocritia virgo.

HOC tempore puella nomine Leocritia quædam genere nobilis, mente nobilio-
23 or, ex Gentilium fece progenita, & ex luporum visceribus prodita, dudum per quandã
24 sibi genere proximam Christo dicatam nomine Litiosam, aquis salutaribus tincta, &
occulte fide Christi induta enituit, odoremque nectareũ notitiæ suæ cunctis adsparsit.
25 Etenim cũ ad iam dictam religiosam in annis infãtię more propinquitatis recurreret,
Litiosa Deo dicata. eamque quib. illa sermonibus poterat, quotidie instrueret, tandem respectione cœlesti
fidẽ Christi mente suscepit: & ardore amoris susceptam pectore conseruauit. Quæ dũ
ad annos sapientiæ veniret, & scientiæ contingeret lumina: fidem illam, quam teneri-

rimis

filiis institutis occulte didicerat, quotidie fomentis spiritualibus auctam in amplius crescentem alebat, primum occulte, deinceps patule & aperte. Quam parentes sedule admonentes, & nihil omnino proficientes, conati sunt eam flagellis & verberib. impetere, vt quam per blandimenta amouere non poterant, saltim terrorib. coercerent. Sed ignis ille, quem Christus in corda fidelium misit, nullis minis cedere nouit. In hoc conflictu dum diebus vapularet & noctibus, seque acerrimis impetendam vltionibus & † duris vinculis præpeditam videret, metuens ne non propallata publice fide, cauterio vteretur perfidiæ: per internuncios beatissimo Eulogio, opinatissimo iã multis talib. operib. viro, vel sorori eius Anuloni virgini Deo dicatæ causam suam innotuit; & quia ad tutiora loca fidelium, in quibus fidem suam posset interrita propallare, ire vellet, exposuit. Illico beatus Eulogius solitum officium recognouit: & vt erat fautor anhelantissimus Martyrum, hanc exire clam per eosdem internuntios ordinauit. Illa concite artem fingens, & parentibus quasi consentiens, nostramque fidem verbis imperens, & † data opera omnia selecta ornamenta induës, seq; more illorũ quasi placitura & nuptura sæculo ostẽdẽs, nisa est eorũ inflectere animos, & sibi exosos comere gressus. Cũq; sibi omnia iã tuta inesse prospiceret, ad nuptias quorumdã propinquorũ suorum, quæ ipsis agebantur diebus fingens, vt eidem officio congruit, ornate procedere, celeri cursu se beatissimo Eulogio, vel sorori eius Anuloni tutandã exhibuit. Quã mox grato animo suscipientes, occulendam probatissimis tradiderunt amicis. At vbi pater eius & mater expectantes filiam non viderunt, delusos se ingemiscentes, rabie inaudita & dolore inuiso se ipsos cruciantes, cuncta disturbant, vniuersa contaminant currentes per ignotos & cognitos, & potestatiue, ac iussione Præsidis, quosque impetendos putabant, carceribus & vinculis onerabant, viros, mulieres, confessores, sacerdotes, deuotas, vel quos poterant flagellis & carceribus affligebant, si quo modo possent filiam suam per hæc & ampliora recipere. Ille vero sanctus immobilis ei loca diuersa mutabat, & ne traderetur ouis luporum in manibus, omni intentione curabat. Illa tamen ieiuniis & vigiliis insistens, & cilicio membra tegens, vel puluere cubans, seuere membra corporis elimabat. Sed & vir beatissimus, cum reuerentia nominandus, Eulogius, nocturnas vigilias adpetens, & in basilicam sancti Zoyli terratenus prostratus orans, noctes insomnes ducebat, auxilium Domini & fortitudinem virgini imprecans, & se per hæc exercitia Domino consecrans.

dirũ

Anulo D. Eulogij soror Deo dicata.

ex opere

Basilica S. Zoyli.

Inter hæc virgo sereniissima beati Eulogij germanã, quã ardenti desiderio diligebat, videre voluit, & ad eorũ habitacula nocte deuenit, reuelatione Dñi prouocata, & auiditate consolationis perducta, vt vno die tantũmodo cum eis moraretur, & iterũ ad solita latibula repedaret. Quib. & retulit, sibi vna & alia vice orãti liquore mellis os repletũ fuisse, q; † se non ausu temerario expuisse, sed inglutiisse, crassi elementi admirando specie referebat. Cui ille sanctus hoc esse præsagium, regni cœlestis dulcedinem perfruendam, disseruit.

illa

Verum dum alio die redire virgo disponeret, actum est, vt comes itineris non hora sueta, sed inlucescente aurora veniret. Nec potuit aditum exeundi habere, quippe quæ nocturno tempore, pro euitandis insidiis solebat incedere. Prouisum est, vt eadem die vsque dum sol metã sui luminis terræ subduceret, & nocturnę tenebrę quietudinem optatam indulgerent; virgo Dei eo, quo manebat loco, persisteret. Humano quidem consilio, sed diuino retinebatur iudicio: vt & suam sibi coronam, & beato Eulogio imponeret gloriæ diadema. Nam eo die, nescio cuius instinctu, quorũue insidiis † & proditione locus præsidi latibuli indicatur, & à militib. ad hoc missis ex improuiso omnis illa eorum habitatio circũdatur. Actumque est, vt electus & prædestinatus martyr præsentialiter adfuisset. In cuius præsentia iam dictam virginem educentes, eumque vna pariter comprehendentes, verberantes, multisque contumeliis affligẽtes, iniquo præsidi, & scelerato iudici præsentarunt. Quẽ mox iudex per flagella occidere cogitans, truculento vultu & impatienti animo vehementi furore accẽsus, furiosis verbis interrogat, virginemq; cur domo retinuerit minitando disquirit. Cui libẽtissime & patiẽtissime, more loquutionis suæ, splẽdide rei veritatẽ hoc ordine pandit. Præses, ordo nobis prædicationis iniunctus est, & nostræ hoc fidei conuenit, vt disquirentibus a nobis lumen fidei porrigamus, nullique ad vitæ itinera properanti, quæ sancta sunt, denegemus. Hoc sacerdotibus competit, hoc religio vera deposcit, hoc etiam Christus Dominus noster nos docuit: vt quisquis sitiens † fidei haurire flumina voluerit in duplo potum inueniat potius quã quem quæsiuit. Et quoniã hæc virgo fidei sanctæ regulam à nobis inquirere visa est, necessarium extitit, vt † illi nostra eo † se liben-

(vel) Eulogius & Leocritia capti.

Eulogius ad Præsidem.

fidem illa

sibi

tius adplicaret intentio, quo eius in amplius incenderetur affectio. Nec decuit talia desiderantem reticere, præsertim illi, qui ad hoc Christi electus est munere. Vnde &, vt posse mihi extitit, illustraui, & docui: & fidem Christi viam regni esse cœlestis exposui, Quomodo & tibi, si me disquirendum putasses, libentissime facerem. Tunc præses turbido vultu virgas inducere iussit, eum minitans flagellis perimere. Cui sanctus dixit, Quid istis virgis exercere cupis? Animam (inquit) tuam per has educere volo. Gladium (ait) acue & compone, pro quo animam à vinculo corporis expeditam ei reddas, qui dedit. Nam flagellis membra dissecare non extimes. Et mox clara inuectione [illegible] sufficienti eloquio falsitatem vatis sui & legis improperans, & prædicationis verbum ingeminans, sub omni velocitate palatium ducitur, & ad regis consiliarios vsque pertrahitur. Vbi vnus ex ipsis, illi familiarissime notus, compatiendo insiluit. Si stulti (inquit) & idiotæ in hanc mortis deflendam ruinam deuecti sunt: tu sapientiæ decore præcinctus, & vitæ moribus illustratus, quæ te dementia huic mortifero casui, obliterato naturali vitæ amore, committere compulit? Audi me obsecro, & ne præcipiti casu corruas rogo. Dic tantum verbo in hora huius tuę necessitatis, & postea tua, vbi vbi potueris, 29 vtere fide. Promittimus te nusquam inquirendum. Cui beatissimus martyr subridens: ô (inquit) si scire potuisses, quanta fidei nostræ cultoribus maneant reposita: Aut si possem, quod meo retineo, tuo committere pectori: tunc iam non me à proposito reuocare conareris, sed libentius te ab hoc mundiali honore amouere cogitares. Et cœpit eis Euangelij æterni verbum porrigere, & prædicationem regni constanti libertate infundere. Qui illico eum nolentes audire, gladio iubent transfigi. Cumque duceretur, vnus ex eunuchis regis alapa eum percussit. Cui ille alteram faciem præparans, obsecro (inquit) vt hanc iterum verberando, priori coæques. Quam cum secundo ferret, ille patiens & mitis iterum priorem parauit. Sed impetu militum ad locum occisionis deducitur, vbi genua in oratione curuans, & manus ad cœlos extendens, signoq; crucis totum se muniens, paucis verbis intra se orans, ceruicem mucroni tetendit, & celeri ictu mundum contemnens, vitam inuenit. Compleuit martyrium suum quinto Idus 30 Martij, die sabbato, hora nona. Et ô felicem & admirabilem nostro sæculo virum, qui & præmisit in multis sui operis fructum, & reliquit in virgine se sequendum. Secum victoriæ vexillum manibus eleuans, & manipulum laboris sui pro se Domino libans, oblationem puram, & pacificas hostias offerens, & in se, quæ alios docuerat, Christo rerum Domino repræsentans. Mox vero vt proiectum est cadauer è loco eminentiori inductum aluei, columba miro candore niuescens, videntibus omnibus, secans aera pennis, super corpus martyris aligerans sedit. Quam omnes missilibus petris hinc inde abigere conantes, & nihilominus consistentem repellere non valentes, manibus voluerunt cominus effugare. Sed illa in circuitu corporis non volans, sed saliens, super turrim corpori imminentem propius resedit, & ad corpus beatissimi viri vultum conuertit. Nec silendum est miraculum, quod ad laudem sui nominis Christus est super corpus martyris operatus. Etenim vnus Astigitanæ ciuitatis incola, dum interceteros palatinum lunatim mansionis seruitium ageret. Ibique cursum suum vigiliis celebraret, nocte aquam potare desiderans, surrexit, & ad prominentem canalis ductum, 32 qui super illa loca producitur, peruenit, vbi vidit desuper super corpus eius, quod deorsum iacebat, sacerdotes miro candore niuentes, luminaria coruscantia retinentes, & psallentium more psalmos grauiter recitantes. Qua visione perterritus, ad mansionis locum magis fugiens, quam rediens, repedauit. Et socio † omnia renuntians, cum eo iterum ad locum reuertere voluit: sed iam secundo cernere illud non valuit. Cuius beatissimi caput † alio die curiositas Christianorum redemit, corporis vero reliquias tertio die collegit, & sub vmbra beatissimi martyris Zoyli tumulauit.

Divi Eulogij mira constantia.

D. Eulogius occiditur.

Columba in divi Eulogij corpore insidet.

Aliud miraculum. Astigitana ciuitas.

totā

(Pro, altero proxime sequente. Hispaniensium vulgarium.)

S. Zoyli templum.

BEATISSIMA vero virgo Leocritia multis oblectationibus delinita, multisq; promissionibus impulsata, tandem diuino munere soliditate fidei roborata, quarta post eius martyrij die extitit decollata, ac in flumine Bæthis proiecta. Sed aquis nec submergi potuit, nec celari, erecto enim corpore pergens, mirum omnibus visum † præbuit. Et sic à Christianis educta, in basilica sancti Genesij martyris, quæ sita est ad lo-

S. Leocritia martyrium. (exercuit.)

Basilica S. Genesij.

Tertios Gicus.

cum Tertios, extitit tumulata. Hic fuit beatissimi doctoris Eulogij finis: iste admirabilis exitus, huiusmodi plenus opere transitus.

NVNC restat in fine voluminis Regi omnium sæculorum gratias agere, qui ab 33 initio fidei suam ornans martyribus Ecclesiam, dat lassis virtutem, & de se nihil præsumentes perducit ad gloriam sempiternam. Ipsi Domino nostro gloria & imperium per infinita semper sæcula sæculorum. Amen.

At nunc

AT nunc quia sermone pedestri & inculta oratione agonem Doctoris nostri & Martyris nostri † expleuimus: restat, vt ad eundem amicissimũ nobis patronum, quasi ad audientem, & precibus nostris præsentem, sermonem vertamus, & familiaritatem nostram ei cognitam referamus. Certe potens est audire rogantes, & patrocinari miseris, & afflictis: si merita nos adiuuauerint propria, si delicta non obuiauerint dura, si affectio hoc postulauerit pura. Ergo martyr Dei excelse, dulcis nomine Eulogi, Aluarum tuum clamantẽ intende: & quem hic tenuisti charitate † animi fixum, illic tibi adsocia seruum. Non aliorum quam tuis te interueniam verbis. Certe ego sum ille, quem tecũ vnitum esse dicebas, ad quem & pro quo hoc modo locutus es: vt non sit (inquis) alter Aluarus quam Eulogius, nec alibi quam penes intima Aluari totus sit conlocatus amor Eulogij. Valeat, valeat, Christe domine, hæc suauis fidelisq; inter vtrosque dilectio. Valeat perenni culmine sanctitatis, & quasi lux splendens procedat & crescat vsque ad perfectum diem. Ecce Domine testimonium tuum præ manibus habeo, literis aureis, & sententiarum gemmis depictum, sed desidero patrocinij tui complementum. Iam enim quod in terris positus oratione, vt valeret, indefinenti orabas, in cœlis translatus, poteris in me suffragio, quod in te impletum est, obtinere. Seruat namque amor verus (vt ipse dixisti) in absentem fideliter charitatem, & quod sibi poterat, hoc exhibet in amantem. Ergo, martyr egregie, & amice charissime, dum licet, & adhuc misericordiæ imminet tempus, intercessionis tuum amico porrige munus: vt sit hic mihi concessa remelioratio morum: sint crebra munera lachrymarum, sit affectio labili menti inlata virtutum, sit affectiua compunctio iugis, sit purus pœnitendi affectus, sit locus optabilis rite concessus, sit opportunus aditus nullis obicibus disrumpendus. Soluantur perplexionum omnium vincula, resiliant impeditionum cunctarum molimina, retinaculorumq; obstacula: immutatione dexteræ excelsi in obsequentũ mutentur auxilia. Aperiantur ianuæ cordis, ad suscipiendum regnum Dei altissimi: inclinetur ceruix superba, & colla subdantur, ad ferendum iugum suauissimum Christi. Vellem adhuc poscere maiora, sed temeritatis vereor incurrere notam. Sed tu, ô serue Dei excelse, qui vultu Dominico satiaris, eiusq; dono perpetuo iucundaris: illud adsciscé misero intercessionibus dignis, quo nosti millena delicta purgari. Vitam quoq; æternam desidero, & regni cœlestis requiem sitio. Quocunque ergo tormẽto aut flagello cuta, remedium impendere seruo, & eo ardoris igne dilectum purgare desidera, quo hic nobiscum videbaris nexus in terra: vt dilectio illa clariori luce nunc emicet, quando & ampliori lumine lucet, & potiori suffragio prorogare quæsita valet.

Aluari ad diuum Eulogium obtestatio. (explicauimus:)

animæ

34

35

Prouerb. 4.

EGO autem, mi dulcis Eulogi, memoriam nominis tui, quantum potui, † lustraui, vitam digessi, doctrinam expressi, agonemq; pulcherrimum explicaui: & vt nominis tui delectabilis semper in mundo memoria floreat, & perenni splẽdore, sicut in cœlo vita, ita hic mentio rutilet: & si non enucleatissimis sermonibus, tamen euidentissimis, quibus valui, nisibus dedicaui. Construxi enim ære perennius monumentum gloriæ tuæ, quod nec nimbosus turbo, grandoq; lapidea destruat, nec rogus flammarum quocumque igne liquefaciat. Ædificaui nomini tuo memoriam ex auro obrizo & lapidibus omnigenis pretiosis, quam nullus violentissimus valebit dirruere prædonis more tyrannus. Composui fabricã * culminis tui, & in sublime turrim habitationis tuæ erexi, vt sis speciosa pharus, cunctis † virtutibus hinc inde relucens. Ornaui titulũ decoris tui vnionibus mira candore niuentibus, & topazione fulgẽti, vt vniuersis emicet finibus terræ. Adsparsi cineres sanctos nectareis floscul is, nullo æstu fatiscentibus, nec indito cedentibus igne. Vnxi pretiosum corpus nardi pistico pretioso, ac diuerso thymiamatum genere, amomo, balsamo, bisamoq; commisceens, vt flagrans sanctitatis tuæ suauissimus odor diffusus, per † omnia refertus sæcula nullo fine tepescat. Impleui amicitiæ vinculum, & charitatis tuæ nolui nudum sæculo dimittere nomen, vt sicut cælo vita resplendes & opere: ita mundo lingua † elucescas & nomine. Vt generatio subsequens te laudatum inueniat, imitandum respiciat, & quantus fueris doctrina, nostro tenui ingenio recognoscat. Neque priscorum studio corporalibus beneficiis, speciebus & floribus constipatum te æras sequutura mirabitur, quæ consumuntur temporum vetustate: sed spiritualibus donis decoratum, & immortalibus sublimatum titulis venerabitur.

illustrauit.

36

37

** Vide cap. 3. lib. 3. Mem. Sanctorum: (Viantibus)*

38 *

totam reficiãt

clarescat

39 *

TV ergo venerabilis domine, æquiparando nobis redde mercedem, vt † qui seruitio nostro tuæ decorãtur reliquiæ, & ornantur exequiæ: illustremur deinceps respectione felici, visitemur dono cœlesti, vt ego ille, qui per prona hactenus, & abrupta nõ liquide fluens, ab iniquitate mea defeci, & rabidus hucusque in malis meis manens, à vultu domini mei recessi, maligno adhærens hosti, prævenienti gratia illustratus, & gratuita

quia

misericordia quocunque vitæ termino consummatus, mercar ita cœlestia indisruptà communiter tecum possidere gaudia, sicut hic pari fletu & gemitu terrena maceratus angustia, traxi diuturna & longa suspiria. Vt etsi non æquali datum est mihi fulgere gloria, saltim vel delictorum meorum mihi inlata sit venia. Quatenus non pœnali doleam barathro mersus, sed in cœlesti gaudeam requie tibi, vel cæteris dominis meis sociis tuis, condonatus. Amen.

HYMNVS IN DIEM S. EVLOGII presbyteri, quinto Idus Maij.

rouchit polisrum

1 ALmi nunc † redeunt festa † polifera
Nostri Eulogij martyris inclyti:
Soluamus Domino carmina principi
Concentu fidei cælico munere.
Laudamus varia musico carmine,

2 Quæ non sunt Domini prædita lumine:
Hic nunc sat melius res pia panditur,
Quum Christum resonant chordulæ metricæ.

At nunc hic

† Hic nunc est animus magna reuoluere:
Splendenter anhelat balsama fulgide

dulcin

Glisens egregia clangere libere,
Vt † dulci roboet musica flamine.
Bellator Domini, verbo potentior,
Doctrina & pariter fine celebrior:
Christi sic igitur gloria cingitur,

hic &

Vt florens vigeat † licet in æthere.

3 Rector dum populos docte reficeret,

docerat perdere

4 Gypsum, quum † diceret, fragmine † prodire
Turbam multiplici germine lauream
Cœlesti rutilus agmine prouehit.

5 Vstus sic Domini zelo, fidelium
Conuertens fluidos mores rebellium,
Adsciscens opibus munere nobili,
Abstractos barathro sublimat æthere.
Sed iam cum meritis digna rependere
Christus cunctipotens vellet, Leocritiam,
Recte mox lepidam virginem extulit,
Quæ clarum famulum axe reconderet.
Tunc celsus solitum rite solatium

Præstans mox

† Præstat, & placidum compte remedium,
Cultum † tunc fidei dogmate ingerit,
Aduersans populis iusta rebellio.
Extemplo præconans prædo peranxius
Conturbat patriam, iussuve plebium,
Per cunctas plateas longe reuoluitur,
Quod princeps rabidus excitus imperat.
Regnantem tumidum respuit inclyta
Cœlestis famuli mens Deo prædita:
Tandem præcipiti & ductu notabili
Comprehensus, sonuit mox quoque libere.

Optans

† Dicens, ô proceres temnite impium,
Christum æthereum credite principem,
Vatem impudicum recte repellite,
Qui tantos populos igne recondidit.
Gaudens hæc resonet culmine gnauiter,

quæstans

Necnon & alia † conquerens fortia,
Hunc mandant gladio vertice tundere,
Ne sancta valeat turba recipere.

Adest

Adest intrepidus belliger annuens,
Tundunt quem alapis, sed rogat horridum,
Extendens faciem, verbere vt alteram,
Alternans, gemina palma relideret.
Tunc signo fidei pectora seruulus
Armat deifice aurea, † roseo purpura
Colla † lactentia sanguine prædita, lactea
Incuruat Domino, instat, & obsecrat:
Sic ictu gladij sydere conditur,
Sic verbo fidei clare reuoluitur.
Adesto miseris, quæsumus affatim,
Perplexos precibus soluere concite.
Adsiste gemitis poscimus excitis,
Inflectens famulis nunc quoque numinis
Auditum placidum, † atque serenius gratia
Mentem, vt precibus sancte refocillet.
Vt rector deleat regna ferocia,
Conculcet validus dogmata impia,
Adspiret fidei comptæ refulsio,
Qua cœli referet culmina fulgida,
Vt torquens hæresis longe resiliat,
Vt cultus Domini altius emicet:
Rectores patriæ flore redoleant,
Aduersos cuneos libere ventilent.
Sit vita populis, sit quoque prouida
Sanctis religio periuge tempora,
Sit trino Domino gloria sedula
Æternum dominans inclyte sæcula. Amen.

6 *Post hæc superiora in altero exemplari sequentia erant continuata.*

Translatio corporis Sancti Eulogij presbyteri.

TRanslatio facta est Sancti Eulogij Martyris & Doctoris, in basilica Sancti Zoyli titulo principali, Calendas Iunias Era Dcccxcviii. Celebratur autem dies vii. natalis eius in supradicto coto, eo quòd omni tempore in diebus quadragesimæ occurrit illius solennitas.

Epitaphium Sancti Eulogij.

HIc recubat lepidus martyr, doctorq; refulgens
Euloglus, lumen, dulce per sæcula nomen.
Qui zelo fidei rutilans, virtute † priorum, fortis, pietatis
Accensit animos magno fulgore virorum.
Hic macte celeber libris præconatur & hymnis;
Et vita † rigidus, & fine sole coruscus. vigilans,
Qui temnens fluida, conscendit lucida cœli,
Nec morte periit, sed vitit sede perenni.
Credite quæso mihi, vitit, per sæcula, viuit,
Quisquis cœlesti lætatur gloria regni.

Oratio Aluari.

NVnc te sancte rogo, recolas vt nomen amici,
Quem tua hic tenuit dulcis amicitia fixum,
Aluari extremi, qui multa clade reati
Infectus vitiis pergit per deuia mundi.
Prex tua hunc † teneat lapsum ad pascua vitæ, retinebat.
Vt solite sancto digno nectatur amore,
Quo tibi coniunctus manfit per sæcula charus,
Præsta Deus deorum regnans per sæculis, Amen.

Scholia in Diui Eulogij vitam.

1 ET Doctoris.) *In Concilio Cæsaraugustano 1. cap. 7. decretum his verbis fuit scriptum. Ne quis Doctoris nomen sibi imponat, præter has personas, quibus concessum est, secundum quod scriptum est. Hinc diuus Eulogius Doctor in Ecclesia Cordubensi & habitus est, & vocatus. Et paulò post Aluarus notat, Eulogium inter magistros fuisse eo etiam tempore ascitum, quo fuit presbyter factus. Ipse quoque Eulogius Præsidem alloquens, hoc ipsum non semel de se testatur. Cæsaraugustanum concilium primum notaui, quia tria in ea vrbe celebrata in vetustissimis exemplaribus habentur, 4. in regio Diui Laurentij cœnobio seruantur.*

2 Ego luxuriæ.) *Humiliter de se loquitur, cum tamen vxorem se duxisse velit indicare.*

3 Cordubæ.) *Hic & vbique non Corduba, sed Cordoba fuit scriptum in vtroque exemplari, iuxta veterem illam illorum temporum veri nominis corruptelam, quæ iam, vt suo loco diximus, inoleuerat. Fuit etiam vbique scriptum, egleſia, non ecclesia, vt agnoscas hic quoque paulatim obrepentem Hispanam, quam nunc retinemus, huius nominis prolationem. Inlustratus, adspersus, & huiusmodi alia, quemadmodum in exemplaribus fuerunt, reliquimus.*

4 Senatorum traduce.) *Quod late in nostra historia ostendimus, post Gothorum & aliarum externarum gentium in Hispaniam irruptionem, tria hominum discrimina Prouinciam totam incoluere. Antiqui Hispani: Romani, qui se illis aliquot ante seculis immiscuerant: Gothi itidem Alani & Suæui cum reliquis: qui tamen vno nomine Gothi postea appellabantur. Hoc cum multis testimoniis patebit, tum legibus tamen Gothicis, quæ in foro iudicum, vt vocant, continentur, sit manifestum. Posteriores etenim Gothorum reges in legibus, Hispanorum populos in vniuersum alloquentes, trium horum hominum discrimina separatim nominant. Et apud Paulum Orosium eorundem est mentio. Cum autem nobiles, qui ex Romanorum essent stirpe volunt intelligi, Senatores eos illorum temporum scriptores appellant: Paulus Emeretensis diaconus, qui de Episcopis eius vrbis scripsit: Samson Abbas Cordubensis, & cum Aluaro noster Eulogius. Ipsum itaque hic * Patritium, & Romanorum stirpis credo significari. Quod si quis per catachrisin nobilem tantum, non Romanæ originis Eulogium hic dici existimet: ego cum hoc non contenderim. Mater D. Eulogij Elisabeth vocabatur, vt ipse in epistola ad Pompelonensem Episcopum scribit. Auus Eulogius itidem dictus fuit, vt in Apologetico appellat.*

Tria hominum in Hispania discrimina.

** Ex gente, vel familia ortum diuis Senatorij intelligendum est apud Aluarum. Eadem ratione vtitur Vocabulo Traducis, ipsemet Eulogius c. 17. lib. 3. Mem. Sanct. Mater & auus D. Eulo. ij.*

Sancti Zoyli ædē.) *Huius templi mentio est alicubi in D. Eulogij operibus. Eidem præfuit paucis post annis Samson Abbas, de quo plura in sequentibus dici oportebit. In hoc D. Zoyli templo corpus eiusdem martyris suo tempore asseruari D. Eulogius, & idem Samson docent. De Samsone Abbate lib. 1. de Paulo Emeretensi diacono initio libri 2. dicemus.*

5

6 Sperandeum.) *Huius viri meminit lib. 1. & 2. Eulogius. Eius nomen varie in exemplaribus fuit scriptum: Spera in Deum, & Sperandeum.*

7 Tandem Reccaffredus.) *Cum multa non vno loco D. Eulogius de sua ista calamitate, & in carcerem trusione commemoret, nunquam Reccaffredi huius meminit: nec quis hic fuerit tumultus plane docet. Quantum ex sequentibus & ex Eulogij dictis possumus coniicere: Reccaffredus metropolitanus fuit episcopus, cuius ministerio Habdarrahgman rex Christianos voluit compescere. Ille autem aut prauo zelo instinctus, aut infideli metu compulsus ecclesiam Cordubensem atque alias grauiter afflixit: episcopum Cordubensem, cuius nomen nusquam proditur, aliosque templorum ministros in vincula tonicit. Sed neque qua de causa liberi postmodum fuerint dimissi, memorant: neque nos aliunde possumus diuinare.*

8 Extat super hoc.) *Durat etiam adhuc hæc epistola. Ibi hæc omnia latius referuntur. Parata & illa altera, quam è vestigio commemorat Aluarus, extat epistola.*

9 Ibi metricos pedes.) *Innuit D. Eulogium in carcere positum, hymnos iis carminum generibus scripsisse, quæ Hispanis eo tempore essent incognita. Nimirum, vt mox apparebit, Horatij Poetæ opera ipse nuper adinuenerat, & illa illectus carminum varietate, similia tentare est aggressus.*

10 Namque ipsis diebus.) *En tibi Reccaffredum iussu regio ecclesiam afflixisse. Eulogius autem & cæteri veri Christiani ei aperte resistere tametsi cuperent, pia causa, quam Aluarus non tacuit, commuti nolebant. Cæterum D. Eulogius, qui illum excommunicatum & ab ecclesia alienum merito existimabat, sacris abstinere toto illo tempore decreuit: ne se videlicet eius etiam labe respergeret, quo cum foris videretur consentire. Satis autem indicabat, quam non consentiret, qui ita se contineret. Neque tamen vitare omnino poterat Reccaffredum: cum fideiussoribus, quos dederat, hac ratione noceret.*

11 Cuius historiæ veritas.) *Quum Aluarus hunc, quem refert, librum scripsisset, quo plenius omnia ista digesserat: hic innuere tantummodo contentus effecit, vt tenuis & subobscura ista notitia adhuc tantum perueniret.*

12 Vtpote fideiussoribus datis.) *Apparet cauisse Reccaffredum vadium interuentu, ne abesset Eulogius, postquam vinculis fuerat exemptus, feiungi.*

13 Beati Epiphanij.) *Extat hæc epistola à diuo Hieronymo in Latinum sermonem conuersa, & inter eius opera excussa.*

Quin-

Quinpotius occasione fratrum suorum.) *Hæc omnia fusius in ea epistola narrantur, cuius mox Aluarus meminit. Sed temporum series diligenter est attendenda. Reuersus enim ex hac peregrinatione ab Reccaffredo in carcerem conicitur. Inde eductus, concilio Cordubensi cum aliis metropolitanis celebrato interfuit, quamquam illorum sententiæ penitus non acquieuit. Quod lib. 2. cap. 15. ipse commemorat: & tempus quidem ita digessisse, & continuasse, vt multum deinceps ad intelligenda, quæ narrat Eulogius, contulerit. Reccaffredi namque nomen ipse nunquam apposuit, modestiæ vere Christianæ ergo, vt ego interpretor. Vnde illa omnia hinc sunt prorsus intelligenda.* 14

Indè secum.) *Animaduertere decet, qua cupiditate & diligentia perquirendorum librorum veterum vir sanctus teneretur. Inde quanto opere Cordubæ feruerent etiam in illo rudi, & vndique Christianis miserabili sæculo studia literarum, satis apparebit.* 15

Flacci saturata poemata.) *Alluſit ad Iuuenalis versum. Satur est cum dicit Horatius, ohe.* 16

Porphyrij depicta opuscula.) *Tyrius fuit Philosophus Plotini auditor, Iamblichi præceptor, Malchus seu Basylius antea dictus: sed Porphyrius deinceps cognominatus, ob purpuream vestem, qua semper propter generis nobilitatem vtebatur. Acerrimus Christianorum hostis, quique ab egregiis ecclesiæ ducibus Methodio, Eusebio, & Apollinari contra ipsum decertantibus, fuerit profligandus. Plura de illo Suidas. Picta autem eius opera referens Aluarus, ea intelligi credo, quæ ad eloquentiam spectantia Suidas recensuit.* Satyr. 3. 17 Porphyrius.

Vel Adhelelmi Epigrammatum opera.) *Intelligit plane Adhelelmum Saxonum Occidentalium episcopum, in diuinis literis clarum, sed humaniorum studiorum & Poetices studiis sui temporis clarissimum. Floruit sub Iustiniano minore annis ante D. Eulogium plus ducentis. Eius operum catalogum Abbas Tritemmius texuit: & inter cætera librum carmine scriptum de Virginitate Sanctorum, quem hic intelligi præsertim crediderim.* 18 Adhelelmus poeta.

Necnon Auienni fabulas metricas.) *Rufus Festus Auiennus seu Abydnus poeta, vt quidam volunt Hispanus, inter cætera Virgilianas fabulas, iambicis versibus descripsit: & Æsopi etiam fabellas quæ elegiaco carmine circumferuntur, huius esse auctoris multi affirmant. Aut alterutrum, aut vtrumque opus hic possumus intelligere. Qui hæc & plura de hoc auctore scire voluerit, Quartum Lilij Giraldi de Poetis Dialogum legat.* 19 Auiennus poeta.

Post diuinæ memoriæ Wistremiri.) *Cordubam ex Gallia rediens Eulogius, vt ipse in epistola ad Pompelonensem episcopum narrat, aliquandiu Toleti apud hunc sanctissimum antistitem est diuersatus. Inde haud dubie factum est, vt Toletani Mocarabes, & sanctæ ecclesiæ præsertim ministri, quibus ex hac consuetudine eius viri sanctitas & doctrina probe fuisset perspecta: ipsum Præsulem sibi optarent, & deligerent. Alterum exemplar Tolenatæ calami certe vitio, hic habuit. Est autem Toletum vrbs Hispaniæ celeberrima, non semel ab Tito Liuio nominata, & ab Plinio etiam & Ptolemæo inter cæteras connumerata. De qua, vt de Carthagine Sallustius, præstiterit hic nihil, quam pauca referre. Præsertim cum sublimis huius vrbis nostro hoc tempore magnificentia & præstantia, omnibus sit notissima.* 20 Toletum.

Pro annuo festiuitatis suæ recursu.) *Attende festiuitatem D. Eulogij, & aliorum perinde martyrum Cordubensium, iam tunc institutas fuisse, & quotannis celebratas: & translatio etiam Diui Eulogij solenni more, vt paulo post apparebit, colebatur.* 22

Rex Mahomad.) *Habdarrahmanis huius nominis tertij fuit filius: quod ex tertij libri principio patet.* 23

Arabs genere beatus Christophorus.) *Huius martyrium cum breuiter D. Eulogius lib. 2.* 24 *expedisset: Aluarus latius describere cogitabat.*

Ex Gentilium fece.) *Gentilium nomine semper Arabes sectæ Mahometicæ vocat Eulogius. Hoc quoque esse videtur ex illa Romanorum vocabulorum affectatione, qua Consules & fasces aliaque eiusmodi sæpius repetuntur.* 25

Christo dicata.) *Sanctimoniales nostrates variis nominibus in Conciliis Hispanis appellantur: Deuotæ, Religiosæ, Deo dicatæ, sacræ virgines, & hoc ipsum Christo dicatæ. Vtitur eisdem nominibus varie D. Eulogius, & ipse Aluarus.* 26

Nomine Elitiosa.) *Alterum exemplar Litiosa habuit: nos id sequuti hic sumus, quod cum Diui Eulogij operibus cohærebat.* 27

Vel sorori eius Anuloni.) *Præter hanc sororem alteram etiam habuit D. Eulogius nomine Niolam. Tres etiam ei fratres fuerunt, Aluarus, & Isidorus, & natu minimus Ioseph. Ex epistola ad Pompelonensem episcopum.* 28 Diui Eulogij fratres.

Comere gressos.) *Ita fuit in ambobus exemplaribus. Et sensus interim cum tota argutia est manifestus.* 29

Cum reuerentia nominandus.) *Tam in his duobus exemplaribus, quam in aliis peruetustis libris Mocarabum Christianorum literis descriptis; quos mihi videre hucusque contigit, f. pro u. & u. pro f. semper cernitur appositum. Itaque hic referentia, non reuerentia fuit scriptum: & semper prouanus, non profanus. Item è conuerso. Nescio quid hoc habet ex Digamma Eolico Fabij Quintiliani.* 30 Quint. lib. 1. c. 4. & Aul. Gell. lib. 14. c. 5. & lib. 19. c. 8.

31 Cui beatissimus martyr.) *Expressit ad vivum D. Eulogius, & vere impleuit sancti senis Eleazari exemplum. Quod quia est ipsum per sese illustrissimum, & dictante diuino spiritu facundissime perscriptum: lectu est dignissimum.*

32 Compleuit martyrium suum.) *Mensis dies signatur, Martij videlicet vndecima: Sabbatum etiam fuisse dicitur: cum Era aut annus non fuerit ab Aluaro expressus. Hinc tamen iam, licet alunde astrui non posset passum fuisse D. Eulogium anno Domini octingentesimo quinquagesimo nono, quem in titulo apposuimus, necessario, penitus probatur. Illo enim anno Martij dies vndecimus in sabbatum incidit, neque aliquot retro annis in eum hebdomadæ diem inciderat, neque aliquot sequentibus sabbatum fuit occupaturus. Neque extra hos non paucos annos pati potuit Eulogius. Nam tres quatuorve ante hunc annos ipse (quod ex suis libris patet) in vinis erat. Nostra autem hæc supputandi ratio, vbi hebdomadæ dies signatur, non vera solum, sed omnino etiam irrefragabilis, ex canonica cycli solaris conuersione, & ex ea annorum & mensium desumitur obseruatione, qua cum ab initio sancta Christi vteretur ecclesia: postea Abbatis Dionysij, vt plerique tradunt auctores, doctrina & diligentia in dilucidiorem & certiorem formam fuit disposita, & constituta. Cæterum quemadmodum inde nos ad certissimam hanc annos in historia supputandi & digerendi firmitatem, si quando hebdomadæ dies nominatur, rationem*

Petrus Appianus. Onuphrius Panuinius. Gerardi Mercatoris chronicon.

interimus: in nostra historia, vbi ad Gothorum tempora peruenimus, late fusius præfati. Occasionem autem huius obseruationis nobis Petrus Appianus primum in suo Cæsareo astronomico, & F. Onuphrius Panuinius vno atque altero loco in Fastis, olim præbuerant. Nunc vero Gerardi Mercatoris chronicon, superiori anno euulgatum, astronomicam etiam in supputando rationem, tametsi ab nostra ista diuersam, per eclipsium nimirum, quæ apud historicos reperiuntur, notationes, videmus retinere. Et quia solenne est diuo Eulogio hebdomadæ dies in martyrum cæde notare, vnde anni plerumque assequerationem & certitudinem demonstrabimus: ideo fusius aliquanto de toto hoc nostro inuento hic fuit differendum.

33 Lunatim mansionis seruitium.) *Menstruas significat excubias, quæ in arce agerentur, cum finito mense, noui excubitores prioribus succederent. Hoc enim aduerbio temporibus illis efficto diuus etiam Eulogius aliquando vtitur, & eo præsertim loco, vbi tributum Christianis per singulos menses impositum deplorat.*

34 Et ad prominentem canalis ductum.) *Prope arcem profecto iacuit ad fluminis ripam sanctum diui Eulogij cadauer, prope turrim, quæ Arcarum nunc appellatur: siquidem excubitor longius recedere non auderet. Et propius arcem haud dubie is erat siue fons siue aquæductus, quem petebat. Aliqui potus causa in flumen, quod arcis allnit fundamenta, citissime potuit descendere. De ea autem*

Rasis Chronicon.

loquitur, quæ nunc etiam Cordubæ perdurat. Ea enim iam fuerat ædificata, quod ex Rasis Chronico, &

Ruderici archiepiscopi Toletani Chronicon.

ex peculiari Ruderici Toletani Præsulis de Arabum rebus historia, quæ nondum est excussa, aperte constat. Illud etiam est animaduertendum, præcipitium ingens esse ab arcis platea in alueum fluminis: vt sit ab latere per cliuium descensus.

35 In basilica sancti Genesij.) *Huius templi & loci mentio non semel erit in diui Eulogij libris, in Apolog. Mart. pag. 84. b.*

36 Dulcis nomine Eulogi.) *Alludit ad Græcam originem vocabuli. Eulogius enim bonus sermo interpretatur. Alioqui & amoris teneritudine, ita potuit Aluarus loqui.*

37 Vt non sit inquis.) *Scripserat hæc procul dubio verba in aliqua ad Aluarum epistola Eulogius. Sed ea intercidit.*

38 Ego autem mi dulcis Eulogi.) *Offert iam hoc suum opus diuo Eulogio: & dum attollere orationem studet, multa ingeminans, & accumulans, cacozilon non potuit euadere, & tumidum quid, magis quam sublime perfecit. Fertilitas nimirum Cordubensis soli hanc quoque vbertatem semper in ingeniis protulit.*

39 Constituxi enim ære perennius monumentum.) *Horatij versum tantum dissolui, & ex recens lecto opere aliquid affectauit inspergere. Horatij versus hi sunt in fine carminum:*

Exegi monumentum ære perennius, &c.

40 Bisamoq; commiscens.) *In altero exemplari bisamo, in altero fuit visamo. Sed neutrum quid sit repero.*

41 Neque priscorum.) *Locus in vtroque exemplari corruptissimus, spem etiam ademit diuinandi.*

Scholia in Hymnum & Epitaphia.

1 HYmnus in diem.) *Titulos qui fuerant in veteribus Codicibus, conseruauimus. Est autem hic hymnus, quemadmodum & epitaphia ab Aluaro, vt ego existimo, compositus. Carmen est quale illud, Sanctorum meritis inclyta gaudia.*

2 Laudamus varia.) *Sensus est: Solemus carminibus varias res celebrare, quæ ad Dei gloriam non pertinent: Quanto rectius carmina diuinis laudibus, vt nunc contingit, impenduntur.*

Rector

Rector dum populos.) *Quatuor sequentes versus in vtroque exemplari fuere corruptissimi: nos quoquomodo potuimus ex coniectura & ingenio emendauimus.* 3

Gypsum.) *In antiquis libris ad hunc modum legebatur. Gypsam quum doceret fragmine prodere. Nos substituimus, Gypsum quum diceret fragmine prodite. Sic versus constat: Sic aliquis sensus elicitur, nempe iste ex allegoria. Eulogius clamabat: Legem Mahomad penitus introspicite: ipsa se cum sua deterrima turpitudine ostendet & reteget. Quasi vas terreum aut testaceum, fractum docebit, quam sit fragile.* 4

Vstus sic domini.) *Hoc ideo dicit, quia aliquos ex martyribus parum constantes, & iamiam labantes, in fide confirmauit. Quod alicubi ipse idem Eulogius testatur.* 5

Translatio corporis.) *Exemplar cum diui Eulogij operibus coniunctum, cum epitaphium solummodo haberet, nihil habuit de eius translatione. In altero Michaelis Acagræ hæc ipsa fuere. Cum autem initio in hoc eodem templo fuerit, vt est in eius vita, sepultus: intelligo nunc eleuationem solennem fuisse factam. Nam illa verba: titulo principali, non diuersum templum, quantum ego possum intelligere, innuunt, sed ab rege aliquando conditum significant. Et hoc sensu in concilijs nostratibus scribuntur. Cotum, vocabulum est ab Hispanis nostris ex Latino, cautum, deprauatum: quod vetustissima regum diplomata ostendunt, & lapides in quibus legitur: Rex fecit cotum, & fecit cautum, indifferenter. Et multa huiusmodi.* 6

Vbi corpus, aut reliquiæ ipsius Martyris requiescunt, quod patet ex cap. 1. & 5. lib. 2. Meto. Martyrum.

Illud autem operæpretium fuerit animaduertere & expendere. Cum diuus Eulogius Martyrij vndecimo die interemptus, & Iunij primo fuerit translatus: cur in Martyrologio Vsuardi, & in Romano nuperrimè excusso & adaucto, vigesimo Septembris eius festum reponatur? Quin etiam Breuiarium Cordubense eodem die habet. Huius rei causam ego eam fuisse crediderim, quod cum eo ipso die, Septembris videlicet vigesimo, sancti Eulogij presbyteri (eius qui inter priscos Eremi cultores insignis fuit) obitus fuisset annotatus, in libro qui Vitæ Patrum inscribitur, & diuo Hieronymo ascribitur, & in Martyrologio Romano: quidam eundem illum & nostrum hunc Cordubensem esse credentes, veritatis alioqui ignari, eidem diei eius festum attribuerunt: & in Romano quidem vtriusque eodem die festum notatur.

Festum diui Eulogij cur Septembri apponatur.

Illud etiam animaduertendum, Vsuardum non potuisse D. Eulogij, & aliorum eiusdem secli martyrum Cordubensium, quorum frequens in eius Martyrologio mentio est, passiones scripsisse. Nam cum Carolo Magno suum Martyrologij opus dicauerit, quantumuis inuenis Imperatori admodum seni scripserit, vix credibile est D. Eulogio superstitem fuisse. Restat, vt aliquis postea eius operi nostrates hos martyres superaddiderit: qui certe ex diuo Eulogio non res solum, sed ipsa etiam eius verba aliquãdo deprompsit. Romanum vero Martyrologium, siquidem diuo Hieronymo tribuitur, meminisse diui Eulogij & coætaneorum martyrum non potuit. Sed adiectitia sunt omnia, quæ de his sanctis inibi leguntur, vt est opus nouis & nouis accessionibus opportunum. Idem dicendum de Bedæ martyrologio, qui diuum Eulogium ducentis annis præcessit: & tamen Lupi & Aureliæ festum mense Octobri ibi apponitur. Ado Viennensis in Gallia Archiepiscopus legerat profecto diui Eulogij libros. Num & omnes ferme hos Cordubenses martyres in suo Martyrologio posuit, & quæ pauca de his commemorat, hinc plane desumpta sunt. Et eius historia ad vigesimum post diui Eulogij martyrium annum protenditur.

Vsuardus nõ potuit de diuo Eulogij scribere.

Romanum martyrologium.

Martyrologium Bedæ.

Adonis martyrologium.

Hoc vero nostro tempore corpus diui Eulogij simul & Leocritiæ Oueti, in celeberrimo multorum sanctorum corporum & reliquiarum sacrario, quod Cameram sanctam vocant, decentissime asseruantur. Theca reconduntur bene magna, argento vndique obtecta, signis perbelle exornata: in cuius summitate hæ literæ argento insculptæ leguntur:

Diui Eulogij & Leocritiæ corpora Oueti seruãtur.

ANNO DOMINI MCCC. QVINTO IANVARII DOMINVS FERNANDVS ALVARI OVETENSIS EPISCOPVS TRANSTVLIT.
Hic tres dictiones desunt. M. EVLOGII ET LVCRITIÆ IN HANC CAPSAM ARGENTEAM.

Fernandus Aluari Ouetensis Episcopus.

Neque dubium tamen esse potest, quin qua parte argenti subtractio fragmentum effecit, ad hunc modum esset scriptum: CORPORA SANCTORVM MARTYRVM.

Hanc vero argenteam arcam cum sanctis corporibus, ego, etsi indignus (quod summi beneficij loco mihi à Deo Opt. Max. misericorditer tributum libentissime recolo) his meis oculis, non tam senio iam caligantibus, quam spectaculi sanctitate præstrictis, eoram eplatus sum: his miseris manibus, hisce immeritis vlnis venerabundus sustuli, hoc ipso anno Domini MDLXXII. cum Philippus II. Rex potentissimus, idemq; & cognomine & studio pietatis & religionis vere Catholicus, sancta me & religioso in primis Principe dignissima legatione misisset, ad reuerẽter inuisenda Sanctorum per Legionenses, Gallecos, & Astures corpora & reliquias, custodiam, cultum, & venerationem, si digna pro eorundem maiestate esset, diligenter perquirendum, & renuntiandum. Et vt omnem sanctæ eius legationis summam breuiter complectar: prouidentissimamque & bene gratam Regis erga suos maiores curam & sollicitudinem referam: habui etiam in mandatis, vt priscorum Hispanorum Regum sepulchra perspicerem, an digne & honorifice essent eorum tumulata corpora animaduerterem: quam plene & accurate

Sancta Philippi Regis legatio.

ijs ſtatis diebus ſacris tum anniuerſariis ſolennibus, tum etiam quotidianis parentaretur, intelligerem. Illud etiam ſuperiniunctum, vt bibliothecis omnibus publicis diligenter perluſtratis, veterum omnium exemplarium catalogum perſcriberem, & vt diligenti cuſtodia aſſeruarentur, monerem. Sed ad Sanctorum corpora redeo.

Rex Alfonſus. Dulcidius. Rex Mahomad. Samuel. Ermenegildus Archiepiſcopus. Sancta Leocadia ſacellum.

Celebrat etiam ſancta Ouetenſis eccleſia feſtum tranſlationis horum duorum ſanctorum corporum: in cuius matutinis lectionibus ſcriptum eſt, quo pacto Ouetum fuerint adducta. Rex Alfonſus (quotus fuerit non referunt) Dulcidium quendam legatum ad regem Mahomad Cordubenſem miſit. Is opera Samuelis cuiuſdam (qui ſe hanc ipſam tranſlationis hiſtoriam ſcripſiſſe teſtatur) adiutus, ipſa ſ Ta corpora adeptus, Ouetum tandem pertulit. Rex vero ſimul cum Ermenegildo, Ouetenſi tunc temporis Archiepiſcopo in ſancta Leocadiæ ſacello, ſaxeo ſepulchro ſubtus altare excauato, quod nunc etiam vacuum conſpicitur, eadem beata corpora theca cupreſſina incluſa, decenter cum ſolenni pompa repoſuit. Miraculum paulo poſt paralitici ſanati conſequutum eſt.

Rudericus Guterrius miraculum curatum.

Multo vero poſt tempore Rudericus Guterrius Ouetenſis archidiacouus, diſtorto ore mutus repente factus, horum ſanctorum martyrum interuentu, quorum patrocinium fuſis interne precibus implorauerat, ſanatur. Eius miraculi occaſione factum eſt, vt ſepulchro extracti, & theca argentea denuo recondita, in ſanctam Cameram, quemadmodum retulimus, eleuarentur. Hæc ibi. Cæterum ex Ermenegildi Archiepiſcopi, & Mahomad Regis, mentione intelligimus, Regem Alfonſum huius nominis tertium, cognomento Magnum, fuiſſe eum, ad quem Corduba ſancta corpora fuere perlata. Nec grauabor carmina etiam apponere, quæ loco antiphonarum & reſponſoriorum in eo feſto decantantur, quamuis rudiquiddam & incultum ſonent: cum Hiſpanæ eorum temporum in carminibus vetuſtatis expreſſam imaginem retineant.

Alfonſus Magnus. Antiphonæ, & oratio de ſanctis Eulogio, & Leocritia.

Eulogij cultus creſcit per ſæcula multus,
Lucritiæ pariter feſta ſequuntur idem.
Nec timet Ouetum ſubitum contingere letum,
Nam feſtum letum inſſit abeſſe metum.

Oratio.

DEus, qui per beatiſſimos martyres tuos Eulogium & Lucritiam Ouetenſem eccleſiam adornaſti: concede nobis famulis tuis veniam delictorum: vt eorum patrociniis roborati, pro tuis beneficijs gratias tibi debitas referamus. Per Dominum, &c.

Et Lucritia ſene vbique Oueti ſcribitur, non Leocritia. Nos vetuſtos codices potius ſequuti ſumus.

Aluari opera. Sanctorum Facundi & Primitiui cœnobium.

Aluarus vero hic noſter librum etiam ſcripſit Scintillarum, ipſum nos in Regio, de quo iam diximus, ſanctorum Facundi & Primitiui cœnobio manuſcriptum in membrana cum hoc titulo vidimus. In Chriſti nomine incipit liber ſcintillarum Aluari Cordubenſis, collectus de ſententiis ſanctorum Patrum. In fine conſtat ante quadringentos annos fuiſſe deſcriptum. Eundem etiam multo vetuſtiorem literis Gothicis ſcriptum, ſed lacerum: principio fineq; carentem in inclyto Ciſtercienſi prope Vallis Oletum monaſterio dicto del Eſpina, conſpeximus. Eundem etiam habet Mindonienſis eccleſiæ in Gallæcis bibliotheca. Fuitq; eius operis argumentum in illa eo tempore librorum penuria admodum neceſſarium, nec nunc tamen aſpernandum. Etenim per locos communes de virtutibus & vitiis, multa quæ in ſacris literis, multa quæ ab ſanctis doctoribus dicta ſunt, congeſta reperiuntur. Excuſum etiam Baſileæ, ſed mutilum, & ſine nomine auctoris, circumfertur. Scripſit præterea, vt D. Epiſcopius Placentinus exiſtimabat, idem Aluarus opus egregium, cui titulus eſt, Indiculus Luminoſus. Permanet Gothicis literis in membrana deſcriptus Cordubæ in bibliotheca Fani maioris, ſed ſine auctoris nomine. Tantum notatum ab ipſo auctore eſt, ſcriptum opus fuiſſe Cordubæ anno domini octingenteſimo quinquageſimoquarto, quo, vt frequenter apparebit, & florebat, & ſcribebat Aluarus. Stylus etiam aut Aluari prorſus eſt, aut ſimillimus. In eo opere multa ad ea ipſa, quæ in his Dini Eulogij operibus continentur ſpectantia reperiuntur. Mentio enim fit quorundam ex his martyribus, quorum vitam & agonem ſcribit Eulogius, vt hinc etiam Aluari eſſe videatur. Vnum illud eſt, quod vt Aluari opus illud eſſe non credam, omnino perſuadet, quia nimirum D. Eulogij ibi mentio nulla fit. Nec arbitror Aluarum in tanta beneuolentia continere ſe potuiſſe, quin eius eadem ſcribentis memimiſſet. Et de hoc iterum in Scholiis libri primi ad finem.

Spina monaſterium. Mindonienſis eccleſiæ bibliotheca.

Indiculus luminoſus.

DIVI EVLOGII MARTYRIS CORDVBENSIS, DOCTORIS ET ELECTI ARCHIEPISCOPI Toletani Liber Memoriale Sanctorum, ab ipso inscriptus.

PRAEFATIO.

EGO quidem volumen hoc Memoriale Sanctorum appellans, illis tantummodo ascyfteriis commentaueram, è quibus prior ille monachorum globus ad resistendum mendacissimo vati processerat. Sed postquam ex vrbibus, viculis, oppidiculis, & castellis certatim prouere ad hoc certamen viros, ac mulieres cognoui, neque quenquam veteri præsidis tribunal competi, sed omnes pro testamento, & legibus Dei nostri mortem incunctanter elegisse conspexi: vniuersis illud ecclesiis supra solidissimam petram fundatis dicaui, vt tantum haberent cuncti de triumpho eorum suæ consolationis, & gloriæ exemplum, & gaudium, quantum fuit illos ex diuersis locis venisse, & in exemplum totius Ecclesiæ discrimina passionum subiisse. Sed reor, quod inter ipsos haud dubie principatum obtinet sanctus Isaac monachus. Qui prior è Tabanensi cœnobio in forum descendens, iudicem adiit, atque his verbis eum aggreditur: Vellem (inquit) iudex, cultor fidei strenuus fieri, si modo tu non differres ordinem, rationemq; eius mihi exponere. Cui cum libenter, quasi iam tyrunculo fidei suæ credituro iuueni inflatis buccis, turgenti gutture, crepitantia infra caua palati verba institutionis lingua fallax proferret, sectæ huius auctorem Mahomad fore prædixit; qui Angeli Gabrielis magisterio illustratus, verbum Propheticum ab Altissimo nationibus relaturus accepit: legem instituit, Paradisum disseruit, regnumq; cœlorum plenum epulis, & fluxibus fœminarum edocuit. Sed & alia plura, quæ hic disponi perlongum est, ex ritu pro vano arbitrio prosequente, protinus Ephebus ille venerabilis monachus, vt erat apprime literis Arabicis imbutus, Arabice dans illi responsum: Mentitus, ait; est vobis, ita maledictionibus tabescat diuinis, qui tanto scelere implicatus, tantorum agmina perditorum inuasit, secumque inferorum barathro mancipauit. Ille etenim dæmonio plenus, dæmonicis fauens præstigiis lethale morbidis propinans poculum, æternæ perditionis luet interitum. Quare vos scientia prædita à talibus non abdicatis periculis? Quare non renuntiantes vlcus perstiferi dogmatis, perennem fidei Christianę Euangelicam sospitatem optatis? Hęc, & his similia ore pudico, summis reuerentiæ ausibus, viribusque lingua peracuta beato disserente Isaac, stupore nimio iudex turbatus, ac veluti amens effectus, vbertim lachrymasse perhibetur: & quadam mentis hebetudine occupatus vix potuisse fertur, exprobranti se monacho respondere: sicq; manu extensa faciem eius verberanti, confestim monachus dixit: Consimilem imagini Dei vultum audes ferire? vide qualem propter hoc redditurus sis rationem. Iccirco, à considentibus se cum sapientibus deprehensus, arguitur, quod gratuitatis Censoris oblitus leuitet per semetipsum ad cædendum martyrem egerit: & præsertim, quia secundum legum suarum sententiam, is qui pro crimine dignus est mori, nullius pœnæ conuitiis lacerari debet. Tunc iudex ad sanctum Isaac conuersus ait: Forte madidus vino, aut freneſi captus ad ista, quæ profers, non facile potes aduertere. Nam ipsius vatis nostri, quem tu temere conuitiis impetis, sententia manet irrefragabilis, animaduerti debere in eos, quia talia de ipso non verentur profiteri. Ad quem venerabilis Isaac intrepida responsione ait: Ego quidem, iudex, nec vino madidus, nec quolibet morbo saucius sum, sed zelo iustitiæ conflagrans, quia vatem vestrum, vosq; expertes existere comperi, veritatem vobis exposui; propter quam si mors furibunda occurrerit, libens excipiam, placidus subeam, nec ab eius cassibus ceruices meas auertam. Noui enim, Dominum dixisse: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Tunc iudex carceri illum tradens, protinus regi causa eius innotuit, qui tantę accusationis euentu perterritus, illico ferocioribus animis ferox promit edictum, dicens morti vsquequaque subiici debere obnoxium, talem in auctorem fidei suæ ferentem conuitium. Hinc Dei seruus ad necem damnatus verrice plectitur: hinc in stipite eleuatus capite deorsum appenditur, atque vltra amnem in spectaculum vrbis locatur, tertio Nonas Iunias, Fe-

1 2 3 4 5 6

Isaac monachus martyr.

Tabanensis monasterii.

Cæsaræ nominat, quæ prius & post iudicem nominauit. & inf. lib. 3. cap. 16.

Matth. 10.

Annum Domini Dccclx. ria quarta, Era octingentesima, octuagesima nona. Cuius corpus post aliquot dies cum cæteris, qui eum imitando perempti sunt, igne crematum, & in fauillam conuersum, deinceps in amnem proiectum est. Sed necesse est exponere, quibus indiciis vel prodigiis hic beatus Isaac extiterit in infantia denotatus, vt ex eo diuinitus ad coronã martyrij illum fuisse credamus electum, ex quo in matris vtero positus terribilem valde parentibus stuporem intulerit. Tribus namque vicibus vna die, paulo antequam nasceretur, visus est loqui: cuius rei nouitate perterrita mulier pene mortua vim verborum nequaquam potuit intelligere. Alio etiam tempore, cum adhuc septe[illegible]is existeret, virgo quædam cernit per visionem globum luminis è cœlo descendere, & inter omniũ præstolantium turbam solus hic vlnas extendens, manibus lumen excepit, totamque eius claritatem ori suo iniectam, ebibit: felicem tunc, & vere beatum omnibus talicondignum munere nuncupantibus. Hæc sunt infantiæ eius prodigia & signa, quæ illum dignum martyrio longe antea portenderunt. Nam quidam sacerdos ex cœnobio Tabanensi, ex quo idem beatus ad agonem processerat, peractis Missarum Dominico die solenniis, septimo scilicet Iduum Iuniarum, qui post quintum martyrij sui diem euenerat, in quodam lectulo fratrum recumbens, obdormire paulum cœpit, & ecce subito per somnium vidit puerum decoris pulcherrimi à partibus Orientis venire, schedamq; miræ pulchritudinis manibus gestantem sibi adsistere. Quam ab eo accipiens, scripturam eius legere cœpit: erat enim his exarata sermonibus. Sicut pater noster Abraham Isaac filium Deo in sacrificium obtulit, ita & nunc sanctus Isaac in conspectu Domini sacrificium pro fratribus immolauit. Et continuo quidam è ciuitate venientes, dixerunt beatum Hieremiam martyrio cum aliis fuisse coronatum per Dominum nostrum IESVM Christum, cuius exemplo nonnulli ad publicum sub eadem professione perempti sunt. Sed dudum anticeps illis beatæ memoriæ Perfectus presbyter extit, qui ob eiusmodi professionem, qua & isti occubuit: sed non eo modo, quo ipsi, ciderunt. Prædictus namque presbyter coacte ad passionem tractus, viriliter consummauit sancti certaminis cursum. Hi vero sponte sua venientes, acriter hosti resistunt, & quadam violentia per effusionem cruoris regnum cœli capessunt. Quo autem ordine idem venerabilis Perfectus presbyter passionis brauium emeruerit, principium libri secundi exponet: ac deinceps cæterorum nomina, ætates, ortus, temporaq; alliso-num edicet. Quapropter hanc præfationem in capite voluminis posui, vt inter laudes, vituperationesq; sanctorum me discurrente, interdum etiam auctori profano obuiam venientem lectores mei facilius intelligerent: precibus expiarent, orationibus adiuuarent: & tam de illis, quam de me ipsis fauente, iudicium proprium, & nunc & ante Dominum ferrent.

Præfatio de beato Isaac martyre.

Tabanensi cœnobium.

Dies Iunij 6.

8

Genesis 22.

9

Hieremiæ martyr.

Sanctus Perfectus martyr.

Cap. 2.

Incipit Liber primus.

1 PERITISSIMORVM virorum prouidum semper esse debet consultum, commoda Ecclesiæ Catholicæ non paruipendere, nec ab obuentu perfectionis eius desistere, vel si qua vitio cuiusque hebetudinis sese interserunt commenta piæ religiositati adultera, nullatenus in probo neglecti silentij in maiorem perniciem finendum accrescere. Quia quantum meritis præclaræ conuersationis, seu sanctæ doctrinæ gradibus sancta Ecclesia in-petria euehitur, in sublime eleuatur, vbique incremento fidei dilaratur: tantum etiam, aut eo amplius incuria negligentium deiicitur, impulsibus horum misere concutitur, & quorundam socordia ad ima proiicitur. Hinc prouenit, vt auctæ vires perueforum detrimentum semper fidelibus ingerant, dispendiumq; gregi pusillo, cui complacuit patri dare regnum, exaggerent: dum aliquando torpenti silentio omnibus contentis, seu proniori lapsu vltimo vitiorum abyssu immersis, nullus adsit, qui redimat, neque qui saluum faciat, dicente Propheta: Non ascendistis ex aduerso, neque opposuistis murum pro domo Israel, vt staretis in prælio in die Domini. Illius etiam quam maxime vaticinium Prophetæ formidans, quo socordiam inutilium pastorum Dominus contestatur. Ecce, inquiens, vos lac comedistis, & lanis operiebamini, oues autem meas lupi inuaserunt: & dum non procuratis pascua salubria, ab inimicis eis sunt herbæ morbidæ procuratæ.

Ecclesia commodis inuigilandum.

Luca 12.

Psalm. 7.

Ezechiel. 13.

Ezechie. 34.

QVAPROPTER ne canis mutus, & non valens latrare appellaret à Domino: siue vt euaderem in futurum negligentium iudicium, conatus sum ex pauperrimo nostræ scientiæ scrinio depromere aliqua, & ex olerum ferculis, tamen Catholico studio apparatis, fidelium saturare esuriem. Eorum scilicet, qui veritatem fidei Christianæ, sicut à sanctis Patribus acceperunt, sana credulitate retentant: ne desistente procurationis nostræ salutari edulio, lethiferem ab inimicis sumerent cibum. Ideoque vrgente me diuinæ charitatis stimulo, & consultum gerens Catholicæ plebis, quam nutantem in certaminibus militum Christi cognoui: seu obuius illis studens occurrere ense verbi Dei accinctus, qui non solum eos recipere inter martyres nolunt, verumetiam ore sacrilego conuitijs, atque blasphemijs impetentes, redidiuum, si possibile est, quietis Sanctorum implodunt supplicium: seu dignis beatorum satisfacere memoriis anhelans, qui cœlo regnantes exemplaria victoriarum suarum mortalibus reliquerunt: libuit mihi pro modulo exigui ingenij talibus rebus insistere, nostroque licet rusticano sermone * paruipendulos informare: æmulis contraire, & cælo tenus acta Sanctorum extollere.

Isaiæ 56.

Martyrum detractores.

* Hispanismus: quos Vulgo, Poco cõsideradas, & Burladores dicimus. Festus & in eodem sensu Voce Paruipendens, inf. in 9. ar. ad finem lib. 2. folio 52. b. & in Apolog. 77. b.

SED nescio quo tendere rea mens poterit, cui legalis auctoritas ex voce Domini occurrit, dicens: Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Hinc silere decreueram, hinc melius ab huiusmodi intentione abducere me iudicaueram: quoniam nefas esse putabam, os nulla sanctitatis ope subnixum temere acta elucubrare sanctorum: siue quod maiestati rei gestæ nostrum imbecille ingenium considerauí posse succumbere. Quia si diuina res humanum supergreditur conatum: sic lingua terrenis incumbens, ætherea non potest mysteria loqui. Sic prædicare libere nescit, qui minus peccatis liber existit. Si abnuendum creditur dogma eiusdem, cuius vitijs infecta est vita. Sed nunquid mercedem suam coram Domino perdet mens talibus oblectata studijs? aut æternorum vacuabitur gratia munerum? Qui init, quod Deo est placitum, etsi non effectum, certe vel pium geret affectum. Aut non erit coram Domino compensandum, quod hi, qui zelo Dei armati contra hostem, publicum apertumq; gesserint bellum, in eo nos ineffabilium attollat lætitia gaudiorum? Sicut enim mihimet nescius non sum, peccatis obnoxium, sceleribus implicatum me ipsum esse: ita quoque de clementia redemptoris mei nullatenus sum diffisus, qui reprobans peccatores ab officio prædicandi, quia non licet committere cani sancta Domini, non refutat peccatorum vtilem voluntatem, in id quod sibi placet. Denique execranda sunt opera reproborum, non contemnenda vota probabilia peccatorum. Quia sicut opus siniſtrum vsquequaque nos deijcit, ita pium affectum in nobis Dominus non spernit. Quapropter illico mens deiecta erigitur, Christumq; instituentem ac promittentem recolens, spe quodammodo possibilitatis animatur, qui ait: Aperi os tuum, & ego adimplebo illud. Et alibi: Dominus dabit verbum euangelizantibus in virtutibus multis. Inde voti compos effectus credo, quod idem magister verus dignabitur nobis conferre præconabile verbum ad instructionem Catholicorum honestam, ad laudem Sanctorum dignissimam, & ad expugnationem aduersariorum efficacissimam: qui præstitit animali irrationali eloqui ritu hominum. Et sicut me indignum tanto opere fateor, ita quoque sui perfectione non solum erui culpis confido, verumetiam pœnis abstractus, præstantiorem gratiam interuentu eius apud Dominum inuenire spero: vt est illud philosophicum, Hoc opus, hoc olim, forsan me subtrahet igni.

Matth. 7.

Psalm. 80.

Psal. 67.

Num. 22.

Ouidius.

IGITVR de memoriis martyrum quidpiam me locuturo, principium orationis nostræ ad vos dirigatur, ô sancti fratres nostri, & sorores in Christo beatæ; ex quorum collegijs sacratissimo Deo libata est hostia, non verens pudorem inculti eloquij: non venustatem, leporemq; affectans liberalis studij, quod nullius instituentis magisterio traditum habui: præsertim cum & in huiusce modi rebus magis nouerim simplicem veritatem esse obseruandam, quam tonantem musarum turgidam pompam. Loquar etiam tibi, ô vniuersalis Ecclesiæ sanctæ conuentus, vt verbum veritatis, quod ore nostro edicitur, placidis mentium vlnis amplectens, nullatenus prædicationis nostræ arcendam velis doctrinam, quæ, Apostolica affirmante auctoritate, libera ad instructionem omnium redditur: cum vnius fidei auditores vario discretos talento diuerso præceptorum accendit oracolo: & ibi actiorem spiritu patientiæ virtutem demulcet, vbi mitem viuido iubentis imperio perarmauit: vni dicens: Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina: alteri vero præcipiens: Argue cum omni imperio, nemo te contemnat. Vnde parati estote omni homini reddere rationem petenti à vobis vo-

Lectorem suum excitat.

2. Timot. 4.

Ad Tit. 2.

lenti, de illa, quæ in eo manet ſpe, ne (quod abſit) ſtupido auditu ſanæ doctrinæ dogmata reſpuentes illius quondam Apoſtolicæ imputationis ſententiæ obnoxij iudicemini,
2. Timot. 4. qua dicitur: Erit enim tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Quia ſicut nobis incumbit officioſitas prædicandi, ita vobis ſubeſt neceſſitas audiendi. Nec propter hoc, quod nos inordinate degimus, turpique conuerſatione deiicimur, reſpuendum verbi Dei documentum arbi-
pro, haud dubie, vel, procul dubio. tremini: quoniã plerumque in magna domo patrisfamilias nouimus † haud ambigue
Comparatio. conuerſari aſſeclas deploratæ vitæ, quorum miniſterio familiares dominorum interdum expediuntur neceſſitates. Nam & Imperatoribus mundi plumbeis adducitur cuniculis vnda: & inter ſacra Domini vaſa auro, argentove cõflata, prerioſorum lapidum ornamentis percompta, etiam non abiicienda habentur teſtacea. Solet enim peccator ſorti Dei immixt° quotidie in aures populi hęc dicere: Dominus ait, proclama, de tranſgreſſionibus præceptorum Dei plebem argue: de ſeueritate iudicij, quæ peccatorum debetur exceſſibus, conteſtare: de redditu veniæ, & ſpe promerendę clementiæ admone: cum tamen ille ipſe nec modum ſibimet in criminibus ponat, nec terrorem futuri examinis metuat: & quod aliis prædicat, moribus ipſe impugnat: verbo autem eius nonnulli intenti, ab illicitis abſtinent, & perfectioribus adhærent. De quibus in Euan-
Matthæi 23. gelio dicitur: Omnia quæcumque dixerint vobis, obſeruate, & facite: ſecundum opera vero illorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt: alligant onera grauia & importabilia, & imponunt ea humeris hominum, digito autem ſuo nolunt ea mouere. Vnde congruit, vt cum Eccleſia poſſidet rectorem vitæ moribus deiectum, non contemnendam eius prædicationem exiſtimet, quamuis hanc ipſe prauis actibus impugnet. Officium itaque vulgi eſt intendere ad concionantem, & audire dicentem, & doctoris prædicationem operando exequi; & non proprium iudicium de præpoſitorum meritis
Hierem. 23. ferre, quos ſuo Dominus diſtringendos examini reſeruauit, dicens: Propheta namque, & ſacerdos polluti ſunt, & in domo mea inueni malum eorum, ait Dominus. Iccirco via eorum erit, quaſi lubricum in tenebris, impellentur enim, & corruent in ea. Affe-
Ad Rom. 11. ram enim ſuper eos mala, annum viſitationis eorum. Et iterum: Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Et licet hæc, quam dudum digeſſi auctoritas meriti mei offenſionem inquirat, & quibus modis iuſtorum legem euadere non poſſim, oſtendat plus tamen ſimplicem religioſorum conuentum accendere anhelat, ne ſancta ſanctorum, quamuis ore improbo edita, reſpuat.

Martyrum laus. IN horum igitur certaminibus confeſſorum tanto alacrioribus animis eſt exultandum, tantaque libertate cordis, & vocis glorioſum conſummatæ victoriæ curſum ferendum, quanto his diuina vox indulgentiſſimæ ſponſionis verum ſalutis confert lo-
Matthæi 10. larium, dicens: Qui perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Quoniam veraciter cognouimus non inchoantibus deberi præmium, ſed perſeuerantibus. Adeo illa primordialis abrenunciatio rerum, mundique contemptus præcipuis votis, & ſtudio ar-
pro, citius. dentiori ab eis exercitatus eſt; vt contuendi † velocius Deum, & beatorum fruendi conſortio deſiderium haberent, vt etiam labentis vitæ obnixe occaſum appeterent: melius putantes ſub vnius puncti ſpatio ferre ſententiam hominum, quæ illico, nulla intercedente dilatione, eos ferret ad cœlum, quam per varia & longa diſcrimina temporum cum graui moleſtia ſuſtinere verſutias dæmonum. Et Dominus quidem, ad officium prædicandæ veritatis diſcipulos imbuens, impauida eos audacia iubet eſſe con-
Matthæi 28. tentos; dicens: Euntes per vniuerſum mundum prædicate Euangelium omni creaturæ, baptizantes eas in nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſancti: qui crediderit, & bapti-
Matthæi 10. zatus fuerit, ſaluus erit; qui vero non crediderit, condemnabitur. Et iterum: Nolite timere eos, qui occidunt corpus, quia non habent quid amplius faciant; ſed potius eum
Matthæi 5. timete, qui poteſt corpus & animam perdere, & mittere in gehennam. Vos eſtis lux mundi, non poteſt ciuitas abſcondi ſuper montem poſita; neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio. Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quæ in aure audiſtis, prædicate ſuper tecta: quod in myſterio cognouiſtis, apertius enarrate: quod didiciſtis abſcondite, publice loquimini: quod vos erudiui in paruo ludæ loco, in vniuerſis vrbibus, & in toto mundo audacter dicite. Docet fiduciam prædicandi, ne Apoſtoli abſcondantur ob metum, & ſint ſimiles lucernæ ſub modio: quoniam hi, qui libertatem faciendi verbum in populis diuinitus acceperunt, nequaquam reſilire à prædicatione veritatis, etiam periculis imminentibus debent, vt non lucernis ſub modio, ſed ſuper candelabrum poſitis comparentur.

ET LI-

ET LICET formidolosis facultas collata sit declinandi rabiem persequutionis, non tamen passim hoc obseruandum est à perfectis: qui iam præscia Redemptoris potentia denotati, & conscripti, quasi ab † immensis legionibus, ad exercitium prælio-rum Dei electi sunt. Vt si propter veritatem mors cruenta eis occurrat, non curandum est de iactura membrorum, vbi sine dubio solatium vitæ perennis acquiritur animarum, dicente Domino: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me: qui enim perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam inueniet eam. Inde sancti viri, placidis auditibus veritatem euangelicam capientes, eam totis nisibus adimplere contendunt, scilicet viam sanctæ confessionis virtutem huius præconij esse solummodo arbitrantes. Qui illico relictis vrbibus, & his quæ mundanis hærent affectibus, auida rapiendi regnum Dei cupidine conflagrantes, circuierunt in mellotis, & in pellibus caprinis: egentes, angustiis afflicti, quibus dignus non erat mundus: in solitudinibus errantes, in montibus, & in speluncis, & in cauernis terræ: expectantes Dominum, qui saluaret eos à pusillanimitate animi, & tempestate. Sed ista pro nihilo computantes, immo vero contra spiritalis nequitiæ hostem dubium quotidie agonem gerentes, nutu Dei mortificatione subita temporalis vitæ accenduntur, & secundum Apostolum, dissolui cupiunt, & esse cum Christo: viam compendij requirentes, qua de corpore mortis huius eruti propere ad cœlestem patriam peruenirent, & pia violentia regnum Dei arriperent. Sic quoque armati lorica iustitiæ in forum prosiliunt, prædicantes Euangelium Dei principibus, & nationibus mundi. Super Christum, montem excelsum, contemplatione mentium eleuati, didicerunt confessores beati ex Psalmistæ oraculis iustitiam Domini in Ecclesia magna fore annuntiandam: & ideo perfecto odio contra aduersarios Ecclesiæ insurgentes, arguunt impios de falsidica vatis iniqui doctrina, præstigiis, sacrilegiis, & vanitatibus sæculi plena: detestantur quoque, & maledictionibus auctorem tantæ peruersitatis impugnant, eundemq; cœtum talibus inseruientem culturis perenni anathemate damnant: & ita interriti contra hostem publicum apertũ veritatis erigentes vexillum, vtpote ante fores Prætorij, & in ipso accessu palatij proferentes testimonium in ducem perditionis, confusionis, & ignominiæ: non verentes, quod suppliciorum pro eadem veritate subirent tormentum, aut qualibus periculis vitæ huius haberent secasum. Quippe quos immensus vrgebat ardor migrandi ad cœlum, festinantes videre faciem eius, cui seruierunt. Stimulatur zelo vltionis cohors iniqua gentilium, celeriq; animaduersionis emergit vindicium in obtrectatores sectæ suæ. Nescientes quia illi, vt hunc † præcocem, obitum exciperent, liberis vocibus inimico iustitiæ, & aduersario Ecclesiæ Dei progressu vltroneo restiterunt: loquentes de testimoniis Domini in conspectu regum, & nihil verentes: quia nihil aliud mortem suam, quam vitam perpetuam existimantes, sponte interitum carnis exoptant, voluntarium Deo animarum suarum sacrificium offerentes. Quibus recte prophetica voce cantatur: Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum, benedicite Dominum. Ac per hoc veri imitatores Pauli Apostoli mihi esse videntur, qui ait: Si quis vobis euangelizauerit præter quod accepistis, anathema sit. Cuius testimonij informati oraculis prosiliunt contra angelum Sathanæ, & præuium Antichristi, patule ea quæ sancta sunt confitentes, quæ nunc etiam omnis Ecclesia Hispaniæ, quanquam clandestinis, vt opressa, prædicat vocibus.

Fugere persequutionẽ quo pacto liceat. (pro, numerosis)

Matth. 16.

Hebr. 11.

Psalm. 54.

Philip. 1.

Psalm. 35.

Tribunal iniqua fuit.

quasi ante tempora sua, prematurũ, Psal. 118.

Iudicum 5.

Galat. 1.

Hispaniã Ecclesia.

NAM idem peruersi dogmatis auctor, & multarum animarum pernicios⁹ euersor, inter cæteros post ascensionem Domini hæresum institutores, solus nouæ superstitionis sectam instinctu diaboli condens, procul ab vnione Catholicæ Ecclesiæ separatur. Prophetarum vaticinia respuens, & Apostolorum doctrinam infamans: sanctaque Euangelij veritatem conculcans, piorumque Doctorum dogmata abnegans, & ridiculum potius quiddam, quam rerum necessariarum causas per eandem veritatem suam insinuans, docuit Christum Dei verbum esse, & prophetam quidem magnum, nulla tamen potentia diuinitatis subnixum, cæteris hominibus similem, sed non Deo Patri æqualem. Comessationes quoque in Paradiso, & carnis proposuit voluptates. Quam quæstionem vir disertissimus, magnum temporibus nostris Ecclesiæ lumen, Sperandeo Abbas, cum contra nugas huius nefandi stylum admoueret, & opusculo ex eius deliramentis nonnulla niteretur arguere in sexto ipsius libelli capitulo, quasi ex voce cultorum eius obiectionem inducens: ac deinceps suam prosequens sententiam, ita disseruit, dicens: Futuro aiunt in sæculo cuncti ouantes asportantur in Paradisum: ibi namque nobis à Deo erunt mulieres concessæ pulchræ, &

Mahumetis abominanda peruersitas.

ſupra hominum naturam ſpecioſiſſimæ, atque nobis in voluptatem præparatæ. R. Nequaquam ergo veſtri in Paradiſo beatitudinis obtinebunt ſtatum, ſi eorum vterque ſexus vacauerit exercitio fluxæ libidinis. Hoc non erit Paradiſus, ſed lupanar, & locus
Marcus. obſcœniſſimus: cum Dominus ſciſcitantibus Phariſæis, cuius in reſurrectione illa mulier coniux exiſteret, quæ ſeptem fratres ſecundum legem Moyſi acceperat ad ſuſcitandum proximi ſemen, reſponderit: Erratis, neſcientes ſcripturas, nec virtutem Dei. Filij huius ſæculi nubent, & tradentur ad nuptias: in reſurrectione autem nec nubent, nec tradentur, ſed erunt ſicut Angeli Dei in cœlo. Taceam ſacrilegium... ad, & totis Catholicorum auditibus immane facinus reſpuendum, quod de beatiſſima Virgine, mundi Regina, ſancta & venerabili Domini, & Saluatoris noſtri genitrice Maria, canis impurus dicere auſus eſt. Proteſtatus enim eſt (ſalua loquor reuerentia tantæ Virginis) quod eius foret in ſæculo venturo ab ſe violanda virginitas. O vacuum cerebro caput, & † priuilegio Sathanæ occupata præcordia. O vas perditum, & habitaculum ſpirituum immundorum. O fruſtatim præſcindendam enſe bicipiti linguam. O organum dæmoniorum, & ſymphoniam zabuli. Quis furor, quæue dementia tantis te blaſphemiis inquinari compulerunt? Quis te, ô ſordium cloaca, laqueus perditionum, gurges iniquitatum, & omnium vitiorum ſentina ſenſibus priuauit humanis, vt non modo tibi ſat fuerit tot nationibus inferre interitum, quibus præſtigioſum documentum ſuaſiſti, & totis niſibus nunc, & in futuro luxuriarum obſcœnitatibus inſeruire: ſed etiam in Creatore ſcelus operari aggreſſus es: impius temerator, aſſereus cœleſte hoſpitium, & receptaculum Spiritus ſancti incontaminatum, incoinquinatum, purum, ſanctum, & mundum ſacrilegis immunditiæ tuæ in futuro ſæculo contaminandum? Quæ nutu ſuperno, verbum Deitatis vtero ſuo excipiens, carne ſua Creatorem veſtiuit, ſaluoque pudore ipſum verbum ad redimendam in morte creaturam præcipitem edidit? Quæ omnis tactus, aſpectuſq; expers virilis expauit ſalutationem Angelicam: & licet ſine viro nullam fœtari poſſe cognoſceret, tamen ſuperno credula numini, ſe ad huiuſmodi inuſitatum conceptũ electam Deo reuelante ſciens,
Luca 1. conſentit, & dicit: Ecce ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. De cuius
Ezechiel. 43. glorioſa parturitione olim Dominus per Ezechielem prædicare dignatus eſt, dicens: Conuerti me ad viam portæ ſanctuarij, quæ reſpiciebat ad Orientem, & erat clauſa; & dixit Dominus ad me: Porta hæc, quam vides clauſam, non aperitur, & vir non tranſit per eam, quoniam Dominus Deus Iſrael egredietur per eam, & erit clauſa.

pro, imperis

MVLTA denique alia inaudita vanitatis figmenta ſceleroſus idem inſtinctu ... ligni ſpiritus, à quo obſidebatur, tranſfigurando ſe illi in angelum lucis Gabrielẽ com... ponens, delubra in quibus peſſimum dogma coleretur, extruxit. Cuius quidem em... ris inſaniam, prædicationis deliramenta, & impiæ nouitatis præcepta nonnulli noſtr... rum philoſophorum zelo Dei armati, commentariis, & voluminibus exponentes, ... ſtitiæ ætietibus illiſerunt. At vero confeſſores beati, non leuiter ſpurcitiam eius fera... tes, præſtantius illum, eiuſque ſectam patulis aſſertionum congreſſibus expugnarun... Quia nimirum nouerant, quod propter eandem veritatem, quam de ipſo cœcor... duce proferrent, gladio vindice protinus erant ruituri.

Perfectus presbyter.

ET licet primo ſanctus Perfectus preſbyter exemplar deteſtandi fidei hoſtr... omnibus exhibuerit, metumq; moriendi pro veritate robur confeſſionis eius à mul... excluſerit: de quo in libro ſecundo nos plenius loquuturos, propitio Deo, ſponde...

Ioannes confeſſor.

non tamen paruipendenda eſt inuictiſſimi illius Ioannis conſtantia præconabilis... inter ſæua ac dira flagella forti animo durans, plurimos documento ſuo ad mar... rium incitauerit. Super quem inimici Dei viuentis falſum coram iudice teſtimoni... proferentes, huiuſcemodi contra eum crimen deponunt. Nouimus hunc, ô iude... ſubſannationem Doctoris noſtri ſemper inſiſtere; eumque maledicis verbis irreuere... ter impetere. Ita vt cum forte negocium mercimonij ſui in nundinis velit exerc... non alias illicere poteſt ementes, niſi cum ſacramentum noſtrum dictis paruipen... lis ſubtiliſſimus irriſor propoſuerit. Cuius rei nos teſtes ſumus, & in veritate digni... hunc morte confitemur. Verum quia minus idoneorum accuſatione teſtium ... petebatur, nec poterat reis mortem inferre obiectio teſtationis eorum, damn... Dei ſeruus acrioribus flagris: & crudeli verbere laceratus cogebatur Chriſtum n... re. Ille vero non ſe talibus obnoxium criminationibus ſolummodo confitebatur: ... etiam neque vſque ad mortem religionem Crucifixi deſerturum clamabat. C... obſtinatione iudex vehementi furore commotus, quingentis, & eo amplius h... macerandum tradens flagellis, tamdiu verberibus iuſſit inſiſtere, quouſque ...

nimis inter cædentium manus in solum prorueret. Sicq; semiuiuum vix palpitantem, retrorsus asello impositum, totam circuire vrbem, ac plateam fecit, præcedente sacrileg à præconis voce, dicentis: Hæc merebitur exprobrator vatis nostri, cultusq; irrisor perferre. Postquam vero ad vindictam sui Doctoris talia exercuerunt, ad vltimum grauissimo ferri onere coarctatum ergastulo deputarunt. Quem nos ibidem religatum, adhuc dorso eius vigentibus plagis, inuenimus: nostroq; contubernio per idem tempus, quo detrusi sumus, acciuimus. Nam beatissimus Perfectus presbyter, cui Ioannes (de quo supra meminimus) ad vincula, & cædes successit, violenter ad passionem tractus, postea quam carcerem adiit, diuinitus illustratus, ad præliandum armatus est. Ita vt necessitatem in voluntatem conuertens, vim illam cœlesti quodam respectu esse considerans, quo martyrio dignus haberetur, totus in superna erigitur, alienatur præsentibus, futurorum commoda præstolatur, & totius mundani expers affectus, ad ea, quæ diligentibus Deum promissa sunt, futurus martyr aptatur. Hinc sæculo mortuus, & Deo viuens, quod primo se dixisse negauerat, postmodum vltroneus confessor, & athleta fortissimus coram iudice asserebat. Magis eligens mori pro veritate, occasione inde sumpta proferendi iustitiam Dei gentibus, ac detestandi aduersarium fidei, quam negando veritatem tanto se præmio abstrahere. *Perfectus martyr.*

HORVM igitur duorum & spontaneus, & violentus ad passionem cursus cæteros in vnum eundemque consensum dimicandi vltro venire coegit. Quia non erant de corona ambigui, qui nouerant etiam vi protractos regni perpetui coronam percepisse. Quapropter ordine, quo in præfatione voluminis huius digestum est, omnis turba sanctorum ad palestram certaminis currens dat repudium aduersario Dei, & inimico iustitiæ. Omnes summo ore Christum laudantes, cuius tanta virtute subnixi in certamine claruerunt, vt in nullo penitus terrenum formidarent supplicium, qui summi Redemptoris gratia illustrati, plus nouerant æternum metuere tormentum. Quod ideo in principio libri exposui, vt non deesset cognitionibus posterorum, quæ res confessoribus nostris obtulerit obitum: & cuius rei odio in molestissimam iracundiam excitata gentilitas, totum immanitatis furorem ad perniciem talia profitentium admouerit. Inde etiam prudentissimi lectores facile poterunt aduertere, quam merito hoc opusculum in beatorum laudibus laboret, repagula opponens diffidentibus & dubitantibus, qui eos loco martyrum renuunt coli debere. *Martyrum Cordubensium turbæ.*

CÆTERVM eorundem Sanctorum corpora, qui primo conflictu occisi sunt, equuleis versis vestigiis affigentes gentiles, post sextum diem allisionis eorum, id est, pridie Idus Iunias, inopinato scelere crudelitatis, cuncta iam putredine resoluta, atrocibus incendiis deputant. Quin etiam, ne virtutum emolumenta præstarent Christicolis, deformes cineres, quos legere è camino quiuerant, minacis alueo vltimo conduntur abysso. *Crudelitas in martyrũ cadauera. Dei ii.*

INSTABAT quoque vniuersitas ethnicorum resultando, pietatis exprobrans cultum, quod in suorũ vltione nullum aduersariis daret opprobrium. Lætabatur namque, quod in vindictam sui Doctoris tot contemptorum corpora prostrauisset, nulla nouitate prodigiorum obstante, quæ horrorem posset sceleris incutere. Dicebatque; Si vere Deus est, in cuius nomine tantæ vos calamitati submittitis, & verum hoc esse martyrium creditis: vel si nulla veritate propheticæ hic noster vates succinctus est: (qui, vt idem docuit, Angelo instituente Gabriele gentibus, toticq; orbi verbum Dei prædicare permissus est, lex quam cultores eius meditarent, documento ipsius Angeli promulgata est. Cuius vocabulum rudis protoplastus, cum adhuc olim Paradisum incoleret, adnotatum in supernis, globoque micantis claritatis immixtum contemplans, quæ esset illa lux cæteris præstantior in centro micans, quæ fulgoribus Dominum exoriaret, fertur Creatorem Adæ interrogasse, illumq; respondisse: Hic verus Propheta est futurus in mundo, qui ex semine tuo oriens, ipso quem radiare nomine obstupescis, Mahomad appellabitur, cuius quoque meritis tu creatus subsistere meruisti) quare tot satellitibus qualecumque prodigiorum infertis terrorem, vel quibuslibet astanti vulgo signaculis coruscatis? quia dum vos improuisæ morti ob quandam assertionem superfluam destinatis, neque vlla virtute miraculorum, quæ sententiam nostram in vetustum latam excidium infringere possit, præcellitis: cum partem vestram minime aduertis, nullum etiam cœtui nostro infertis dispendium. *Sarracenũ fraudulenta martyres contaminarent.*

ET ob hoc ipsum plerisque nostrorum paruipendulis verum non esse videbatur martyrium, quod non ad confusionem incredulorum, vel roborationem fidelium aliquod ostentaret miraculum. Nescientes quia in fine sæculi, vt sanctus Gregorius refert *Christianorũ aduersus martyres obtrectatio. Gregorius.*

lib. Moral. Aberunt de Ecclesia signa virtutum, terribili quippe, ait, ordine dispositionis occultæ, prius quam leuiatan in illo damnato homine, quem assumet, appareat, à sancta Ecclesia virtutum signa subtrahentur. Nam prophetia absconditur, curationum gratia aufertur, prolixioris abstinentiæ virtus imminuitur, doctrinæ verba conticescunt, miraculorum prodigia tolluntur. Quæ quidem nequaquam superna dispensatio funditus subtrahit, sed non hæc, sicut prioribus temporibus, aperte ac multipliciter ostenduntur. Quod tamen mira dispensatione agitur, vt vna ex re diuina simul pietas, & iustitia compleatur. Dum enim subtractis signorum virtutibus sancta Ecclesia, velut abiectior apparet, & bonorum præmium crescit, qui illam pro spe cœlestium, & non propter præsentia signa venerantur, & malorum mens cõtra illam citius ostenditur, qui sequi inuisibilia, quæ promittit, negligunt, dum signis visibilibus non tenentur. Signa namque virtutum nec omnibus data, nec passim quocunque tempore sunt exercenda. Quia & hi, qui hoc munus diuinitus acceperunt, nisi spe, & fide probatis, nequeunt erogare, Euangelista narrante: & non poterat IESVS inter eos facere virtutes propter incredulitatem illorum. Et Veritas per semetipsum multi, inquit, leprosi erant in Israel sub Eliseo Prophęta, & nemo eorum mundatus est, nisi Naman Syrus. Desistente enim fide quærentium, largitas erogantium quassatur. Nam cum idem Dominus ardentissimis persæpe multorum votis consolator occurrat, dicens: Ite in pace, fides vestra vos saluos fecit; tamen deficiente fide, virtus nihil proficit. Quamplerumque, exigente fide languentium, etiam homines reprobi, & mente corrupti impertiuntur. Sicuti de illis in Euangelio legitur, qui in futuro ante fores Domini questuri sunt, dicentes: Domine, Domine, nonne in tuo nomine prophetauimus? & in tuo nomine dæmonia eiecimus? & in tuo nomine virtutes multas fecimus? Quibus vtique dicturus est Dominus: Non noui vos, discedite à me operarij iniquitatis. Et iterum: Exurgent pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia: ita vt in errorem inducant, si fieri potest, electos. Et in Exodo: Fecerunt & malefici per incantationes sicut & Moyses. Miraculorum verò signa ideo olim per seruos suos Dominus congruenti tempore præstabat mundo, quoniam præscia diuinitate proficere nihilominus præstolantibus ea sciebat; nec in vanum currere operarios virtutum cognouerat: Vt saltem prodigiorum nouitatibus cederent, qui sacræ legis præcepta salutaria respuebant. Eratq; temporibus illis satis congruum Dei martyres signis coruscare virtutum, quoniam rudem diffusum Christianismum nunc instructione verborum, nunc exhortatione scripturarum, nunc ostensione signorum, nunc etiam trophœis inclytis passionum conabantur solidis radicibus fieri firmum in cordibus credentium populorum. Nam quia non omni tempore (vt supra relatum est) signorum exercitium congruat, neque omnes cœlestium contemplatione virtutum digni existunt, facile aduerti potest ex comparatione eorum, quæ gesta sunt ab Apostolis. Qui cum vellent bonum nuntium Asianis prædicare, prohibiti sunt à Spiritu sancto: qui pridem adnuntiare Euangelium omni creaturæ præceperat, sciens in Asia nullum existere dignum percipiendi euangelicam veritatem, præsaga diuinitatis auctoritas discipulos ab eorum salute inhibuit. Vtpote qui verbum vitæ arroganti spiritu essent reiecturi, neque audirent, quoniam spernerent.

Miracula non minus si cessent.

Matthæi 13.
Lucæ 4.

Matthæi 7.

Ibidem.

Matthæi 24.
Exodi 7.

Actuum 16.
Marci vlt.

MIRACVLA denique dum aut propter fidem credentium, aut propter futuram credulitatem astantium Dei prouidentia operatur, non tam nos in eorum admiratione debemus stupere, quam pronida compensatione intueri, si eorundem effectores signorum expulsis vitiis morum honestate præcellant: si sæculo mortui, Deo viuant: si propter illam veram charitatem, quæ cuncta carismatum dona exuperat, omnes affectiones mundi pro nihilo pensant: si acceptã virtutem non ad suam gloriam, sed ad beneficium referunt collatoris: si attentis auribus cordis veri magistri admonitione percepta, non quia dæmonia eis subiiciantur, tripudiant, sed quia nomina eorum scripta sunt in cœlis exultant. Et ideireo hæc dinumeratio virtutum in illis prodigiorum auctoribus potius, quã ipse signorũ effectus, est admirandus: &, quod sit magis præmio specimen eundi ad regnum, quærendũ, non vero quod *signiferos ac notabiles nos ostenter. Quia sanctitas & timor Domini, cultusq; regni cœlestis non nisi ab idoneis & perfectis procedunt. Signa vero, atq; prodigia & sancti & reprobi faciunt. Quæ nihil aliud, quam notitiam vanam etiam aliquando hominum conferunt. Hinc prouenit, qui fuerit hominibus notus, nisi fuerit iustus, ad æterna supplicia perueniat condemnandus. Ille autem, qui cœlesti gratia inlustratus sub notitia sui creatoris vixerit iustus, etsi mortalibus sit ignotus, in futuris tamen sanctorum gaudiis erit annumerandus.

Luc. 10.

** Miraculorũ auctores.*

N

NEC nos, ista prosequentes, miraculorum penitus abdicamus insignia, cœlesti dono quibusdam collata, & congruenti tempore per Dei dispensationem nationibus ordinata: sed latratibus rabidorum canum obuiam venimus, qui martyrum nostrorum intentionem exinanire attentant, dum eos de miraculis redarguere sperãt. Quid potius generaliter sequendum sit cunctis ex auctoritate diuinorum librorum, vel dictis sanctorum Patrum ostendimus. Non (quod absit) funditus charismata cælestium munerum extirpamus. *Miraculorũ præstantia.*

RADIX itaque, ac fundamentum omnium virtutum, signumque victoriæ fides est: per quam iusti viuunt, per quam Sancti omnes regna vicerunt, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones, obturauerũt ora leonum, extinxerunt impetũ ignis, effugauerunt aciem gladij, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello. Quorum vestigia hi Sancti veraciter prosequentes intrepida confessione Deum, & Dominum IESVM Christum in concilio principum profitentes. Omnem quoque, quam Euangelica auctoritas non recipit, prophetiam, vt furum & latronum detestantes, ac maledicẽtes abiiciunt. Ob quam causam inauditis sæuitiæ furoribus illa frendens turba Gentilium cunctos animaduersione gladij præmittit ad cœlum, presbyteros, leuitas, confessores, virgines q; beatas. Et quoscumq; confessio talis haberet, vt publice eorum subsannãdo prophetam, cultum eius deriderent, mox amputatis ceruicibus ruerent. Ac ne sibi quidpiam inesse humanitatis ostenderent nonnullos, quos gladio vindice huius vitæ limen sub testimonio veritatis excedere coegerant, præ foribus palatij inhumatos relinquentes canibus iusserunt exponi, adhibitis simul custodiis, ne quis Catholicorum intuitu pietatis carnibus etiam spoliata cadauera sepeliret. Quasi sentirent persequutores supplicium, quorum animæ paradisi requie fruebantur: aut obesset animabus cœlo regnantibus temporalium pœna tormentorum illata corporibus. Vel de inhumatis curare poterant membris hi, qui vere sciebant, quod sicut nihil commodius foret impiis sepultura, auctis reuerentiæ studiis solennitet præparata: ita beatis & sanctis nequaquam officere posset vilem, aut nullam sepulturam adipisci. Licuit etiam de hoc poetis plausibiliter ludere, cœlo tegitur qui non habet vrnam. *Hebr. 11.* *Abac. 2.* *8* *Barbaricæ furiæ martyres prohibent sepeliri.* *Carmen boëtiat isido. c. 25. lib. 16. Etymolog. sua auctoritate vt minus, cũ sit Lucani libr. 7. extra.*

SVNT autem plerique fidelium, & (heu proh dolor) etiam sacerdotum, temere horum confessorum gloriam adimere non verentes, qui iubent eos non recipi in catalogo Sanctorum, inusitatum scilicet, atque prophanum asserentes huiusmodi martyrium. Quippe quos nulla violentia præsidalis fidem suam negare compulit, nec à cultu sanctæ piæq; religionis amouit, sed propria se voluntate discrimini offerentes, ob superbiam suam, (ita dicunt) quæ initium est omnis peccati, interempti, suarum parricidæ effecti sunt animarum. Præceptis etiam Euangelicis eos arguendos esse creduntes, quibus dicitur: Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos; & orate pro persequentibus & calumniantibus vobis, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est. Et iterum: Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis. Et Dominus quidem, cum maledicebatur non maledicebat: cum pateretur, non comminabatur; tradebat autem iudici iniuste iudicanti. Illud præterea obiiciunt de Apostolo: Neque maledici regnum Dei possidebunt. *Obiectio Christianorum aduersus suos martyres ferũdi.* *1. Timoth. 6.* *Matth. 5.* *Luca 5.* *1. Pet. 2.* *1. Corint. 6.*

HÆC, & his similia ore pestifero contra Dei milites proferentes multorum corda peruertunt: quia verba hæreticorum vt cancer serpunt in mentes humilium, & modico fermento sceleris facilius ingens massa panis corrumpitur, exturbatq; quam prosperè filios Dei lethalis assertio zabuli. De quibus beatus Apostolus dicit: Quidam a nimia aberrantes conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse legis Doctores, nescientes quæ loquuntur, neque de quibus affirmant. Et iterum: Docuerunt linguam suam loqui mendacium, vt inique agerent laborauerunt, non verentes derogare gloriæ fortium, qui iam coram rege suo haud dubie extollunt victoriæ suæ vexillum. Nec contenti sunt scripturas sano sensu intelligere, sed eas pro suo libitu exponentes, dum in superficie literarum quasi concordantiã suæ vesaniæ repererint testimonia, non modo Christiano more simpliciter eis vruntur, vel ab eruditioribus virtutem sensus earum explorant, sed quasi inauditæ rei nuntij, & alicuius nouitatis scioli per fora, per plateas, per vulgus, per nundinas obdurata fronte eadem in summitate linguarum proferendo, recensendo, atque cantando vehunt sententias. Et vt facilius agnoscantur cuius partis sint defensores, per deuios intelligentiæ suæ calles veritatem scripturæ torquentes, lineam sanæ doctrinæ proprio electionis iudicio deseruiquunt. Vt quandoq; ipsis ad interitum animarũ suarum proueniant, quod non sine grauissima indignatione Propheta infert, dicens: Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malũ, ponentes tene- *1. Timoth. 1.* *1. Corint. 3.* *1. Timoth. 1.* *Hieremi. 3.* *Isaiæ 5.*

bras lucem, & lucem tenebras: ponentes amarum dulce, & dulce amarum: id est, claritatem sacræ legis prauo errore nescientiæ interpollantes: eiusq; suauitatem, non recte coniiciendo, in fellis amaritudinem conuertentes. Quod bonum & pium est, maliuolis coniecturis inficiunt; expertes nos arbitrantes ab illorum intelligentia testimoniorum, quibus victoriosissimam extenuare intentionem sanctorum Martyrum arbitrantur: vel nostram de eis sententiam (quæ semper in laude ipsorum exultauit) eneruare conantur. Quippe qui iam nos euidentioribus indiciis eorum passionibus communicare credamus, dum causa professionis eorum & carceres, & vincula insuper & damna rerum perpessi, ad vltimum gratia intercessionis eorum propitio Deo euaserimus.

Respondet obiectis.

Ipsi denique Sancti, qui hanc corporis cladem cælitus compuncti propter veritatis professionem aggressi sunt, in nullo à prædictorum custodia mandatorum se auertunt. Quia & propter Deum inimicos diligentes, de salute eorum valde sollicitati, ne diutius labyrintho impietatis detinerentur, arguere non destiterunt. Et benefacientes his qui oderant Christum, melius visi sunt per effusionem sanguinis vecordiam eorum, quam per doctrinæ verba instruere; vt relicta vanitate superstitionis, non solum Christum credere, verumetiam vsque ad mortem propter illum decertare contenderent. Sine dubio precibus & obsecrationibus etiam apud Dominum animarum impetrantes salutem illorum, qui sæpe, & incessanter Ecclesiæ membra calumniantur. Quapropter exemplo veri magistri educati, cum ad passionem traherentur, maledicti non remaledicebant, flagellati non murmurabant, comminati silentium obseruabant: hoc solummodo exprobrantes (quod Deo conuitium infert, & quod maiestatem tremendam impugnat) Sacrilegum scilicet illius vanissimi ac perditi homunculi prophetismum, qui non veritus est spiritu diabolico perarmatus se loco prophetarum inserere, sanctisque prædicatoribus, vt deificus euangelizator, adiicere. Et cum toto pene orbe euangelica præcelleret veritas, nec deesset lux fidei Christianæ à notitia gentium, quia in omnem terram sonus eius exiuit, parentibus iam domus Dauid, & habitantibus Hierusalem tinctionis gurgitibus in ablutionem peccatorum & menstruatæ, maxime in Oriente, quo mysterium Incarnationis Christi speciali effectu quodammodo operatum est. Vbi quoque & hic sceleratissimus ac peruersus vates exortus, & enutritus est, nescio qua præreptus insania, clarentibus iam in mundo lucernis, tanto se perditionis laqueo dare præcipitem non extimuit, tantarumque animarum irreuerenter patricidam se fieri non expauit. Cum scriptum sit: Os quod mentitur, occidit animam. De quo olim Zacharias Propheta loquutus est, dicens: In die illa dicit Dominus exercituum, disperdam nomina idolorum de terra, & non memorabuntur vltra: & pseudoprophetas, & spiritum immundum auferam de terra, & erit cum prophetauerit quispiam vltra, dicent ei pater eius, & mater eius, qui genuerunt eum, Non viues, quia mendacium loquutus es in nomine Domini, & confringent eum genitores eius, cum prophetauerit. Iccirco huic perdito, atque spurcissimo vati resistere, virtus mactæ coronæ est: summumque trophæum tanti deliri cultum euertere: adeo vt si illum ætas nostra superstitem haberet, nequaquam ab eius esset interitu Christicolis resiliendum, quanto magis non sit dignum eius hodiedogma venenosum infringere, maledicere sectam, detestari sententiam, qui tantæ multitudinis perditionem inducens, perenni eam dedicarit barathro. Foretq; (vt vere) tunc melius pœnitudinem vnius occisi homunculi gerere, quam tot nationum luere perniciem: congrue vniuerso gregi consulendum arbitrantes, dum vnius pecudis medio conati fuissent auellere contagium. Quoniam quemadmodum sine culpa non est, maledicere iustos, pios persequi, aduersitatem parare electis: ita magni meriti esse credo, subuertere impios, Ecclesiæ hostibus contraire, bellum parare incredulis, framea verbi Dei concidere aduersarios fidei, vt secundum Psalmistam, contra Dei inuidentes perfecto armati odio exurgentes, non curemus de inimicitia eorum, quibus est amica impietas. Nequeenim sine culpa patitur fieri Patrum doctrina eos, qui improbo silentio erga dogmata torpent hæreticorum: & † è regione hostibus fidei non occurrunt, aut zelo Creatoris vindictam in hæreticos non exercent. Quod bene Arnobius Rhetor, dum centesimum tricesimumnonum Psalmum interpretaretur, edicit: Qui pepercerit hæresiarchis, aut prædicatoribus falsitatis, & non eos gladio suæ iugulauerit, hoc ei euenire, quod euenit Sauli, quis ambigat? aut qui misericordiam suam putauerit se in hæresi permanentibus exhibere, quis neget similiter a regno Dei excludi, sicut Saul à regno humano probatur exclusus? qui vana miseratione Amalecitis parcens, subito semetipsum Dei benedictione, & regni sceptro priuauit.

Mahometi impia scelera.

1. Petri 2.

Psalm. 18.

Sapient. 1.

Zacharia 13.

Psalm. 118.

è contrario

Arnobius.

ingemuit? Et si hoc iis qui contradictoribus veritatis non resistunt, promittitur, quod vel quale erit vltionis discrimen iis, qui derogant electis? quia non solum expugnare hæreticos nolunt, verumetiam expugnantibus maledictionum armis accincti occurrunt.

Tertia aduersus martyres obiectio. Christianorum sub Satanæ ministerio.

AIVNT præterea, non debere esse martyres, aut haberi, qui non violenter tracti sunt ad martyrium: sed sponte sua venientes, his conuitium intulerunt, qui eos in nullo molestia affecerint. Nullam opinantes esse molestiam diruptiones basilicarum, opprobria sacerdotum, & quod lunariter soluimus cum graui mœrore tributum: adeo vt expedibilius nobis sit compendium mortis, quam egentissimæ vitæ laboriosum discrimen. Si ergo exosum Deo est maledicere diabolo, & eius ministro, frustra vtique Ecclesia contra omnem diabolicum incursum vtitur exorcismis. An quia domesticis fidei maledicere inhibitum est, nullumque oportet pusillanimem de membris Ecclesiæ scandalizare: iccirco hospitem diaboli, & habitaculum Sathanæ non necesse est maledicere? & vbi est quod scriptum est? Maledicti omnes qui spernunt te Hierusalem, & omnes qui blasphemant te maledicti omnes qui oderunt te, & omnes qui dixerunt in te verbum durum, &c? quod dictum esse pro Ecclesia nullus ambigit. Et quis inter cunctos persequutores fidelium cruentius, quam hic infandus, Ecclesiam insequutus est? Quis tanta in euersionem Catholicorum, quanta idem exaggerauit infaustus? quia (vt ita dixerim) nemo nostrum inter eos securus ingreditur, nemo quietus permeat, nemo septum eorũ nisi dehonestatus pertransit. Etenim, cum nos cuiuslibet rei familiaris necessitas ire in publicum coegerit, & instante domestica necessitate, ex angulo tugurij nostri in forum prosilire contigerit; mox vt stigmata in nobis ordinis sacri aduertunt, acclamatione derisionis vt amentes, & fatuos impetunt, præter illa puerorum quotidiana ludubria: quibus non satis est inferre linguæ conuitium, turpia exaggerare scurrilitatum: verumetiam tergo nos lapidibus infectari non desinunt. Quid illud memorem, quod in cõtumeliam signi venerabilis proferunt, quod cum forte competens tempus psallendi signum fidelibus dare compulerit, & imminens hora obsecrationis indicium populis facere consuetum poposcerit: mox vt illectum superstitione mendaci vulgus clangorem tinnientis metalli aure captauerit, in omnem maledictionem & spurcitiam linguam admouere nõ differt. Ergo non incongrue maledicuntur, qui tanto odio aduersus Dei sortem sequipedas suos informant. Sæpe ab eis, & incessanter calumniamur: causaq; religionis eorum fæuitiam vbique perpetimur. Adeo, vt multi ex eis tactu indumentorum suorum nos indignos diiudicent, propiusq; sibimet accedere execrentur. Magnam scilicet coinquinationem existimantes, si in aliquo rerum suarum admisceamur. Cum vtique milites Dei veritatem coram eis magis confessi fuerint, quam maledicta iniecerint, veri magistri præcepta seruantes, quibus olim discipulos informauerat, dicens: Qui enim me confessus fuerit, & verba mea in generatione ista adultera, & peccatrice: hunc & filius hominis confitebitur, cum venerit in gloria Patris sui, & sanctorum Angelorum: Quis ille tam vecors est, qui laudibus derogaret beatorum obuiantium pro defensione iustiniæ cultoribus impietatis? Dictum sane fuerat eis: Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum: estote ergo prudentes sicut serpentes, & simplices sicut columbæ. Cuius præcepti sensum hunc esse arbitror, quod immixta gentibus caterua fideli, quasi innocentia prædita ouium, truculentiam ferre cogeretur luporum. Ac, ne segnitiei dediti facilius versutiis succumberent inimici, congrue diuinitus admonentur. Vt essent cum aduersariis fidei oportuna semper cautela subnixi, & contra astutias hostium erecti vbique & prouidi. Ne prauæ doctrinæ verbis illecti protinus corrumperentur sensus eorum, & discederent ab æquitate. Porro etiam Christiani admonentur. Confratribus vestris & domesticis fidei exhibere vosmetipsos, vt Dei ministros in multa patientia, in longanimitate, in benignitate, in Spiritu sancto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei: per arma iustitiæ à dextris & sinistris: per gloriam & ignobilitatem: per infamiam & bonam famam: vt seductores, & veraces: sicut ignorati, & cogniti: tanquam morientes, & ecce viuimus. Et iterum: Estote autem inuicem benigni, misericordes, donantes inuicem, sicut & Deus in Christo donauit nobis: vt vere columbarũ sectantes simplicitatem, eodem intuitu quo vestram, proximorum quoque affectetis salutem. De quorum constantia, simplicitate & fortitudine, discretione, & prudentia Eusebius Cæsariensis Episcopus rerum Ecclesiasticarum historiam texens, ait: Erant ergo martyres Christi inter fratres humiles, inter persequutores elati; suis mites, aduersariis terribiles, Christo subiecti, diabolo erecti. Sed & Arnobius (de quo supra memoraui-

Tobiæ 13.

Fide inf. lib. 3. c. 17. & in Apol. Mart. pag. 82. b.

Templorum sacrorum cymbala.

Satanæ mutum Mercurium vocabant.

Matth. 10.

Ibidem.

2. Corinth. 6.

Ephes. 4.

Eusebius.

Arnobius.

mus) aliquid huic simile in eodem Psalmo differuit, dicens: Age ergo, & cum pugnantibus pugna: & si auxilium poscis à rege, repugnantem te ostende. Linguæ contra te pugnant, quas acuunt hæretici, sicut serpentes: his & tu esto sicut serpens astutus, & te simplicem vt columbam esse ciuibus tuis, id est, Catholicis solis ostende: cæteris hæreticis, & cunctis contra veritatem venientibus, ipsis serpentibus, esto astutior: noli timere: iussum tibi est à Domino tuo. Tam bona est astutia contra malitiam, quam benigna simplicitas circa iustitiam. Occide hæreticos, & Domini tui spirituali gladio interce inimicos.

Emeterium, & Celadonium.

14 Sic nimirum beati martyres Emeterius, & Celedonius, cum tradere pro Domino animas anhelarent, tali sese inuicem ad passionem astantes hortatu impellunt: Feriat vbique hostem missilibus suis vibrata confessio, & latentem fidei inimicum, vbicumque fuerit, inquiramus. O incomparabilis magnanimitas, & fortitudo admiranda, laudanda, atque imitanda Sanctorum? Qua, etiam si torpeat inimicus, ac persequi Ecclesiam Dei sinat, irrumpere tamen latebram eius, & incitare ipsum ad bellum iubemur. Vt hostem frigidum strennus agonotheta accendat, proferat latentem, erigatque ad conserenda certamina desidem. Et quamquã effuso cruore consternatis membris succumbat, feret tamen ad sedem patris captum ex hoste triumphum, spiritus belliger victoriæ laurea potiturus. Quia in eo vires militis comprobantur egregiæ, quo non requisitus vltro se obtulerit palestræ martyrij, sancta Scriptura testante: Qui propria voluntate obtulistis vos diserimini; benedicite Dominum. Si ergo qui zelo charitatis nostræ aduersariis nostris fidelis expugnator occurreret, arma sumeret, ensibus desæuiret, animam ponere contenderet, nequaquam eum immunem condignis pateremur donariis, eiusque liberalitatem largo munificandam beneficio censeremus: quanto potioris gloriæ honore ferendi sunt, qui obtentu capessendi gratiam Regis æterni, vigore aucti iustitiæ, ad obitum quoque resistentes infensis, crudeli morte perempti sunt? Ille denique Angelus veritatis, & præco iustitiæ, Redemptoris præcursor, & nuntius pacis Baptista Ioannes, cum regem iniquum de stupro Herodiadis commoneret, cumque adulterino incestu thorum violare fraternum inhiberet, ergastulo propter veritatis professionem detruditur, ibique absque vlla fidei persequutione truncatur. Nec tali succumbere recusauit dispendio, qui sine dubio nouerat, diuino reuelante spiritu, tantundem esse propter iustitiam mori, quam pro fidei confessione prosterni. Vnde & Dominus, vitalia discipulis doctrinæ ministrans præcepta, sic eos de monte alloquitur: Beati qui persequutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Et quid aliud ad omnia beatitudinis præmia, quam cœlorum affectandum est regnum?

Iudicum 5.

Matthæi 12.

Matthæi 5.

Quarta aduersus martyres obsidio.

** publicè & palam.*

Septem fratres martyres, qui cum Iuliano, & Basilissa passi sunt.

Luce 9.

D. Hieronymus.

Ezechiel. 2. Hieremi. 50. Hieronymus

15 Calvmniantvr etiam inimici vltroneum ad mortem eorum progressum, quos * passim liberalitas regis suum incolli iusserat Christianismum. Sed præcessit hoc reor exemplum in illis septem fratribus, quos gesta beati Iuliani commemorant. Qui ideo, quod Augustalibus præpollebant natalibus, ex decreto principum libere exercebant religionis Catholicæ cultum. Sed tamen in agone sudantem beatum Iulianum cernentes, illico ad bellum prosiliunt, & amore martyrij voluntarium obitum experunt. Legitur quoque de Domino in Euangeliis: Obfirmauit faciem suam, vt iret in Hierusalem. Quod ita sanctus exponit Hieronymus: Obfirmatione enim & fortitudine opus est ad passionem sponte properanti. Vnde & Ezechiel, cui dixerat Deus: Fili hominis in medio scorpionũ tu habitas, ne timeas: obfirma (inquit) faciem tuam: & dedi faciem tuam æneam, & frontem tuam ferream. Vt, si forte surrexissent contra eum malleus vniuersæ terræ, quasi incude durissima resisteret, malleum q; contereret. De quo scriptum est: Quomodo confractus est, & contritus est malleus vniuersæ terræ? Idem quoque Doctor in supradicto opere quandam Euangelij sententiam exponens ait: Non est delicata in Deum, & secura confessio: qui in me credit, debet fundi sanguinem fundere. Qui enim perdiderit animam suam in præsenti, lucrifaciet eam in futuro. Denique Agabus Propheta, cum venisset ad Apostolos, tollens zonam Pauli, alligauit sibi pedes & manus, & ait: Hæc dicit Spiritus sanctus: virum, cuius est zona hæc, sic alligabunt in Hierusalem Iudæi, & tradent in manus gentilium. Quod cum audissent Apostoli, & qui loci illius erant, ne ascenderet Hierosolymam, cum lachrymis precabantur. Tunc respondens Paulus, dixit: Quid facitis flentes, & affligentes cor meum? ego enim non solum alligari, sed & mori in Hierusalem paratus sum propter nomen Domini Iesv Christi. Et cum ei suadere non possent, quieuerunt, dicentes: Domini voluntas fuit, fiat.

Actuum 21.

Sic

SIC namque & felicissimus Felix, cum fideli relatu persequutionem Catholicorum, quæ apud Gerundam Hispaniæ vrbem confinem Galliæ gerebatur, comperiret, crudeliterq; Ecclesiam Dei ibidem à paganis infestari cognosceret; extemplo literaturæ liberalis studium derelinquens, quod in Cæsarea Mauritaniæ posita excolebat, præpeti nauigatione æquore transmisso prædictum oppidum adiit: ibique martyrium, quod patriæ suæ deerat, deuotus miles Christi triumphabiliter consummauit. Sic sanctus Sebastianus, sic beatissimus Thyrsus, sic electus Adrianus, sic Iustus & Pastor, sic Eulalia virgo Barchinonensis, sic Babilas pontifex, multiq; alij sponte se obtulerunt, & coronati sunt. Et iccirco, vt quidam sapientium meminit, inter primas dignitates regnorum cœlestium sunt ponendi, qui ad passionem venerunt non quæsiti: & excellentis voti est inter tormenta prosilire, vbi non est criminis latuisse. 16 *Felix martyr Gerundensis.* *Cæsarea Mauritaniæ vrbs.* 17 18 *Sebastianus.* *Thyrsus.* *Adrianus.* *Iustus & Pastor.* 19 *Eulalia Barchinonensis.* *Babilas presbyter.* 20

SED in veritate crimen esse fatendum est, latitare, si virtus excellentis meriti est, vltro procedere: quando fidei nostræ confessio prædicationem exigit, & testimonium postulat. Nam si, audito verbo veritatis, fidem incredulus non accommodet, magisq; exprobret euangelizanti, quam credat: cum sitante cognitam veritatem inculpabilis, fit postmodum sanctæ prædicationi obnoxius. Quia non poterit de ignorantia se excusare, vbi veritas elucubrata responderit, Domino & magistro testante. Memento sermonis mei, quem ego dixi vobis, non est seruus maior domino suo: si me persequuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum, qui misit me. Si non venissem, & loquutus eis non fuissem, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo. *Ioan. 15.*

OBICIVNT etiam aduersarij corporum eorundem corruptionem. Sed quæso respondeant, quid obest cœlesti iam præmio coronatis, quasi illi carnis affectarint honorem, qui vere nouerant perlatam olim mortalibus legem, quia dictum est Adæ: Puluis es, & in puluerem redigeris; aut per supplicia tyrannorum, quibus datum est corpus occidere, quandoque finem accipere: Quia omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri: & cum omnem dicit, nullius carnem ex humano semine orientem reliquit, (& licet audenter, dicam tamen) non Patriarcharum, non Prophetarum, non Apostolorum, nō Martyrum. Legant Apostolorum actus, qui ista somniant, & inuenient, testante Petro, Dauid illum à Deo electum, & secundum cor suum fidelissimū seruum, sepulturæ corruptionem esse perpessum, iis verbis Apostolo differente: Viri fratres, licet audenter dicam de patriarcha Dauid, quia & defunctus est, & sepultus est: & sepulchrum eius est apud nos vsque in hodiernum diem: & caro eius vidit corruptionem. Considerent patriarcham Iob vermibus scatentem: & Lazarum Euangelicum vlcerosum præ foribus purpurati diuitis mendicantem. Percurrant cæterorum Sanctorum ad instar sydetum cœli diuersarum victoriarum fulgentia gesta, & insultet (si audet sacrilegus) eorum putrida membra doloribus tormentorum, pœnisq; consumpta. Sed hæc temporalis corruptio corporum in nullo detrimentum infert animabus sanctorum, quæ tamen incolumis materies carnis prodesse non poterit in futuro iniquis. Nam cur vana solicitudine de corporum integritate distenderentur, qui vere nouerant omnem temporalem salutem etiam cum ipso mundo perire: & illam protoplasto Adę sententiam mortis collatam, generaliter cunctis mortalibus congruere: Puluis es, & in puluerē reuerteris? Sancti etenim, qui expertes eius legis non sunt, quod in terra sua, id est Hierusalem cœlesti, duplicia nacturi sunt præmia, non magnopere corporalem pensant iacturam. Quam veraciter in illa generali hominum resurrectione de quibuscumq; labefactationibus, locis, antris, & speluncis, seu ex aliorum elemētorum abditissimo sinu, quò dilapsa cadauera perierint, in temporis puncto reddenda, & reintegranda ex legali auctoritate cognoscunt, & credunt: vt ipsi quidem sancti duplici præmio congaudentes, bina confusione conterant impios, ac peccatores. *Quintum, quod martyribus obiiciebatur.* *Isaiæ 40.* *Act. 2.* *Dan. 12.*

VNDE obsecro vos, ô sancti fratres nostri, & sorores in Christo beatæ, ne stultorum assertionibus exturbemini, aut cōiecturis crediili nescientium aliquo saltim scrupulo (quod absit) contra Dei milites moueamini. Hi sunt enim qui piæ religionis ardore non compunguntur: & iccirco non solum veritati fauere non possunt, verumetiam fidem sanctā, quam leuiter, & non alto credulitatis fundamento cordibus gerunt, defendere nequeūt, magis derogantes, si propter illam quis vltroneus moriatur: quam nolentes, si ab eā plures recedendo laqueū præuaricationis incurrant. Et hinc ad sacrilegium impietatis facile prolabuntur, dum quod à Deo iustificatum est, illi condemnare non verentur. Plebs sine disciplina, de quibus scriptū est: Et impie agent impij, ne-

que intelligent omnes impij, qui vt sal infatuatus à cœtu Catholicorum foris proiiciendi, & abomnibus conculcandi, ac velut nemus infructuosum secuti euangelica præscindendi, igni perpetuo deputandi sunt.

PENSANDVM est, fratres, cui dispendio subiacebit, qui tantæ victoriæ laudem infamare non metuit: qui tot virorum triumphis obuius venit. Illi quidem, prædicationis Apostolicæ non immemores, non erubuerunt testimonium Domini nostri IESV Christi, & veritatem sancti Euangelij ad confusionem impij doctoris, & cultorum eius palam proferre. Quem vnum, & magnum ex pseudoprophetis ore Dominico olim per Euangelium denotatis, esse cognouerant: dum cauta circumspectione Apostolos intentos fore iuberet, dicens: Videte, ne quis vos seducat, multi enim pseudoprophetæ venient in nomine meo, & seducēt multos: & nos formidine amittendi temporalem honorem, quos martyres nō colimus, hæreticos protestamur. Væ illis, qui ista sectantur: væ eis, qui bonum putantes malum, & lucem conuertentes in tenebras, quod patulis refutarunt blasphemiis, occultis etiam cōuitiis insequuntur, ne inter martyres habeantur, ne debita eis reuerentia exhibeatur: qui contumaciori spiritu contra inimicum fidei ore blasphemo venientes digna vltione consumpti sunt. Ac ne cæteri ad huiusmodi palestram discurrant, schedulis anathematum per loca varia damnari iubentur. Si ergo ab iis Dominus abstrahit præmium, eo quod apertum, & spontaneum aduersus hostem religionis gesserint bellum, quanto longius aberunt ab æterni Regis consortio, qui id occultis murmurationibus timore carnis depressi quotidie agunt? nunquid ori nostro hæc prædicatio deest? nunquid vacua est Catholicorum professio tali præconio.

Matthæi 24. Marci 13.

21

RESISTENDVM est igitur omnino iustitiæ aduersariis, & nullatenus pro defensione veritatis corporalis interitus differendus. Merito namque hoc ab illis exercitatur, qui aucta virtute magnanimitatis diuinitus illustrati sunt, vberiorem q; pensant certaminis fructum, quam securæ confessionis profectum. Non interim penitus imbecillia contemnentes Ecclesiæ membra. Quia scriptum est: Spiritus quidem promptus, caro autem infirma. Nec violenter ad hoc stadium pertrahendi sunt, qui cœlitus non compuncti sunt: scriptum est enim: Qui potest capere, capiat. Et iterum: Eligentur, & dealbabuntur, & quasi igne probabuntur multi, non omnes. Quamobrem terminis donorum, quæ Deo dispensante vnusquisque sibi inesse cognoscit, contentus sit, nec supra mensuram collati muneris quisquam temere conatum extendat. Hic congruit, vt qui se destitutum viribus ad præliandum non ignorat, & minus posse proprio iudicio considerans, aciem hosti non paret: è regione sponte præparantibus non resistat. Vt quem non habent certamina expeditum, pauorq; bellandi efficit timidum, hunc iusta non inueniat detractionis vltio puniendum. Quoniam scriptum est: Omne verbum otiosum quod loquuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die iudicij. Quod si omnis vaniloquus condemnandus veniet in iudicium, qua sententia punietur infamator Sanctorum? Qui enim sui non imperitus grandia non exequitur, gradientibus ad celsiora non aduersetur: hæreatq; imis, & solo procliuibus, qui nequit meditari sublimia. Vt est illud apud Salomonem: Altiora te non inuestigaueris, & profundiora ne quæseris. Et consequenter Cato infert Philosophus: Quod potes, id tenta, operis ne pondere pressus. Succumbat labor, & frustra tentata relinquas.

Matthæi 12.

Eccles. 3.

22

23

CERTE si quosdam palam quæ sancta sunt profitentes, infernus tenet, multo magis qui in abscondito veritatem prædicant, claustra possident inferorum. Quod oberit palestricum luctamen iustitiæ assertoribus, profecto nihil proderit clam veritatem fatentibus. Et quæ mens religiosa hanc insaniam credat, vt ex eo in opprobrium veniat veritas, reprobans malum, ex quo non violentet trahimur ad gentilitium malum? & inde ipsa iustitia martyriale non habeat præmium, quæ in auctorem sceleris patulum infert conuitium? Vnde libenter à cultoribus eiusdem vatis, inter regnicolarum priuilegia fidei Christianæ sinimur gestare vexillum. Quasi eorum patientiæ deputandum, quod inter ipsos sine molestia fidei degimus, & non potius diuinæ dispensationi sit referendum: quæ Patriarchas, Prophetas, & Apostolos suos inter feritates gentium conseruauit, honoribus extulit, dignitatibus sublimauit. Qui etiam promissionum spe discipulos consolans ait: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi. Quapropter non huius impiæ gentis beneficio, cuius ditione nostro compellente facinore, sceptrum Hispaniæ post excidium, & transmigrationem regni Gothorum translatum est, (quod felicissimo fidei Christianæ prædicatu pollebat, venerabilium sacerdotum dignitate florebat, & admirabili basilicarum

Matthæi 28.

Hispania ex eidium propter hominū peccata.

conſtructione fulgebat) ſed gratia Redemptoris ſui, & eius aſſiduo comitatu Eccleſia cuſtodiri meretur, qui dixit: Sicut lilia inter ſpinas, ſic amica mea inter filias. Et iterum: In medio nationis prauæ & peruerſæ, inter quos lucetis, ſicut luminaria in mundo. *Ad Phil. 2.*

Martyres ſui errant Victores.

SED nouerint ipſi, qui hæc obſtinata mente de martyribus Dei ſentiunt, impuriſque linguis gloriam Sanctorum mutilare non verentur, quod cum eiſdem Sanctis cauſas in futuro examine ſunt acturi, & niſi fructuoſa præceſſerit ſatisfactio, rationem ante tribunal Domini reddituri. Nam qua fronte clarificatum gloria paſſionis tunc vultum eorum aſpiciet, in contubernio Regis æterni ob meritum conſtantiæ glomeratorum, quos hic tantis impetiit blaſphemiis, tantis lacerauit opprobriis, tantiſque affecit iniuriis? Tunc vtique, cum iuſti in magna conſtantia aduerſum eos adſtiterint, qui ſe anguſtiauerunt, & gloriam martyrij eorum non coluerunt, & qui abſtulerunt labores eorum: reor, videntes turbabuntur terrore horribili, & mirabuntur in ſubitatione inſperatæ ſalutis, dicentque inter ſe, pœnitentiam agentes, & præ anguſtia ſpiritus gementes: Hi ſunt, quos habuimus aliquando in deriſum, & in ſimilitudinem improperij. Nos inſenſati vitam illorum æſtimabamus inſaniam, & finem illorum ſine honore. Ecce quomodo computati ſunt inter filios Dei, & inter ſanctos ſors illorum inuenta eſt. *Sapient. 5.*

24 Martyrum Coetus, & finis.

VELLEM reſponderent mihi Chriſti militum deriſores, vtrum amor mortis eos ad mortem perduxerit, an non magis oblectatio Paradiſi, vt æternæ mortis euaderent incendia, ad ſupplicium ire coegerit? Quantum reor, nullus reſponderet, quod intuitu moriendi obitum expetierint ſancti: ſed vt per temporalem interitum ignes euitarent perpetui lethi. Quapropter eos incunctanter eadem remuneratio nihilominus conſequetur, quæ fuit cauſa moriendi, non quæ extitit voluntas moriendi. Vnuſquiſque ergo eorum quod vult credat, dicat, vel ſentiat: me tamen ea pars firmum obtinet defenſorem, quæ cum ſumma reuerentia eorum cultum veneratur, & extollit honorem. Ibique fidelem ſub teſtimonio Domini noſtri IESV Chriſti dono aſſenſum, vbi eorum præcipuis titulis ſublimatur trophæum. Quapropter in poſterorum notitiam hunc decreui manere tractatum, vt qualem de dominorum meorum tulerim agone iudicium, & ætatis noſtræ vulgus nouerit, & futurum.

VOS autem, viri fratres, credite mecum, immo cum omnibus pie, religioſeque beatorum certamina venerantibus, credite beatos eſſe martyres talia exequentes, & feliciores animas ſub eorum teſtimonio morientes. Armate crudelitate fidei pectora veſtra, ſoluite diuinis laudibus ora, ſummique Redemptoris beneficia extollentes, præconate & dicite: Moriantur animæ noſtræ morte iſtorum, & fiant nouiſſima noſtra horum ſimilia. Qui dat laſſis virtutem, & iis, quibus nullæ ſuppetunt vires, potentiam potenti dextera roborat in certamine; det mihi, vt vſque ad mortem pro eo fortiori animo cum his militem, qui perfecto deſiderio in eius amorem exæſtuant. Quia non erit immunis coram Domino intentio, quæ pro veritate exeritur: neque vllatenus repudianda mors, quæ pro iuſtitia irrogatur. In tali igitur conflictu laudatur Chriſtus, deteſtatus remanet hoſtis iniquus: atque ſub eadem profeſſione necem excipit furibunda miles ſtrenuus.

Sanctis ſeruientibus præſtitisse.

IDEOQVE non ſolum ij, qui talia confitendo ſub ictu gladij ceciderunt, digno præconio celebrandi ſunt, verumetiam illi digna laude efferendi, qui talium laudibus oblectantur. Quia cum martyrum gloriæ paſſionibus acquiſitæ recoluntur, & beatorum certamina edita referantur, debitus honor martyribus redditur: ac piæ mentes exemplorum incentiuis armantur. Et ſi martyrium nequeant adipiſci, vt participium tamen merebuntur honorandorum præmiorum promoueri. Vt quorum aſſenſi triumphis cupiunt conſcientiæ voluntate, non imparem ſumant ex deuotione mercedem. Nam ſi peſſimis factis animum accommodare peruerſitatis eſt, quomodo optimis communicare, non eſt virtutis? Et cum Deus omnipotens iudicem ſe non ſolum factorum, ſed etiam votorum inſinuet, cur piiſſimum in martyribus ſemper votum interum non conciliet gaudia beatorum? ſancto Dauid approbante: Mihi autem nimis honorificati ſunt amici tui Deus. Et iterum: Qui vos diligit, me diligit: & qui vos recipit, me recipit. *Pſalm. 138. Matth. 10.*

IPSI denique Sancti, corpora ſua gladiis offerentes, perennem animarum incolumitatem capeſſunt: & acquirentes ſibi in regno Chriſti electorum conſortium, relinquunt, nihilominus perſequutoribus æternæ pœnalitatis incendium. Quia licet ſcriptum ſit, poſuerunt mortalia ſeruorum tuorum eſcam volatilibus cœli, carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ: effuderunt ſanguinem eorum velut aquam in circuitu *Pſalm. 78.*

Locus corruptissimus. Hierusalem, & non erat qui sepeliret: tamen ad puniendum sæuitiam eorum occurrent, qui ista fecerunt, non ad derogationem virtutum proueniet eorum, qui talia sustinuerunt, vt ea ipsa crudelitas cumulum perditionis lectoribus augeat: martyribus vero sanctis præmium sempiternæ felicitatis acquirat. Nam quamuis hæc obtutibus
Psalm. 115. hominum dira & aspera videantur, tamen pretiosa est in conspectu Domini mors sanctorum eius.

Vos autem fratres, & sanctæ in Domino Iesv Christo sorores, gaudete, & exultate, quod manipulos messis vestræ in horreum Domini recondendos iam præmisistis. Iam fructus seminis vestri Syon illa beata ciuitas habet, illa pacis visio Hierusalem cœlestis domesticos cognationis vestræ in pace suscepit. Pergite securi: properate exultantes. Itui vestro nullus aduersari quibit, nullus contradictor assistet, peruenientesq; ad patriam procedet in occursum vestrum, non solum illa cohors sanctorum, qui nuper coronati sunt, verumetiam cætera turba electorum, quorum consortio isti nouitij martyres adnumerati sunt.

Ergo libet mihi, fratres, paululum iucundantis more loqui vobiscum: & pro charitate sufferte verbosum, quem ex dilectione Christi cernitis in laudibus versari sanctorum. Quoniam vt meritorum meorum euaderem debitum, & beatorum adipi-
Tituli ratio. scerer intercessionis suffragium, hoc opus victoriis dedicans martyrum, decreui appellare Memoriale Sanctorum, vt ex quo vinctis compatimur, & Dei amicos veneramur, saltim eorum patrociniis adiuuemur. Dicitur enim in Psalmo:
Psalm. 138. Mihi autem honorificati sunt amici tui Deus, quis valde confortatus est principatus eorum. Quamobrem, fratres charissimi, & sorores beatæ, iubete me vestris admitti tripudiis, quem non finit abesse talibus gaudiis huius confessio operis. Nec inuida affectatione vobismet solummodo vindicetis sanctorum patrocinia martyrum, quos nostis pro totius Ecclesiæ membris subiisse discrimina passionum. Sed quare ego diutius his gaudiis immorari delector? quasi vestrum sit nostro satisfacere optatui? Certe vt saltim non sine consultu vestro adsint nobis Dei testes in tribulatione quæsiti, qui generaliter pro grege Catholico coram patre, & angelis eis manent solliciti. Itaque & vestri & nostri sunt. Ex vobis, carne prodierunt, sed nobiscum, vno baptismatis fonte renati sunt. Nihil est quod de eorum gloria vobis priuatim vindicetis, quia omnes in Christo vnum sumus.
25 Nam & nos quosdam ex illis ad prælium incitauimus: & si ipsi pugnare desiuimus, arma tamen quibus militarent, suggessimus. Quosdam vero ex consanguineis inter ipsos martyres in cœlum præmisimus. Paulum loquor leuitam egregium carne nobis connexum, & Sanctum auditorem nostrum, qui secundo conflictu post beatum Isaac perrexit ad Christum. Sed nunquid soli de perfectione eorum glorabimur? quia quos in-
Paulus martyr. *Sanctus martyr.* *Isaac martyr.* formauimus, quos fratres habuimus, viciſſe videmus. Sit commune omnibus gaudium: sint cunctis indiscrete fruenda felicium monumenta virorum. Misceamus vtrique vota, & paribus studiis laudum Deo persoluamus libamina: cuius dono reddita sunt nobis inoliti temporis felicia sæcula. Quibus olim, tempestatibus persequutionum crebrissimis, Christiana Ecclesia lapides in illius cœlestis Hierusalem coaptabat digniter structuram ad Dei gloriam, cuius munere pugnant Sancti, & vincunt: oppetunt mortem, & viuunt. Cuius gratia roboratur constantia martyrum: cuius virtute quicquid sæuitia protulit impiorum, virili animo prægrediuntur. Quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenturam gloriam, quæ reuelabitur in eis. Nec pendunt, quo mortis genere hanc vitam amittant, quandoquidem per huius defectum perennis regni felicitatem expectant.

Non meminit hoc loco Eludonici fratris Paulli, quod fortassis quo tempore O. Eulogius hæc commentabatur, ipse e. Eludonicum mundi martyrium passus fuerat: de quo infra cap. 13. lib. 3. Ad Rom. 8.

Verum quia semper laudabilis est mediocritas, faciliusque lectorem oblectat succincta breuitas, quam fastidiosa prolixitas: ideo finali claudendus est limite liber. Ne præter vnam, & summam inculti onis suæ absurditatem, alium parturiat meditantibus ex longa verbositate laborem. Hinc vos instanti iam voluminis termino, ô coro-
D. Eulogius ad martyres. na sanctorum, ego ipse licet indignus vestri laudator Eulogius postulo, vt hoc opus vobismetipsis probatum efficiatis, acceptum sanctificetis: sanctificatum, Deo libetis, neque inordinatam narrationis eius seriem pensetis. Sed velle meum potius, quam posse considerantes, voluntatis votum, non impossibilitatis remuneremini defectum.
26 Quia ideo primitias huius commentarij præ omnibus philosophis patriæ nostræ vobis offerre curaui, vt eius obtentu vestrum habeam patrocinium, vestroque interuentu omni caream vitio. Quo Dominum contra me pro peccatis offensum merear, &
27 nunc & in æternum inuenire propitium. Et licet inde grauioris culpæ me obnoxium conscientia mea remordeat, quia res præconabili stylo ad posterorum notitiam ordinandas

temere

temere infecerit eloquij mei inculta barbaries: tamen ex eo tanti † deliquij remedium *pro crimine*
adipiscisspero, ex quo omnem vim suam breuitas ingenij nostri in laudem vestram ex-
penderit. Sed & sulurrationibus maledicorum obuius veniens, acies perfidorum pro-
strauit, fundamenta subuertit, vires confregit. Ac veluti canes, qui ardentissimo zelo *Cõparatio.*
pro dominis suis sæpe rixare non desinunt, eo amplius in importunis latratibus exa-
cerbantur, quo forte impugnatoris fuerint verbere lacerati: ita nos licet asperrimi tẽ-
poris angustia coarctemur, & imminentibus periculis obruamur, nullatenus tamen
linguam de vestris laudibus abstraximus, aut de perfidorum infectatione cessauimus.
Hæc nos quadam spe cogunt lætos existere, & de clementia boni parentis cõfisos ma-
nere. Et idcirco non me desperare faciet oratio inculta, & vilis oblatio muneris huius
de obtentu gratiæ redemptoris. Quia plus coram ipso votiuum noui valere affectum,
quam segnem affluentiam munerum. Quapropter iterata supplicatione vos quæso,
milites Dei, bellatores egregij, testes idonei, martyres Christi, consortes regni perpe-
tui: vt me hic fideli seruitute Deo iungatis, & post debitam pro sceleribus in futuro ex-
amine vltionis sententiam à me auferatis. Vt qui liber Memoriale Sanctorum à nobis
appellatus, vestrorum actuum glorioſam memoriam præconatur, memoriam meam
corã tribunali futuri iudicis fauore suæ acceptionis in sortem ouium prescribat. Quo
à læua in partem dexteram demutatus, pij redemptoris aspectibus sine confusione me-
rear perfrui, nulloque præpediente reatu, illi cœtui connumerari promerear, cui idem
redemptor pia voce dicturus est: Venite benedicti patris mei, percipite paratum vobis *Matth. 25.*
regnum à constitutione mundi.

Scholia in operis præfationem.

EGo quidem) *Instituti sui reddit rationem: & gustum, quantum credi potest, futuri operis in ipso* 1
vestibulo præbiturus, Isaac martyris vitam & interitum memorat.

Ascysteriis). *Græcum verbum, vnde hoc nomen deriuatur, mentem in rerum diuinarum* 2
contemplatione exercere significat. Inde ascysteria monasteria dicuntur. Vsus est eo vocabulo imperator
Iustinianus in l. omnia. 33. C. de Episc. & cler. Iterũ etiam id ipsum D. Eulogius vsurpat, & D. Basilius,
D. Gregorius Nazianzenus eo frequenter vtuntur.

Qui prior). *Præcesserunt haud dubie multis annis Adulphus & Ioannes, vt lib. 2. ca. 8. appare-* 3
bit. Sed enim de his tantum nunc loquitur, qui per tres hos aut quatuor annos martyrio coronati sunt. Et
quamuis nunc etiam Perfectus presbyter præcessisset, ipse tamen Eulogius paulo post rationem est reddi-
turus, cur ipso priorem Isaac referat.

E Tabanensi cœnobio.) *Monasterij huius crebra mentio deinceps occurret. Eo autem potissi-* 4
mum sese receperat S. Isaac, quia patruelem Hieremiam, mox martyrem, imibi habebat, qui cum vxore
Elisabeth monasterium ipsum construxerat: in quo ipse etiam monachus factus, vt suo loco apparebit,
degebat.

Ephebus ille.) *Viginti septem annorum fuisse in Vsuardi martyrologio memoratur. Eulogius* 5
lib. 2. hoc ipsum eius martyrium repetens, cum primæuos adolescentiæ annos ingrederetur, monachum
factum, & post triennium martyrium subijsse scribit.

Ita maledictionibus tabescat.) *Imprecatio est, Hispanis nostris quam Latinis inter loquen-* 6
dum hac forma vsitatior. Diuersa enim sunt illa.

Dij talem terris auertite pestem. *Virgilius.*

Item illud eiusdem.

Quod Dij prius omen in ipsum Conuertant.

Feria quarta.) *Annus Domini octingentesimus quinquagesimus primus, dies Iunij tertius no-* 7
tatur. Et recte prorsus: incidit enim is eius mensis dies illo anno in feriam quartam. Habuit enim literam,
vocant, dominicalem D.

Eo porro ipso die in Vsuardi martyrologio festum eius apponitur: quod etiam Romanum nuper lo-
cum etatum, & Venetijs apud Iuntas excussum, inde transtulisse videtur. Cordubensis Ecclesia eundem
item eidem sancto martyri dicatum celebrat.

Qui post quintum.) *Inclusiue, vti aiunt, computat.* 8

Hieremiam martyrio.) *De his lib. 2. cap. 4. Item de Perfecto presbytero cap. 1. Cuius ideo hic* 9
mentionem inserit, vt qua ratione eidem tempore Isaac anteferret, demonstraret.

Scholia in librum primum.

1 PEritiſſimorum virorum.) *Sancta Eccleſia vt fuit, eritque ſemper (quemadmodum ab eius auctore IESV Chriſto Domino noſtro prædictum eſt) ſagena, bonis & malis promiſcue piſcibus oppleta: ita in ipſis etiam Chriſtianis prauos quoſdam habere nunquam deſtitit, qui ipſam importune conturbarent: & zelo quodam improuido inſtigati affligerent. Quod etiam D. Eulogij tempore contigit. Non ſatis erat Hiſpaniam Eccleſiam captiuã in miſera & truculenta ſeruitute verſari, & ab immani[illegible]is tyrãnis infanda mala aſſidue perpeti: quod vnum Chriſtianis in tot calamitatib. inſigne ſolatiũ eſſe poterat: nimirum non deeſſe, qui fortiter morte pro Chriſto oppeterent: & conſtantia ſua alios inſtimulantes, Dei Eccleſiam exhilararent: hoc ipſum tot malorũ ieuamen, impij quidam, & inſipienter prouidi eripere illi nitebantur. Martyres criminabantur, eo nomine indignos iudicabant, & obeſſe potius in commune Eccleſiæ Hiſpanæ, quam prodeſſe affirmabant. Eis reſpondere hoc 1. lib. D. Eulogius voluit, vt martyrum, de quibus deinceps eſſet acturus, famæ conſuleret; contra calũniantes defenderet, veramq; & ſolidam illorũ gloriam initio aſtrueret. Nihilo ſecius tamen deſtinato in hoc ipſum opere Apologetico, idem poſtea argumentũ plenius tractauit. Nec ſolus tamen martyres ita defendit. Quiſquis enim fuit auctor indiculi Luminoſi (de quo in D. Eulogij vita, de Aluaro loquentes, diximus) totum illud opus ad eorundem martyrũ defenſionem conſcripſit: vt Apologeticum prorſus poſſet iure optimo appellare. Et neque hoc D. Eulogij ſeculo ſolũ martyrum fuere detractores, ſed priſcis etiã Eccleſiæ temporibus. Concilium. n. Carthaginenſe primum ſub Syluestro primo, huiuſmodi martyrum obtrectatores canone ſecundo grauiter compeſcit.*

2 Sed neſcio quo tẽdere.) *Inſignis vbiq; apparet in D. Eulog. modeſtia at q; eo profecto magis cuius, quo homo, vt illa tẽpora ferebãt, doctiſſimus, nullã habet de ingenio & literis, nullã probatiſſima de virtute fiduciam.*

3 Eccleſia Hiſpaniæ.) *Corruperant iam hæc ſecula multa in propriis præſertim nominibus ea tabula: vt in hunc, quem nunc habemus, Hiſpanum ſermonem paulatim transformarent. In Spania, non Hiſpaniam: Cordobam: non Cordubam. egleſiam, non Eccleſiam, proferebant: Neq; recẽs poſt in hum in Hiſpaniam ingreſſum ea fuit corruptela: ſed retro ab Gothorũ temporibus derivata, quod eximis iam in D. Eulogij vita oſtendimus. Scribebant autẽ, quemadmodũ & pronuntiabant. Itaque egleſia non eccleſiæ, fuit ſemper in veteri ſcriptum. Nos tamen in excudendo latini ſermonis proprietatem Hiſpaniæ, & eccleſiæ, quemadmodum in Corduba nomine retinuimus.*

4 Comeſtationes quoq;.) *Late in hoc loco D. Eulogius quæ peſſime de Chriſto ſaluatore, & ſanctiſſima eius matre Mahometus tradidit, ex nefando Alcorano proſequebatur. Verum nos lineas duximus iuſtis de cauſis dẽpſimus. Nã quæ illo tẽpore ad detegendã ſectæ abominandæ turpitudinẽ erant neceſſaria, nunc piorũ aures poterãt offendere. Et prouidentiſſimis ſanctæ Inquiſitionis decretis cautũ eſt, ne diuini nefaria dogmata paſſim legãtur. Neq; nos tamẽ pro libito quippiã de S. Martyris opere, q digneſcimus, & reuerẽter attigimus, adimere voluimus: quin potius id ipſum de ſapientiſſimorũ virorũ conſilio fecimus. Hæc ideo hic annotare voluimus, vt ſi quis in D. Eulogij exẽplar inciderit, cur hic pauca quædam deſint, intelligat. Et quantũ ego exiſtimo. Speraindeo abbatis verba ſunt vsq; ad illa, & erit clauſa. Etenim vehementioris orationis impetus, neſcio quid commotius, & ab cæteris in hoc opere diuerſum atque facundiori artifice molitur.*

5 Nonnulli noſtrorum philoſophorum.) *Chriſtianos, qui doctrina præſtarent, quique res in Eccleſia eſſent, philoſophos vocat. Habetq; tatacriſis nonnullam ex ſimilitudine rationem.*

6 Inuictiſſimi illius Ioãnis.) *Auctor indiculi Luminoſi Ioãnis huius ſupplicium late deſcripſit. Et liber nondũ eſt typis excuſſus, operæpretiũ fuerit, ipſa eius verba hic apponere. Poſt martyriũ igitur Eli presbyteri ita inquit. Pergamus ſecũdi iterũ exponere caſus. Poſt anni reuolutionẽ, aut aliquid ampli illic liuoris gentiliũ oculus nõ queuit: ſed vt ſolitũ eſt illis Chriſtianiſmũ irridere, & nobis omnib. Dei colis inſultare: hũc Ioãnẽ, quẽ multo tẽpore carceris retinuere clauſtra, negotiationẽ & mercimonia nãdi in eo exaggerare conati ſunt, & ipſũ vexare: & ob gratiã mercimonij liuore vſti, multa exprobrare ingrere, dicẽtes. Paruipẽdes noſtrũ prophetã, ſemper eius nomẽ in deriſione frequẽtas, & mendacia per iuramẽta, vt ibi videtur, noſtræ religionis falſa aſſerib. te ignorantiũ Chriſtianũ eſſe, ſæpe conſtat. Ad quos ille confidenter, & nihil ergaſe doli ſuſpicans, tum ſe immunem ab ipſis, quæ contra eum nebantur, vellet oſtendere: furor trepitans, & præceps ira, eadem repetens, inculcans, & replicabrius, quæ ſæpe dixerat, intentauit. Tunc ille non ferens, ex hac generationum talium nube ſtrebundus, & facetaſatis vrbanitate accinctus, eleganti metro reſpondit elatus: Maledictus ſit à Deo prophetam veſtrum nominare deſiderat. Illico clamor ingens factus, & perditorum cuneus conſiniquitatis ex ore conuentus, velut apes in vnum perfidiæ aggerem congregati, vnius maſſæ cumlitia conſpiratione reſperſi, ſemiuiũ ad iudicem perduxerunt. Et teſtibus minus idoneis: ab ipſa maſſa ſurgentibus, præſentatis, potiora & maiora contra ipſum teſtatione propria intentarunt. Quæ tota negauit, & æmulationẽ inuidiæ ipſorũ aperto in ſe ſermone retexuit. Sed iudex iniquitatis gentis eũ ictib. verberat flagellorũ, & per omniũ ædes ſanctorũ ſub voce præconia fecit diſcurrere pati debere, qui prophetæ derogãt Dei. Ac deinde carcerali mãcipat arctæ cuſtodiæ, minitando illi maiora. De hoc Ioanne iterũ etiã D. Eulogius lib. 2. c. 10. In veteri vero Michaelis Ruizij Aca-*

epigrammata etiam Cypriani Cordubensis Ecclesiæ Archipresbyteri fuerunt: & inter cætera hoc quoque distichon cum hoc titulo. *Cyprianus archipresbyter Cordubensis.*

Item super tumulum S. Ioannis confessoris.

Carceres, & dira Ioannes ferrea vincla
Christi amore tulit. Hac functus in aula quiescit.

Hunc eundem Ioannem esse credo, quem D. Eulogius commemorat. Quamquam pauciora epitaphium, quam potuit, ac debuit, retulit. Sed eiusmodi erant tempora, vt versum quoquomodo claudisse, magnum etiam haberetur. Vixit autem & scripsit Cyprianus hic, quod ex alijs eius epigrammatis apparet, quadraginta aut paulo amplius post D. Eulogij mortem annis.

Qui vt idem docuit.) Longa admodum est parenthesis, & traiectione etiam (quod Fabius damnat) pluisquam tarda. Sed nos nihil immutare hic ausi sumus. 7

Et quoscunque confessio.) Iam hinc est animaduertendum Christianos per totam Hispaniam, & Cordubæ præsertim, ea lege, qua me admodum initio scripsimus, fuisse relictos & toleratos, vt Mahometi secta non detraherent. De hoc ipso in Indiculo Luminoso legimus ad hunc modum. Ecce lex publica pendet, & legalia iussa per omne regnum eorum discurrunt, vt qui blasphemauerit, flagelletur, & qui percusserit, occidatur. Et ecce quotidie horis diurnis & nocturnis in turribus suis & montibus caligosis Dominum maledicunt, dum vatem impudicum, periurum, rabidum & iniquum vna cum Domino testimonij voce extollunt. De cæteris vero quæ ab Sarracenis paterentur Christiani, hic ab Eulogio commemoratis: auctor ille in hunc modum. Quotidie opprobrijs, & mille contumeliarum fascibus obruti, persequutionem nos dicimus nō habere? Nam vt alia taceam, certe dum defunctorum corpora à sacerdotibus vident, vt mos est Ecclesiasticus, humanda portare, nonne apertis vocibus, & impurissimis gemitibus dicunt, Deus non miserearis illis? & lapidibus sacerdotes Domini impetentes, ignominiosis verbis populum Domini denotantes, spurcitiarum fimo Christicolas transeuntes pedore infando aspergunt, matora minitando ringentes. Et paulo post. Sic itidem, & cum sacerdotes Dei casu quopiam cuiquam obuiauerint per viam, lapides coram ipsis cumulantes, testasque aridissimas ante vestigia eorum reuoluentes, ac improperioso & infami nomine derogantes, vulgari prouerbio & cantico inhonesto sugillant, & fidei signum opprobrioso elogio detruncant. Sed cum basilicæ signum, hoc est tinnientis æris sonitum, qui pro conuentu Ecclesiæ adunando horis omnibus canonicis percutitur, audiunt: derisione & cōtemptu inhiātes, mouentes capita, infanda iterando congeminant, & omnem sexum, omnemque ætatem, totiusque Christi Domini gregem non vniformi subsannio, sed milleno contumeliarum infamio impetunt, & deridentes. Numquid non isti sunt, qui Hierusalem maledicunt, & muros sanctæ Sion destruunt, & succendunt? De quibus dicitur: Maledicti omnes, qui spernunt te, & omnes qui blasphemant te. Maledicti omnes qui destruunt muros tuos, & omnes qui subuertunt turres tuas, & omnes qui succēdunt habitationes tuas. Et licet hæc omnia ab illis per contemptum vel derisionem, vel odium, vt diximus, impleantur: tamen etiam carnaliter in habitationes Domini, & in sanctuarij ædes quotidie perpetrantur: dum Ecclesiæ Dei destruuntur, & antiqua soliditate templa firmata, terra tenus coæquantur. 8 *Oppropria Sarracenorum in Christianos.*

Carnibus etiam spoliata.) Hic paulisper oportet immorari, vt melius quid hic lege cautum edicat sanctus martyr intelligamus. Viuebat Cordubæ, hocque ipso tempore presbyter, Abbas postea S. Zoyli fuit, Samson nomine, vir doctus & subtili ingenio, in Philosophiæ & sacrarū literarum studijs versatus. Id abunde declarat eius Apologeticum opus, quod tribus libris distinctum scripsit contra Hostigesiū Malacitanum episcopum, qui ipsum in concilio Cordubensi hæreticum cum conuitio dixerat: quemadmodum ipse in præfatione li. 2. late commemorat. Ibi se abbatem Ecclesiæ S. Zoyli martyris Era nongentesima prima, hoc est anno Domini octingentesimo sexagesimo tertio factum ostendit. Is autem annus est post Eulogij martyrium 3. aut 4. Me etiam iuuene in montibus Cordubensibus, decimo ab vrbe milliario, non admodum longe ab oppido, quod Trasierra vocant, in eo agro, qui Comitatus de Espiel dicitur, dum vetustum puteum rustici repurgant: cimbalum æreum paruum, pedis ferme altitudine, extraxerūt. Quod nunc etiam in D. Hieronymi cœnobio adseruatur. Forma est ab cæteris, quibus nunc vtimur, longe diuersa. Literas sequentes non fusiles, sed celte excauatas in orbem habet: sed tot nexibus inter se colligatas, & alijs alias inclusas, vt typis eorum species exprimi nequeat. 9 *Samson Abbas. Hostigesius Malacitanus Episcopus. Concilium Cordubense. Trasierra oppidum. Espiel. Cimbalum vetustissimum.*

Offert Hoc Mvnvs Samson Abbatis In Domvm S. Sebastiani Martyris Christi. Era dcccc Et xiii. *Fidelissima transcripsimus.*

Fuit autem hic annus Domini octingentesimus septuagesimus quintus. Obijt autem idem Samson anno octingentesimo nonagesimo. Quod ex eius epitaphio constat, ab Cypriano archipresbytero cōposito, inter reliqua eiusdem epigrammata in eodem illo Açagræ codice reperto, cum hoc titulo. *Cyprianum archipresbyter Cordubensi.*

Epitaphium, quod idem in sepulchro Domini Samsonis edidit, metro heroico.

Quis, quantusue fuit Samson clarissimus Abba,
Cuius in vrna manent hac sacra membra sub aula:

Personat Hesperia, illius famine fota.
Flecte Deum precibus, lector, nunc flecte peroro,
Athera vti culpis valeat conscendere tersis.
Discessit longe notus, plenusque dierum,
Sextilis namque mensis die vicesima prima.
Sextilis namque mensis primo & vicesimo sole.

Era D c c c c x x v i i j

S. Ecclesia Toletana bibliotheca. *Era ad hunc modum fuit infra scripta. Illud autem eius opus Apologeticum Toleti in S. Ecclesiæ bibliotheca Gothicis literis descriptum, in peruetusto codice habetur. Hæc omnia satis indicat Samsonē hunc D. Eulogij temporibus floruisse. Quod nos exquisitius astruere voluimus, quia de hoc ipso periculo, quod martyres sanctos sepeliendo imminebat, in præfatione libri secundi de Seruando Comite Christiano, sed nefario homine, ita inquit, postquam multa mala, quæ Christianis viuentibus intulerat, recensuit. Deinde viuorum mortibus non contentus, quiescentium, quorum animabus impedire requiem non potuit, ne vel ipsis parcere videretur: corpora, vt fuerant sub aris Dei posita, è suis loculis insignis vespilo traxit, & fidelibus regis, vt fuerant ancipiti ense truncata, monstrauit: vt hoc facto animos regios in nostrorum perniciem excitaret. Quatenus probarentur apud eum, debito mortis obnoxij, qui ausi essent humare illius prostratos pugione Hucusque Samson. Nec dubium credo alicui esse possit, quin de S. martyribus, superioribus annis interemptis, loquatur.*

Seruandus Comes.

10 Quippe iam nos.) *De se ipso loquitur Eulogius, qui vt Aluarus scripsit, ipse quemet postea non semel narrabit, in carcerem missus fuerat. Inde autē sanctarum virginum & martyrum Florę & Mariæ precibus, vt ipse contestatę ante martyrium fuerant, cum cæteris Christianis est eductus. Hoc immit. Attende autem scripsisse D. Eulogium hunc librum, post suam illam liberationem.*

11 Vbi quoque & hic.) *Nemo nescit Mahometum in felici Arabia genitum.*

12 Lunariter soluimus.) *Lunariter, quemadmodum & lunatim, aduerbia sunt illis temporibus nouata. Significant autem per singulos menses. Huius menstrui tributi meminit etiā Leouigildus presbyter Cordubēsis, qui hoc ipso etiam sæculo vixit, & de habitu clericorum opusculum scripsit. Causis autem cur scriberet reddens, ita inquit: Vt qui ex nobis ad remanentes doctores imbecillitate corporis impediente dirigere gressus nequiuerit, aut quem inquisitio vel census, vel vectigalis, quod omni lunari mense pro Christi nomine soluere togimur, retinuerit: saltem nocturno tempore inter Ecclesiastica munia, quæ necessarium duxerit, legat. Meminit huius Leouigildi Samson Abbas. Est autem peracerbum & lachrymis dignum, miseriam Christianorū, qui tot, tantaque ludibria & detrimēta paterentur, remissi.*

Leouigildus presbyter Cordubēsis.

13 Stigmata in nobis.) *Sacram tonsuram intelligit. Stygmatum autem vocabulum, quod alicui inseruis solummodo erat proprium, D. Paulus eo vsus, fecit Christianis etiam venerabile.*

Ad Gal. 6.

14 Emeterius & Celedonius.) *Prudentius poeta in horum sanctorum hymno, spontaneum eorum ad oppetendam mortem satis indicat voluntatem, cum ita loquentes inducit.*

Sit satis, quod capta primo
Vita sub chyrographo
Debitum persoluit omne,
Functa rebus Cæsaris.
Tempus est Deo rependi
Quicquid est proprium Dei.
Ite signorum magistri,
Et vos tribuni absistite:
Aureos auferte torques,
Sauciorum præmia,
Clara nos hinc angelorum
Iam vocant stipendia.
Christus illic candidatis
Præsidet cohortibus:
Et throno regnans ab alto,
Damnat infames Deos,
Vosque, qui ridenda nobis
Monstra diuos fingitis.

Codex sancti Rotalis Toletanus. *Cæterum sancta Toletana Ecclesia peruetustum codicem habet, quo vitæ nostratium martyrum continentur. Ibi in Emeterij & Celedonij historia, hæc ipsa verba, quæ paulo post adducit Eulogius habet. Sunt autem Celedonij Emeterio adhortanti, vt ad iudicem procederent, respondentiū. Et olim sancta Toletana Ecclesia hanc ipsam historiam in matutinis legere consueuerat, & nonnulla hac Hispaniam gunt. Et magnopere est animaduertendum, quam sit antiqua illa historia, qua*

etiam Eulogij iam fuerat conscripta.

In illis septem fratribus.) *Hoc ipsum iisdem verbis in vulgata sanctorũ Iuliani & Basilissæ* 15
historia legimus in Episcopo Equilino, in sanctoralibus vetustissimis, & vbicunque est plene descripta. Ecclesiæ enim ferme omnes in matutinis breuitatis auidæ indidem multa præcidere. Quod in omnibus etiam fere sanctorũ historijs accidisse dolemus. Hinc autem præstiterit intelligere, quanta sit in multis sanctorum historiis auctoritas, quanta esse debeat ex antiquitate veneratio. Quis crederet has S. Iuliani & Basilissæ, Emeterij & Celedonij historias, ante octingẽtos annos fuisse scriptas: nisi hic cerneret ab D. Eulogio citari? Nos vero passim multa ciuscemodi contemnimus, & tanquam noua inuenta superbe fastidimus.

Felicissimus Felix.) *Hæc omnia in huius martyris, qui S. Cucufatis fuit frater, in matutinis* 16
per omnes fere Hispaniæ Ecclesias leguntur. Est autem Gerunda in extremis Hispaniæ finibus, qua per Pyrenæos cum Narbonensi Gallia coniungitur, in Ausetanis sita. Non omnino deleto nomine Gironam nunc vulgo nuncupamus. Paruam eam vrbem Prudentius appellauit, cum in hymno Cæsaraugustanorum martyrum Felicis etiam meminisset. Mauritania vero Cæsarea eadem esse putatur, cuius nunc ruinæ ingentes cum nomine perseuerant.

Sic S. Sebastianus.) *Exempla SS. Martyrũ sunt, qui se sua spõte non quæsiui, martyrio tradide-* 17
runt. Longum esset persequi singula. Satis sunt nota horum omnium sanctorum gesta, vt quiuis vel quid Eulogius innuat, intelligat: vel eorum legere possit historias.

Sic Eulalia virgo Barchinonensis.) *Iam hinc facile intelligas, Emeretensem Eulaliam non* 18
sponte sua ad confessionem fidei Christianæ processisse, sed iudicis imperio fuisse abductam. Alioqui & eius etiam exemplum Eulogius protulisset. Sunt porro qui aliter narrẽt. Et qui vnam eãdemque esse volunt vtramque Eulaliam. Iam hinc D. Eulogij testimonio refelluntur. Barchinonensis vero vrbis tanta est celebritas, vt de ipsa hic plura dicere non sit necessarium.

Vt quidam sapientissimum meminit.) *Verba sunt ex eadem illa historia Emeterii & Ce-* 19
ledonij desumpta.

Sed in veritate.) *Acute satis testimonium quod adduxerat, expendit, & quo pacto sit intelligẽ-* 20
dum, demonstrat. Quod est frequenter in D. Eulogio eximium, ingenijque & iudicij ipsius egregium indicium. Est autem Hispanismus, eadem phrasi ad hæc vsque tempora conseruatus. Frequẽter enim quippiam asseuerantes incipimus: En verdad.

Ac ne cæteri.) *Zelus ille quorundam Episcoporum insipiens hucusque processerat. Nam Episco-* 21
pos etiam ad hunc modum commotos fuisse, in Apologetico postea ostendit.

Nec violenter.) *Prudentissime & cum ingenti circunspectione omnia S. Martyr pertractat.* 22
Ideo quod in commune statuerat, adhibito necessario temperamento comprimit, & veluti coercet.

Cato infert Philosophus.) *In tanta Hispanæ Ecclesiæ calamitate & misera seruitute, magna* 23
etiam doctores Christiani librorum penuria laborabant. Inde cogitur Eulogius non admodum nobilis auctoris carmina, grauia alioqui & veræ sapientiæ plena præceptis, interserere.

Sors illorum inuenta est.) *Quanquam in vetusto codice vacuæ membranæ hic aliquantulũ* 24
fuit relictum, quod octo decemue lineas posset recipere: verumtamẽ nihil prorsus defuit. Nam totum illud folium laxe admodum exaratum, & multo paucioribus quam cætera lineis distributum, aperte demonstrat, descriptoris, occupare totũ foliũ sat agentis, anxietatẽ. Quod cum assequi plene non posset, & sequentia nouum haberent initium, dignaque folij principio viderentur: satis habuit, oppleta vna pagina, alteram occæpisse, & aliquot lineis continuasse. 25

Paulum loquor.) *De his lib. 2. ca. 3. & 6. scribit.* 26

Præ omnibus philosophis patriæ nostræ.) *Iterum philosophos doctos viros nominat, eadem, quam supra docuimus, catacrisi. Et cum anno Domini 851. scriberet, tribus annis ante auctoretur Indiculi Luminosi scribebat. Quod ipsum argumento esse possit, illud opus Aluari non esse, qui post Eulogiũ profecto non fuit scripturus.*

Et licet inde.) *Iterum ad insignem suam modestiam redit Eulogius. Humilitatis suæ seipsum* 27
autius non sinit obliuisci. In SS. Martyrum laudibus tripudianti, & sanctissimis gaudijs feque, & pios omnes cælitus exhilaranti, humilitatis subit cogitatio, memoria occurrat, cælestique fruentem lætitia sistit, & quasi indignum eo iubilo reuocat. Omnia pectus spirant vere Deo dictatum, omnia futurum martyrem iam redolent.

Hucusque in D. Eulogij emendatione & illustratione processeram, cum post insignem illam victoriã, qua Ioannes Austrius, sereniss. princeps, Turcarum classem inclyto triumpho deleuit, accepit catholicam, mensis Octobris superioris die 7. natus est Fernandus princeps, Philippi secundi regis Catholici & Annæ Austriæ reginæ filius. Natus vero est Madritij 3. fer. die. 4. Decemb. ante auroram, hoc anno Domini 1571. Nos vero, qui maximo Christianæ Reipublicæ bono natũ hunc principem de Dei benignitate speramus, in communi Hispaniæ & totius Christiani orbis lætitia, scripto hoc epigrammate exultauimus.

AD FERNANDVM PRINCIPEM PHILIPPI II. CATHOLICI REGIS FILIVM, IN MAXIMA CHRISTIANI ORBIS LÆTITIA, & Turcarum mœrore natum.

NAsceris, ô magni proles Fernande Philippi,
Ingentis veniens tempore lætitiæ.
Nasceris en læto Christiani nominis orbe,
Turcarumque venis orbe gemente puer.
Et natus vix dum est hostili terror in aure,
Omine qui magnus incipis esse puer.
Græcia te in cunis, atque Asia tota tremiscit:
Illa subacta gemit, hæc superanda pauet.
Fata tibi & Syriam, & Solymos iam certa loquuntur,
Christus fatorum spondet & hinc Dominus.
Magne puer, Christi tibi se monumenta reseruant,
Per te victrici mox liberanda manu.
Interea lato patruus tibi calle Ioannes,
Per maria & terras strauerit ante viam.

DIVI EVLOGII CORDVBENSIS, MARTYRIS, DOCTORIS, ET ELECTI ARCHIEPISCOPI TOLETANI, MEMORIALIS SANCTORUM liber secundus.

PRÆFATIO.

CONTIGVA Huius secundi operis breuitas, martyrum tantummodo beatorum gesta exponens, nomina, ætates, ortus, diesque allisionum fideli proferet relatione: quo prudens lector perpaululum prioris libelli seriem prorelatam compensans, quos præconio suo extulerit, siue è contra quos zelo Dei armatus incesserit, facilius possit coniicere. Nam quod ille vario disputationis ambitu obuolute disponit, iste enucleatim compendiosa differit breuitate. Quem per capitula ideo digessimus, vt vniuscuiusque martyrum agonis principia liberius se meditantibus exhiberent.

De Perfecto presbytero Cordubensi martyre. Cap. I.

Annus Domini Dccc. 1 IN nomine Domini. Regnante in perpetuum Domino nostro IESV Christo, anno Incarnationis eius 850. Era 888. consulatus autem Habdarrahaman. 29. Cuius temporibus rebus & dignitate gens Arabum in Hispaniis aucta, totam pene Hiberiam diro priuilegio occupauit. Cordubam verò, *Habdarrahaman.* 2 quæ olim Patritia dicebatur, nunc sessione sua vrbem regiam appellatam, summo apice extulit, honorib. sublimauit, gloria dilatauit, diuitiis cumulauit, cunctarumq; deliciarũ mundi affluentia (vltra quã credi, vel dici fas est) vehementius ampliauit: ita vt *Arabũ rex.* 3 omni pompa sæculari prædecessores generis sui reges excederet, superaret, & vinceret. Dumque sub eius grauissimo iugo Ecclesia orthodoxorum gemes, vsque ad interitum vapularet: venerabilis memoriæ Perfectus presbyter Cordubæ natus, & subpædagogis basilicæ S. Acisculi clara eruditione nutritus, plenissime Ecclesiasticis disciplinis imbutus, & viuaci educatione literaria captus, necnõ ex parte linguæ Arabicæ cognitus, totam pene iuuentutem in prædicto transegit cœnobio. *Cordubæ colonia Patritia.* *Perfectus presbyter martyr.* *Basilica S. Acisculi.*

QVODAM vero die dum ob rei familiaris necessitatem iter perageret, & rerum 6 domesticarum commodis consulens, per vrbem ingrederetur, quorundam gentilium sciscitatio ab. de fide catholica exploratur: suumq; coram eis de Christo, & propheta Maho-

Mahomat testimonium proferre iubetur. Qui continuo diffuso ore Diuinitatis Christi potentiam profitens, & esse Deum super omnia benedictum in sæcula præconans: Vatem (inquit) vestrum, qualiter apud catholicos habeatur, exponere non audeo, quia graui molestia propter hoc vos vulnerari non ambigo. Verum si fœdus interceſſerit amicabile, & pacificam fidei pactionem accommodatis, dicam quo Euangelij testimonio denotetur, vel qua veneratione à christicolis excolatur. Illico fraudulenter fidē spondent, & quicquid de illo apud religiosos tenetur, omni pulsa formidine enarrare compellunt. Ad hæc prudens sacerdos Arabice illos reciprocans, pseudoprophetam illum, & falsissimum dogmatistam, quia plures seduxerit, ex Euangelio protulit, dicēs: Multi pseudoprophetæ venient in nomine meo, & multos seducent, & dabunt signa magna, & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. E quibus inter cæteros summus hic propheta vester hostis antiqui præstigiis occupatus, dæmoniorum figmentis illectus, maleficiorum sacrilegiis deditus, multorum paruipendentium corda lethali veneno corrumpens, æternæ perditionis laqueis mancipauit. Sic nulla spiritali discretus prudentia, principi Sathanæ eorum fidem accommodat, cum quo ipse asperrima inferorum luiturus tormenta, vos quoque sequipedas secum arsuros, inextinguibilis camini deputauit incendiis. Nam quo pacto inter prophetas reputabitur, aut quare non maledictione cœlesti plectetur, qui Zeinab vxorem vernaculi sui Zaid, specie decoris eius obscæcatus, iure barbarico auferens, sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus, adulterina sibi copula nexuit, seseque ex iussu angeli hoc egisse prædixit. Multa deinde beatus Perfectus de fœditatibus, & libidinibus, quæ lege Mahometica præcipiuntur, superaddidit, & tandem finem his verbis fecit. Sic fautor immunditiæ, & libidinum voluptatibus seruiens, omnes vos perennis luxuriæ impuritatibus dedicauit. Alia etiam plura, prout nouerat, de ipsius nefandissima doctrina eis exponens multaque audita sibi exosa coram omnibus denuntians, licet non tunc illū superbo oculo impetierint, accensum tamen vltionis furorem in corde ad perniciem eius reposuit.

Mare. 13.

Mahometi nefaria doctrina.

Psal. 51.

7

PERFICIT Dei famulus sibi hinc necessariæ rei vtilitatem, & expleto sui itineris cursu, propriæ quietis cellulam repetens, securus aliquamdiu permansit. Cæterum post non longam digressionem temporis, dum occasio familiaris necessitatis eum aliquo ire compelleret, casu per eosdem cum quibus dudum conflictum gesserat, habuit commeatum. Quem æmuli venientem ab eminus contuentes, æternum aduersus eum sub pectore vulnus seruatum, in apertum produnt incendium, & in vindictam sui varis circumastantium hoc modo horrantur conuentum. Ecce, quem temeraria prīdē impellente insania, tanta coram nobis aduersus vatem (psallat Deus super eum, & saluet eum) maledictionis verba protulit, quanta nullus vestrorum auditus potest perferre. Hoc autem genere benedictionis semper ad honorem eius vtūtur, Zalla, Allah, Halla, Anabi. V. A. Zallen. Quod latine dicitur, Psallat Deus super prophetam, & saluet eum. Et ita quasi apes stimulatæ, tota illa cohors perditionis in eum furibunda consurgens, apprehensum sub omni celeritate iudici, vix plantis solum tangentem, offerunt, atq; huiusmodi de eo testimonium proferunt. Hunc, quem tuis reuerentissimis tribunalib. iudex, attraximus, maledixisse prophetam nostrum, eiusque cultoribus exprobrasse comperimus. Quæ vero sententia tales ausus compescat, furiamque retundat, melius tua nouit prudentia cogitare. Tunc iudex iniquitatis ergastulis futurum Dei martyrem tradit: ferroque vinctum importabili pondere vinculorum coarctans, victimandum in eo die differt, quo profanis ritibus festiuum * paschæ gaudium apud eos excolitur. Vadit miles Christi exultantibus animis abdita carceris petēs, lætusque illū reorum specum quasi ad epulas inuitatus, ingreditur. Vbi summa timoris, & sanctimoniæ reuerentia præditus, vigiliis, orationibus, atque ieiuniis inseruiens, fertur suam sententiam, quam dudum ante iudicem formidine mortis negauerat, fortiori mente in virtute S. Spiritus confirmasse. Et priusquam foro plectendus educeretur, tradunt prophetico vegetatum spiritu de quodam eunucho vocabulo Nazar Clauiculario procōsule (qui eo tempore totius rei in Hispaniis administrationem gerebat) dixisse: Hunc quem hodie super omnes Hiberiæ primates fastus principatus extollit, & cœlo tenus gloriosa potestas in hac parte occidua sublimauit, reuoluto vēturi anni curriculo ipsū, quo me prosterni die decreuerit, non attinget. Quod ita diuina virtus, vt cōfessori suo iam quidem per squalores carceris elimato reuelauerat, implere non distulit.

8

Perfectus accusatus & captus.

Hinc, inualescentio die Paschæ apud Mahometanos, dies detentionis Perfecti in carcere.

Nazar regius eunuchus.

EXACTIS igitur non multis in carcere mensibus, post expleta ieiuniorum suorū tricena diecula, in quibus gastrimargiæ crapulis, & fluxu libidinis, sicuti (* primo li-

** Hac inde resecata fuē*

bro digestum est, propensius solito insistunt: illucescit martyri cæteris temporib. glo-
rioſior dies: Ille, ille scilicet, quem solenni veneratione summoque tripudio ritu vanæ
legis gerunt dicatum. In quo se magnum Deo suo præstaturi arbitrantes obsequium,
eductum ex antro gladio vindice trucidarunt confitentem Christum in gloria Deita-
tis manentem, & Ecclesiæ catholicæ inimicum liberis vocib. exprobrantem atque di-
centem: prophetam vestrum & maledixi, & maledico, virum * dæmoniorũ, magum,
adulterum, & mendacem: sicuti professus sum, & profiteor. Profanationes secta vestræ
commenta diaboli esse denuntio. Vos quoque cum ipso duce tenebrarum, æternalui-
turos tormenta protestor. Turba gentilium, quæ intuitu tantæ festiuitatis in campum
vltra pontem fluminis, in parte ab vrbe Australi situm, latissima planicie ad exorãdum
processerat, ouans præpeti regressu ad necem martyris contemplandam sese diuertit.
Quæ iam prostratum ante fores prætorij, suoque se volutantem sanguine cernens, in-
litis quoque & ipso extincti sacerdotis cruore vestigiis, aucta iucunditate, ad exoluen-
dum sacrilegium voti compos regreditur. Nihilominus commoda se facilius potitura
confidens, quæ tanti hostis sanguine combinatis gressibus incedebat.

vnus ab Ambrosio Morales, quæ locus subobscurus.

D. Perfectus martyrio coronatur.

Ferte damnosum. ita enim inf. Apolog. 79. b. & 91. a. damonium homuncio appellat. Vtroque autẽ modo Hispanum vel quemcunque hombre endiablado, aut Hebreo de los diablos.

SED ad propositum redeamus, & quod ad laudem sui martyris ipso die, quo decidit, diuina pietas fuerit operata, sicut plurimorum fideli relatione comperimus, referamus. Nam celerem ad vindicium sui militis vltionem effundens, nonnullos de pessimorum caterua gurgite fluuiali immersit. Regredienti namque vulgo à loco orationis, quo ritu sacrilegio irrita vota persoluerat, plerique ascensis nauib. dorso vectantur æ-
quoreo: sectoque carinis & præpeti nauigio amne, domum reuertunt. Inter quos vna fluctuatione vndarum euersa nauicula, quæ octonis homunculis vehiculum inter fluctus præstabat, gremio interioris abyssi recõditur. Vix inde nando sex euadentibus, bini naufragio perierunt. Vt non esset vacua scriptura, quæ dicit: Ego Dñs dabo impios pro morte tua, & diuites pro sepultura tua. Vnum enim in cœlum crudelitas persequẽtis præmisit, & duos inferis sæua tempestas fluminis dedicauit. Corpus autem S. martyris piis religiosorum officijs, dignoque præsulis & sacerdotum obsequio in basilica beati Aciscli, in eo titulo, quo felicia eius membra quiescunt, humatur. Illudque prophetismum diuinitus ore eius prolatum de procõsule eunucho clauiculario Nazarij (Deo dispensante) impletum est, vt carcere adhuc religatus conuinctis prædixerat, Nã priusquam in anno altero profanæ solennitatis paschale gaudium perituris occurreret, multis ante diebus eunuchus idem occubuit. Ignita namque febre intrinsecus viscera eius adusta, & (vt nonnulli ferunt) toxica potione corrupta, ante obitum dum vrgente corporali necessitate, ad purgandum aluum secretius cubiculum peteret, disco effusa sunt, & interiit. Sicuti quidam poeta christicola Arrij finem describens, heroice lusit, dicens, Visceribus fusis vacuus quoque ventre remansit. Sic namque Dominus vtroque miraculo militem suum glorificans, magnæ spei solatiis fidelium vota corroborat, impiorumque sacrilegam vanitatem stupore vehementi exturbat. Hæc nos per pauca ex gestis beati martyris dixisse sufficiat, quæ viris catholicis referẽtibus, qui eius contuberniis à principio in vinculis adhæserunt: sed & ipsorum ethnicorum relatione vera esse cognouimus, dum nos tempore compeditionis nostræ omnes, cum quib. ille martyr futurus morabatur, vix paucos solutos reperimus. Consummauit autem vir Deicursum agonis sui in pace quartodecimo. Cal. Maias, die 6. feria, Era qua supra adnotatum est.

Arabes duo submersi. Esaiæ 53.

S. Aciscli corpus.

Nazarius miser interitus.

Arrius haereticus.

D. Eulogius in carcerem missus.

Annus Dominus Eccl. dies Aprilis 18.

RES vero tanti facinoris in sacerdote commissi, multos, ocio securæ confessionis per deserta montium, & nemora solitudinum in Dei contemplatione fruentes, ad sponte & publice detestandum, & maledicendum sceleratum vatẽ exilire coegit: maiorisque ardoris fomitem moriendi pro iustitia cũctis ministrauit. Et quod ab isto vno infida persequutorum executio primitus violẽter extorsit, & quod in hunc calida circumuentione suadendo vlciscitur, postmodum in plurimos vltro se tali discrimini offerentes exhorruit. Adeo namque terrore nimio ethnicorum vniuersitas in horũ progressu concussa est, vt perditionem reip. regnique sui excidium iam imminere arbitretur, ac nostros athletas ab huiusmodi intentionibus inhiberi suppliciter exoraret. Sed nos, sicut huius voluminis præfatio continet, nostrorum agonistarum ætates, ortus, temporaque decisionis fideli prosequamur stylo, vt quod diuino munere nobis, nostræque ætati coniunctum est, propriis scilicet obtutibus sanctorum contemplari gonem, venturis etiam sæculis pura libelli series innotescat. Vt nostri quoque gaudi futura generatio particeps fiat, dum mente credula vera esse non abnuat, quæ ubi catholicorum mandasse industria lectitat.

Sarracenorum perturbatio.

Deus

¶ De Isaac monacho martyre. Cap. II.

BEATVS itaque Isaac ex ciuibus Cordubensium nobilibus, & locupletioribus parentibus natus, dum primæuos adolescentiæ annos ingrederetur, atque inter opes bonaque genitorum tenerrime degeret, adeo vt peritus & doctus lingua Arabica exceptoris reipublicę officio fungeretur, ex improuiso spiritali flagrans ardore, monachorum vitam optans, Tabanos viculum petiit, qui in partibus Aquilonis inter prærupta montium, & condensa syluarum septennis ab vrbe milliaribus distans, formosissimis in exercitatione vitæ monasticæ virorum, atque ancillarum Dei rumoribus decoratur. Siquidem in eodem cœnobio virum summa timoris Dei reuerentia prędituin Hieremiam patruelem habebat: qui etiam inclytus opibus, rebusq; abundans, & coniux eius venerabilis Elisabet, ac liberi, totaque pene cognatio sumptu proprio fundamenta ipsius cœnobij iacentes, diuinarum legum perenni adhæsuri obsequio, pridem sese eo contulerant. Ibi per triennium B. Isaac sub regularib. disciplinis, seu sub reuerentissimo Abbate Martino prædictæ fœminæ fratre, in sancto proposito militans, exemplo diuinitus illustratus, forum adiens iudicem petiit, & ordine quo in præfatione libri disposui, felici obitu sub testimonio Domini nostri IESV Christi in eadē regia vrbe, 3. nonas Iunias, fer. 4. Era octingentesima octuagesima nona occubuit. Cuius corpus equuleo suspēsum, post aliquot dierum cum cæteris, qui eum imitādo decisi sunt, rapacissimo igni commissum, vsq; ad vltimam fauillam minutum est, ac deinceps amni perdendum immersum est.

1 2 *Tabanos oppidum. Tabanensē monasterium. Hieremias monachus martyr. Isaac martyris patruelis. Elisabeth Hieremiæ quondā uxor. Abbas Martinus.*

3 4 *Annus Domini Decclj dies Iunij. iij. Albense oppidum.*

1 2 3 *Annus Domini Decclj dies Iunij. S.*

1 *Petrus Astigitanus martyr.*

2 *Vualabonsus martyr.*

3 *Elephensis ciuitas quam oppidum appellat in fi. ca. 8. fol. 40. a*

Frugellus abbas. Cuteclarense cœnobium. Cuteclara vicus.

4 *Vicus Froniano.*

quam oppidum inf. appellat pag. 40. a.

5 *Literis incumbendi. lib. 1. inf. cap. 10. Meditationem prosequitur D. Eulogius sup. Vuistremundus martyr.*

6 *Monasterium Armilata S. Zoili dictum.*

7 *Armilatis fluuius. Habentius monachus martyr.*

8 *S. Christoph. monasterium.*

¶ De sanctio Martyre. Cap. III.

SANCTVS vero Sanctius auditor noster, laicus, adolescens, & Albensi oppido Galliæ comatæ olim captiuatus, nunc autem inter militares regis pueros liber præscriptus, & regalibus annonis nutritus, in eadem vrbe regia sub eadem professione, nonas Iunias, Era qua supra, feria sexta, prostratus est, & affixus.

¶ De Petro, Vualabonson, Vuistremundo, Habentio, & Hieremia martyribus. Cap. IV.

VENIAMVS nunc ad illum mysterij senarij sacratissimum martyrum globum, qui vno die, vnaque hora sub ictu seniētis mucronis ob testimonium veritatis occisi sunt.

E Quibus Petrus sacerdos in vrbe Astigitana progenitus, & S. Walabonsus diaconus ab Elephensi ciuitate exortus, vtrique prioribus cœui martyribus, Cordubam studio * meditanti adeuntes, liberalibus disciplinis traditi sunt. Sed Deo fautore scientia, & doctrina scripturarum pollentes, sub Frugello abbate monasterio sanctæ & gloriosæ virginis Mariæ præficiuntur. Quod in vico Cuteclara, non longe ab vrbe in parte Occidentali, præclaro ancillarum Dei proposito enitescit. Sanctus quoque Sabinianus ex vico Froniano montanæ Cordubensis, iam plenæ iuuentutis monachus, ortus. Et Wistremundus ex Astigia adolescens strenuus, è cœnobio sancti Zoili Armilatensi, quo dudum sub regula, vel abbate se dederunt: vnus à tempore longo in castris Domini militans. Wistremundus vero nuper se in idem cœnobium conferens, ad martyrium ambo discurrunt. Qui locus, pene à Corduba in parte Septētrionis triginta & amplius milliaribus distans, vastissimam horret inter deserta montium solitudinem: ad cuius collis radices, quo idem situm est, flumen Armilata discurrens, magno piscium solatio inediam refouet monachorum. Ex quo etiam Armilatense cœnobium appellatur.

BEATISSIMVS vero Habentius virili iam ætate perfectus, è ciuib. Cordubensibus monachorum vitam oblectans, S. Christophori monasterium incoluit, quod situm est in spectaculum vrbis, in parte Australi super crepidinem vlteriorem Bætis. Ibique seculo mortuus, Christo autem sub arctissima regula degens, vt pote spontaneo carceri se tradens, altis maceriarum sæpibus circumclusus, ferreisque laminis intus

In præfatione Lib 1. Et hoc 2. cap. 2.

ad carnem obſæptus, per feneſtras ſe aduentantibus exhibebat viſendum. Iſte talis ac tantus cum beato ſene Hieremia, de quo ſupra affati ſumus, quique etiam inter cæteros Dei ſeruos, acrioribus ſtimulatus flagris, occubuit. Hi ſex viri fortiſſimi, & præclariſſimi ſimul ad expugnandum hoſtem improbum deſcendentes, omnes quaſi ex vno ore clamauerunt, dicentes. Et nos ſub eadem profeſſione, ô iudex, manemus, qua pridem confratres noſtri ſanctiſſimi Iſaac, & Sanctius deciderunt: exerce ſontiam, crudelitatem exaggera, & in vltionem tui vatis totis exardeſce furoribus. Quoniam Chriſtum Deum veraciter confitentes, præuium Antichriſti, & authorem profani dogmatis vatem veſtrum eſſe profitemur. Vos q; lethali ſucco prophetiſmi eius infectos, & virulento prædicamine Zabuli propinatos, æterna poſtmodum luituros tormenta ſcientes dolemus: veſtramque orbitatem, & ignorantiam ſatis deflemus. Hæc cum animoſo Spiritu ſancti Dei profeſſi ſunt, ſtatim decollari iubentur. Prius tamē beatum ſenem Hieremiam, neſcio ob quam aſſertionem flagellis grauiter cæſum, & inter ipſa verbera (vt ferunt) emortuum, vix hærentem greſſibus foras traxerunt. Qui martyres dum ad locum mactationis accederēt, inuicem ſeſe quaſi ad epulas inuitarunt. Et primo quidem reuerentiſſimi Dei miniſtri Petrus, & Walabonſus ruentes, cæteri deinceps ſub eodem iugulantur momento, ſeptimo ſcilicet idus Iunias, feria prima, Era qua ſupra. Quorum corpora ſtipitibus defigentes, poſt aliquot dierum vaſtiſſimo conſummarunt incendio, eorumque cineres perdendos flumini tradiderunt.

Hieremias flagris cæſus.

Annus Domini Decclj. dies Iunij Sex.

¶ De Siſenando leuita martyre. Cap. V.

Pacenſe oppidum. S. Aciſcli baſilica.

1 DENIQVE leuita ſanctiſſimus Siſenandus ex Pacenſi oppido ortus Cordubam intuitu diſcendi auectus eſt, ibique apud beatiſſimi Aciſcli baſilicam, qua corpus eiuſdem martyris requieſcit, digniter enutritus, vt ipſe familiaribus retulit inuitantibus ſe beatiſſimis Petro, & Walabonſo, iam cœlo martyribus collocatis, martyrium quoque & ipſe aggreſſus eſt. Qui dum in carcere religatus maneret, tradunt, quod prophetico illuſtratus ſpiritu patibuli ſui horam præſcius nuntiauerit. Nam quodam die cum reſponſum cuidam amico ſe interroganti aptaret, eique reciprocationis ſchedam ſcriberet, tribus aut quatuor iam digeſtis verſiculis, ſubito nimia hilaritate perfuſus, cœleſti quodammodo gaudio vegetatus, è loco ſeſſionis ſuæ conſurgens, aſtanti puero ſchedulæ portitori, cui miles Chriſti reciprocari intendebat, ſemiſcriptam vt erat accommodans, multis audiētibus ait. Recede modo fili, ne impetu ſatellitum opprimaris, quoniam iam poteſtas tenebrarum vinculis me extrahere præcipiens, nunc decollandum ſibimet exhibebit. Poſt hanc prophetiā immobili ſemper greſſu ipſo perſiſtente eodem momento vociferantes lictores adue-

2 niunt, eumque præcipiti furore ad locum, quo martyrium erat conſummaturus, pugnis, alapiſque cædentes perducunt. Pergit Dei famulus lætantibus animis de corona victoriæ certus, qui ad cœleſte conuiuium exhortantibus ſanctis fuerat inuitatus. Siquidem namque iudici præſentatus, eâdem qua prius conſtantia in ſancta confeſſione perdurans, delicatus ephebus glorioſa morte peremptus eſt, atque inhumatus præ foris. patulij derelictus eſt, ſeptimo decimo Kal. Aug. feria quinta, Era qua ſupra. Cuius oſſa poſt multos dies donante Deo à quibuſdam mulieribus inuenta inter lapillos aluei, in prædicti martyris Aciſcli aulam deportata reconduntur.

Annus Decclj. Iulij dies 16. Sanguine, aut cognatione affinis, cum lib. 1. carne ipſum ſibi connexū dixerit, fratremque Eudoxium, eodem modo poſtea contribulem nominarit lib. 3. c. 13.

¶ Pauli diaconi Cordubenſis, & Theodemiri monachi martyrium. Cap. VI.

1 SANCTVS vero Paulus * contribulis noſter, & hic leuita digniſſimus, cū primo adoleſcentiæ flore venuſtaretur, è ciuibus Cordubenſibus progenitus, ſimplex affatim, obediens, & humanus, ſemper carceratis opem miſerationis impēdens, apud baſilicam, quæ corporis beati martyris Zoili prætentui illuſtratur, ſpiritalibus enutritus eſt diſciplinis. Qui exemplo ſanctiſſimi Siſenandi, verboque inſtructus, principibus, & conſulibus adſiſtere non extimuit, eoſque de vanitate culturæ ſuæ, & ſceleroſi vatis inſania arguens, Chriſtum quoque Deū veraciter confitendo, peremptus eſt. Fertur tamen, cum adhuc carcere detineretur, implo-

* *i. S. Zoili baſilica, & eius corpus. Idem etiam conſtat ex c. 17. eiuſdem lib 3. cum de Aurea à ſuis & contribulis inuiſitur.*

imploratus à Tiberino Pacensi presbytero qui ei ita dicebat, Obtine solutionem meã coram Domino, beate minister, & digno interuentu tuo, dum coronatus Christo peruenieris, longæuum à me carceris squalorem amoue. Erat enim idem sacerdos pene viginti annos ergastulo mancipatus, nescio ob quod crimen accusatus ab inimicis corã rege. Qui presbyter florentissima adhuc iuuentute præpollens, ac virili præditus venustate, illi subterraneo specui deputatus, pene decrepitus, & senio confectus inde eductus, publicis demum carceribus mancipatur. In his martyres Christi vsque in horam mortis degebant. In his parricidarum, homicidarum, latronum, & scortatorum improbi ausus, & execranda temeritas, ac diuersorum criminum rei sub arctissima macerabantur custodia. In his positus prædictus sacerdos, causam sui carceris beato Paulo commisit. Cui martyr sanctus de corona victoriæ confisus, satisfacere optioni eius promittens, non post multos dies martyrij sui fidelis sponsor eum carcere absolutum, Deo fautore, propriæ vrbi restituit. Consummauit autem Dei seruus martyrium suum in pace 13. Cal. Aug. fer. 2. Era qua supra. *Tiberium Pacensis.* *Anno Dcccl. die Iulij. x 5.*

CVIVS cadauer inhumatum, & ante fores palatij derelictum, post nonnullos dies, quorundam fidelium curiositate clam sublatum, cum beati Theodemiri Carmonensis monachi corpore, apud sanctuarium prædicti martyris Zoili conditum est. Qui & ipse iuuenis post sexta die qua sanctus decidit Paulus, id est 8. Cal. August. fer. 7. Era qua supra occubuit, regnante Domino nostro IESV Christo, qui sanctos suos adiuuit, & coronauit in pace in sæcula sæculorum, Amen. 4 *Theodemirum Carmonensis martyr.* 5 *Anno Dcccl. Iulij dies. x x 5.*

¶ Nunilo, & Alodia virgines & martyres. Cap. VII.

HVCVSQVE finem libri secundi esse decreueram, hucusque terminum sanctorum ad huiusmodi palestram currentium esse putaueram: Nec quemquam post tot discrimina Ecclesiarum, nostrumque carcerem talia certamina opinatus sum aggressurum. Verum quia sanctorum numerum præsaga diuinitas adhuc disponebat augeri talium professione, ideo postmodum quorundã mentes multiplici ardore inflammans, plures prioribus ad illud destinauit certamen. Et simili quidem voto ac magnanimitate cæteros imbuens, viros, mulieres, & paruulos ad exercitium præliorum suorum armauit (Nec quisquam ad talem, tantamq; præscriptus militiam resilire à certamine poterat. Cuius vocabulum cœlestis liber notatũ à principio sæculi retinebat, suasque vires adhuiusmodi palestram diuinis ausibus crescere cernebat.) Quorum nomina, ætates, gesta que bellorum suo loco ac tẽpore disponenda sunt. Prius autem illa sanctorum trophæa elucubranda sunt, quæ ratio & cursus mensium ordinatim vt acta fuerũt, adducit, licet in aliis regionib. gesta extiterint, Sed quia vna est confessio quæ vtrosque coronauit, idemque tempus quod vtrosque perferalem impietatem in cœlum præmisit: reor absurdum non esse, quod competens annotatio nostra sanctorum agminibus eos inseruit, & coelectorum cœtui adunauit. Vt pari magnificentia laudis à nobis attollerentur in terris, qui vno sunt adnotati codice in supernis. Hac de re actum est, vt breuitas succincta huius opusculi modum promissæ cõfiguitatis excederet. Et liber qui dudum parcius se loquuturum sperabat, aliis supercrescentibus eximprouiso rebus, in longam deuolueretur seriem scripturæ. 1

IGITVR referente viro sanctissimo, ac venerandæ paternitatis Venerio Complutensi Episcopo didicimus, in vrbe Boscal, apud oppidum Barbitanum duas sorores virgines fuisse (quarũ vna Nunilo, altera vocabatur Alodia) patre quidẽ gentili, matre vero Christiana progenitas. Quæ, dum post mortẽ impij parentis, mater earũ secundũ, & *gentilũ iniret connubiũ, nec libere possent fidem Christi tenere, obstante ceruicoso vitrici paganismo (iam n. animi puellarum à pio Christi fonte irrigabãtur) spreto materno cubili nutritione materteræ suæ fidelissime refouentur. Illico earum sancta infantia Christo Domino cœpit fideliter adhærere, & paterni oblitæ ritus, crucifixi religionem tenerrimis, & sanctificatis mentib. reponentes, illibate custodire. Et quoniã nataliũ insulis præpollebant, summisq; dignitatum fascibus enitescebant, non potuit delitescere vrbi illarum propositum, redolente, ac relucente conuersatione sanctæ fidei, quam gerebant. Siquidem primæuum adolescentiæ florem iam a pigerant, & to- 2 *Venerius Complutensis Episcopus. Bosca vrbs.* 3 ** i. Cum Mahometano marito.* 4 *Barbitanũ oppidum.* 5

tam pene prouinciam rumor ſanctitatis earum impleuerat. Cunctique ſtupebant geminum roſarum proſiliiſſe decorem ex vepribus. Hinc zelotypus hoſtis antiquus ſuorum membrorum dolens iacturam, dum per terrores præſidum inuido arbitratu poſſe immutari iam præſignatas ad thalamum ſponſi æterni confidit, dilatum præmium per mortes aſperas accelerando, virginibus ſacris adducit. Ideoque ſanctarum virginum cauſam inſtantia ſatellitum ſuorum præfecto vrbis inſinuat, qui illico ſuis eas aſſiſtere obtutibus iubet. Quas vana promiſſione munerum illicere tentans, ac perinde de rerũ copiis, & clariſſimorum iuuenũ connubiis adhortatur, ſi ab hac religione Chriſtianimos auocaſſent, propriis vtiq; natalibus redditę, inſuper multarũ diuitiarũ affluentia ditarentur. Si vero pertinaciori ſpiritu conſultum præſidis conculcaſſent, in vltimo die excruciatione tormentorum addictæ, ad vltimum gladio vindice interirent. Cui beatę virgines ſancto ſpiritu animatæ, conſtantes & intrepidæ, ſub vna confeſſione dixerũt. Quomodo nos præſes, à pietate Dei iubes auertere, quas pietas ſancta ſuo lumine perluſtrando fecit cognoſcere, nihil eſſe Chriſto diuitius? nihil fide Chriſtiana felicius? per quam iuſti viuunt, per quam ſancti regna vicerunt. Sine quo vita nulla eſt, ſine quo mors perpetua viget. Cum quo manere, & in quo viuere ſolatium verum eſt. A quo recedere æterna perditio eſt, à cuius conſortio iam nos in hac vita nullatenus diſcedemus. Quia ipſi integritatem noſtram credentes, eius quandoque thalamis ſperamus admittendas. Nam rerum labentium commoda, quibus nos illicere autumas, pro nihilo reputantes, eo intũitu ſpernimus, quia cognouimus omnia vana eſſe ſub ſole. Nec de pœnarum comminatione turbamur, quã ad modicum valere cognoſcimus, quinimo ipſam mortem, quam vltimo terrore proponis, eo gratiſſimo exoptamus affectu, quo credimus nos per illam incunctanter ad cœlum aſcendere, Chriſtum adire, eiuſq; inconuulſibiliter inhærere amplexibus. Quarum conſtantiam fidei præſes, virtutemq; profeſſionis aduertens, quibuſdam mulierculis profani ritus peritia præditis, ſigillatim eas inſtruendas commendat, & terroribus quibus poteſt, ne alternis, aut cuiuſlibet fidelium fulciantur colloquiis, admonet. Mulierculæ vero ſuſcipientes virgines Chriſti, ſacrilegi cultus quotidie venenoſum dogma eis exponunt, ac peruigili cura cœleſti iam manna refectis cloacæ putrientis poculum propinantes, caſſo conſumuntur labore. Sed hanc illarum pertinaciam præſidi referentibus mulierculis, poſt nõnullos dies virgines in forum eductæ, in ſpectaculum publicum conſtituuntur, & Chriſtum confitentes, & hoſtem fidei deteſtantes, ſub ictu gladij corruunt vndecimo Calendas Nouembris, Era qua ſupra. Quarum corpora loco, quo deciderant, derelicta ſummo militum obſeruantur ſtudio, ne Chriſtiani ad emolumentum patrocinationis furtim eas ſurriperent, & reconderent. Ferunt tamen, quod illa virginalia cadauera in loco, quo ab ethnicis altis ſcrobibus magis abſcondita, quam humata ſunt, ſignis & miraculis coruſcant, & gloriam emeritæ conſolationis virtutum efficientia tam fidelib. quam gentilibus oſtentant, per Dominum noſtrum IESVM CHRISTVM, qui viuit cum patre & ſpiritu ſancto vnus Deus in ſæcula ſæculorum. Amen.

Anno Dcccl. die Octobris. xxij.

¶ Vita & paſſio ſanctarum virginum Florę & Mariæ. Cap. VIII.

CVm ad laudem CHRISTI pertineat cultus reuerentiæ, qui martyribus exhibetur, reſponder tamen fidelibus in remedium animarum, quicquid religioſiter in feſtiuitatib. agitur beatorum, præſertim cum per hoc, & per ipſorum patrocinia, martyrum & ſummi Redemptoris acquiritur præmiũ, in cuius honorem virtutem recolunt ſanctorum. Ergo noſtrarum virginum Florę & Mariæ trophæa digeſturi inſignia, non facundiæ lepôri, non tonantibus euphoniis verborum ſeruiamus, ſed quod fidelibus ſimpliciter rei geſtæ veritatem inſinuet, obſeruemus: quia ſufficere noſtris credimus veritatem pura ſimplicitate digeſtam, quam vano infulatam cultu fallaciam. Et ſat nobis eſt fideliter referre quod fuit, quia non congruit ſub venuſtate ſermonis rem, quæ non extiterit, adhibere. Illibata namque veritas, quoquomodo proferatur, firmiori greſſu conſiſtit, & ornatiſſime fictum mendacium paululum perſeuerat. Nec patitur Chriſtus aſſertorem iuſtitiæ immunem eſſe benedictionis præmio, tum tamen reatu homicidij aſtringatur prolator mendacij.

HARVM igitur vocationem virginum, quæ dispari solo progenitæ, & pari mortis occasu cœlestibus adunatæ sunt, sigillatim exponi necesse est: & quibus modis vnaquæque earum prædestinatæ sanctificationis culmen attigerit, Deo fautore, saltim exili digeramus stylo.

PRIMVM igitur specie decoris, & venustate corporis nimium florens virgo sanctissima Flora, sed interiori habitu florentissima, matrem Christianam habens ex vico Ausinianos, qui ex parte Occidentali milliaribus octo à Corduba distat, purissimis & nobilibus (vt ità dixerim) perfunctam natalibus, patrem vero gentilem ex oppido habuit Hispalensi. Hi, nescio qua occasione propriis locis exules. Cordubam degendi gratia accesserunt. Qui ex vltimo partu suo hanc infantulam procrearunt, & sublato per mortem genitore, fidelissimæ genitricis tutela sponsa Christi nutritur. Quam pia mater sactæ religionis legibus imbuens, docuit fideli credulitate colere Christum Deum, qui per vterum Virginis Mariæ ad nos vltimo tempore veniens, & per assumptam humanitatem hominibus proximus factus, per ineffabilem quoque Deitatem suam inuisibilis, incomprehensibilis, & inæstimabilis semper extitit. Venerabilis namque puella tenerrimis annis fidei pietatem ebibens, cœpit intra mentis recessum altare sanctum construere, quo placita operum bonorum holocaustomata Christo semper offerret. Quæ ab ipsis rudimentis infantiæ cunctis se vanitatibus sæculi priuans, totum quod illa ætas (vtpote plenitudine scientiæ expers) puerilitèr affectat, superho iam delibuta tore conculcat. Nam quodam tempore cum genitricem eius adirem causa dignoscendi principium huius puellæ conuersationis, ipsa genitrix inquit. In veritate vobis loquor, quod ab ineuntibus annis Christi amorem pectore suo recondens filia mea, sæcularium oblectationum cultum vsquequaque spreuerit; ac semper quæ Dei sunt, corde meditari studuit: semper opera sancta adimplere non distulit. Adeo vt in infantia sua, cum diebus quadragesimæ paruitati eius consulens, siue vt illa ætas contigua robustius conualesceret esu quotidiano, competenti prandij hora cibum ei porrigerem: illa in virtute Domini positum habens cor, egentibus eum ministrans, furtim beatum exercebat ieiunium. Sicq; diebus singulis ipsa agente, pene maximum abstinentiæ tempus elapsum erat, cum clandestina infantis deuotio vix quibusdam reuelatur indiciis. Quam talibus inhibere votis ipsa obnitens; ne priusquam illud tenerrimũ corpus adolesceret, marcore abstinentiæ quassaretur, coacta sum iam ad epulum suadere diurnum. Eam tamen non potui prouocare ad vescendum, nisi sero, & commonitione continua: perfecit tamen votum suum electa Christi sponsa.

Ex eo tempore mater solerti vigilantia sobolis mores procurans, eamque in omnibus rebus Christo assignatam esse considerans, nullatenus deinceps contraire piis puellæ affectibus audet. Venerabilis vero puella Deo duntaxat placere studens, prouida obseruatrix Euangelij attendebat Christo monenti, & dicenti: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Ita purissimum cœlestis executione præcepti introrsus præparans habitaculum, nihilominus sanctæ & individuæ Trinitatis quotidiano frui meretur aduentu.

VERVM dum exercitio sanctitatis id, quod clam meditabatur, vberius in amorem Christi proficeret; lætaturque se Christo per eandem religionem perennius esse ascitam: nec tamen passim fidelium interesse conuentibus auderet, eo quod fratrem pestiferi dogmatis perfidum haberet cultorem; qui eius assidue conuersationem exploraret: vt ipsa erat natura prudens, & callens ingenio, didicit à sapientibus nihil proficere obscuratam credulitatem, & celatam confessionem Trinitatis; præsertim cum scriptum sit: Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem. Et iterum in Euangelio: Omnis qui confitetur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui est in cœlis: & qui negauerit me coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo, qui est in cœlis. Igitur instructa vtiliter quomodo se in confessione nominis Christi haberet; sciens q; non leue esse discrimen latenter credere Christum, & publice existere vexillo Sathanæ denotatam, matre hinc inconsulta domum relinquens; clam cum sorore sua fugam iniit. Seseque tutioribus locis inter Christicolas collocantibus, sæuissima infectatione frater earum (quem supra meminimus) propter illas Dei lacerat Ecclesiam: adeo vt nonnullos clericorum carceri tradens, conuentum vbique religiosarum fœminarum persequeretur. Et cum agnoscerent infestationem, quæ erga sortem Domini grassabatur; indignum diiudicantes se esse tutas, & Ecclesiam Dei vapulare: illico sancta Flora, quæ se nouerat ad tale

a Hispalensis ciuitas.

b Flora mater ad diuinum Eulogium.

Quadragesima obseruatio.

c Flora frater impius.

Ad Rom. 10. Matth. 10.

d Flora domũ fugit.

Domum reuertitur.

3 præsum diuinitus fuisse electam, publico regressu in domum reuertens, ait: Ecce ego, quam quæritis, adsum, in medio vestri, pro qua Dei sortem insectamini: adsisto intrepida, Christo credula, religioni fauens Catholicæ, stigmata crucis gerens, & omnium, quæ cultum pietatis insinuant, affectatrix. Vos modo (si potestis) hanc eneruare confessionem: satagite crudelioribus tormentis fidem meam euincere: & (quod fieri omnino dubito) à Christo me separari contendite: pro cuius amore quicquid ad supplicium meum sæuus imploderit arbiter, gratissimis decreui animis supportare. Tedo probabitis me inter pœnas fortioris pertinacia, quam nunc in prima congressione, Christum IESVM confiteri.

Frater impium Floram accusat.

FRATER autem eius ille peruersus hæc audiens, cædibus ac minis interdum, & blandis eam nitebatur reuocare sermonibus. Sed cum cerneret, nihil conatum suum proficere, quinimo se quasso aspiciens labore consumi, ad iudicem eam pertrahit, dicens: Hanc mihi sororem, ô iudex, vltimus partus matris eiecit, quæ simul mecum ceremonias legis venerabiliter excolens, debitum semper erga cultum fidei nostræ obsequium exhibebat: sed Christiani crebro eam vrgentes instinctu, vatem nostrum abnegare, ritumque detestari fecerunt, & quadam lenocinatione Christum esse Deum credere illexerunt. Quam iudex vtrum se sic haberet illa delatoris germani quæstione scitatur. Extemplo ipsa fratrem impium abnegat, cultumque Mahometanum se nullatenus nouisse testatur: & adiungit: Christum ab infantia mea noui: ipsius documentis instructa sum: ipsum habere Deum decreui, ipsique integritatem corporis mei, eius olim thalamis oblectanda, promisi. Hæc vbi virgo sanctissima protulit, mox sacrilegum pectus iudicis furor immanis exagitat, & in cædem martyris iram admouens, inter vtrumque satellitem apprehensis manibus eam extendi præcepit, diroque verbere caput eius pertundens, tamdiu flagris insistit, quousque decisa cum cæsarie cute, ac verticis nudum pateret. Perdurat nihilominus adolescens martyr & virgo in sua confessione. Tunc iudex semiuiuam, & pene exanimem impio fratri eam delegans, admonet, vt confota medicamine, & verbo legis instructa sibi demum, nisi se conuerteret, præsentetur.

Flora in capite pro Christi confessione percutitur.

PERDVCTAM deinde in domum suam Christi virginem hostis, non frater, ille iniquus, domesticis eam fœminis demulcendam fomento, & verbo committit, ma-
4 gnis solummodo trabibus catenarum seras mansionis obtrudens. Quia ingenti maceria totius prædioli ambitus præmunitus, omnino de nulla euadendi sollicitudine quemquam arguebat. Ideoque non post multos dies, vulneribus expiata fortis Flora,
5 cum se sospitem esse sentiret; quadam nocte, per contiguum infra cortem domui hærens tugurium, celsum parietem iuuante Domino scandens, inde se foris plateali solo proiecit. Quæ nullo stimulata dolore, cœpit per tenebras noctis angelico comitante ducatu, quo Dominus vellet ingredi: sicque cuiusdam fidelis inter illud chaos nocturnum hospitio recreata, cum aliquandiu ibidem commaneret, deinceps præclarum

Tuccitana vrbs. Offaria viculus.

6 7 Tuccitanæ vrbis viculum Offariam intuitu latendi petens, ibi cum * sorore sua vsque ad tempus, quo martyrium consummauit, delituit. Et ego, ego ille peccator, ego diues iniquitatum, qui à principio martyrij sui amicitia eius fruitus sum, combinatis manibus meis cicatrices reuerentissimi & delicati illius verticis attrectaui, quum ictibus flagellorum virginalis coma elapsa fuisset.

** Baldegotone sine dubio ad quam post Floræ martyrium ipse S. Eulogius epistolã dedit, infra pag. 104.*

VERVM quia Deo fautore beatæ virginis Floræ auspicium conuersationis a martyrij adnotatum est, operæpretium reor, si itidem sanctæ virginis Mariæ & martyris processum natiuitatis, primordiaque religionis edisseram. Vt quibus pat fuit consensio præliandi, idemque assensus pro iustitia moriendi, consimilis extet in relatu vocationis etiam huius virginis intentio calami. Huius pater ex oppido Eleplensi nec infimus prosapia, Christianus tamen huc aduentasse perhibetur. Qui ex genere Arbum coniugem ducens, totius impietatis errore eam emundans, Christi fidei consignauit. Quapropter cum eadem coniuge proprium incolere aruum non valens, per diuersa profugus agitur, quousque diuino gubernaculo ad oppidum Froniano pernenit, qui in montana Cordubensi in parte Occidentali duodecim ab vrbe milliariis distat, vtroque pignore comitãte, quod ex ea susceperat, Vualabonso scilicet, & Maria. Ibi vitam suam pro viribus sustentarunt. Ibi mulier illa luporum ereptra faucibus, in fide Christi perseuerans, post nonnullum tempus in Domino requieuit. Ibi superstes vir gradu confessionis potitus, arctissimum vitæ perennis callem gaudiis oblectandus cœlestibus ingreditur. Sed puerum ecclesiasticis regulis educandum, sortique Dominicæ admiscendum piæ memoriæ Saluatori presbytero tradidit, qui tunc præclaro regimine san-

Eleplense oppidum, quod sup. fol. 35. ei ciuitatem appellauit.

Froniano oppidum, quod supra Vicum dixit.

Vualabõsum postea martyr.

Saluator presbyter.

ne ſancti Felicis monaſterium, quod in eo loco fundatum eſt, gubernabat. Sanctam vero hanc virginem Deo deuouens, Cuteclarenſi cœnobio, quod glorioſæ & ſemper Virginis ſanctæ Mariæ genitricis Domini fulget memoria, conſignauit, conſtituens eam apud quandam ſummæ ſanctimoniæ fœminam Artemiam nomine. Quæ & ipſa geminum pignus per martyrialem obitum olim cœlo promiſerat, Adulphum ſcilicet & Ioannem, qui in primordio regni principis huius viriliter de hoſte triumpharunt. Quorum inſtar ſyderum cœli geſta micantia ad emolumentum Eccleſiæ ſanctæ, & exemplum debilium, ſenex & magiſter noſter, atque illuſtriſſimus Doctor (de quo in libro primo meminimus) beatæ recordationis & memoriæ Speraindeo Abbas ſtylo latiori compoſuit. Artemia igitur gratia ſanctitatis, prouectæq; ætatis, ſeu obtentu martyrum filiorum, cæteris in eodem cœnobio commanentibus fœminis antecellens, totius monaſterij virginalis conuentus iuſſu authoritatis eius intendebatur. Docuit autem puellam, ſicut ipſa nouerat Deo ſeruire, in omni humilitate, caſtitate & obedientia, & timore Domini animum eius exercens. At non poſt multum tempus prædicto ſacerdote Saluatore mundo recedente, puerum etiam ad ſe nutriendum pater reduxit. Qui duo futuri martyres gratia Spiritus ſancti in Dei timore magnopere proficiunt. Tandem vero per gradus eccleſiaſticos adoleſcens ille Vualabonſus ſucreſcens, honore diaconij fungitur: pollente nihilominus in omni honeſtate religionis ſanctimoniali puella: cum ſe nimia charitate diligerent, & alternanti germanitatis dulcedine in omni dilectione ſpiritali ſibimet inuicem obedirent. Quia vero præcedebat ætate virgo ſanctiſſima adoleſcentem germanum, loco genitricis ſoror ab eo excolitur, & in prolis affectum commutauit fraternum amorem.

Sancti Felicis monaſterium.

Cuteclarenſe cœnobium.

Artemia Adulphi & Ioannis martyrũ mater.

Speraindeo Abbas.

Saluator presbyter moritur.

Vualabonſus diaconus factus.

IGITVR dum inter eos hæc aſſidue gererentur, diſpenſante Deo, leuita dignißimus Vualabonſus cum beato Petro preſbytero, ſeu cum cæteris confeſſoribus (ſicut ſuperius comprehenſum eſt) martyrio coronatur. Et qui æuo vltimus erat ſorori, fit primus electione martyrij. Denique remanet deſtituta præſentiali ſolatio fratris Chriſti ancilla, quæ ante mundi conſtitutionem ad martyrium prædeſtinata, intus extraque ſemper tuebatur intercessione fraterna.

Vualabonſus martyr.

ET (vt ſe habet conditio fragilis) cum crebrius fraternum ſuſpiraret obtutum, cuius in proximo fruitura erat conſortio, per quietem quandam ſanctus martyr, quandam admonet religioſam, vt iam ſoror Maria pro ſe plorare deſiſteret, quoniam vicino tempore ad eum in ſupernis eſſet ventura. Ex eo die vritur cor virginis amore martyrij, & quæ fratris obitum impatienter lugebat, ſubito diuinitus illuſtrata, impatienti ardore ad martyrium anhelat. Quodam igitur die, inuitante (vt credo) Chriſto monaſterium derelinquens, forum petitura deſcendit, quo ſicut cæteri martyres, qui iam cœleſti præmio oblectabantur, hæc quoque virgo Chriſtum confitendo, & fidei ſanctæ aduerſarium repellendo, corona martyrij potiretur. Quæ dum eccleſiam beati Aciſcli martyris, in ipſo adhuc itinere poſitã, intuitu Dominum obſecrandi intraſſet, Dei nutu ibidẽ ſanctam Florã in ſuffragio ſuo precẽs martyrũ aduocantem inuenit. Quæ & ipſa Chriſto dicenti ſibi, iterum venio crucifigi, rediuiuo præliandi ſtudio calens, olim cœpti martyrij palmã è loco latibuli ſui alacris inuentura deſcenderat. Tunc, ſe inuicẽ datis oſculis ſalutãtes, alterno conſultu explorant ſe. Et cum vnum idemq; votũ ſuum exiſtere mutua proderet cõfeſſio, dimidiante Chriſto qui dixerat: Vbicũq; fuerint duo, vel tres, in nomine meo congregati, ibi ſum in medio eorũ: illico indiſſolubili fœdere charitatis nectuntur, nulla ſe ab inuicem occaſione diuellendæ, nulla intercedẽte fortuna diſcendæ, nulliſq; ab alterutro, quamuis ſæuiſſimis imminentibus caſibus, diſparandæ, qui ad interitum earum pro confeſſione veritatis exaggerarentur, quouſque & iſta Chriſtum, & illa in cœleſtibus fratrẽ adiret Vualabonſum. Sicq; in ipſo impetu iudicijs aſſiſtentes, ita firmiori alloquutione prima (vt reor) ſanctiſſima Flora eos aggreditur, dicens: En ego illa ſum, quæ pro eo quod gentilitio ſemine procreata Chriſto adheſerim, dudum à vobis, vt eum abnegarem, diro verbere lacerata ſum. Quæ hactenus infirmitate carnis* huc illucq; profuga deliteſcens, nunc iam in virtute Dei mei ſubnixa veſtris adſtare non verens prætoriis, eadem, qua primũ, conſtantia Chriſtũ Deum in veritate profiteor: ſceleroſumq; dogmatiſtam veſtrum pſeudoprophetam, adulterum, magum, & maleficum eſſe proteſtor. Tunc deinde virgo venerabilis Maria diffuſione cœleſtium gratiarum ſanctificato protulit ore. Et ego iudex, olim inter illos conſpectores magnificos habens germanum, qui non leui ſubſannatione vatem veſtrum inſultantes occubuerunt: ſimiliq; audacia Chriſtum eſſe in veritate Deum aſſerens, ritum veſtrum legiſq; ceremonias dæmoniorum figmenta eſſe profiteor. Extemplo fæ-

Sancti Aciſcli eccleſia.

Matthæi 18.

Flora & Maria iudicibus ſpõte ſe offerunt.

**per integrũ ſexennium à fuga ſua tempora, vt infra in documẽto Martyriali, pag. 926.*

uissimus arbiter vesano concitatus furore, sub voce illa terribili frendens, virginale propositum asperrimo deterret boatu: minis exprobrat: clamoribus arguit, adiciens carceris squalorem, & contubernium scortorum.

SVSCIPIVNT denique abdita carceris sponsarum Christi membra tuenda magis, quam eliminanda, quæ semper pudico honestata decore ab ipsis cunabulis actu sanctimoniæ præpollentes, præcipua virtutum gratia reluxerunt. In quibus aliquandiu sanctæ virgines permanentes, insistunt ieiunio, orationi incumbunt, totumque in horrorem ergastuli cœlestium meditatione hymnorum expediunt. Tunc nos etiam ex antro deducti, cum isti carceri deputarentur, Deo fauente ad instructionem illarum librum, documentum martyrij, condimus. Eisque iam penè à proposito suasione quorundam latentibus, in solatium meditandi & consummandi prælia inchoata, dicauimus. Connectentes in finem opusculi orationem suo certamini, omnique ecclesiæ congruentem.

10 *D. Eulogius in carcere positus scribit ad sanctas virgines.*

IGITVR permanentes in laudibus Dei, & sacratissimæ virginis, post tertiam admonitionem prosternendæ in forum eductæ sunt. Taceam iudicis scitationem vicibus allatam eis, vel vna, vel sigillatim ad beatissimam Floram, sicuti iam alibi digessimus. Et intuitu mediocritatis aliquid silentes, ne fastidium protractus sermo legentibus generet, mors virginum pretiosa stylum comperenti fine coarctat. Inde præcipiti ducatu ad locum decollationis ductæ, sacra signacula vultibus imprimunt. Et sic extensis collis, post beatam Floram, sancta Maria prosternitur. Quorum corpora canibus

11 deuoranda, ac volucribus discerpenda ibidem relinquentes, alio die in flumen proiecerunt. E quibus cadauer sanctæ Mariæ virginis & martyris, cœnobio Cureclarensi, à quo ad martyrium descenderat, donante Deo reponitur. Cum tamen corpus beatissimæ virginis & martyris Floræ, quo situ Dominus reposuerit, penitus ignoretur. Capita vero illarum in basilica sancti Acisculi martyris reconduntur, quo præsentiali corporis sui fauore populos Christianos tuetur.

Cureclarense cœnobium.

Basilica sancti Acisculi et eius corpus.

VLTIMO tantummodo historiæ loco insinuare curamus, quod priusquam virgines beatæ decidere, quibusdam consororibus promiserunt, quod eo ipso, quo Christo coronatori suo assisterent, obtentu adeptæ gratiæ sponsum precantes, nos vinculis liberarent: quod ita Deo fautore peractum est. Nam ille octauo calendarum Decembris martyrium consummantes, nos tertio earundem calendarum compedibus resolutos, ab squalore carceris eruerunt. Era qua supra, per Christum Dominum nostrum, qui viuit cum Patre & Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

Dies Nouembr. 24. D. Eulogium carcere eductum. Annus Domini Decclj. Nouembris, dies 29.

¶ *Gumesindus Toletanus, & seruus Dei, Cordubæ passi.* *Cap. IX.*

Toletum.

SAnctus Gumesindus presbyter ex oppido Toletano olim cum vtroque parente puer adhuc paruulus Cordubam veniens, votiuo genitorum affectu per sacrum clericatus ordinem cœlesti ascriptus militiæ apud basilicam sanctorum trium, qua Faustus, Ianuarius, & Martialis martyres præstantibus corporum suorum fauillis quiescunt, digna pædagogorum educatione in Dei more claruit. Vbi post aliquod tempus in sancto diaconij ministerio consecratus, virum cuiusdam Campaniæ Cordubensis ecclesiæ sacerdos adolescens præficitur. Is ad vrbem descendens cum beato Seruo Dei monacho, qui tunc in supradicto sanctuario adhuc iuuenis cum Paulo presbytero reclusus manebat, principibus, & iudice ambo assistentes, sub confessione cæterorum occubuere, idibus Ianuarij, Era octingentesima nonagesima. Quorum corpora furtim à Christianis sublata, in basilica sancti Christophori martyris, quæ est vltra amnem in parte meridiana, religioso cultu recondita.

1 *Faustus, Ianuarius, & Martialis et eorum basilica.*

2 *Campania Cordubensis, & eius Ecclesia.*

Seruus Dei.

3 *Paulus presbyter.*

4 *Annus Domini Decclxiij. dies Ianuarij. Sancti Christophori martyris basilica.*

¶ *De sanctis martyribus Aurelio, Felice, Georgio, Sabigothone, & Liliosa.* *Cap. X.*

1 VIt præterea quidam iuuenis nomine Aurelius, natalibus, & rebus plurimis antecellens. Hic in infantia matre Christiana, & patre gentili orbatus, tela amitæ suæ fidelissime vsque in annos adolescentiæ fouebatur, doctusque Christum veraciter credere Deum: nec præter Ecclesiam viam, & iter regni cœlestis alibi posse reperiri, imbuitur. Quod documentum

rabilis puer apprime ebibit, ita vt licet Arabica erudiendus literatura traderetur cogentibus affinibus; infontibus tamen præfixam cœlitus animis fidei ſanctæ notitiam nulla vanitatis figmenta immutare quiuerunt: ſed corde ſemper Chriſtianiſmum ſuum retentans, cum ad ſolam deriſionem * meditationi perituraru inſiſteret literarum, eo amplius in amorem Chriſtianæ fidei exardeſcebat, quo liquidius deliramenta peruerſi dogmatis probans, ſubtilem dæmonioſi illius fallaciam aduertebat. Et cum non poſſet publice cultum fidei gerere, vbique tamen Dei ſacerdotibus ſeſe commendans, pro ſe efficacius exorari poſcebat. *ſtudio. ſup. cap. 4. pag. 3. b.

INTEREA prouehitur in annis iuuenilibus ſtrenuus adoleſcens, & florentibus genis virili facies exornatur decore. Hinc adhortatione affinium condignum ſuæ nobilitati connubium appetere cogitur. Hinc vnuſquiſque ſuorum, prout nouerat, illius, vel illius optimam eſſe ſobolem aſſerebat: ipſe autem interius aliter ruminans, Chriſto ſui connubij negotium committebat, crebris interuentibus precum cœleſte numen exorans, vt talibus præpollens votis coniux ſibi daretur, quæ ſecretum ſuum in melius proficere contenderet, faueretq; mente & corpore cultori latenti. Cuius fauore tandem adiutus reperit honeſto germine virginem conſtipatam, rebus inclytam, moribus comptam, ſpecieque pulcherrimam. Quæ cum præcipuo venuſtatis habitu extrinſecus decoraretur, præſtantius tamen introrſus ſpiritali enitebat decore. Quia omnis gloria filiæ regis ab intus, id eſt in penetralibus mentis. Ibi enim ſanctitate, in fimbriis aureis varietate ſcilicet amicta virtutum Chriſto regi placitum exhibebat famulatum. Hæc namque puella parentibus paganis progenita, adhuc cunabulis incubans, patre orbata eſt. Cuius genitrix alium virum ducens, qui fidem Chriſti occulte retinebat, coniugem impietatis errore extirpans, priuignam Chriſto aſſignare ſtuduit, eamque ex ſacramento Baptiſmatis Sabigotho appellans: licet publice paganis admiſcerentur, geſtabant vero animo firmiori vtrique pietatis religionem. Hanc ſibi puellam venerabilis iuuenis iure coniugalitatis aſciſcens, completis ſponſalium titulis, arrarumq; pignore alternanti in inuicem exhibitione contradita legitima, ad vltimũ miniſterio ſacerdotum ex more ſacrantur, ſicq; pari commercio aliquo tempore clancule fidem Chriſti gerentes, non omnibus arcanum ſuæ fidei reuelabant carnis infirmitate depreſſi, non diminutione vtique voti. Pſalm. 44. ibidem. Matrimonium inter Gentium & Exorem alterius religionis, ſup. 37. b. Sabigotha Aurelij Exor.

FVIT autem beato Aurelio proximus genere vir quidam nomine Felix, ſancta inſuper eidem dilectione connexus, qui occaſione diaboli in fide vacillans, cum poſtea lapſum præuaricationis ſuæ altius ſuſpiraret, vltra non potuit patulo congreſſu religionem Chriſti exercere. Qui & ipſe filiam occultorum Chriſtianorum nomine Liliosam in coniugem ducens, Chriſtum in abditis tectius excolebat. Quapropter inconuulſibiliter inuicem adhærentes, ſemper vnam habuere familiaritatem, eandem geſſerunt dulcedinem, nec proſperis, nec aduerſis caſibus ſe diſparantes, idem illis extitit affectus: tantaque illa pietatis neceſſitas in vtroque fratre perfectionem contulit charitatis, vt nec vita, nec morte diuiderentur, quos par religionis occaſio glomerauerat, de quibus merito enarrandum eſt: Sancti, amabiles, & decori, quomodo in vita ſua dilexerunt ſe inuicem, ita & in morte non ſunt diuiſi. Felix Aurelij propinquus. Liliosa Felicis Exor. 1. Reguin 1.

EXACTIS igitur non plurimis annis accidit, vt eo die in forum proficiſceretur Aurelius venerabilis, quo Ioannes ille (cuius in priori libro meminimus) odio nominis Chriſti vſque ad necem verberibus cruentatus, retrorſum aſello euectus, immenſoque vinculorum pondere coarctatus, vt in parte ſtramentum reclinaretur iumenti, qua eius crura pendebant, præcedentibus illuſorum præconibus, totam circumeundo vrbem ſatellitum miniſterio ad ſpectaculum vulgi perractus eſt. Et cum hinc inde voces exprobrantium reſultarent dicentes, nullatenus dignam ſui ſceleris pœnam eundem adhuc perſoluiſſe, quippe quem tantæ reuerentiæ vatem ſubſannatione impetere non verentem, plectendum potius morte turpiſſima congruebat: extemplo futurus belliger amore compunctus martyrij, cœleſti quodam modo flamine aſpiratur, vt illud pro ſe fieri ſpectaculum crederet, cauſaq; admonitionis ſibi fuiſſe oſtenſum, ne ſcilicet formidare deberet eos, qui corpora trucidant, cum nihil anxietatis animabus poſſint inferre, ſed illum potius pertimeſceret, qui poteſt corpus & animam perdere, & mittere in gehennam. Cuius fidei ſtabilitatem admirans: vere, inquit, ſuper angelicam petram tabernaculum credulitatis huius viri fundatum eſt, quod tanta vis tormentorum non impulit, nec labilium pœnarum aura concuſſit. Quod ſi qui vexillum Chriſti relatis gerit aſpectibus, tot ſeria cruciamenta zelo Redemptoris ſuſtinuit, cum vtique eadem illius ſupplicij præuaricando poſſet euadere: & melius carnis ſuæ iacturam, Ioanni confeſſori. Matth. 10. Aurelius de Ioanne confeſſore.

quam perniciem animæ iudicans, non ſe paſſus eſt ſub vnius vocis articulo à Chriſti religione abſtrahere: quibus me ego dignum conuitiis credam erudiendum, vel quo me arguendum ſupplicio debeo tradere, vt vigorem illius damnati, quem hodie intuitus ſum, capiam, fruarq; conſtantia?

HÆC, dum crebreſcentibus ſupernis iam vocationis ſuſpiriis, ruminare animo cœpiſſet, regreſſus domum retulit piæ ſodali cuncta, quę viderat, lætoque ſpiritu addit. *Aurelius ad Exoram.* Tu ſemper dulciſſima coniux, cum ego mihimet viuerem, & Deo mortuus eſſem ſedulo me adhortata ad confeſſionem trahebas: inſtabas quotidie me ſæculi voluptatibus nitens auellere: tenebroſis mundi affectibus felicitatem æterni regni præferebas, labentia cuncta, & omne quod fine arctatur, ſuadebas relinquere: prædicabas monachos, mundum renuntiantes laudabas, religioſarumq; conuerſationem oblectans, vitam ſæpius ſuſpirabas ſanctorum. Sed ego necdum ſupernæ gratiæ compunctione luſtratus, omnino ſalutaribus non poteram acquieſcere hortamentis, aut forte correctionis meæ præfinitam à Deo patre nondum inſiſtens admonitionem, differebam *2. Corinth. 6.* operibus exequi, quod, licet tenuiter, animo meditabar. Ecce iam nunc, chariſſima, tempus acceptabile venit: adſunt dies ſalutis, in quibus à retroactis, & exterioribus reſilientes, in id quod manet eſt, nos extendamus. Et primo omnium munditiæ, & continentiæ perfectius ſtudentes, vacemus orationi, quo facilius ad reliqua ſanctitatis induſtria properemus. Fiat nunc ſoror, quæ extitit coniux: in affectu germanitatis thorus noſtræ coniunctionis pertranſeat: proficiant ſoboles animarum: ſubcreſcat ſpiritualium generatio, & ſpreta glutinatione membrorum cœnoſa, nouerit mens præſtantius (adempta carnis delectatione) perpetuæ incolumitatis producere germina. Vt quoquo modo condigni martyrij præmio habeamur talium meditatione laborum.

SVSCIPIT lætantibus animis venerabilis mulier pium viri conſultum, gan- *Sapient. 5.* denſq; multipliciter in ſubitatione inſperatæ ſalutis, hæc eſt (ait) immutatio dexteræ altiſſimi: hæc ſunt iam noſtræ vocationis auſpicia: hæc ſunt, quæ ſemper optabam, æterni regis commercia: vt carne morientes, viuamus ſpiritu, quo illi facilius vniamur, *Ioan. 4.* de quo ſcriptum eſt: Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Quamobrem, Domine mi, quia hoc tibi non humanitus reuelatum eſt, ſed pater cœleſtis te olim ad æternum preſcriptum militiam, concitis vult iam greſſibus properare: cunctis nos vinculis abſoluamur, excutiamur à puluere, deſiderio vitæ perennis ſurgamus.

FIT itaque vtrorumque communis in Dei ſeruitute aſſenſus. Diuiduntur cubilibus: votis conciliantur. Præfulgent lecticuli fulcra veſtium, colorumq; varietate, quę ſuam conuerſationem vulgo celarent. Illi autem in interioribus angulis tabernaculi * Hiſpaniſſuper ſtructum * crudo latere thorum hiſpidis tantummodo inſtructum cilicijs * diſmum, pro nul- pares incubabant. Ieiunabant ſæpe: ſine intermiſſione orabant, & quoſcunque nolo ſtragulo, aut Goſte- rant pſalmos, noctu meditabantur. Vincebant tenebrarum chaos interiecto vigiliarum ſtrato. labore, omnemque dæmoniorum fraudem talibus euincebant ſtudiis. Miniſtrabant * Seorſum, egenis: curam pauperum omnino gerebant. Et quoniam adhuc iam dictus Ioannes alter ab al- carcere detinebatur, nos quoque ex antro educti his vinculis detinebamur: vtraque tero. etiam virgo, Maria ſcilicet & Flora, tunc fœminarum latibulis cauſa fidei incolebat. Ioannes confeſſor. aderat frequens eorum erga compeditos diſcurſus, ex eo videlicet tempore quo beMaria & Flora. tus Iſaac monachus, ſeu cæteri ſancti, qui præditam veritatis præconio linguam, prinIſaac mart. cipibus, & iudicibus confeſſuri, quæ vera ſunt, aſtiterant, & propter eandem veritatem occubuerant. Quorum conſtantia perdurabili, multiplici virtutum robore horum auctæ ſunt vires. Nam ille viros perluſtrans, illa ſuis rerentas clauſtris fœminas requirebat.

Eulogium Aurelij docet. IBI ego eum agnoui: ibi amicitiam eius adeptus ſum, ibique ſe à nobis inſtitus deprecatur, quid agi deberet tam de rebus, quam de gemino pignore, quod Deo donante acceperat. Si liceret tales deſtitui, quas vtique poſt necem ſuam profano tradendas ritui altius condolebat: vel ſi illam diuitiarum copiam protinus fiſco agglomerandam, inordinatam relinquere congruebat. Cui cum omnia intuitu regni cœleſtis, & cauſa retributionis æternæ non ſolum relinquenda, verumetiam fugienda ſoror cenſerem, potiſſimumq; ſuarum potius animarum, quam liberorum eſſe commodis conſulendum, quibus vtique Chriſtus vindex pater, & tutor eſt, nihilque prorſus rerum temporalium præponi debere deſiderio Redemptoris, ſeu fruendi ſanctorum conſortio docerem, confeſtim ſubiunxi: Si prouida facilitas ſuppetit, qua hæc omnia magiſtra intercedente diſcretione, ordinentur: vtile primo iudicamus ſobolem ruti-

riloco transponi, vbi Christo liberius assignetur: rebus quoque iuxta mandatum Domini venditis pauperibus erogati, quo expeditior vobis pateat deinceps post Christum ingressus. Sic denique veritas sancta scisciranti se iuueni quatenus vitam æternam possideret: Si vis (inquit) perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus: & veni sequere me, & habebis thesaurum in cœlis. Sed etsi pars aliqua in * stipendium relinquatur infantium, culpabile esse non poterit, quod multa patrum insinuant documenta. Ideoque si ad hanc dispensationem potestis attingere, optima res, & perfectius opus est: quod vos omnibus expeditis negotiis securius ad militiam cœli ire compellet. Sin vero quorundam difficultatum repagulis oblatrantibus, hæc dispensatio reuellitur, & nulla interest libertas, qua hæc indulgentissime suppleantur, (præsertim cum magis ex aliquo perturbationes emergere formidatis, quæ vestræ intentioni obsistant) non cunctandum est spernere patrimonium, quod multo melius & latius in cœlo, quo vos nitimini proficisci, reperitur. Non filiarum affectus societati sanctorum est præponendus, cum & illas potest Deus in sæculo enutrire, qui compactauit in vtero, siquidem ei prouida de omnibus cura est. Non omnes paruuli parentum industria refouentur, nec cunctæ proles nutritio educantur labore. Nascitur homo, orbatur in cunabulis solatio genitoris, non tamen Creatoris gubernaculo destituitur, qui est pater orphanorum, & iudex viduarum. O quam multi paruuli, nutricum cura delicatius educati, in deteriora deueniunt? quam plures pupilli ab horribili egestate in magnarum affluentiam opum excrescunt, & fiunt multarum domini rerum, qui vix pauperrimo pane prouecti sunt? Multi ex Christianis progeniti, præpediente deliquio, ecclesiæ membro priuantur. Et nonnulli filij paganorum, præueniente gratia Domini, ad redemptionem fidei salutaris recurrunt. Nec istis sacrilegium obest parentum, nec illis prodest religiositas genitorum. Cum & hi à fide recedentes, Deo alienantur, & illi credentes in Christum (per quem iusti viuunt) eripiuntur diabolo, perenniter Deo cohærentes. Cuius rei testis est Dominus, qui in Euangelio proteruam Iudæorum arguens vanitatem ait: Genimina viperarum, quis ostendit vobis fugere à futura ira? facite ergo fructus dignos pœnitentia, & ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham: dico enim vobis, quia potens est Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Et iterum: Multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum: filij autem regni proijcientur in tenebras exteriores: illic erit fletus, & stridor dentium.

*Matth. 19. * pro, Stipendium cotidianum, inf. 46. b.*

Matth. 3.

Matth. 7.

INSTRVCTVS igitur venerabilis iuuenis quomodo processum martyrialis prælij meditaretur, victorum se precibus solatiandum implorans, animo lętiori in pace discessit. Et cum nos sæpius idem, quamdiu illa horribilium claustra carcerum habuere, non desisteret visitare: frequenter tamen prudentissima Sabigotho latibulum illud fœminarum, quo sacratissimæ virgines Flora & Maria detinebantur, noctu quasi vna è compeditis incoluit, vt vel consolaretur certantes, vel se affectui commendaret certantium. Imo potius vt pugnandi pro Christo rege vsibus imbueretur, haberetque consuetudinem præliandi. Instabat precibus, obsecrationibus laborabat, vt memores sui existerent, adepto post triumphum sponsi consortio, quo saltim effuso cruore cœlum ingredi mererentur. Dant illico fiduciam hoc præstandi beneficium sanctæ virgines, quæ suas nouerant in nullo repugnari post victoriam preces, nec poterant commilitonibus quicquam negare, quæ se non dubitabant audiri.

Sabigotho nix pietas. Flora & Maria.

DVM ergo ancilla Domini Sabigotho proxime post martyrium virginum infra domesticos parietes Christo seruitutem minus suspecta persolueret, fessoque exercitatione vigiliarum corpori consulens paululum quieuisset, ferunt vtramq; virginem, Mariam scilicet & Floram, niueis amictas cicladibus, diuersarum ligustrium manibus gestantes manipulos, cum choro sanctorum phialas palmis gerentium, (quibus, vt puto, orationes eorum, qui ad prælium venerant informari, in conspectum Domini ferrent) omnes cœlestium luminariorum claritate fulgentes, eidem per somnium astitisse. Quas cum illa, vt arbitrabatur, sediliis se reclinari humillima supplicatione optaret, territa maiestate cœlicolum, vix tenui alloquutione aggreditur, dicens: Quam fiduciam olim præmissæ obsecrationis vobis in carcere, ô sacratissimæ virgines, me habere iubetis? Et si votorum meorum commodis potitura sum, gratissimis deflorate responsis, ne frustra currentes, in vacuum decidamus: ne vires nostri conatus vano consumantur labore, dum aliud intentio quærat, aliud merita expetant. Quia cum Deus plus meritis, quam precibus faueat, nouit tamen idem abdicare congeminationē precaminum, quam non iuuat dignitas meritorum. Idcirco, dominæ meæ sponsæ Chri-

Flora & Maria Sabigothani in somnio apparent.

Sabigotha ad martyres.

sti, si hactenus sustinendi præmium sponsionis vestræ spes nobis fida subsistit, enarrare iubete: quo promptius ad superna tendamus, quo validius in certamine roboremur. Tunc eam sanctæ virgines cœlestium diffusione gratiarum affatibus præditis demulcentes: commoda (inquiunt) vestri laboris in æthereis reposita, tempore necessario vobis metienda, seruata sunt. Nec labetur præscriptorum merces ad prælium, quod cogit athletas inuictissimos ire ad regnum. Martyrium denique vobis à constitutione mundi diuinitus præfixum, & prædestinatum est. Quod vos post paululum impleueras, congruit felicioribus solito sanctitatis studiis insistere. Quapropter libamina sacerdotum laboribus vestris adscisce: suffragia implorate Sanctorum: vbique vos precibus seruientium Christo committite: votiuo venerandæ Dei sanctuaria discursu incolite, & omnium religiosorum inquirite obsecrationes. Quia, quamlibet præscripta vobis quandoque futura sint præmia, per hanc tamen industriam veluti quibusdam gradibus innitentes, tantæ bonitatis arcem vos verum est posse contingere: nostrumq; sermonem huiuscemodi certum esse indicio contestantes, instanti vobis certamine, adhæsurum contuberniis vestris * cœnobitam nostrum mittemus, qui vobiscum palma potiturus martyrij cœlitus ordinatus est.

Sanctarum martyres ad Sabigothonem.

** Georgium monachum intelligit.*

POST hanc visionem oculis intuentis abductam, vehementius tantæ rei miraculo beata Sabigotho ad perficienda bella Domini concitatur. Quæ mox hilariore somno exurgens, auget opera sanctitatis, fragilem ad pugnam erigit sexum, supernoque munere vires ad certandum corroborat. Hinc iam fiduciata, spe firmiori virum informans, omnino terrenis exui edocet, quoniam à principio mundi cœlestibus dedicati militiis, continuo post victoriam cœlicolis admiscerentur.

HINC magis, magisq; fruendi Redemptore & collegis sanctis ignito desiderio conflagrati, natorum postponentes affectum, spernunt quicquid mundialis peritura species continet. Omnia distrahunt, venditant vniuersa, quo liberiores in assequendo Christum existerent. Ex quo pretio quicquam infantulis relinquentes, totum aliud stipendiis applicant egenorum. Virorum ac mulierum visitant monasteria, præcipue tamen Tabanense cœnobium, de quo sæpius memorauimus, quia summis monasticæ regulis disciplinæ cunctum honestæ famæ rumoribus illustrabat Occiduum. Inde athletæ fortissimi hauriunt documentum: inde instituta percipiunt: ibi se poculo vitæ perennis ingurgitant. Ibi sanctissima Sabigotho frequenter cum ancillis Dei moratur: discit ibi totius sancti timoris industriam. Ibi geminum pignus sub bearum tutela constituunt.

Tabanense cœnobium.

O STVPENDA mundi renunciatio, & admirabilis ardor diuinus, quo filiorum affectus respuitur: quo opum affluentiæ repugnatur: quo proximorum dulcedo refellitur: quo mors pro vita eligitur: quo labentia cuncta contemnuntur: quo intuitu æternæ felicitatis vincla, cædes, cruces, carceres, verbera, & tormenta pro summis habentur deliciis. Vna siquidem filiarum octennio, lustro altera ducebatur. E quibus ego post necem parentum minorem reperiens, vix teneriimo ore facundiam exprimens, me infantissime adhortatur, vt genitorum gesta scriberem, proderem actus, elucubrarem trophæa. Et cum propter hoc quid ab ea beneficij præstolarer, exquirerem (mira dicturus sum, tantillam ætatem talia quiuisse in promptu aduertere, nisi forte credendum sit, quod ab illo imbuebatur interius, qui ex ore infantium, & lactentium perficit laudem suam) impetrabo (inquit) patrem tibi à Domino Paradisum.

Aurelij filia infantes.

Psalm. 8. Diuinũ infantulæ ad D. Eulogium responsum.

VERVM quia competenti occasione gratia differendi parvitatem infantularum, paululum ab ordine directo recessimus, quo rem scilicet post nouenum martyrij eorum mensem patratam subiungeremus: nunc ærumnosæ & sub mundanis adhuc molestiis laboranti inseruimus historiæ. Non nos obinde fraterna infamare debet reprehensio, vnde culpabiles argui non veremur à Domino. Nec obstat vltimo, an priori, medioue loco veritas differatur, quandoquidem veritatis assertor nullatenus benedictione priuatur. Iccirco è vestigio repedantes, ad reliqua beatorum studiosius gesta referenda curramus.

CVM ergo intenti cœlestibus, omni tempore vigiliis, orationibus, eleemosynis & ieiuniis incumberent: (frequenter tamen superno sydere in cubiculo suo, quo ista meditabantur, respersi sunt, adeo vt illapsum iubar æthereum omnem præsentis speciem luminaris interpollans, horridum esse chaos sui comparatione autumari compelleret) diuinis sæpe reuelationibus eriguntur: fruuntur colloquiis Angelorum: lætitia cœlicolis mente & spiritu adunati, non sine graui molestia corporale onus ferebant. Quodam namque die, cum atrium sereniissimi præceptoris nostri Aluari, to-

Aluarũ adit Aurelium.

uari, to-

uari, toto in scripturarum scientia Occiduo laudari, gratia * collationis mutuæ, nostraque alternanti propositione mentem erudiendi in scripturarum problematibus, peruiissem: reperi coram eo militem Christi Aurelium, consultum agonizandi quærentem, & quatenus arriperet martyriale auspicium implorantem. Quem idem Doctor egregius, & temporis nostri fons sapientiæ profluus, Patrum exemplis instituens, iubet primo constantiæ vires perpendere, secretum suum aduertere: considerare arcanum: & vtrum imminentia magis nosset ferre, quam declinare supplicia, vltimo excepturus delicatis ceruicibus gladium. Et si magis merita martyrum adipisci, quam vocari martyr contenderet. Et si magis terris ignotus florentibus cœlo meritis catalogo electorum sese affectaret describi, quam in supernis diminuto præmio, famosum temporalis martyrij anhelaret nomen habere. Tunc ille, se vsque ad mortem dimicaturum spondens, nulla prorsus vi tormentorum intentionem suam superandam esse fatetur. Mihi, mihi, inquit, maximum vitæ solatium Christus est, & mori lucrum. Cui terrena conuersatio teterrimæ noctis caligo est, & memoria transitus mundialis perpetuæ lucis odorem aspirat. Fit commune deinceps gaudium causa nostri aduentus: de alterno admodum intuitu lætamur. Credimus interesse concilio nostro verbum Patris altissimi, qui vbique nomini suo dicato collegio se illabi testatus est, dicens: Vbicunque fuerint duo vel tres in nomine meo congregati, ibi sum in medio eorum. Et cum plura suo agoni competentia referremus, idemq; gratissimis animis nostrum exciperet documentum: satis, vt reor, collatione nostra iuuatus, continuo bella Domini initurus, ad propria regreditur.

4 * Pro, colloquio, aut conuersatione.

Ad Philipp. 1.

Matth. 18.

Beata vero Sabigotho nonnullis ante passionem diebus dum sola domo resideret, Christumq; ob perfectionem martyrij sui, quibus posset * questibus obsecraretur: subito astare sibi miræ pulchritudinis virginem cernit, angelico vegetatam decore, primum, vt putabatur, adolescentiæ florem gerentem. Cui cum illa diceret: Tu quis es filia? & si è vicino accedis, causas tui aduentus edisce re. Protinus spectabilis virgo, soboles, inquit, amici vestri Montesis sum, quam tu mundialibus ærumnis scis olim exemptam, quamque eadem hora, qua supremis vexabatur angustiis, priusquam propius visitares, reperisti exanimem. Et cum te ego sæculo pene eliminata non nouissem, ipso tamen obitus mei momento quis esses Domino reuelante agnoui; & nunc eo mittente præuia nunciatrix palmæ tuæ accessi. Instat namque iam vobis tempus exequendæ victoriæ: adsunt dies publice profitendi fidem Catholicam, hostemque repellendi teterrimum. Quibus sedatis litibus cœlorum penetralia vos coronandos adsument, perpetua deinceps pace fundatos. Igitur scrutans cor suum venerabilis fœmina, secumque meditans eloquium adsistentis, confestim reuoluta memoria, rem gestam agnoscit, & priusquam grates euangelizanti sibi puellæ referret, labitur à conspectu eius illa virginalis species ætheris nuncia, & præco sui martyrij. Fit læta tali præconio: animatur cœlesti oraculo, & tanto spe firmiori ad prælium excitatur, quanto sese patratæ actionis veritate cernit informari.

* pro, lamentationibus, aut querelis: Vnde Vulgatæ nostræ illud: Quexatus sum, & contristatus. Videtur. Vide & inf. pag. 82.

Montesis filia Sabigothoni apparuit.

Verum vt magis magisq; scopo prædestinationis suæ intenderent, essentq; non dubij de mercede reposita, siue vt sanctarum virginum impleretur edictum: octonis ante suam captionem diebus, dudum promissus ille confessor contuberniis eorum adscisciscitur, & inconuulsibiliter his quodammodo alligatus, felici martyrio omnes sub vno momento pariter coronantur. Idcirco congruum iudicauimus, eiusdem monachi rationem, quia optio interceſſit, exponere, & quod vehementi admiratione ætatem nostram eius causa concuſſit, succiduis quoque generationibus opere dignum relegenda mandari: vt in eo Catholicorum religiositas incremento fidei augeatur, in quo sui Redemptoris oraculum speciali quodammodo cernit esse veritate impletum. Prædixerat quippe magister noster & Dominus, quod multi ab Oriente & Occidente venientes, recumberent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cœlorum. Quod testimonium reuelatis contuemur effectibus in ipso monacho, atque leuita Georgio omnino perfectum.

Matth. 7.

Georgius monachus.

Hvic rus Bethleemiticum ortum, & incolatum æthereum peregrina littora contulerunt: hic, inquam, vir vltra maria procreatus, ab adolescentia seruitute Dei oblectatur. Viginti & septem annos apud monasterium sancti Sabbæ, quod ab Hierosolyma in parte Australi octo milliaribus distat, cum quingentis, (vt ipse nobis ore suo professus est,) qui in eodem cœnobio morabantur fratribus adunatus, sub regulari magisterio degit. Quem venerabilis Abbas Dauid, eius ascisterij tunc procurator, ob * stipendium monachorum Africam mittens, is nullo modo tot interiacentia ter-

5 Sancti Sabbæ monasterium. Dauid abbas.

* vectum, & eleemosynæ, infra pag. 44. n.

rarum, mariumq; distulit subire discrimina, quibus vtique incunctanter continuo summæ virtutis obedientiæ nouerat promereri. Sed cum ibidem vapulare asperius Dei Ecclesiam incursatione tyrannorum reperisset, Hispaniam quoque eorum, quibus missus fuerat, consultu aggreditur. Erat enim, vt ipsi de eo certissime approbauimus, summæ humilitatis, magnæq; abstinentiæ vir. In omni eloquio suo, dicto, atque responso timor Domini resonabat: ocius semper de puro cordis fonte charitatem hauriens, fauum dilectionis promebat. Prædicabat cœlestis desiderij requirendam esse compunctionem: mortificare cum vitiis & concupiscentiis membra iubebat, vt in aduentum Domini recidiuo virtutum animata vigore, glorioſiora cum ipso apparerent. Ita sobria præditus sanctitate, iustus videri, vel dici nimium recusabat, iucundus admodum, hilaris, modestus, & abstinens sic vtebatur mundo, tanquam non vteretur. Et cum forte, fraterna impetrante charitate, cibum sumere cogeretur, epulabatur parcius: bibebat sobrie, vt magis abstinentem iudicares, quam vescentem. Merum aqua tamdiu temperabat, vsque dum color inficeretur, sapor abesset. Insipidus namque ille gustus, (ita referebat) nec bibere nimium, nec temulari conuiuam patitur. Crebrius ad exorandum currebat: vigilabat attentius: sæpius corde diuinum carmen meditabatur, dicebatque: Benedicam Domino in omni tempore, semper laus eius in ore meo. Et cum variis linguis peritus existeret, Græca scilicet, Latina, atque Arabica: nec qualemcumque saltem propter has gloriam affectauit. A die qua monasterium petiit, & cohortibus monachorum ascitus est vsque ad coronam martyrij sui, (vt ipse quibusdam secretius retulit) nec lotus aqua, nec balneis vsus est. Quamdiu nobiscum conuersatus est, nulli omnino ordinem suum reuelauit, nisi cum iam carcere detineretur.

Affrica Ecclesia D. Eulogij tempore afflictissima.

Psalm. 33.

6 COMMENTATVS est fratribus, ac propinquis suis, cunctisq; patriæ suæ ciuibus martyrij sui breuiarium: quod mihi causa expoliendi transmisit: ne incultior sermo fidem rei gestæ, quibus mittebatur, adimeret. Ibi in principio dictionis suæ monachum se, atque leuitam fore testatus est. Verum quid opus est sermonem in longum protrahere? Quasi non summam reuerentiam vitæ hominis Dei martyrialis cruor adhibeat, præsertim cum quantus, & qualis exuerit effusus propter iustitiam Dei ipse eius martyrialis cruor insinuet, & quod peregrinus mundo peregrinam non renuens sepulturam, omnem penitus genitalis soli, affiniumq; affectionem repulerit. Aut quæ potius laus militem Christi extollet, quam pro Domino mortem, pro vita animã, pro crucifixo cruorem dedisse? vt ipsum esset redhibitio famuli, quod extitit victoria crucifixi. Quomodo autem beatus minister cœtui sanctorum agglomeratus fuerit, melius ore ipsius sancti Georgij credimus posse innotescere, quo vel nostræ dictionis series, interposito martyris eloquio, quasi desuper benedictionis sale condiatur: vel præstantius commercium suæ connexionis cum cæteris sanctis eodem narrante addiscatur. Nam & ipsis diebus, quibus vna cum sanctis habuit conuersationem, sua ac prædictorum martyrum gesta breui satis stylo exponens, vltimo nobis comprobanda direxit. Ex cuius dictis ea huic operi inserenda curauimus, quæ ad insinuandam eorum coniunctionem satis esse præuidimus. Cætera vero, quæ post defectum sermonum serui Dei sequuntur, nos obtentu, quo cœpimus, indagauimus. Inquit autem hoc modo.

Georgius de se ipso scripsit.

Georgij monachi epistola.

IN nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Vniuersæ Catholicæ Ecclesiæ à me indigno & peccatore Georgio monacho, necnon & diacono fratre, & collega seruorum Dei filiorum sancti Sabbæ quingentorum virorum, perfectam in Domino IESV Christo salutem. Cognoscite, ô fratres charissimi, introitum meum in Hispaniam nihil aliud fuisse, nisi gratia stipendij vestri requirendi, qui sub arctissima regula, & regimine sancti patris Dauid Hierosolymis degitis. A quibus Africam missus, deinceps in Hispanias commigraui. Sed hanc ipsam * insulam nimis afflictam reperiens, cœpi cogitationibus variis æstuare, vt aut proprium solum reuiserem, aut regna Christianorum, id est, Franciam peterem. Et cum proximos, & charissimos super hac re consuleram, nonnulli peragrare iubebant, plerique ad cœnobium meum reuertere cogebant. Hinc velut dubius, diuerso præpeditus tractatu, cui me primo cogitationi submitterem, nesciebam. Pergens autem de Corduba ad Tabanense cœnobium, quo fratrum & sororum benedictio iter meum comitaretur, dixit mihi Abbas ille Martinus, & soror eius domina Elisabeth. Veni frater, & accipe benedictionem ancillæ Dei Sabigothonis. Quæ mox vt me intuita est, promissus (inquit) nostri certaminis comes, & collega, hic monachus erit. Ego vero agnita causa eius, & ratione comperta, illico pedibus eius aduolutus pro me Dominum exorare rogaui, vt forsitan Spiritus sancti respectu illustratus, ad ea, quæ illa præstolabatur, peruenire meruissem. Et illa: Vnde

** Quod per mare ex Africa in eam traiecerit, ita vocat.*

Tabanense monasterium.

hoc no-

hoc nobis (inquit) pater, vt tu cum peccatoribus pergas? Cumq; eadem nocte ibidem manſiſſem, apparuit mihi in viſione noctis ipſa venerabilis mulier Sabigotho, & neſcio quod genus odoramenti pretioſiſſimi ligni accommodans, referebat. Ditior ex hoc mihi theſaurus eſt. Mane autem facto, deſcendimus ambo in ciuitatem ad virum ſuum Aurelium, proſtrauiq; me pedibus eius, petens ab eo, vt oraret pro me, quod illis in martyrio ſocius eſſem. Qui ſtatim præbens aſſenſum, exarſit in me ignis cœleſtis per orationes eorum, & factus ſum vnus ex illis: & ex tunc non ſum ab eis ſeparatus, ſed omnes pariter in domo ſancti Aurelij congregati, reddimus Domino cum iucunditate vota laudationis. Ibi apud illos reperi beatum Felicem cum coniuge ſanctiſſima Lilioſa, qui & ipſi iam omnia ſua vendiderant, & locis ſanctis, ſeu pauperibus erogauerant, parati omne genus tormentorum propter filium Dei, & dilectionem eius ſuſcipere. Eadem hora exiui ab eis, & cauſas, quibus præpediebar, in omni feſtinatione compoſui. Et ſic demum valde iam roboratus, ad eos reuerti. Qui læti & exultantes de reditu noſtro, gratias Deo referunt, dicentes: Scimus, frater chariſſime, quia Dominus te miſit ad nos. Poſt hæc omnes in communi cœpimus cogitare, quomodo ad deſideratam perueniremus coronam, & ita Domino diſpenſante viſum eſt nobis, vt pergerent ſo 8
rores noſtræ reuelatis vultibus ad eccleſiam, ſi forte nos alligandi daretur occaſio, & ita factum eſt. Nam reuertentibus de eccleſia mulieribus, quidam præpoſitus obuius 9
adſtans, cum cauſam religionis agnoſceret in fœminis, illico viros interrogat, quid ſibi vellet ille recurſus fœminarum ad ſanctuaria Chriſtianorum? Qui reſponderunt: fidelium mos eſt eccleſias viſitare, & atria venerabilium martyrum pio deuotionis affectu requirere. Vnde quia Chriſtiani ſumus, ideo nos ipſius fidei geſtare vexillum profitemur. Statimq; iudici delator accedens, omnem rationem noſtram coram eo doloſis linguis proponit. Poſt hæc vadit dominus Aurelius filias viſitare, quibus pacis oſculo vale dicens, cœleſti virtute armatus ad prælium feſtinauit. Sed hic iam ſanctus Georgius ſtylum compeſcens, nos quæ reſtant, vt occepimus, proſequamur.

Aurelius de ſe martyrio Eulogium impetrat.

IPSO poſtea die, quo ſe beatus Aurelius nouerat comprehendi, priuſquam auroræ crepuſculum reſpiraret, domo nos gratia valedicendi reuiſens, precatur pro ſe Dominum exorare, ſuique agonis fautorem per nos fraternam fieri charitatem expoſtulat. Ibi nos illi commendauimus. Ibi patrocinium ſuum pro nobis, & pro omni eccleſia fieri, oſculatis manibus eius, impetrauimus. Poſt hæc, datis inuicem oſculis, ſeparamur in pace.

Antiquum Hiſpanorum inde oſculandi manibus mos.

IGITVR, cum prolatam aduerſum Dei ſanctos iudex quæſtionem intenderet, ſciretque authorem huius rei eſſe Aurelium: grauiter ex hoc interius vulneratus præcepit eos quam propere ſuis conſpectibus exhiberi. Tunc milites rapido curſu domum beati Aurelij occupantes, qua omnes ſancti collecti manebant, præ foribus clamare cœperunt: Exite miſeri: exite cominus morituri, quibus vita præſens tædium eſt, & mors pro gloria computatur. En iudex vocat, inſtat decretum vltionis effundere: conterere vult recedentes à cultu, rebellia paratus colla præſcindere: pergite vos modo iam debitum mortis exoluere, & commiſſæ præuaricationis pendentem ſententiam. Ex hinc viri cum mulieribus ſuis quaſi ad epulas inuitati procedunt: vadunt ouantes: læti proſiliunt; putares eos iam apud iudicem ſua inuenturos donaria, qui nihil aliud habere poterant, quam tormenta. Et cum ſe Georgius ſanctus à militibus cerneret non teneri, illico ſancta fretus audacia in exprobrationem lictorum conuerſus. Quare (inquit) priuilegium hoc fidelibus irrogatis, & vanum colere violenter cogitis numen, quos ſancta fides proprios hactenus vendicauit? Vt quid alieni à Deo vero perditioni veſtræ agglomerare nitimini prædeſtinatos ad vitam? An non poteritis vos infernalia clauſtra adire, niſi nos comites habeatis? Nunquid ſine nobis æterna vos cruciamina non adurent? Vos abite, vos illuc pergite perituri, quo ſimul cum duce veſtro inferorum deliciis perfruamini. Nam quid nobis cum tartaro, quem CHRISTVS Deus noſter penetrauit, abſorpſit, expoliauit, & vicit: vt non iam auderet fideles addicere, qui pridem conſueuerat priuilegio ſuo Sanctos diripere? Vix ille ſermonem compleuerat, & iam furens dextra ſatellitum in iniuriam monachi laborabat. Quem diuerſis laceratum ſtimulis ſolo allidentes, calcibus etiam, pugniſque acerrime tundunt. Cui cum ſancta Sabigotho (iam emortuum putans) ſurge, frater, eamus, clamaret: ille, quaſi nihil mali eſſet perpeſſus, reſpondit. Hæc omnia, ſoror, meritorum commodis proſunt, augentque coronam. Et ita, ſemineem à terra leuantes, pari cum ſanctis ducatu iudici aſtare fecerunt. Quibus oblatis, cum primum ab eis blando affatu requi-

Aurelius cæteris comprehenſus.

Georgius capitur, & miſere pulſatur.

reret, cuius rei causa à cultu suo recederent? viuere recusarent? niterenturque perdere temporalium commodum multiplici deliciarum flore vernans? quos vtique postmodum in futuro non solum muliebris oblectatio admirabilis, verumetiam dignitatum, & ferculorum copia demulcendos expectaret: protinus quasi ex vno ore. Nulla (inquiunt) ô arbiter temporis, affluentia lucris comparatur æternis, quorum gratia hanc vitam despicientes per fidem IESV Christi, qua omnis sanctitatis operator iustificatur, eius denique in futurum benedictionis requie, quæ sanctis promissa est, nos potituros confidimus. Omnem vero cultum, qui à Christi diuinitate dissentit, nec profitetur sanctæ Trinitatis essentiam, refutat baptismum, infamat Christicolas, sacerdotio derogat, omnino reprobum iudicamus, pro nihilo rerum labentia computantes, quæ non diu subsistunt: quæ autem diligentibus se Christus promisit, cum sint ineffabilia, semper tamen indefessa iugitate perdurant, & nec oculis contemplantur, nec aure captantur, nec corde perpenduntur. Verum, vt credo, quiddam etiam aliud religiosius diffuso ore sanctis ante iudicem asserentibus, sectamque impiorum fortiter expugnantibus, in furore maximo concitatur iudex: rapido tractu eos carceri applicandos insinuans, importabilium vinculorum onere aggrauari decreuit.

Sancti in carcerem missi.

CONTINVO exultantibus animis beati martyres ergastulum adeuntes, gaudent auspicio passionis, paruipendunt supplicium, perstrepunt hymnos, insonant laudes, psalmos persoluunt, insistunt orationi, qua fauente Domino victoriam adipisci prævaleant. Visitantur ab Angelis, miraculis illustrantur, dissiliunt vincla, & non audent restringere, quos Christus absoluerat. Ibi etiam, quam cœlis sortem haberent, reuelante Deo agnoscunt. Hinc de palma securi manentes, & Christum, cui fideliter seruierunt, cernere festinius anhelantes, dilatant vsque in quintum diem mortem suam, serumq; putant se diutius elongari ab illa suauitate regni cœlorum, quam

11 *forte, visibus* crebris iam corporeis † visibus ferme intuebantur.

AT CVM iam in forum prosternendi educerentur, venerabilis Sabigotho armare virum sanctis alloquiis cœpit, confortat, instruit, & confirmat. Introducunt palatio, consulibus adsistunt, adhibentur opes, exhibentur fasces, quibus, si crederent, fruerentur. Sed his oppido in professione sua demorantibus lictoribus perimendos instituunt consules: sospitem abire sanctum Georgium decernentes, pro eo quod iidem ipsi optimates & priores palatij nihil conuitiorum proferentem eum aduersus vatem suum audiissent. Ille vero minister egregius protinus, vt se comperit derelinqui, nec sub vno cum sociis ictu mucronis perimendum instituit: cur ait, ô principes de professione mea, quam coram vobis non protuli, dubitatis? aut putatis me de discipulo Sathanæ quidquam prosperum cogitare? Ego enim, vt verius agnoscatis illum angelum, qui eidem præceptori vestro, transfigurando se in spiritum lucis, apparuit dæmonem credo fuisse, & hunc cunctis abiectiorem hominibus adiudico, vtpote diaboli credulum, Antichristi ministrum, & vitiorum omnium labyrinthum: qui non solum se voragini barathri immerserit, verum & nos sequipedas sua per inania instituta æternis dedicarit incendiis. Tunc, in insaniam proceres concitati prævalidam vna simul cum cæteris sententia necandum præcipiunt. Ac sic primo beatum Felicem

Georgium donum se offert martyrio.

12 *Annus Domini Dccclxc. dies Iulij 27.* deinde sanctum Georgium trucidantes; post venerabilem Liliosam, vltimo egregios Agonistas Aurelium & Sabigothonem interimunt, 6. Kalendas Augustas, Era DCCCXC.

13 *Pilemelarcense monasterium. Sancti Christophori monasterium. Basilica sanctorum Fausti, Ianuarij, & Martialis.*

QVORVM corpora nostri Christiani furantes diuersis locis recondunt. Georgius namque cum sancto Aurelio Pilemelarensi cœnobio seruantur. Beatus Felix sancti Christophori, quæ vltra flumen est, aulam tuetur. Sancta Sabigotho sanctorum trium cineribus adunata est. Requiescit apud Genesium martyrem venerabilis Liliosa. Capita vero Georgij & Sabigothonis incolunt. * * * *

HI SVNT qui propter testimonium Dei, & fidem IESV Christi, vsque ad mortem certantes, nihil amori eius præposuerunt, non filios, non parentes, non affines, non proximos, non amicos, non res, non vicos, non possessiones, non prædia. Sed omnia post tergum abiicientes, mortificatis cum vitiis, & concupiscentiis corporibus, ad æternam immortalitatem producti sunt.

14 *Sancti Genesij basilica.*

Regnante Domino nostro IESV Christo
in sæcula sæculorum.
Amen.

¶ Christophorus, & Leouigildus monachi martyres. Cap. XI.

DEINDE Christophorus monachus contribulis noster, ephebus adolescēs, Cordubæ natus, & à pueritia nostri auditor, qui post nostrū magisterium cœnobium S. Martini, quod est in montana Cordubensi, loco, qui appellatur Roiana, ingressus magnum pie volentibus conuersari specimē sanctitatis ostendit. Hic agnita præcedentium nece sanctorum concito gressu in vrbem descendens, mox obuiare iudici non extimuit: & reddēs coram eo testimonium veritatis adnuntiat Euangelium, sancta Domini prædicat, prophanationibus deditum vulgus exhortatur, arguit male credulos, luituros cum auctore falsario æternum profert incendium. Quem continuo iudex sæuo commotus furore carceri deputat, arctioribus macerandum vinculis commendat. 1 *S. Martini monasterium Roiana dictum.* 2

TVNC etiam Leouigildus monachus Eliberi progenitus, plenæ iuuentutis, vir sanctus, iustus, & timoratus ex cœnobio sanctorum Iusti & Pastoris, quod est in interiori montana Cordubensi, loco qui dicitur Fraga inter cliuosa montium & condensa syluarum, confini viculi Leiulensis, qui à Corduba distat quinque milliarios lustros, quo se nuper moraturus contulerat, martyrio potiturus aduenit. Et priusquam forum intraret, instituēdi se gratia nos inquirens, obsecratur, precatur, exoptat, vt conatus suos nos precib. iuuaremus, eiq; benedictionem consummandi agonem traderemus, promittens se nostri curam gerere ante Dñm. Cumque à nobis firmatus in pace discederet, mox coram iudice suam relaturus professionem adsistens, dat testimonium fidei secundum cæterorum constantiam: qui cæsus alapis, conuitiisque distentus illico apud sæuos carceres traditur alligandus. Ibi se famuli Dei alterno fouent consultu, roborantur in inuicem: sicque pari voto connexi, cum iam mactationis hora instaret, prę ire S. Christophorus B Leouigildum reuerentia ætatis exoptat, postmodum ipse ruiturus. Et ita hoc ordine vterque interiit, 13. Kal. Septemb. Era qua supra. Quorum corpora suppositis adusta incendiis, antequam penitus vrerentur, fidelium cura erepta apud basilicam Sancti Zoili sepulta sunt. 3 *Eliberi Vrbs. S. Iustorum Iusti & Pastoris monasterium. Fraga. Leiulensis Vicus.* 4 *Leouigildus Eulogium adit.* 5 *Annus Dominus Occlxj. dies Augusti.* 10 *S. Zoili basilica.*

¶ Emila, & Hieremias martyres. Cap. XII.

POST non longo iterum interuallo, duo adolescētis illustres ex ciuibus Cordubensib. nobili familia procreati, ad palestram martyrij cucurrerūt. Emila scilicet, & Hieremias, qui ab infantia sua apud basilicam S Cypriani literas edocētes, vnus ad ministerium diaconij consecratus, alter in habitu laicali degebat simpliciter. Et quoniam vterq; Arabico insigniter præpollebat eloquio, ferūt tanta per eandem linguā in eorum vatem volubilitate egregium Emilam exaggerasse opprobria, vt præcedentium martyrum conuitia obliuiscerentur, cernentes horum prosequutiones contra suum dogmatistam acrius inualere. Et idcirco nō iam solummodo de mortib. resistentium sibi excogitare cœperunt, verumetiam totam extirpare Ecclesiam ruminarūt. Quoniam nimio terrore tot hominum recurrentium ad martyrium concussa gentilitas, regni sui arbitrabatur excidium imminere: cum tali etiam virtute pręcinctos paruulos præuideret. Quos per carcerem maceratos, postremū gladio vindice peremerunt. Et cum totus ille dies clara esset serenitate lustratus, subito eadem hora qua decollati sunt, vehemens tonitruorum fragor exurgens mundo incutitur: spargit radiātia lampadum fulgura æther superos auelli cardines existimares. Armatur nube grandinum axis: fuscatur dies: turbinibusque inficitur aër: pios cecidisse athletas elementa fatentur. Quorum corpora equuleis suspendentes, vltra amnem statuunt, 17. Kalendas Octob. Era qua supra. 1 *Basilica S. Cypriani.* *Sarracenorum perturbatio.* 2 *Annus Dominus Occcij dies Septēb. 15.*

¶ De Rogello, & Seruio Deo martyribus. Cap. XIII.

CVm adhuc præfatos martyres ergastula haberent, ecce alij duo superuenerunt eandem quam cæteri professionem tenentes, eodemq; voto hostē fidei expugnātes. Quorum vnus Eliberi progenitus, ex vico qui dicitur Parapanda, monachus & eunuchus, iam senex prouectæq; ætatis nomine Rogellius aduenit. Alter, Seruio Deo vocatus, spado adhuc iuuenis ante paucos annos ab 1 *Eliberi Vrbs.* 2 *Parapanda Vicus.*

Orientis partibus vltra maria in prædictam vrbem habitaturus peregrinus acceſſit. Hi vero pari ſe fœdere colligantes, vnum propter iuſtitiam Dei vſque ad mortem certandi votum geſſerunt, nullo caſu ab inuicem receſſuri, quouſq; cœleſtia ſanguine mercarẽtur. Idcoque fanum illud ſacrilegorum petentes, in quo exceptum vulgus abominabiles ritus ſæpius reddere conuenit, tranſcendunt limina, turmis ſe ingerunt, prædicant Euangelium, ſectam impietatis ſubſannant, arguunt cœtum. Appropinquaſſe regnum cœlorum fidelib. infidelib. autem gehennæ proponunt interitum, quem proculdubio ipſi incurrerent, niſi ad vitam recurrerent. His, & huiuſcemodi verbis populũ exhortãtes, necdum ab ore eorum ſermo receſſerat, & ecce, quaſi crepitans in ſentibus rogus cohors malignantium aduerſus Dei famulos exardeſcẽs cędit, lacerat, percutit, obruit, nititurq; perimere ſanctos, qui delubrum ſuum intrare præſumpſerant (quod apud illos quoq; grande facinus reputant) & niſi iudex adeſſet, qui quodã priuilegio poteſtatis inſanientis populi murmur compeſcuit, tunc iã vitę ſpiraminib. priuarentur. Quos ereptos cædentium manib. carceri deputans aſtringi ferro grauius iubet, furibuſq; admiſcet. Ibi etiam adhuc prædicant, prophetizant, inſtare mortem tyranno annuntiãt, laudant religionẽ, vanitatem refellunt. Et cum penitus vigor mẽbris deeſſet, qui ferret ſupplicium: non tamen deſtitit lingua vſq; ad mortem à præconando veritatis oraculo. At vero pro eo quod templũ ſuum Euangelizando intraſſent, decernunt eos tyrãni & conſules, prius manib. pedibuſq; abſciſſis, decollari poſtremo. Gaudẽt tali decreto famuli Chriſti: exhilarantur oppido huiuſce mortis ſententiã excepturi. Inſtat ferociſſimus carnifex, clamat, frendet, minatur, feſtinare ad pœnam iubet electos, quos vtique cernebat maiorem migrandi habere affectum, quã idem inferendi interitũ gerebat. Quis illius horæ, fratres chariſſimi crudelitatem exponat? quis referat clades? quis cruces adnunciet? quis deniq; admirabilem ſanctorum enarret conſtantiam? Cum & ipſa gentilitas, tali ſpectaculo ſtupefacta, neſcio quid de Chriſtianiſmo indulgentius ſentiebat. Igitur ſtatuti in loco decollationis martyres ſãcti, antequam lictor admoneret, palmas extendunt, lacertos parant: iniectumq; iugulum vlnis excipientes, in diuerſa manus diſſiliunt. Deinde crurib. amputatis, nulla compuncti triſtitia abſciſſis denuo 4 colliſ corruerunt. Quorum cadauera, vt erant truncata, patibulis affigentes, vltra fluuium crucibus cæterorum adſciſcunt, 16. Kal. Octob. Era qua ſupra.

Martyres ante obtruncationem diſcerpti.

Anno Domini Dcccliij. dies Septembris. 16.

¶ *Conſilium Chriſtianos diſperdendi, quod rex cum proceribus iniit. Cap. XIV.*

DRÆTEREA Martyrum cauſa Ethnici conturbati, ipſeque rex in furorem maximum concitatus, varia corde præmeditatur, quibus poſſet intentione ſanctorum reprimere. Sciſcitatur etiam ſapientes, explorat philoſophos, regniq; ſui conſules ſuper hac re percontatur. Qui omnes vnanimiter in perniciem conſpirantes fidelium, cõprehẽdi Chriſtianos, & vinculari ſub arctiſſimos carceres decreuerunt. Tunc iam proculdubio enecandi eos difficultas fuit adepta, ſi quiquã vatis ſui temerari[9] exprobrator vltra occurreret. Hac nos miſeri opinione cõperta, diffugimus, abimus, euagamur, deliteſcimus, timidoq; diſcurſu & habitu demutato nocturna ſilentia carpimus. Decidente folio exturbamur, crebro mãſiones mutamus, tutiora loca requirimus, ac tremebundi vndiquaq; dilabimur, mori formidantes per gladiũ, quandoq; morituri per debitum. Qui ideo forte martyriũ fugimus, nõquia timemus mortẽ, quæ quandoq; ventura eſt: ſed quia indigni ſumus martyrio, quod quibuſdam, & non omnibus datum eſt. Qui enim nunc martyrizantur, & martyrizandi ſunt, ab initio mundi præſcripti ſunt, dicente Apoſtolo: Quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis frattribus. Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, illos & glorificauit.

1 *Chriſtianorũ diſperſio.*

Martyrium Dei eſt donũ. ad Rom. 8.

2

¶ *Chriſtianorum perturbatio, & eorundem varia ſententia in concilio Epiſcoporum Corduba congregato. Cap. XV.*

MVLTI Igitur horreo inutiles Dominico, electi foras de rete apoſtolica, ab eo, qui non vt bonos vaſis recondere: ſed potius vt ſtipula, inextinguibili meruerunt incendio deputari, nobiſcum vel fugere, vel compati, vel etiam deliteſcere recuſantes; pietatem relinquunt, fidem præua-

Matth. 13.

1

præuaricantur, abdicant religionem, crucifixum deteſtantur. Seſe (proh dolor) impietati tradentes, ſubmittunt colla dæmonibus, blaſphemant, detrahunt, ſubuertunt- 2
que chriſticolas. Plurimi etiam, qui pridem nobiſcum ſano ſenſu victorias martyrum prædicabant, conſtantiam efferebant, laudabant trophæa: extollebant agonem: tam ex ſacerdotibus, quam ex laicis ſententias mutant, aliter ſentiunt, iudicant indiſcretos, quos hactenus feliciſſimos aſſerebant, pro eo quod ipſi ſancti infirmioribus nolentes compati, ſuæ potius tranquillitatis, & pacis commoda, quæ in cœleſtib. ſanguine mercari fidebant, quam nutanti Eccleſiæ inter ſcopulos perfidorum conſulere ſtuduerũt quibuſdam ex lege ſententiolis, immutationem oris ſui, ac linguæ verſibilitatem quaſi roborare nitentes. Non perpendentes, quod nullus tantæ præſcriptus militiæ, & cœleſti curiæ adnumerandus, inſtante hora vocationis, nexibus retineri poſſet mortalibus: cum quotidie in ſcripturis ſacris nobiſcum perlegant, quod nec vita, nec ſæua pericula, *Ad Rom. 8.* nec ipſa etiam mors ſanctos à charitate Domini noſtri IESV Chriſti auellere vnquam prævaleant.

Chriſtianorum varia ſententia de martyribus.

ILLI autem, qui ab initio actus non deſtiterunt infamare ſanctorum, fœdaque ſuſurratione eorum conati ſunt intentionem euertere, bellum quod militibus gloriosis nequieuerunt inferre, in nos crudeliter vertunt: noſque authores huius rei exiſtere aſſerentes, noſtro inſtinctu illa omnia perpetrata fuiſſe accuſant. Adeo vt quidam illius temporis publicæ rei exceptor, præpotens vitiis & diuitiis, ſolo Chriſtiani ſimi nomine denotatus, operibus autem Deo & angelis eius ignotus, à principio certaminibus beatorum infenſus, detractor, derogator & infamator eorum, iniquus, tumidus, elatus, ſuperbus & improbus, quodam die præſenti concilio Epiſcoporum multas aduerſum me, linguam commouens, exaggerauerit contumelias. Anathematizare ſanctos decernit talia meditantes, maledicere imperat, perſequi ſtylo iubet electos. Verens infeliciſſimus omnium, ne iacturam honoris patiatur. Qui non ſolum nullam reuerentiam ſanctis exhibere ſtuduit, verum etiam prædicare ſiniſtrum eſſe, quod agunt in populis, præcepit. 4

Enlogium Chriſtiani calumniatur. *3 Exceptor Chriſtianorum martyrum infeſtator.*

ET quanquam metu compulſi, ſeu metropolitanorum iudicio, qui ob eandem cauſam tunc è diuerſis prouinciis à rege fuerant adunati, aliquid cõmentaremur, quod ipſius tyranni ac populorum ſerperet aures: inhibitum eſſe martyrium, nec licere cuiquam deinceps ad paleſtram profeſſionis diſcurrere, præmiſſo pontificali decreto ipſe literæ nuntiarunt. Eademque ſchæda minime decedentium agonem impugnans, q futuros laudabiliter extolleret milites percipitur: verumtamen allegoricæ ædita, niſi à prudentibus aduerti non poterat. Non tamen inculpabile illud fuiſſe putamus ſimulationis conſultum: quod aliud geſtans, & aliud ſonans, quaſi à diſcurſu martyriali plebẽ compeſcere videbatur. Quinimo niſi legitima ſatisfactione, ſaltem pro plebe nullatenus remittendum eſſe confitemur. 7

Concilium ratione ſe Cordubæ cõgregatum. *5 Concilij ſub ille damnati.* *6*

¶ *Habdarrahgman rex ſubito moritur, filius eius Mahomad in regno ſuccedit. Cap. XVI.*

DEnique cum ex omni parte Chriſtianis immineret interitus, ardenſque immani furore comminatio principis multos electorum errare compelleret: plerique nobis illam exprobrationem Iſraeliticam, cum ſe grauius opprimi cernerent, inferebant, dicẽtes. Videat Dominus, & iudicet, quoniam fœtere feciſtis ſudorem noſtrum coram hoc tyranno, & ſeruis eius, & præbuiſtis eis gladium, vt occiderent nos. Creſcente etenim numero martyrum, creſcebat in magis iracundia principis, augebaturque fidelibus conturbatio, vt pene caſus noſtri olim Pharaoniticis contra Iſrael perſequutionibus computarentur. Qui ſicut ob interuentum Moyſis ad Pharaonem pro populo Dei acrius Ægyptij deſæuiunt, & operum grauiſſimorum importabili calamitate ſubditos opprimunt: ita quoque & nos ex eo, quo ſancti ad prælium deſcenderunt, vt loquerentur ex nomine Domini noſtri IESV Chriſti coram rege, & profiterentur conſulibus & iudicibus Euangelicam veritatem, proderẽtque falſitatem vatis iniqui: ſolito aſperius euertimur, & funditus à miniſtris dæmoniorum perdendi inſequimur. Cumque tanta coarctati anguſtia crebrius gemeremus, & latentibus ac vagantibus nobis, denuo Pontifex horribili carcerum ſpecui traderetur, nulluſque nobilium laicorum ingredi fores auderet, futurum in perendie er- 1

Exod 5. *Exod. eodẽ.* *Epiſcopum in carcerem immiſum.*

gastulum metuentes: cœpit rex alta ædium petere, scanditque sublime solarium, oppi-
3 da lustraturus, confestimque è regione pendentia stipitibus sanctorum corpora intue-
Habdarrah gmanus regis mos erbitur. tur. Continuo suppositis ignibus cremari ea præcepit. Quorum cineres Deo fautore, per loca sancta repositi sunt. Et, ô, ad miranda potentia saluatoris, & stupenda virtus Domini nostri Iesu Christi, qui semper quæsitus in tribulatione adsistit, pulsatus aperit, inuocatus exaudit. Nam os illud, quod sanctos Dei comburi præcepit, repente eadem hora diuinitus obstruitur, lingua vero angelo percutiente repressa, suo hæreus palato, vltra fari non potuit. Sicque portantium manibus in stratum reductus, quoadusque nostis
4 ipsius hora spiritum reddens, priusquam rogus sanctorum cadauerum extingueretur,
Mahomad Rex. idem vita exemptus, æterno clibano deputatus est, relinquês successorem imperij Ma- 10
homad primogenitum, hostem Ecclesiæ Dei, & Christianorum maliuolum persequutorem. Qui ingenito quodam odio sæpius quæstionem aduersus fideles proponens,
Hac Gberius in D. Eulogio explicantur post li. 3. cap. 1. Christiani Palatinis muneribus primati. non illo inferior esse meritis apparuit, cuius nomine insignitus ostenditur. Nam ipso die, quo sceptrum regni adeptus est, Christianos abdicari Palatio iussit, dignitate priuauit, honore destituit, multa postmodum in nos mala itrogari disponens, si regni felicitate & prosperis potiretur euentibus. Nos autem, instanti fine opusculi, spem nostræ incolumitatis in Domino collocantes, non timeamus quid nobis faciat homo. Credentes nos vbique aduocati nostri Domini Iesu Christi interpellatione saluari, qui di-
5 xit: Ecce ego vobiscum sum omnibus dieb. vsq; ad consummationem sæculi. Amen.
Matth 28. Sic fuit in exemplari hic titulus, quemadmodum & ille sequentis precationis.

Explicit feliciter opus memoriale sanctorum.

DEO GRATIAS.

OBSECRATIO AD CHRISTVM EIVSDEM EVLOGII IN COMPLEMENTVM LIBELLI, SIVE PRO OMNI LAPSV, QVI IN HOC OPERE commissus est.

Apocaly. 1.

ECce Domine Deus meus Alpha, &. O principium & finis, Verus Emanuel noster, initium vitæ meæ, plenitudo animæ meæ, perfectio salutis meæ, zelo tuo accensus, amore sanctorum tuorum compulsus, fratrum charitate coactus, paruipendentium mutationi compassus, odio inimicorum tuorum commotus, tantillus scientia, ingenio parcus, exilis intellectu: spectamine bonitatis, ac misericordiæ tuæ magnanimus, fretus pietate, clementia roboratus, aggressum opus te adiuuante perfeci, atque concluſi, sicut potui, non sicut debui, imo sicut tu mihi posse dedisti. Aperui os meum Domine, & loquutus sum, quia tu iussisti, & quantum voluisti, implesti, atque ad enarrandum iustorum tuorum actus iustissimos cor iniquitate deiectum coegisti. Armasti ad præconandum laudes tuas impeditam sceleribus linguam: & os meum, quod sera vitiorum diu obstruxerat, subito quadam præditum agonia, ad tua elucubranda fidelia testamenta reseraſti. Verebar, Domine Deus meus, opera mea, & sollicitus de proprio manens ſcinore, licet emendationis differrem remedium, meditabar tamen de iniquitatibus meis penes memetipsum probatum sæpius testimonium, perpendebam iudicium, debitum mei reatus cogitabam vindicium. Et cum apud te notitiam facti sui mens consternata deliquiis manere cognosceret, vix cœlum audebat intendere. Tu vero linguam meam quasi ministeriis tuis aptam ad sacramenta cœlestia ordinanda dignaris impellere. Nam quod exiguis meis meritis materiam tanti meriti construere intendi, & quod immundus munda differui, & quod sordidus sancta sanctorum disposui: non superbiæ tumore subnixus, sed humilis & abiectus, gratia acquirendorum præmiorum, & patrocinio potiendi sanctorũ, hoc egi, vel certe, vt penes te ingratus non essem talenti collati. Aut etiã ne res cœlo dignæ, nullo adstipulante, obliuioni traderentur perenni.

Eccles. 9.

Iob. 9.

Tu Domine Deus meus scisti affectum meum, penetrasti intentionem, vorum intellexisti, & causam talia commentandi non ignorasti. Tu paruulo instinctum dedisti, miserrimum adiuuisti conatum, erexisti ad grandia imbecillem, & inualidum animosum fecisti. Neque enim Domine Deus meus, ad tanta me prælectum fieri opinatus sum, vt ego tandem essem elucubrator gestorum sanctorũ, qui erã grauiũ operator peccaminum. Nunquid si ego mentior, tu testis non es? Si falsum astruo, nonne vides

Si alite-

Si aliter quam fuit affirmo, tu poteris ignorare? Si non profero veritatem, non latere te potest, qui omnia nosti. Certe tu cuncta consideras, penetras vniuersa, secretum intelligis. vides profundum, omneque tibi patet arcanum, & totum in præsenti tibi manens, præteritum & futurum in tuo cuncta volumine ascribentur. Et quod inspiratione tua mens prouocata ruminauit, & quod prædita cœlestium gratiarum virtute elicuit, & quod vanæ laudis stimulata compunctionibus affectauit, & quod ibidem lapsu linguæ nolens incurrit, apud te reposita manent, vniuersaque tuis examinationum libris exarata sunt.

HINC ad te Domine Deus meus, vario corruptus facinore rediens, multiplicus scelere, iniquitate prælargus, quæso, peto, imploro, vt de illa ineffabilium clementiarum sede beata obsecrantem intendas, aspicias consternatum, adsis roganti, vt prius abdita cordis mei emundans, liberum in confitendo te semper statuas. Purgesq; deinde satum opusculi huius, si quid zizaniæ praui sensus subtilis circunuentio tentatoris in ea me non volente, aspersit: si quod loliorum deuiæ prosequutionis, ignorante me, seminauit. Quicquid ibidem erroris casu respirat, quicquid resonat impolitum, quicquid à te alienum est, quicquid à te procul est, omne quod te ignorat, cuncta quæ tibi obstant, tuamque voluntatem refellunt, & nesciunt pietatem. Tu cuncta, omnipotes Deus meus, erudera, ablue vniuersa, roraque purificãdo sanctifica, vt tam sit Domino Deo meo hoc opus acceptũ, quam S. Angelis tuis gratiosissimum. Impetret mihi gratiam tuam, sanctorum hauriat benedictionem, obtineat pacem Ecclesiarum. Deferat tibi articulum temporis huius, recenseat coram te populi tui calamitates, teque super latibulum meum, quo ista dicto, respectu miserandi conuertens, diluat omne facinus; ad quod me tentatoris versutia ritu priori, cedente fragilitate, illexit. Sit custos coronæ meæ, sit tutor vitæ meæ, sit mei prouector ad præmia sempiterna, vt idem per te sanctificatus, Memoriale sanctorum dicatur, & me inter memorias electorum tuorum sua conscribas obsecratione. Per te Dominum nostrum, qui cum Patre & Spiritu sancto vnus, sempiternus & immortalis es Deus in sæcula sæculorum, Amen.

Scholia in librum secundum.

Cap. primum.

1 ABdarrahgman vicesimo nono.) *Libri nostratium historicorum Abderramẽ semper scriptum habent, vbicunque & hic, & alij reges cognomines nominantur. Ego veram hanc, quæ in vtroq; fuit exemplari, huius nominis prolationem esse existimo. Nam Arabicũ quiddam prorsus stridet, & illa altera ad Hispani sermonis dulcedinem videtur lenita. Est autem hic Habdarraghman huius nominis tertius, vt ex Rasis Mauri, & ex peculiari Ruderici Toletani Archiepiscopi de rebus Arabum historia constat.* Habdarraghmanes rex.

CÆTERVM cum multa sint, eademque sanctissima horum D. Eulogij librorum commoda, quæ sanctorum martyrum rebus gestis commemorandis exhibentur: tum etiam illud non vulgaris eruditionis & vtilitatis hinc comparatur: quod clara & ferme indubitata ratio annorum in Hispana historia, ab tempore regis Pelagij, ad Ordonium primum Ramiri primi filium, ex hoc loco, & ex libri tertij principio certissime digeritur. Quo pacto id fiat, non est huius loci disserere. Quanti autem momenti sit in annorum ratione & omni Chronologia certum aliquid & fixum, tanquam cardinem, in quo cætera vertantur, inuenisse: hi nosse solummodo possunt, qui in hac re sese aliquantulum defatigarunt. De quo nos initio Gothicæ historiæ, in nostro Chronico late disseruimus. Temporum ratio in Hispanorum regum historia.

Consulatus.) *Et hoc etiam ex illa est Latini sermonis licentia, de qua superius diximus. Regnum consulatum, summos regni magistratus consules, honores etiam & dignitates fasces vocat. Idem facit Sãson abbas Cordubensis, de quo antea diximus.* 2

Cordubam vero.) *Rasis non Cordubam seorsum, sed omnem Hispaniam, huius regis inclytis operibus scribit fuisse nobilitatam. Hic (inquit) aquas ex montibus in vrbes inuexit, templa exædificauit, & textrinas panni pretiosiaris intro intertexti per Hispaniam instituit. Toletanus narrat, Cordubenses plateas lapideo stramento ab hoc rege fuisse munitas: item aquam ex vicinis montibus in templum, arcem & alia celebriora vrbis loca plumbeis fistulis fuisse perductam. Influit adhuc in hæc ipsa loca aqua, sed nõ magna copia. Vnde cõstat diuersum fuisse hunc aqueductũ, quo nunc eo aqua perducitur, ab illo altero stupendæ structuræ, qui plurimis locis interruptis conspicitur. Per hunc multo maior aquæ vis in vrbem dimanabat, decimo ferme milliario procul perducta. Parum est toto hoc itinere montes amplissi-* 3 Aquæductus Cordubæ stupendus.

mos fuisse perfossos, profundasque valles pontibus æquatas. Ipsa montium incredibilis moles, ne pondere suo subterraneum opus deprimeret, crebris turribus, quæ ex ipso vasto canali, tanquam castella excitantur, & in sublime montium emicant, sustentatur. Et cum recta in arcem & templum breui itinere posset is aquæductus peruenire, longo circuitu per eum agrum, cui ab Ranarum cantu nomen est, incuruatur: vt superioribus etiam vrbis partibus aqua impertiretur. Hoc opus huius esse regis ego semper credidi. Neque enim vllus alius author memoratur. Et illa arcis & templi aqua, quæ nunc perducat, exigua est: hoc vero ingens profecto fuit, & tanta scriptorum celebritate digna.

4 Quæ olim patritia.) *De vtroque vrbis nomine multa iam diximus. Itidem de regn. Arabici sede ibidem collocata.*

5 Necnon ex parte linguæ Arabicæ cognitus.) *Hispanismus plane est. Non enim significat beatum Perfectum mediocriter linguæ Arabicæ fuisse peritum. Significat profecto Hispana phrasi, insignis Arabicæ linguæ cognitionem, qua pollebat, causam extitisse, vt notus Mauris esset, & in pretio habitus. Ita frequenter loquimur: Por parte de su virtud era muy bien querido. Huiusmodi autem nonnullos alios Hispanismos iam antea annotauimus.* 10

6 In prædicto transegit cœnobio.) *Quam basilicam antea nominarat, nunc cœnobium vocat. Ecclesiæ nimirum tunc omnes, monasteria etiam promiscue & erant pene, & dicebantur. Ab Gothorum temporibus manserat, vt ex concilijs, & ex Pauli Emeretensis historia præsertim intelligimus. Habebant insignia quæque templa suos abbates, qui præessent, gregemque diaconorum, & aliorum, quin minoribus ecclesiæ gradibus constituti, interdiu noctuque inibi ministrarent. Hoc semel dictum oportuit, ne quempiam sæpius obuium conturbaret. Paulus hic Emeretensis diaconus, cuius mentionem alicubi fecimus, cum Emeretensis ecclesiæ & antistitum eius historiam scripsisset, tum etiam de aliis sanctis viris quædam adiunxit. Extat etiam eiusdem confessio catholica. Quæ duo opera manuscripta non parum antiqua in S. Ecclesiæ Toletanæ bibliotheca habentur. Eadem multo vetustiora in nonnullis alijs bibliothecis conspeximus.* 14

Paulus Emeretensis diaconus.

7 Egisse prædixit.) *Eodem consilio quo in primo libro quædam de obscenitatibus legis Mahometicæ dempsimus: eodem hic quoque pauca quædam omisimus, ijsdem pene verbis iterum repetita. Et ipse etiam diuus Eulogius: quædam se hic subticere profitetur, quæ horrorem piis auribus possent prebere.*

8 Pſallat Deus.) *De imprecationibus nostratibus diximus in primi libri præfationem. Ad eundem modum è conuerso vota quoque prospera & honorifica concipiuntur. Tale illud est in comœdia: Dij meliora. Et quædam eiuscemodi. Sed nos Hispani & frequentius & apertius, ad hunc modum medio sermone, bene ominamur.*

9 In campum vltra pontem.) *Ea nunc planities Veritatis campus appellatur.*

Veritatis campus Cordubæ.

SCRIPSIT de hoc martyre Perfecto etiam quisquis fuit Indiculi Luminosi author. Eius autem verba apponam, vt, quantopere cum D. Eulogij narratione consentiant, appareat. Et primum sacerdotem intactamur Perfectum gentilitio zelo peremptum, fidei constantia decoratum, martyriali gloria insulatum, & vere in electorum numero aggregatum: & quo pacto ad occisionem venerit sinceriter proferamus. Nempe ad aliud pergentem, aliis q. sæcularibus operibus intendentem, nihilque de quo gestum est pertractantem, dæmonicolarum incursionibus impulsatur. A quibus ille caute & circumspecte, vt ijsdem videtur, vt vero mihi, timide fidem petit: & ne ex responsionibus proprijs impediretur, orauit dicens. Multa erant mihi, ex quibus abundantissime vestras poteram confringere næniας, vel destruere aniles historiarum fabulas, si vestræ vltionis non vererer vltrici gladio currentes vltro citroque incurrere sententias. Cui cum fidem dedissent, & ei, vt quæ sibi videbantur exponeret, iuramento antepositio imperarent: ille accepta dicendi fiducia, & eorum pro vero iuramento sumens mendacia: post multa & varia sententiarum certamina, prophetæ eorum voluptuosam lasciuiam, & lenocinationis luxuriam sermone, quo potuit, exprobrauit, & oratione splendida comprobauit. At illi, aliqua super eius meretricationis subsanium, vt coniugatorum adulterij colludium habita conflictatione verborum, frendentes dentibus, & caninis fluentes rictibus, ore vipereo sibilantes, & leonum ferocitate fremente, abire eum, propter datum nouum iuramentum permiserunt illæsum. Sed post aliquod temporis cursum, dolorum semper pectoribus reuoluentes venenum, & quasi vetustate temporis reputantes abolitum prius illi iniectum infidum pactum, dolo eum circumuenientes apprehensum iudici sæuissime mendacio inhiantes, quasi destruentem fidei patrum ritum impie protulerunt: eumque maledicentem eorum vatem suo testimonio vilissimi hominculi firmauerunt. Ille inopinato casu perterritus, & inusitata circumuentione perplexus, illorum fraudulenta ignorans consilia, quæ contra eum instruxerat commentatio fraudulenta: se hoc penitus non dixisse, in firma satis prosequutione retexuit. At vbi in carcerem missus in se extat conuersus, audaci proposito & virili congressu cœpit ipsorum totam legem infringere, & non solum quod pridie dixerat, quæ super eum imperitiæ factio asserebat, verum etiam alia potiora ingerere, mortisque magis gloriam, quam meritum expectare. Tunc eductum in ipsum diei sui horrendum pascha, quo soliti sunt pascua fruitura, & ventri libidinique alimenta ministrare satura, gladio vindice peremerunt. Et quasi victoriam hostium

Eos notat, aduersus quos scribit, martyrum detractores.

EXceptoris reip.) *Scribas publicos hoc nomine intelligi debere Budeus in prioribus in Pandectas annotationibus docuit.* 1 *Isidorus lib. 11. Etymolo. 4. Excepto.*

Tabanos viculum.) *Huius oppidi nullum manet vestigium: neque est vnde coniecturam eius situs capere possimus. Id postea cœnobium ab Mauris est diruptum: ac monachi intra vrbem confugerunt: vt lib. 3. cap. 11. Eulogius scribit. Fuit autem sancta Columba, vt ibi refertur, eodem consanguinitatis gradu quo Martinus & Elisabeth cum S. Martyre Isaac coniuncta. Cætera vero huius martyris gesta, plenius in lib. 1. præfatione narrauerat.* 2 *Tabanos oppidum. S. Columba.*

In regia vrbe.) *Hoc cognomen olim post Constantinum Constantinopoli, quod ex illorum temporum authoribus patet, fuerat tributum. Inde videntur Gothi Toletanæ vrbi, postquam inibi regni sedem & veluti caput statuerunt, idipsum dedisse. Eadem prorsus ratione Corduba regni in Hispania Arabici caput, regia etiam vrbs simili antonomasia D. Eulogij tempore appellabatur. Et hoc ipsum in huius lib. 2 principio S. martyr retulit.* 3

Tertio nonas Iunias fer. 4.) *Annus & eo amplius inter Perfectum martyrē, & Isaac transierat. Tertius enim Iunij dies anni 851. hic notatur. Recte porro feriam quartam fuisse memoratur. Habuit nāque is annus cycli solaris vicesimus, D. literam dominicalem. Quæ omnia ex superioris capitis supputatione astruuntur. Et lib. 1. hoc ipsum confirmatur, cum quintus post hoc martyrium dies dominicus fuisse scribitur. Inclusiue enim vtrinque computatur.* 4

At vero de Isaac martyre, ita in Indiculo Luminoso. Ad nostros spontaneos martyres properemus, Zelo Dei Isaac religiosus non humana instigatione, sed diuina commotus, nec vsitatum callem nostris tēporibus, sed obliteratum intendens, antiquum persequutionis fumum non sufferens animo, iudicem adijt: & eaquæ alter flagello diro vexatus negabat, quæ inter verbera se non dixisse iactator debilis personabat: athleta fortis, belliger miles, abundantiori prosequutione firmauit, potiori prælio intentauit, & ingenua mente inchoauit, ingenua morte peregit, consummauit, impleuit. Vt ostenderet hominibus fidei se zelo commotum, non timore necessitatis præuentum, vt constanti fiducia Ecclesia prælians bella aperte proferret, & patule, quod quibusdam indicijs super comprehensum satagebant firmare. Vt etiam produceret Dominus athletarum suorum mundo victoriam, & militum suorum rudi sæculo provalaret constantiam: & ostenderet, quod in nouissimis temporibus etiam victores haberet, qui bella Domini & instinctu, quo primi intentauerant, præliarentur.

hostium potiti, ad orationis conuenticulum, obsequium Deo se præstasse credentes, elati, & innocentis cruore perfusi, ritum suum perficiendum, vt soliti sunt annue peruenerunt.

Accensis nauibus.) *Fluuiales lintres naues per abusionem quandam vocat.* 10

Dignoque præsulis.) *Cum Cordubensis Episcopi, qui suo tempore Ecclesiæ præerat, alicubi D.* 11
Eulogius meminerit: nunquam tamen nomen eius scriptum reliquit. Id qua ratione fecerit, non possum intelligere.

In eo titulo, quo.) *Possumus hinc suspicari, non vnum D. Aciscli templum tantummodo tunc* 12
Cordubæ fuisse. Nunc duo priscæ etiam recordationis visuntur. Exiguum delubrum vnum, in quo edu- 5. Aciscli templa.
catus sanctus martyr cum sorore Victoria fuerit: alterum ad flumen vetustissimæ in vestibulo structuræ,
vbi sepulti ambo fuisse creduntur. Inde id templum magna veneratione colitur, & paucis antea annis fratribus ordinis S. Dominici tributum, cœnobium ibidem instituerunt.

Sicut quidam poëta.) *Versus est Cælij Sedulij, li. 1. Carm. Paschal.* 13

Quarto decimo Cal. Maias.) *Dies est Aprilis decimus octauus: qui quidem eo anno octingē-* 14
tesimo quinquagesimo in sextem vtique feriam incidit. Fuit enim is annus cyclisolaris trigesimi primi decimus nonus, post bissextum secundus. Inde constat literam dominicalem E. habuisse. Recte igitur sibi omnia consonant.

Regnique sui excidium.) *Latius de hac regis formidine libro primo, & alibi sæpe. Et alius est* 15
terror ille, de quo in fine libri huius secundi, quod ex capitis septimi principio hoc ipso libro manifestum est. Sed nos interim Dei virtutem, Christianæ veritatis robur, vim legis Euangelicæ reuerenter suspiciamus. Consumit, dispersit, mactat Christianos impius tyrannus: sed pusillus grex, cui complacuit patri dare regnum dispersus & trucidatus validior insurgit, ingentemque regiæ potentiæ terrorem immittit. Hinc nimirum ignem, quem Christus venit mittere in terram, nihil malens, quam vt ardeat, si velis extinguere, maior inde flamma erumpit: & frumenti grana emortua in terram cadentia, ingentem fructum semper in Ecclesia attulerunt.

Caput tertium.

1 *Albense oppidum.* EX Alabensi oppido.) *Albensi libentius lego ex Plinio & Strabone: cum Alabense fuerit in exemplari.*

2 *Tyrones pueri. Ioseph Eulogij frater.* Inter militares.) *Hos pueros nobiles Tyrones vocat author vitæ & martyrij S. Pelagij. Quod opusculum suo loco apponetur. Et Ioseph D. Eulogij frater natu minimus, vt ego existimo, inter hos palatij Tyrones regi inseruiebat. Hoc postea apparebit.*

Nonas Iunias.) *Duobus tantum post Isaac diebus patitur Sanctius die Iunij quinta: Feriatur sexta, recte signatur: De eius sancto cadauere aut sepultura nihil tradit Eulogius: quoniam cum sequentibus martyribus igne fuit crematum.*

Caput quartum.

1 *Astigi Vrbs. Singula flumina.* IN vrbe Astigitana.) *Nobilis Romanorum tempore colonia, Iulia Firma post Iulij Cæsaris tempora nominata, conuentum habuit iuridicum. Priscum illud nomen Astigi ex sumo ipso nomine Romano, magnam eius astruit antiquitatem. Singuli flumine alluitur: qui post Bætim tota Bætica est amplior. Vrbs ipsa & fluuius prisca, sed nonnihil immutata retinet nomina. Ecija enim & Xenil appellantur. Agerius vrbis, non magnus alioqui, feracitate tamen ditat magno opere accolas. Insignis est olei opulentia. Gossypium magna copia seritur. Horti cum fructuum omnis generis exuberantia vtiles, amœnissimum præterea totum tractum reddunt. Episcopum olim habuit, quod ex concilijs Toletanis & Hispalensibus constat. Distat à Corduba triginta duobus milliaribus, ab Hispali paulo pluribus. Eius Plinius, Pomponius Mela & Ptolomæus inter alios meminerunt.*

2 *Maria martyr.* Et S. Walabonsus.) *Erat hic Mariæ martyris, quæ una cum Flora passa est, frater: vt capite octauo apparebit.*

Eleplensi.) *Cum Ilipa, aut Ilipula (nam authores variant) verum sit nomen vrbis, indeque Ilipense & Ilipulense exoriatur: nummum tamen peruetustum vidi, in quo MVN. ELEPLA. Erat scriptum. Ilipulæ autem duæ fuerunt, quod ex Plinio & Strabone & Liuio constat: in Lusitania altera, altera in Bætica. Ego de hac postrema hic puto intelligi. Eam vero eo loco sitam fuisse, quo nunc non admodum magnum oppidum Pennaflor dictum, medio ferme inter Cordubam & Hispalim itinere videmus, longa disputatione in Hispaniæ antiquitatibus, chronico nostro adiunctis, probauimus. Inde qui velit petat. Hic locus plura non postulat.*

3 *Ilipa oppidum.*

Pennaflor oppidum.

4 *Cuteclara Vicus.* In vico Cuteclara.) *Hoc oppidulum & in eo cœnobium latius cap. xiij. describitur.*

Froniano Vicus. Ex vico Froniano) *Et huius vici postea cap. 8. mentio cum maiori explicatione fiet.*

Sancti Zoili.) *Suus quoque peculiaris locus de hoc diuo dicendi in D. Eulogij ad Rompelonenses Episcopum epistola interueniet.*

5 *Froniano Vicus.*

Flumen Armilata.) *Paululum immutato nomine nunc, Almellato, appellatur, & superaddita Sarracenorum more in principio Arabica voce, Guad, quæ fluuium significat, integrum sit nomen Guadalmellato. Ex montibus progressus hic fluuius, duodecimo ferme supra Cordubam milliario Bætim ingrat. Triginta autem & eo amplius milliaria, quæ D. Eulogius memorat, plane docent situm hoc monasterium fuisse non loge supra insignem illud, quod nunc videmus & veneramur, Franciscanorum cœnobium, cui S. Franciscus de Monte nomen est. Nempe vicesimo quarto & eo amplius milliario ab nostra vrbe ad ripam ferme huius fluminis loco edito, ad Septentrionem est collocatum.*

6 *S. Zoili templum.*

7 *Armilata flumen. S. Franciscus de monte.*

S. Christophori.) *S. Iuliani templum operis peruetusti, ex aduerso ferme vrbis nunc constitutum. Potuit id nomen immutasse. Certe nullius alterius apparent vestigia.*

8 *S. Iuliani templum.*

De quo supra affati sumus.) *Hinc plane apparet hunc Hieremiam martyrem eundem esse, qui supra cap. 2. Tabanensis monasterij conditor dicitur. Eius etiam mentio est libro primo, & libro tertio, cap. decimo.*

9 *Hieremias martyr.*

Septimo scilicet Idus.) *Apparet quanto tunc sancti Cordubenses feruerent amore martyrij, quidem tam frequenter paterentur. Duo tantum dies sabbatum & dominica inter Sanctium & hos martyres interfuerunt. Hic namque dies Iunij octauus notatur. Libro autem primo pridie idus Iunias sexto post martyrium die crematis, in flumen etiam proiectis cineribus, fuisse eorum cadauera tradidit. Horum sex sanctorum martyrium in Vsuardo, sed præcedenti die apponitur. Sunt & apud Equilinenem libri vndecimi cap. vltimo.*

10

Caput

ℊ Caput quintum.

EX Pacensi oppido.) *Colonia Pacensis in Lusitania olim, quod ex Plinio constat, etiam iuridico conuentu nobilitata, Arabum Hispaniam occupatium vastatione, ad parui oppidi formam, vt nunc conspicimus, fuit redacta. Pertinet ad Portugaliæ regnum, Beiaque nuncupatur. De eius nomine, situ, & antiquitate multa egregie, vt semper solet, Andreas Resendius ad Vasæum scribens. Eius vrbis excidium Rasis prosequitur.* 1 *Caletin Pacensis.*

Septimo decimo Cal.) *Is est Iulij dies decimus sextus, qui eo anno feriam quintam occupauit, quod ex superioribus iam quiuis poterit deprehendere. Quadraginta enim & eo amplius dies, sine martyrio processere.* 2

ℊ Caput sextum.

QVæ corpore.) *De hac S. Zoili Basilica tunc erit dicendum, cum de ipso martyre in epistolam ad Pompelonensem Episcopum scribemus.* 1

Illi subterraneo specui.) *Maurorum fuit mos subterraneos specus in putei fere vastioris formam excauatos, tanquam ergastula ad seruitia noctu concludenda, reosque asseruandos habere: quales per omnem Baticam in arcibus præsertim conspicimus. Mazmorras proprio eius gentis vocabulo nos etiam nunc appellamus. Cordubæ in summi templi compluuio duo eiusmodi putei hodie quoque ostenduntur, & in carceris huiusmodi vsum fabrefactos ab Mauris, omnes affirmant: sed illos ego ad continendam, & diutius asseruandam aquam fluminis potius crediderim fabrefactos. Nam vt erant Arabes eius templi superstitiosi veneratores, crederent profecto, reis, captiuis, eorumque fœditate & pædore contaminari. In arce, aut alicubi fuisse hunc subterraneum carcerem crediderim. Ductus est mos ab Græcis & Romanis, qui huiusmodi subterraneos carceres & habuerunt, & vsitato vocabulo Putealia vocitarunt. Et de Puteali, quod Romani Cordubæ habuerunt, iam suo loco diximus. De vtriusq; etiam carceris discrimine alicubi præterea meminit D. Eulogius.* 2 *Subterranei carceres.*

Tertio decimo Cal.) *Dies erat Iulij vicesimus, qui eo anno reuera in secundam feriam inciderat. Habuit Paulus fratrem Hludouicum nomine, qui & ipse martyrio postea fuit coronatus. Libro sequenti, cap. 14.* 3 *Hludouicus martyr.*

Carmonensis monachi.) *Carmona etiam nunc eidem oppido nomen est. Romanorum temporibus Carmo tantummodo appellabatur. Id veteres nummi testantur, in quibus a tergo inscriptum est, CARMO inter duas spicas, agri feracitatem proculdubio denotantes. Est præterea munitissimi situs ergo ab Iulio Cæsare lib. 2 commentariorum ea vrbs commendata. Eius etiam mentionem apud Strabonem & Ptolemæum reperies. Sed in hoc autore Carmoniam perperam legitur. Sita est Carmo vicesimo quarto ab Hispali milliario, eo itinere quod ad Astigitanam vrbem ducit, ab qua milliaribus triginta sex distat.* 4 *Carmo oppidum.*

Octauo Cal.) *Omnia prorsus concordant. Is enim dies Iulij vicesimus quintus, ex superioribus liquet, sabbatum necessario fuit: quem septimam feriam D. Eulogius vocat, qui inclusine (ita dicunt) ab Pauli martyrio dies computat.* 5

ℊ Caput septimum.

ET Cursus mensium.) *Hinc iam apparet D. Eulogium existimasse, eodem anno quo superiores martyres, octingentesimo videlicet quinquagesimo primo, has duas virgines passas fuisse. Id in fine huius capitis manifestius patebit. Quod tamen necesse fuit iam hinc ad rectam computationē, quæ mox ineunda est, annotare.* 1

Igitur referente.) *Quoniam D. Eulogius hic aperte scribit, hoc anno octingentesimo quinquagesimo primo Nunilonem & Alodiam martyrium subijsse: & re vera decennio antea occisæ pro Christo fuerant: vt quo pacto cohærere hæc possint intelligamus, necesse fuerit, diligenter hic & exquisite temporū rationem seriemque inire.* 2 *Temporū ratio.*

Cum igitur D. Eulogius hoc ipso anno passas fuisse has duas virgines scribat, & Venerij relatu de earundem martyrio se certiorem factum dicat: illud in primis compertum est, hoc ipsum non eo tempore intellexisse, quo apud hunc Episcopum Cæsaraugusta rediens (quod suo loco videbimus) fuit. Manifestum enim est ante vndecim annos diuum Eulogium Complutī apud Venerium fuisse. His adde quod cum Eulogius sanctorum sui temporis martyrum studiosissimus semper fuerit, & Pompelone, & in Legerensi sancti Saluatoris monasterio immoratus aliquantulum fuerit: si passæ iam eo tempore hæ virgines fuissent, audisset vtique de earum martyrio, vel ab Pompelonensi Episcopo, vel ab abbate monachisque Legerensibus. Nam & non longe ab Vuerbetano oppido & Bosca *Legerensis cœnobium.*

aberant, & consequuta postea sunt, docent, magnam vtrobique harum martyrum rationem semper habitam fuisse. Restat ergo, vt post D. Eulogij reditum passæ sint, & venerius ad ipsum de his scripserit, non coram retulerit. Iam vero paulo antequam hæc de his sacris virginibus scriberet Eulogius, epistolam Venerij pervenisse, fit profecto ex ipsis authoris verbis verisimile. Primum ex prima & secunda huius capitis periodo. Nam pene manifeste indicat, se nihil antea de harum duarum virginum martyrio intellexisse. Deinde ex illis verbis paulo post. Prius tamen illa sanctorum trophæa elucubranda sunt, quæ ratio & cursus mensium ordinatim, vt acta fuerunt adducit, licet in alijs regionibus gesta extiterint. Sequitur illud etiam, quod multum iuuat hanc coniecturam. Sed quia vna est confessio, quæ vtrosque coronauit, idemque tempus, quod vtrosque per feralem impietatem in cœlum præmisit, & cætera. Non idem tempus diceret, si annis antea aliquibus passas fuisse intellexisset. Hoc igitur ipso anno apparet Venerium Episcopum ad Eulogium de his duabus martyribus scripsisse. Et idem episcopus longe ab Vrbeuetano oppido positus (quinquaginta enim ferme Hispanis leucis Complutum inde distat) Sarracenorum præsertim truculentia Christianorum præpediente discursus & itinera, temporis in quo interfectæ fuerant ignarus: superiori anno occisas fortasse scripserat. Aut si nihil scripserat de tempore: Diuus Eulogius, qui nunc tandem cognosset proximum annum his dedit, ratus in eo periisse. Et illa D. Eulogij postrema verba: ferunt tamen, quod illa virginalia cadauera in loco, quo ab ethnicis altis scrobibus magis abscondita, quam humata sunt, signis & miraculis coruscant, & gloriam emeritæ consolationis virtutum efficientia tam fidelibus quam gentilibus ostentant: hæc inquam verba aperte indicant Eulogium & Venerium pauca, sub obscura & incerta de his virginibus comperisse, qui hoc tempore ibi sepultas credant, neque intelligant octo iam antea annos, quod mox videbimus, inde fuisse translatas. Hæc ita coniectari & rimari cogimur, vt D. Eulogium excusare possimus, cum constet has sanctas virgines ante annos decem pro Christo interemptas. Anno namque Domini octingentesimo quadragesimo secundo, Iunij mensis die decimo octauo, ipsarum corpora in Legerense monasterium S. Saluatoris translata sunt. Id ex diplomate regis Innigui Aristæ constat: quod Stephanus Garinayus in suo diligenti satis rerum Nauarricarum chronico apposuit. Et cum de tempore martyrij earundem virginum praue sentientium opiniones opportune idem author ibidem confutauerit: annum tamen ipse astruere non potuit. Neque ego tamen possum: sed coniecturis non leuibus ducor, vt credam anno octingentesimo quadragesimo, pro Christo occubuisse. Etenim D. Eulogius, vt suo loco ostendemus, Pompelone, & in Legerensi monasterio anno Domini octingentesimo trigesimo nono fuerat: & (quod paulo ante probauimus) nondum martyrium subierant. Et tamen anno 42. post 800. earum corpora transferuntur. Paulo post etiam ex astronomica supputatione multo euidentius hoc ipsum confirmabimus.

Translatio sanctarum virginum. Legerense cœnobium. Stephanus Garinayus.

3 Nunilo & Alodia.) *Elodia fuit in veteri. Nos Alodiam substituimus, vulgata consuetudine multarum per Hispaniam Ecclesiarum, quæ festum harum sanctarum martyrum celebrant, earundemque historiam in matutinis legunt.*

4 In vrbe Bosca.) *Mira est breuiariorum, vt vocant, in nominandis his oppidis varietas. Illud constat passas has duas virgines fuisse non longe ab Naiara vrbe, in oppido, qui nunc appellatur Castro viejo. Quod Latine Castrum vetus redditur. Ibi sepulchrum sanctarum martyrum ostenditur, ibidem alia sunt priscæ recordationis vestigia, & ibidem tanquam alumnæ & indigenæ summa totius regionis veneratione coluntur. Hoc omnino compertum & indubitatum possum affirmare. Nomina illa Berbetanum seu Vrbeuetanum & Castro Bigeri, quæ in breuiarijs nostratibus leguntur, ex Castro veteri videntur corrupta. Bosca quæ vrbs fuerit, non possum explicare. In veteri exemplari Osca non Bosca fuit, ego vsitatum magis nomen reposui. Nam Oscam remotam admodum in Aragonensibus vrbem, non credo fuisse traductas sanctas virgines.*

Naiara vrbs. Castrum vetus.

5 Materteræ nutritione.) *Longe diuersum narrant matutinales per Hispaniam lectiones, & sanctoralia, quæ vocant, manuscripta. Orbas nimirum propinquum quendam tutandas suscepisse: cumque is Mahometico errore teneretur, neque Christi fide sanctas virgines posset auertere: ab eodem delatas, & ad præsidem ductas.*

6 Sub ictu gladij corruerunt.) *Lectiones in breuiarijs plura eademque pientissima de cæde & sepultura sanctarum, sigillatim commemorant. Et in manuscriptis præsertim, vt vocant, sanctoralibus latius continentur. Inde nos apponemus, quia scitu sunt dignissima: & non plene assequutum D. Eulogij historiam harum virginum confirmant.*

TVNC præcepit rex lictori dicens: Percute gladio, & abscinde earum capita. At lictor tertio regem interrogat an feriret? Er vt feriret tertio cum audisset: dixit maiori: Extende ceruicem. Tunc sancta Nunilo dixit ad sororem suam minorem. Vide, germana, ne aliter facias, quam ego facturus sum. Cui Alodia respondit. Nihil dubites, germana, quod ego aliter faciam. Statimque S. Nunilo alacri animo prosiliens, apprehensis crinibus caput sibi circunligans, dicit ad lictorem. Feri velociter. Ille eleuatum in altum gladium deposuit super eam: non in medium ceruicis locum, sed in mandibulas illud deponens: vnde ea penitus caput eius abscidit. Cadentesque in terram corpore, paululum crura eius nudata sunt. Quod cernens soror eius, festinans, protracta veste contexit. Quo facto multitudo hominum miratur. Fideles quidam

debant, infideles tabescebant. Dixitq; iniquus rex carnifici. Sine modo ne ferias. Tunc ad sanctam Alodiã dixit. Quid proderit tibi, si moriaris? Consenti nobis, & vives nobiscum cum multo honore. Quibus martyr respondit. Non consentiam. Festina, percute me, ne sola pergam. Et eleuans oculos vidit animam sororis suæ in columbæ specie angelis circundatam, & dicebat. Expecta me germana, expecta me modicum. O mira virtus Altissimi, puella, quæ gladium non longe micantem cauere non poterat, in propriam cerucem descensurum, non pertimuit: sed apprehensam syndonem, qua vestiebatur, sibi in crure alligauit, & capillis suis faciem suam exterst. Inde flexis genibus super corpus sororis suæ prabuit se percussori, qui vno ictu caput eius amputauit. Sicque martyres vna die, vna hora martyrium suum victrices consumauerunt in pace quinta feria, duodecimo Calen. Nouemb. Hæc nos ex vetustissimo sanctorali codice ante sexcentos annos Gothicis literis in membrana descripto transcripsimus. Is fuit inclyti cœnobij S. Petri de Cardenna Benedictinorum, nunc in regio S. Laurentij Hieronymianorum seruatur. Ibi in titulo scriptum fuit, passas fuisse sanctas virgines sub Zumahil præside, Era tamen aut annus signatus non fuit. Sed cum Octob. dies vigesimus primus ibi signetur, & in quintam feriam eo anno incidisse sit superadditum: ex consueta nostra astronomica computatione constat, anno Domini 840 sanctas virgines in Christi confessione fuisse coronatas. Is enim annus post triginta integras cycli solaris conuersiones, nonus fuit in trigesima prima. Fuit autem bissextus, habuitque literas dominicales D. C. Et cum. C. mensi Octob. deseruiret, dies 21. in 5. feriam incidit.

Cœnobium S. Petri de Cardenna.

Zumahil præses.

Vndecimo Cal.) *Cum D. Eulogius in anno, vt ostendimus, aberrasset, inde etiam diem non potest recte signare. Et in Vsuardi quidem martyrologio 22. Octob. diem festum harum sanctarum virginum occupat, quod & in breuiarijs nostratibus seruatur: sed regum diplomata, vt mox apparebit, diem 21. astruunt. Et omnes ferme Hispaniæ Ecclesiæ earundem virginum festum concelebrant, tanta fuit in eisdem martyrij præstantia & illustris claritas.* 7

Quarum corpora.) *Hinc postea educta in Legerense S. Saluatoris cœnobium, quod non procul admodum distat (vt diximus) sunt translata. Et quanquam vno illo Inigui Aristæ regis, quod supra retulimus, diplomate satis hæc sit testata translatio: libet tamen duo alia apponere, quæ ex eodem Legerensi monasterio descripta cum multis alijs habuimus. Ex quorum altero constare poterit 21. Octob. non 22. sanctas virgines occubuisse.* 8

ERA millesima sexagesima die duodecimo Kal. Nou. Sanctius maior rex Nauarræ, & Castellæ, & Aragoniæ facit ad corroborationem ordinis S. Benedicti Domino & magistro suo Sanctio Episcopo donationem de Legerensi cœnobio, quod est fundatum in honore S. Saluatoris, & continet membra virginum & martyrum Christi Nunilionis & Alodiæ cum innumerabilibus sanctorum reliquiis. Considerans enim semper de inimicis suis triumphasse, & omnes illos per circuitum suum sibi subiugasse: videns etiam, quod post Maurorum inuasionem laici, sæcularisque ordo Ecclesias totius Hispaniæ habuerunt, eas Ecclesiasticis viris tradere decreuit. Et audiens beati Benedicti doctrinam vbique rutilare: cogitauit qualiter in regionibus suis eam posset transplantare. Et mittens ad Cluniacense cœnobium, euocauit inde abbatem Paternum, & cũ illo gregem monachorum, quos in ascysterio S. Ioannis Baptistæ constituit. Nunc vero prædictus rex Sanctius prædicto Domino & magistro suo Sancio Episcopo deuota mente commendat, & concedit prædictum monasterium Lejerense, cum possessionibus, quas antecessores reges ei dederunt, & alij quatenus in eo ordinem monachorum constituat, vbi corpora parentum regis requiescant. Facta charta vt supra in præsentia multorum, qui venerant adorare Deum, & celebrare festiuitatem sanctarum martyrũ in prædicto monasterio, regnante clarissimo rege præfato Sancio in castella, in Pampilonia, in Alaua, in Aragone, in Suprarbi, in Ripacorcia, in cuncta Gasconia, in Leyeut. Testes.

Annum Domini M. 22. dies Octobris 21.

D. Benedicti ordo quando primum in Hispania.

Eximena regina mater regis.
Regina dona Munia Maior Garsia.
Ranimirus Gundisalui.
Bernardus Mattus Aragonensis Episcopus.
Sancius abbas Lejerensis, & Episcopus Pampilonensis.
Paternus abbas S. Ioannis.
Eneco abbas Homiensis.
Senior Exemeno Garces.
Senior Garcia Lopeiz, & Fortunio Sainz, & Acenar Fortunionis, & Fortunio Ossuaz, & Garcia Fortunionis, & Lope Sainz.

ANNO etiam millesimo trigesimo secundo, idem rex eidem monasterio huiusmodi diploma concessit.

Annus Domini M. 32. dies Octob. 26.

ERA 1077. Cal. Ianuar. fer. 3. Ego Sancius gratia Dei rex, dono vobis Domino & præsuli sanctissimo Domino Sancio, vel omni collegio monachorum cœnobio Lerensi, sub aula S. Saluatoris, vbi sunt corpora beatissimarum virginum & martyrum Nunilonis & Alodiæ, necnon reliquiæ apostolorum & martyrum, quæ ibi reconditæ sunt: Dono, inquam, vobis in valle de Ostella, prope villam quæ dicitur Portiella, monasterium, quod dicunt S. Ioannis cum suis terminis: & in Pampilonia parrochiam de S. Cæcilia: & in valle de Garonio monasterium, quod dicitur Zeyazahassa.

Ego rex Sancius sereniſſimus, regnans in Pampilonia & Aragonia, in Suprarb. & in Ripacorcia, & in omni Gasconia, atq; in cuncta Castella, & Legione, siue in Astorica, confirmo.

Munia Mayor regina, conf.

Ranimirus proles regis, confirmo.

Garsia frater eius, confirmo.

Gundisalnus frater eius, conf.

Fernandus germanus eius, conf.

Martinus Aragonensis Episcopus, conf.

Sancius Pampilonensis Episcopus.

Arnolfus Ripa Corciensis Episcopus.

Munio Alauensis Episcopus.

Iulianus Episcopus Castellensis.

Pontius Episcopus Ouetensis.

Fortunius Sancij dominator Caparroso.

Fortunius Sancij dominator Falces.

Acenarius Fortunionis dominator Vgarte.

Garsia Fortunionis dominator Funes.

Lope Eneconis Dominator Arruesta.

Fortunio Vxuaz Cantabriensis.

Don Petro sub imperio regis imperans Naiara.

Valassius Feneſtella ex palatio regis exaraui, & accepi pretium propter hanc scriptu quinque modios tritici.

Exemena regina Vetula ancilla Dei, degens in Reperus, confirmo.

Paucis post martyrium harum sanctarum virginum annis, regina fuit Hispaniæ, quæ alterius nomine Nunilo vocaretur. Id cum in nostris historijs non sit scriptum, Oueti in camera sancta, de qua iam diximus, video esse testatum. Ibi namque inter prisca regum nostrorum donaria arca etiam est duorum pedum longitudine, tabellis pretiosissimis achaticis lapidis auro circunclusis coagmentata & fabre facta, gemmis etiam vndique diues. In fundo, qui est argenteus, hanc habet inscriptionem, quam ipse fidelissime transcripsi.

SVSCEPTVM PLACIDE MANET HOC IN HONORE DEI, QVOD OFFERVNT FAMVLI CHRISTI FROYLA, ET NVNILO COGNOMENTO SCEMENA. HOC OPVS PERFECTVM EST ET CONCESSVM EST SANCTO SALVATORI OVETENSIS. QVIS QVIS AVFERRE HOC DONARIA NOSTRA PRÆSVMPSERIT, FVLMINE DIVINO INTEREAT IPSE. OPERATVM EST, ERA DCCCCXLIX.

NEQVE dubium esse potest quin donum sit Froilæ regis secundi. Nam præter opulentiam, qua regia plane est: multa sunt alia, quæ id aperte testentur.

CORPORA harum sanctarum virginum hinc postea Bononiam fuisse translata Vasæus scripsit. Sed nemo dubitat nunc etiam in eodem S. Saluatoris Legerensi cœnobio asseruari.

¶ Caput octauum.

1 EX vico Ausinianos.) *Meminit huius oppidi etiã alibi, nullibi tamen plenius. Nos quod de eo præterea dicere possumus, nihil prorsus habemus. Multa autem eorsum de Floræ martyrio in epistola ad Aluarum secunda commemorat.*

2 In veritate.) *Hispanismus merus.*

3 Quam quæritis.) *Virgilij est hemistichium, quod sciens volensque Eulogius, sicut alia huiusmodi interseruit.*

4 Trabibus catenarum.) *Catena aliquando in vsum possuli deseruit.*

Insta

Infra cortem.) *Latinum vocabulum probatis authoribus notum, regum nostratium vetustiora diplomata frequenter vsurpant. Significat autem illud patentis loci in domo spatium longius ab habitatione semotum, quod gallinis alendis & aliis huiusmodi vsibus septur.* 5 *Cort.*

Tuccitanæ vrbis.) *Non pauca Romanorum monumenta, in scriptique lapides, qui in oppido, quod nunc Martos in Bætica, non longe ab vrbe Iaen vulgo dicta vocamus, plane docent Tuccitanam olim coloniam inibi fuisse: quemadmodum in Hispaniæ antiquitatibus plene docuimus.* 6 *Tucci vrbs. Martos oppidum. Iaen vrbs.*

Ossaria.) *Hoc oppidum, quanquam præclarum dicatur, nullam sui memoriam reliquit.*

Artemiam nomine.) *Præter hos duos filios, habuit etiam Artemia filiam nomine Auream,* 7 *& ipsam quoque martyrem: de qua in fine libri tertij. Adulphi vero & Ioannis martyrium multis modis est celebratissimum. Multæ per Hispaniam Ecclesiæ eorum festum diem celebrant. Is est Septembris vicesimus septimus. Vsuardi martyrologium eodem die Cordubæ passos fuisse memorat. Inde in Romæ nuper ab Maurolico abbate exauctum, videtur traductum. Ado Vienensis in Gallia præsul eosdem etiam eodem die in suo martyrologio posuit: vnde Equilinus Episcopus in suo catalogo retulit. Manifestum autem hic ex D. Eulogio est, eos viginti annos & eo amplius hos omnes martyres præcessisse: siquidem initio huius regis passos commemorat.* 8

Iterum venio crucifigi.) *Verba sunt Christi ad Petrum apostolum, Romam, cum ibi crucis supplicium passus est, venientem: vt in martyrij eius historia legitur. Quam hinc iam intelligimus esse vetustissimam. Et sacellum hodie etiam Romæ visitur, eo ipso in loco, quo Christus hæc dicens D. Petro apparuit.* 9

Tunc nos etiam ex antro.) *Diximus iam de vtriusque carceris Cordubensis discrimine.* 10

Sicuti iam alibi.) *In epistola ad Aluarum quæ suo loco reddetur, ibi latius hæc omnia perscribuntur. Ibi etiam die vicesimo quarto Septembris occisas fuisse tradit. Annus vero facile astruitur ex epistola ad Pompelonensem Episcopum. Cordubensis Ecclesia eodem die festum harum sanctarum celebrat. Vsuardus, Romanum exauctum, & Adonis martyrologia, Equilini etiam antistitis catalogus earundem meminerunt. Sed desiit hic iam Eulogius hebdomadæ dies nominare, vnde indubitata certitudo temporis poterat sequentibus adhiberi. Sed satis ad fidem & historiæ veritatem est, sanctum martyrem hæc retulisse.* 11

¶ Caput nonum.

QVa Faustus.) *De inclyta Toletana vrbe iam diximus. De sacris his tribus martyribus Cordubensibus celeberrima est in omnibus Hispaniæ Ecclesiis memoria, insigni festiuitate consecrata: & copiosa historia in lectionibus matutinis repetita. Martyrologia omnia, & quicunque de sanctis scripserunt, eorum insignem habent mentionem. Sed variat alitubi festus dies, Alibi vicesimus octauus Septembris: alibi Octobris tertius decimus signatur. Vbique leguntur exusti. Illud diligenter est animaduertendum horum sanctorum martyrũ cineres ad hæc vsque D. Eulogij tempora Cordubæ asseruatos fuisse.* 1 *Faustus & socij martyres Cordubenses.*

Campaniæ Cordubensis.) *Campaniæ nomen peculiariter ab Romanis olim ei Italiæ regioni fuit attributum, quæ Neapolim, Capuam aliasque vicinas vrbes habebat: & quod campestris tota esset & plana, ita est appellata. Alioqui Campania pari ratione quæcunque similis regio dici potest. Nos certe Hispani id nomen in plana quæque transtulimus. Nam planities illa in Vaccæis, quæ longo tractu protensa Campos nunc, olim Campi Gothorum, vt est apud Rudericum Toletanum, nuncupabatur: Campaniam vocatam in Compostellana historia, ante quadringentos annos scripta reperio. Sed peculiare magis fuisse videtur, vt Cordubensis planities, tantopere ab Strabone fertilitatis nomine commendata, Campania diceretur. Nomen adhuc paululum immutatum, cum Campinnam vocemus, perdurat.* 2

In supra dicto sanctuario.) *Sanctorum trium Fausti & comitum templum intelligit.* 3

Era 890. *Hoc loco in vetusto codice, ad signandum numerum nonagesimum, nota quædam fuit & literarum colligatio peregrina, nobisque Hispanis penitus ignota: vt Gothicam fuisse appareat. Ea fuit huiusmodi. L. litera, quinquagesimi numeri nota vulgaris, fuit posita. Inde. X. adiuncta, sed cui minuta altera. L. superiori ex parte superioris apicis cohæreret: ita vt quadragesimi numeri hæc vulgaris nota XL. complecteretur: & ex notis vtrisq; quinquagesimi & quadragesimi numeri, integer nonagenarius esset effectus. Eam ego notam ad eum modum innexam in vetustis quatuor sacrorum conciliorum codicibus, quos habent sancta Ecclesia Toletana & Regium D. Laurentij monasterium ordinis S. Hieronymi oppidum Escurial vocatum, iam antea obseruaueram, & quæ esset liquido deprehenderam. Quæ omnia mihi hic sigillatim demonstranda fuerunt. vt si quis in vetustum D. Eulogij codicem incidisset, minime hæreret, aut dubitaret: sed manifestam veritatem illico intelligeret, sequentiaque omnia prope digesta conspiceret.* 4

Caput decimum.

1 FVit præterea.) *Ex ſatis humili exordio ſublimiori poſtmodum oratione diuus Eulogius inſurgit: vt iuxta Horatij præceptum, fulgorem ex fumo proferret, Voluit enim plenius ſtylo grandiori horum martyrum hiſtoriam continuare: & ſpiritus vere Chriſtiani, vere ad martyrium anhelantis ardorem dicendo proferre. Id non ſine pia animorum commotione, pij lectores non vno loco animaduertent.*

F. Laurentius Surius diui Eulogij fragmētum vidit. *Videtur F. Laurentius Surius Carthuſienſis in fragmentum diui Eulogij incidiſſe. Tomo enim quarto de probatis Sanctorum hiſtoriis totum hoc caput cum nomine authoris inſeruit. Ibi ſemper Natalia non Sabigotho Aurelij vxor nominatur. Surius autem more ſuo dictionem hic quoque & ſanctimonię martyris ſtylum limauit. Id monuiſſe oportuit, vt nemo miretur, nimium illa orationis filo ab his diſcordare, quæ nos religioſe admodum nihil prorſus immutando, vt erant in exemplari conſeruauimus. Si quæ autem diuerſa in Surio referuntur, ſuis hic nos locis annotauimus.*

2 Illius vel illius.) *Hiſpaniſmus.*

3 Vt in parte ſtramentum.) *Obſcure ſignificat, pondere catenarum aſini clitellas ſubuerſas & deiectas, ita vt in caudam defluerent: eo enim crura retrorſum à ſello inſidentis inclinata fuiſſe videntur. In Laurentio Surio longe diuerſa hæc referuntur, vt paulo poſt cæleſtis per ſomnium viſiones adducuntur. Ego nihil prorſus in noſtro exemplari deeſſe video: vt hæc ſuperaddita olim ab aliquo exiſtimem. Poſtmodum etiam filiarum Aurelij nomina Felicitas & Maria apponuntur. Deſunt vero quæ de conſulto Aluaro Eulogius proſequitur. In ſupplicio tamen Sabigothonis plura referuntur.*

4 Sereniſſimi præceptoris.) *Diximus, quia modeſtiæ ratione Aluarum, qui condiſcipulus fuiſſe videtur, præceptorem ſuum vocet Eulogius. Sereniſſimi etiam titulum additum, nobilitatem in Aluaro aſſerre demonſtrauimus.* *Aluarus.*

5 Monaſterium ſancti Sabbæ.) *Celebratur in libris de ſanctorum Patrum vitis hoc cœnobium & ipſe ſanctus Sabba, vbicumque de ſanctis eremi cultoribus agitur, eſt notiſſimus.* *Monaſterij S. Sabbæ.*

6 Martyrij ſui breuiarium.) *Hac voce Plinius & Suetonius vtentes docent, quodcumque opus, & in hiſtoria præſertim, ſummatim, & per compendium ſcriptum ſit, ita ſolere appellari.* *Breuiarij.*

7 Inſulam.) *Catacriſis illorum temporum eſt, quales aliæ pleræque.*

8 Reuelatis vultibus.) *Apparet profecto Chriſtiani moris tunc ex Pauli Apoſtoli doctrina fuiſſe, vt non in Eccleſia ſolum, ſed in itinere ad eccleſiam caput fœminæ velarent. Poterant etiam honeſtatis causa, & ne ab Sarracenis pulſarentur, velatis capitibus fœminæ Chriſtianæ miſero illo captiuitatis tempore incedere.*

9 Illico viros interrogat.) *Aurelium profecto & Felicem, qui cum vxoribus proceſſerant.*

10 Oſculatis manibus eius.) *Cum ſacerdos non eſſet, reuerentiæ tamen ergo, ab martyre ſuum veluti benedictionem ſacerdos etiam Eulogius petebat. Niſi credas iam tunc hunc morem hodiernum cœpiſſe, vt nos Hiſpani oſculari manus & dicamus, & facere aggrediamur.*

11 Vſibus.) *Quaſi dicat quibuſdam veluti experimentis.*

12 Sexto Calend.) *Multis locis apparet Adonem Archiepiſcopum hos diui Eulogij libros legiſſe & in horum martyrum mentione præſertim: ſiquidem quamuis ſub compendio, omnia tamen digna retulit, quæ hic ab Eulogio commemorantur. Cæterum referente Equilino Epiſcopo, non Sabigothonis ſed Nataliam eius loco nominat. Sed neque Ado, neque Surij fragmentum recte diem aut menſem tarunt, qui Auguſti viceſimum ſeptimum his martyribus tribuerunt.*

13 Pilemelarienſi cœnobio.) *Cum iterum fuſius huius cœnobij mentio occurrerit: tunc ad eius ſitu, quæ oportet dicemus: id erit libri tertij cap. duodecimo. In Surio prædictum ab Aurelio fit, ſe ibi ſepeliendum.*

14 Apud Geneſium martyrem.) *Metonymia, qualis illa Horatij: Scripta palatinus quæcunque recepit Apolo. Et multa huiuſmodi, quibus Chriſtiani frequenter vtimur.*

15 Et Sabigothonis incolunt.) *Locus hic in veteri codice fuit mutilus, & linea integra cum media vacua relicta, vt ſi quando poſſet ſuppleri. In Surio neque capitum ſaltem mentio eſt.*

Caput vndecimum.

1 2 COntribulis noſter.) *Tum hic, tum etiam ſuperius hac voce vſus Eulogius, indicat planè habitationis tantummodo vicinitatem.*

Fortaſſe Rojana dicē, qua Regina apud Antoninum nō longe ab Vrbe aſſignatur. Rojana.) * *Neque hic quid dicam, tametſi exquiſierim, reperio. Eodem quoque ſilentio Fregenum & Leiulenſem vicum, qui paulo poſt nominantur, præteribo.*

Eliberi.) *Corruperant nomen huius vrbis Gothica tempora: cum Iliberi Romani prorſus Ex illa corruptela maiorem poſtea Arabes inuexerant, Elberiam nominantes: vnde nos tandem Eluiram pronuntiamus. Fuit enim vrbs hæc non longe ab inclyta vrbe Granata, in colle, qui nunc*

3 *mons appellatur: cum vrbis etiam porta, qua eo ducit, Eluira nominetur. Illud animaduerſione dignum*

vero ſimillimum videri, Ili priſca Hiſpanorũ lingua oppidum ſignificauiſſe. Inde tot urbium, ſed in Bætica præſertim, nomina id in principio retinebant. Iliturgi, Iliberi, Ilipula, Ilipa: & alia huiuſmodi. De quo nos in Hiſpaniæ antiquitatibus.

Quinque milliarios luſtros.) † *Viginti longo circuitu ſignificat.* 4 *Viginti quinque potius cenſendi ſunt.*

Tertiodecimo Calen.) *Dies in Vſuardo, Adone, Equilino, & Cordubenſi breuiario concordat.* 5 *Is eſt Auguſti vigeſimus.*

Caput duodecimum.

SAncti Cypriani.) *In ſancti Pelagij hiſtoria huius etiam baſilicæ mentio erit.*

Decimoſeptimo Cal.) *Dies eſt Septembris quintus decimus, qui aperte in veteri exemplari notatur. Vſuardus, breuiarium Cordubenſe, Ado & Equilinus paucis diebus variant. In Adone & Equilino Emilianus, non Emila ſcriptum legitur. Et recte ſane non longo interuallo poſt Chriſtophorum & Leonigildum hos duos martyres coronatos ſcripſit Eulogius.* 1 2

Caput decimumtertium.

CVm adhuc.) *Notat hic quoque modicam temporis interuallum. Et nullus equidem dies interceſſit.* 1

Parapanda.) *Ignotus nunc vicus.* 2

Fanum illud.) *Templum hoc Cordubenſe intelligit Arabicæ ſtructuræ, quod hodie perdurat, maioriſque eccleſiæ dignitatem obtinet: & ſua magnitudine, columnarum multitudine, marmorum præſtantia, operis ſubtilitate, & multis aliis ſui partibus admirationem, atque adeo ſtuporem ſpectantibus præbet. Iam enim fuerat ædificatum ab rege Habdarrahgman ſecundo, & Iſſen eius filio. Authores ſunt Raſis & Rudericus Toletanus antiſtes in Arabum hiſtoria.* 3 *Templum Cordubenſe.*

Decimoſexto Cal.) *In ſequenti poſt Emilam & Hieremiam die hi martyres perimuntur: quos nullum breuiarium commemorat.* 4

Caput decimumquartum.

TVnc iam proculdubio.) *Aut ſignificat neminem deinceps tam ex Chriſtianis, quam ex Sarracenis auſum fuiſſe non deferre ad iudices quemcunque audiſſet pſeudoprophetæ Mahometo maledicentem: aut certe permiſſum Sarracenis fuiſſe, vt quem Chriſtianum ita maledicentem audirent, ipſi protinus, non expectata publica damnatione, impune interimerent.* 1

Quod quibuſdam.) *Docent ad hunc modum ſacri Theologi martyrium donum Dei eſſe, quibuſdam peculiariter à Deo tributum. Illud autem eſt animaduertendum dauerſam hanc eſſe eccleſiæ Hiſpanorum perſequutionem, ab illa Cordubenſi, in qua captus eſt diuus Eulogius. Tempora id docent euidenter. Et libri primi cap. primo nos exquiſitius docuimus.* 2

Caput decimumquintum.

NObiſcum vel fugere.) *Hoc namque erat imbecillioribus, & qui martyrio impares erant, permiſſum diuinæ legis indulgentia.* 1

Plurimi etiam.) *Contra hos tum primo libro, tum etiam in Apologetico diuus Eulogius fuſius diſputat.* 2

Nos quoque authores.) *Hanc grauiſſimam inſectationem pertulit diuus Eulogius, quaſi futuri martyrij præludium. Vt non ſubito gladij ictu tantummodo macturetur: ſed carnifices quoque eius ipſi Chriſtiani, ipſi fratres exiſterent, quotidiano conuicio illum proſcindentes.* 3

Præſenti concilio Epiſcoporum.) *In tanta calamitate, & dira Eccleſiæ perſequutione conuenerant prælati, vt de remedio, ſi poſſent, quoquo modo prouiderent. Et Rex etiam iuſſerat vndique metropolitanos, quod mox apparet, conuenire. Nationale ergo, vti vocant, concilium hoc fuit: niſi conciliabulum tali authore congregante malis appellare. De hoc exceptore poſtea lib. 3. cap. 3.* 4 *Concilium Cordubenſe.*

Inhibitum eſſe martyrium.) *Hæc quæ ſequuntur, ad finem vſque periodi decretum ab concilio editum continent, ſubobſcure tamen. Conſilium enim præſulum in concilio fuit, (vt miſere laboranti & periclitanti eccleſiæ hac ratione proſpicerent) edicere quidem & præcipere, quod regi, quod proceribus placere poſſet leniter intuentibus. Cæterum cum vererentur quippiam, quod Dei ſummi maieſtatem & Chriſtianam religionem offenderet, conſtituere: ita decreti verba attemperarunt, & conſulto quaſi fabrefecerunt: vt nihil impium, ſi quis penitius rimaretur, aſſereret. Hoc eſt quod in ſequentibus proſequitur diuus Eulogius. Et multo quidem erant omnia in exemplari obſcuriora: & quæ multo cum labore, adhibito etiam ſapientiſſimorum hominum iudicio & lima, fuerunt dilucidiora aliquanto, vna, aut altera voce tantummodo adiecta, reddenda.* 5

Inculpabile.) *Hoc eſt culpa prorſus non caruit. Sententiam enim ſuam iam hic profert diuus Eulogius. Et de hoc ipſo edicto libellis etiam & ſchedis euulgato loquutus videtur libro primo ad finem.* 6

Quanquam manifestum est de altera diuersa ab hac Sarracenorum perturbatione initio libri huius capite primo scribere: vt ipsius sancti verba tum hoc, tum etiam illo loco, & initio septimi capitis aperte declarant.

7 Quinimo nisi legitima satisfactione.) *Hoc ait. Necesse fuit profecto imbecillibus satisfacere: ne edicto scandalizarentur, si forte id tantummodo, quod ab Sarracenis volebat concilium intelligi, ipsi etiam intelligerent. Oportuit ergo, vt iis, imbecillibus inquam & pusillis, satisfieret: tum legitima interpretatione ad eos & propter eos adhibita, trim etiam causis explicatis, quæ ad eum modum edictum conformare compulissent.*

¶ Caput decimumsextum.

1 DEnuo pontifex.) *Cordubensem Episcopum intelligo, quem nusquam proprio nomine designat. Apparet autem iterum antea hunc ipsum præsulem in vincula fuisse coniectum: Reccaffredi tumultu, vt ego existimo.* 10

2 Ingredi foris.) *Hoc est, domi se continerent nobiles Christiani, pedem inde referre non audentes.*

3 Pendentia stipitibus.) *Quatuor martyrum Emilæ & Hieremiæ, Rogelli, & Seruio Dei, qui postremi passi sunt, intelligi necesse est. Cæterorum namque, vt ex superioribus liquet, non supererant, exusta partim, partim sepulta. Quod ad sequentem temporis perustigationem hic iam annotasse oportuit.*

4 Nos autem.) *Hinc apparet diuum Eulogium, hunc librum secundum hoc ipso tempore, quo Mahomad regnare cœpit, scripsisse. Nondum enim sequentia, quæ tertio libro prosequitur, gesta fuerant. Quod plenius etiam superaddita hoc loco oratio demonstrat: in qua præterea latere se dicit, tum scriberet.*

¶ In orationem.

MOs fuit ab Gothorum temporibus ductus, vt Hispani scriptores, opera sua oratione ad Deum fusa, aut inciperent, aut claudérent. Id in diui Ildefonsi opere de laude virginitatis sacratissimæ Virginis Mariæ, & in sancti Iuliani Archiepiscopi Toletani libris apparet.

DIVI EVLOGII CORDV-
BENSIS, MARTYRIS, DOCTORIS,
ET ELECTI ARCHIEPISCOPI TOLETANI,
MEMORIALIS SANCTORVM,
Liber Tertius.

PRAEFATIO.

VM igitur præcedentium voluminum series affatim impiorum crudelitatem, quæ diu inexpugnabilium virorum constantiam eniſa est fatigare, digesserit, veroque assertionis gressu ortus, antes, actusque belligeros percurrat Sanctorum? plus aliquid restæuitiæ in nos commissum tertius hic liber non sine ingenti verecundia nere pandet. Nec me quidem supercilio arrogandi hac occasione vti intendant, quod tantæ materiæ parui admodum, & (vt dixerim) vilissimi ingenioli fulcimen adhibuerim, aut forte non res veras nos elucubrasse condemnent. Qui eo intuitu operis huius concinnauimus structuram, quos mirum omnia æquitate districti iudicis in futuro nouimus diiudicanda. Quem non fallere abdita cogitationum, nec qualitas operum potest. Nam ego, qui scio se quemque oneri coram Domino subiacere, cur propriis diu grauatam substantiam meam molibus, externo pondere deprimere vellem? aut quid commodi compendacio mihi conferri sperarem, ex omni postmodum verbo rationem pensura? Sed hinc agitatur tenuis scientiæ venulis mens contenta, quod rem, non dicam magnifluminis tantummodo, verumetiam immensi æquoris affluentia necessario irrigandam attentat: quæ vix paruissimi stillicidij sudorem irrorans, quasi quasdam coactas & extorti liquoris guttulas profluit. Nec ab re fessi viatoris comparatione impediti, qui vigore virium eneruatus, sæpius in itinere sedens, eo vehementius conlassatur, quo crebrius per loca varia compausatur. Ita & nos, totius vbertatis expertes scientiæ, q-

Comparatio.

tiæ, quasi debilitato gradu per inuia loquutionis residemus, pigroque (vt ita dixerim) gressu vix opusculorum limitem contingentes, vbique finem loquendi optamus. Et tunc magis magisque debilis viator quassatur, cum se iam de peruentione itineris gaudere sperans, denuo ex improuiso emergere sibi adhuc inopinatum conficiendum cernit spatium. Vnde & nos, qui iam finisse opusculum credebamus, ac veluti procellosum mare in naufragio transmissum remigio lætabamur, & optati portus salui fruebamur quiete, nunc aliud fortuito contuemur superueniisse, quod operæpretium præmissis opusculis sit addendum. Tendimus igitur parcitatæ facundiæ coarctati; tendimus imminentium persequutionum casibus occupati: & quasi in contrarium vento surgente, in altum nos demum deuolutos pelagus, inhorrescimus. Confidimus autem eius nos incunctanter bonitatis iuuamine prosperari, qui dignos nos eorum visu, & amicitia diiudicauit, vt quorum fruebamur dulcedine, etiam trophæis imbueremur.

¶ *Initium regni Mahomad regis. Cap. I.*

ÆTerum, vt in fine secundi operis annotatum est, adepto Mahomad patris imperio, confestim in promptum odium contra nos prorumpens, ipso die, quo fascibus infulatus, solium regnaturus conscendit, Christianos omnes palatio abdicans, indignos aulæ principali ministerio promulgauit. Quos iterum post non longo interuallo sub tributario censu præscribens; plures præmio regali priuauit, qui dudum militaribus vescebantur annonis. Et quia scriptum est: Secundum iudicem populi, sic & ministri eius; ipsis per idem tempus gubernacula vrbis committit, qui consimili zelo controuersiæ aduersum Dei populum laborantes, eum vbique affligerent, euerterent, & opprimerent: vt non solum vatem suum nullatenus infamari præsumerent, verumetiam terroribus compulsi abominabilem confiterentur culturam. Sic quoque mœror importabilis & persequutio truculenta vndique nobis obuians, pleroſque prævaricationis laqueo immergebat.

Christiani palatio exclusi.

Ecclesiast. 10.

¶ *Prævaricatio illius exceptoris, qui pridem sanctos anathematizari compulerat. Cap. II.*

MVlti autem, sua se sponte à Christo diuertentes adhærebant iniquis, sectamque diaboli summo colebant affectu, sicuti ille spurius, & sanctorum benedictione indignus, de quo in libro secundo meminimus, agit. Qui sæculari reuerentiæ pompam rebus præponens cœlestibus, inauditaque libidine pro Deo officium venerans; post biseno mense, quo sanctos anathematizari decreuerat, nosque fœdis conuitiis impetierat, honore deiectus est. Gratia itaque disertudinis linguæ Arabicæ, qua nimium præditus erat, solus è Christianis à consulibus in officio exceptoris detentus; post aliquos menses & palatio, & ministerio est abdicatus. Quod factum non leuiter ferens, cum se deiectum aspiceret, priuatumque tanta dignitate altius suspiraret, præstantius Deo mori, quam non viuere sæculo eligens, continuo fidem sanctæ Trinitatis spernens, cedit sectæ peruersitatis, & nequaquam se Christianum vult iam vltra videri. Quapropter in deteriora conuersus, qui nusquam simplicia meditatus fuerat, exul Christianis effectus, aduna-tus gentilibus, crebroque discursu illud impietatis delubrum; quasi vnus è ministris diaboli frequenter ingreditur, expulsus de templo Domini, quod dum adhuc fidelis existeret, sera ac pigra visitatione incoluit. Scriptum est enim: Non habitabit in medio domus meæ faciens superbiam, & qui iniqua loquitur, non direxit in conspectu oculorum meorum. Idem vero post negationem in honorem pristinum restitutus, palatio reformatur: quo pædica & hamus cæteros illiciendi existens, foret aliis in prævaricationis scandalum, qui causa gloriæ temporalis sibi fuerat laqueus.

Lib. 2. cap. 5.

Exceptor imperium Christi abnegat.

Psalm. 100.

Destructio basilicarum. Cap. III.

INterea cum sæpius contra Dei cateruam sæua principis conspiratio inolesceret, affligeretque vbique Christicolas, & nec sic omnes generali dilapsu, vt fidebat ad ritum suum proruerent, iubet ecclesias nuper structas diruere, & quicquid nouo cultu in antiquis basilicis splendebat, fu itque temporibus Arabum rudi formatione adiectum elidere. Qua occasione satrapæ tenebrarum inde capta, etiam ea templorum culmina subruunt, quæ à tempore pacis studio & industria pa[illegible]m erecta, pene trecentorum, à diebus conditionis suæ numerum excedebant annorum.

De seditione prouinciarum. Cap. IV.

1 ET quia vndique dibellionum insurgentia bella magnam ei molestiam inferebant, (nam libere in cunctis Hispaniæ vrbibus, quas vigore potestatis, & egregij potentia intellectus, largoque munere præmiorum pater suus acquirendo domauerat, & obsederat, hic priuilegium dominandi gerebat)
2 Præsertim cum & ex aliquibus locis cæsum & fugatum exercitum suum cernens, vbique imminui, vbique se gemeret in deteriora conuerti. Iccirco contra nos diu meditatum in futurum differebat perditionis interitum, tardoque ac pigro impetu ecclesiarum operabatur ruinas. Nam nullos credo Christianorum (nisi ista difficultatis obstarent repagula) secum pateretur morari. Quinimo, vt iam alibi præmissum est, si commodam regnandi haberet licentiam, Iudæos etiam à se repelli compelleret. Quo solius gentis suæ comitatu vallatus, his præesse solummodo mereretur, cum quibus inextricabilia æterni barathri lueret tormenta, nec alterius diuersitate religionis vnitas damnabilis culturæ scinderetur. Ex qua, Deo vocante, & per splendentia fidei sanctæ mysteria compungente, plures admodum recedentes, & pietati adhærentes, mortemq; spe firmiori propter Christum excipientes, idem ingemiscebat: præter eos, qui nimia carnis impediti formidine, ardua cordis contritione Christo regi sub clamide adhuc militant.

De odio suorum aduersum regem, & de ipsius auaritia, & de tributis Christianis impositis. Cap. V.

VMque Ecclesiam Dei flammis inuidiæ inurendo, interno cogitamine corosus tabesceret, & suorum pacem affectaret, hæc & huiusmodi cõtra nos exercere disponeret: in nullo tamen diuinam dispensationem humana procacitas præualet immutare. Quæ eum cunctis odibilem, vniuersis exosum, omnibusq; execrabilem reddens, etiam domestico, & vt ferunt pellicum suarum
Prouerb. 29. odio, vel maledicto impetitur. Verum vt scriptum est: Rex iustus erigit terram, vir autem auarus destruit eam, hic idem inauditis cupiditatum fascibus ardens, militum annonas demutilat: tribunorum coarctat donaria, lunaremque præmiorum discursum
3 imminuit. Et cum sibi vilia admodum, & pene exigua à vicinioribus locis reddi vectigalia cerneret (quia videlicet, si culpa vulgi is ad sceptrum Deo dispensante admotus est, tamen huius meritorum improbitate vrbes ac nationes in stimulum recalcitrationis inductæ, non ad integrum tributis prouinciarum eum perfruj patiuntur) idem in nos arma districtionis conuertens, & vt lutum platearum dominij planctu contu-
Christiani quidã Christianorum persequutores. bulat: quorundam Christianorum eius optioni fauente nequitia, (si tamen Christiani, & non magis operarij iniquitatis appellandi sint) qui vt priuilegium chirographi exigendi obtineant, sortem Domini fideliumque conuentum suo vadimonio vel crimine à rege mercantes, importabili census onere colla aggrauant miserorum, quo-
2 tidie plebem Domini pessimantes. Illa proculdubio plectendi in futurum sententia, quæ talium condemnans excessus, ait: Et qui pessimant plebem tuam, inueni-
Eccles. 36. Matthæi 18. Luce 17. ant perditionem. Quibus vtique secundum veritatis edictum felicius erat granati molarum põdere collibus profundo mergi, quam tanto pusillanimes perturbari scandalo, aut tantam vim gregi paruo inferre, cui patri dare regnum complacuit. In quorum con-

rum cõſpectu Deus non eſt, & à quorum intuitu iudicia Dei ſublata ſunt. Semper inuidi, ſemper iniqui, vbique malitioſi, in alterutrum iracundi, in aliorum euerſione pacifici, in confœderationibus infidi, in conſpirationibus conciti, in circumuẽtione verſuti, in apparatu noxietatis aptiſſimi. Pro ſe inuicem diſparati, ad perdendum cæteros adunati, ad decipiendum excitati, ad miſerendum pigri. In inceſſu tumidi, in aſſertione ſuperbi, in promiſſione dubij, in datione auari, in largitione parci, in acceptione auidi. Id promittentes, quod dari nequeat, id conferentes, quo frui non liceat. Qui non dormiunt, niſi malefecerint, & conſurgere ad iniquitatem feſtinant. Qui lætantur, cum male fecerint, & exultant in rebus peſſimis. Et cum ſe Chriſtianos eſſe pronuntient, Chriſtum quotidie in membris eius crucifigunt, Iudæ proditoris documenta ſectantes, qui præceptorem venaliter diſtrahendo, pecunias crucifigens, ſibi quidem laqueum perditionis effodit, mundo autem libertatem debitam contulit. Hi vero ſe eidem incorporantes, cum redemptos eius crudeli accuſatione affligunt, & (quod non ſine graui cordis mei vulnere profero) quos tueri debuerãt, quia ſumus inuicem membra Chriſti, eum (proh dolor) negare compellunt. *Prouerb. 4.*

De inſultatione Procerum contra martyres. Cap. VI.

IEIs interim imminentibus malis, & huiuſcemodi ærumnis Eccleſia vapulante, ferunt ob hoc regem ingenti crapulatum lætitia, ampliora fidelibus ſcandala irrogaturum ſe promittere: &, vt alibi taxatum eſt, dira incurſatione, moleſtiaq; contriturum, ſi commodum regnandi ſucceſſum diutius obtineret: adeo vt plerique procerum olim decedentium martyrum ſubſannantes conſtantiam, nobis referrent: quo nunc abiit illa veſtrorum virtus agoniſtarum? quo aufugit magnanimitas? qua abſorpta temeritas deliteſcit? vbi ſe eneruata fortitudo abduxit? qui dudum cõcitis greſſibus certatim ad expugnandum dogmatiſtem noſtrum occurrentes, debita vltione perempti ſunt? Nunc adſint, nunc veniant, modo properent, ſi diuinitus inſpirati illud in veritate conſeruant certamen. *Cap. primo.*

De Fandila martyre. Cap. VII.

DVm ergo in nos huiuſcemodi irriſionibus inſultarent, & hoc deludio noſtram pene conſummatam cladibus fatigarent miſeriam: adoleſcens quidam Fandila ephebus, aſpectu decorus, honeſtate vitæ probabilis ſanctus, & timoratus preſbyter inter has cędes, ſæuaq; diſcrimina, oſtium aditumq; primus exercendi martyrium ſub huius tyranni priuilegio * patefecit. Hic itaque ex vrbe Accitana progenitus Cordubam diſcendi gratia veniens totam pene pubertatem ibidem ſub pædagogi traditione peragens, confeſtim vt adoleſcentiam adiit, monaſtica oblectatus conuerſatione, illico monachis ſe Deo iugiter militaturus admiſcuit. Qui aliquibus locis peragratis ac demutatis, in quibus ardens deuota mens requieſcere non poterat, vltimo ſe in Tabanenſe cœnobium contulit. Ibi aliquandiu ſub regulari diſciplina, vel regimine Abbatis Martini demorans, perfectius in timore Domini claruit. Et quoniam ſummæ humilitatis magnæque obedientiæ erat, iccirco gratia ſanctitatis, qua cœlitus refulgebat, diu implorantibus ac rogantibus monachis cœnobij ſancti Saluatoris, quod haud procul à ciuitate Cordubæ in parte Septentrionis ad radicem mellaris pinaculi ſitum eſt, ad officium ſacerdotale prælectus inuite, & (vt ita dixerim) violenter inſtantia vel præiudicio Abbatis ſui ſanctum miniſterium ſuſcipit, & nihilominus ieiuniorum, vigiliarum, orationumque ſolito propenſius laboribus adaugens, ambulat de virtute in virtutem, viſurus Dominum in Sion ſcalis meritorum euectus. Cuius venerabilem vitam, cunctiſque neceſſario imitabilem conuerſationem, cum affatim digno laudum præconio eorundem fratrum atque ſororum, quibus præerat, relatione pandatur, eo tamen magnificentius declaratur, quo florentiſſimam iuuentutem animo robuſtiore tranſgrediens, gladio martyriali non cunctatus fuerit ſubdere. Igitur comitante ipſum perfectione timoris Domini, cum omnia terrena deſpiciens mentem cœlo ſuſpenderet, cuperetque diſſolui melius, & cum CHRISTO manere, quam rebus hærere caducis, quodam die obfirmato vultu iudici aſtans, prædicat Euangelium, impudicum exprobrat vatem; cætumque

* *Regno, aut imperio, ſup.*

Accitana vrbs.

Tabanenſe cœnobium.

Abbas Martinus.

Sancti Saluatoris monaſterium.

Pinna Mellaria.

Pſalm. 83.

noxiæ combinatum culturæ pædoribus (niſi reſipiſcens pietatis fidem apprehendat) vltricibus luiturum pœnarum incendiis proteſtatur. Hinc carcere truſus, & vinculis coarctatus, latronum manſionibus alligatur, principali poſtmodum ſententia decollandus. Quod factum iudex regio intimari auditui non differens, accenditur igne furoris immenſi, & quodam hebetatus horrore miratur ſtupidus, quæ eſſet illa victrix audacia, quæ tantæ gloriæ non expauerit regem, tamque ſublime vanitate & ſuperbia caput, atque (vt ſe putabat) ſuper omnia excellens talibus non reuerentiæ auſibus vo-

Epiſcopus Cordubenſis in carcerem duci iubetur cauſa edicti & olati, de quo ſup. lib. 2. cap. 15. Grauis Chriſtianorum periculum.

pulſaret. Quamobrem eodem momento ſub voce terribili epiſcopum comprehendi decernit. Sed ipſe fugæ præuentus remedio ſaluatur. Nam ferunt iam tunc eum nulla intercedente dilatione punire decreuerat. Iuſſerat etiam omnes Chriſtianos generali ſententia perdere, fœminaſq; publico diſtractu diſpergere, præter eos qui ſpreta religione ad cultum ſuum diuerterent. Et niſi hoc edictum conſultu ſatrapum quaſſaretur, qui pro eo quod nullus ſapiens, nemo vrbanus, nulluſq; procerum Chriſtianorum huiuſcemodi rem perpetraſſet, iccirco non debere vniuerſos perimere aſſerebant, quos non præit perſonalis dux ad prælium. Et hinc credo iam funditus Chriſtianiſmum noſtrum partim gladio, partim præuaricatione extingueret. Fortiſſimum vero athletam gladio interficiens patibulo vltra amnem ſuſpendi præcepit.

Geſta Anaſtaſii, Felicis, & Dignæ martyrum. Cap. VIII.

Sancti Aciſcli baſilica.

Oppidum Complutenſe. Aſturia.

Elisabeth Abbatiſſa.

Agatha Digna apparuit.

Digna humilitas.

Annus Domini Dcccxij. dies ianij 14.

IVem ſequens alio die Anaſtaſius preſbyter, qui ab ineunte ætate apud baſilicam ſancti Aciſcli Cordubenſis diſciplinis, & literis eruditus vſque ad plenam iuuentutem ibidem in diaconatus officio degens, poſt monaſtica vita, qua dudum fuerat ſpreto miniſterio oblectatus incenibus egerat, demum ſacerdotio applicatur. Concito greſſu palatium petens adſtat conſulibus; hoſtemq; fidei veridicis aſſertionum ſtimulis feriens gladio confeſtim abſciſſus ſuſpenditur. Cum quo & Felix monachus ex oppido Complutenſi progenitus natione Getulus, & quadam occaſione in Aſturias deuolutus, vbi & fidem Catholicam, & religionem monaſticam didicit, eodem die hac profeſſione deciſſus affigitur.

CVMQVE dies illa maximum curſus ſui explens metabulum, iam pene in horam nonam diuergeret: virgo quædam adoleſcentula merito, & nomine Digna, ex collegio venerabilis Eliſabeth, cuius rationem liber ſecundus ediſſerit, Deo reuelante & confortante ad palmam proceſſit. Paulò namque ante martyrium ſuum aſſiſtere ſibi per ſomnium videt puellam habitu & ſpecie percomptam angelico, roſas ac lilia manu geſtantem. Quam cum de nomine, cauſaque ſui exploraret aduentus. Ego ſum (inquit) Agatha, olim propter Chriſtum diris attrita ſuppliciis, & nunc veni partem tibi purpureæ muneris huius conferre. Accipe libens donarium, & viriliter age in Domino, nam reliquias roſarum & liliorum, quas in manibus ſeruo, poſt te ex hoc loco datura ſum migraturis. Tali denique virgo ſacratiſſima viſu ac munere illuſtrata, cum è dextera colloquentis roſam ſuſciperet, auris admixta cœleſtibus ab oculis intuentū eleuabatur. Hæc autem puella cum pro ſumma humilitate, atque obedientia interconuirginales vltima ſe iudicaret, eſſetq; incomparabili apparatu obſecundatrix, numquam tamen appellari ſe Dignam patiebatur, dicebatque cum lachrymis: Nolite me Dignam vocare, ſed magis indignam, quia cuius meriti ſum etiam nomine debeo infigniri. Et cum à die reuelationis ſuæ amore compuncta martyrij tacito cogitaret, quibus ad id poſſet indiciis aſpirare, ſæpius ruminare cœpiſſet, fit affatim lætior horum inſtructa martyrio, quo quaſi his præcedentibus hæc firmioti greſſu ſuccederet ad coronam. Ideóque apertis ſilenter cœnobij clauſtris, cùm iam beatos pendere conſpiciſſet martyres: concito gradu iudicem petens cur fratres ſuos præcones iuſtitiæ incidauerit aſſertione intrepida percontatur. An quia (inquit) Dei cultores exiſtimas ſanctamq; fideliter colimus Trinitatē Patrem, & Filium, & Spiritū ſanctum vnum, & verum Deum fatentes, & omne q; ab hac credulitate diſſentit, non ſolū negamus, verum etiam deteſtamur, maledicimus, & cōfundimus, idcirco confodimur? Hæc & his ſimilia ſancto, & immaculato ore diſſerēte puella, nihil cunctatus arbiter lictoribus decollandam cōmittit, qui mox delicatis inferunt iugulum collibus. Nec mora conſternis corruens membris equuleo deorſum verſa ſuſpenditur, cęteriſq; transflumen adſciſcitur. Hoc namq; ordine hi tres vocati, Anaſtaſius ſcilicet preſbyter, Felix monachus, Digna virgo beata eodem die diſpariter ceciderunt, 18. Calendas Iulij, Era Dccclx

Bemi

Benildis matrona martyr. Cap. IX.

DEnique hos ſequens Benildis, fœmina ætate iam prouecta, & vt ferunt non †medie timorata, ſub profeſſione cæterorum occubuit 17. Calendas Iulij, Era qua ſupra. Quorum cadauera poſt aliquot dies ingenti concremata incendio, ad vltimum fluuij proiectu diſperſa ſunt. *prò, mediocriter* I *Annum Domini Decclij. dies Iunij 15.*

Sancta Columba martyr. Cap. X.

POgimur vel numeroſitate certantium, vel debita ſponſione votorum, in longam dictionis ſeriem ſtylum protendere. Hinc eſt quod, vltra quam putabamus, in magnum codicem materies aucta opuſculi, pene modum mediocritatis exceſſerit. Quia poſt tot funera, & importabilium ærumnarum diſcrimina, nullum prorſus talia opinaremur aggreſſurum. Nos tamen ab inchoatis nullatenus reticemus, quo cunctorum rationes, vt promiſimus, enarremus.

INTEREA fuit virgo quædam nobilis & decora Columba nomine, ex oppido Cordubenſi progenita, præfati Abbatis Martini, & Eliſabeth, de quibus in præcedentibus memorauimus, ſoror. Quæ cum inter bona parentum tenerrime in annis puellaribus degens propoſitum Eliſabeth ſororis ſuæ, quod cum viro ſuo Hieremia, adhuc vulgo admixti gerebant; agnoſceret, qui longe antequam monaſterium peterent, multis ſe Chriſto religionibus inter conuentus populi conſecrarunt: perſæpe genitorum relicto conſortio, domum ſororis frequentius viſitans; talibus ſe conſignandam votis exoptat, anhelaque huius propoſiti verna cupit exiſtere. Confeſtim itaque terrena omnia ſpernere deſiderat: ſed aduerſatur puellæ intentioni genitrix repugnatura. Quæ etiam contra ſobolem Eliſabeth eiuſque virum fœdis iracundiæ motibus excitata, grauiter conquerentur, quod ita adoleſcentis illiceret animum: quod ſicut ſe, & iſtam diſperderet, mundumq; flore ſuo vernantem diſſipato matrimonio relinquentes, in ſolatio exterorum id cuperent congerere. *Martinus & Eliſabeth.* I *Hieremias martyr.* 2

INTER hanc autem conflictationem (vt vulgi mos eſt) diſquiritur ad copulam nuptialem puella: crebriſque interpellationibus ſæcularitate inuoluere exoptant, cœleſtium thalamorum nuptiis diuinitus aſſignatam. Et cum nec illa conſentiret, nec mater deſiſteret, quo nihilominus nuptui traderetur: ipſa mater (Dei prouidentia) ex improuiſo moleſtia ægritudinis occupata, ſub celeri vocatione mundo exempta receſſit. Remanet Dei famula, non tam matris obitu contriſtata, quam lætior gratia ſuæ deuotionis ſine cuiuſquam præiudicio adimplendæ.

VERVM nonnullo tempore in ſancta religione apud vrbem vtriſque ſororibus verſantibus, continuo expleto iam propriis (vt diximus) ſumptibus Tabanenſi cœnobio, eo ſe viri cum mulieribus Chriſto militaturi conferunt. Ibi ſancta virgo, terrenis ſe exuens, hæret cœleſtibus, & mentem ad ſtudium ſcripturarum conuertens, ſit admodum eruditior inueſtigandi, ac diſſerendi ſententiarum obſcura. Creſcit beatæ virginis ſanctimonia, & late diffuſa cœnobij fama, etiam procul ſitarum ad ſe vrbium diſcurſus inuitat, quo talium exemplorum magiſteriis imbuerentur. Hæc autem virgo, ſub fratris ſui Martini, & Eliſabeth regimine manens, præcellit meritis, & gratia honeſtatis omnibus præit. In conuerſatione laudabilis, in humilitate ſublimis, in caſtitate perfecta, in charitate firma, in exorando attenta, ad obediendum apta, ad miſerandum clemens, ad indulgendum facilis, ad prædicandum diſerta, ad inſtruendum prompta. His quoque virtutibus clarens cunctorum in ſe prouocabat affectum, omnibus norma ſpeculumq; ſanctitatis exiſtens. Et quia crebro aduerſarij tentationibus propulſabatur, ideo frequentioribus ſe coram Domino flectibus mactat: verens ne diu congeſta laborum viliſſimi prædonis irruptione perirent. Hinc ad maiorem ſanctitatis cautelam erigitur, metuque hoſtis adacta, ſolertius ad ſummam virtutum diſtrictiori vita contendit. Hanc ſæpe ægrimoniis tentator macerat, immittit faſtidium, ſpeciem virorum prætendit, longum aſtruit victum, diuerſiſq; fatigat phantaſiis. Quibus horribili metu compulſa luget immaniter, ne lapſu mortis à conſortio dirimatur ſponſi, cuius tanto ſe ardore charitatis aſſerebat interitus eſſe conflagratam, vt quaſi exciſæ carnis cicatrice pro eius deſiderio mente vulnerata exiſtens, niſi ſolo eius intuitu in cœlis nullo modo ſe perhibebat poſſe ſanare. Nullum vnquam peccatorem quantuis gra- *Tabanenſe monaſterium.* *Martinum & Eliſabeth. Sancta Columba laus.*

uioribus oppreſſum peccatis ſermone ſuo læſit, de nullius actibus iudicauit, de nullius deſperauit ſalute, nec quemquam licet fœdis infamatum deſpexit rumoribus. Scio (referebat) verſutias dæmonum, ſcio inſolentias hominum, qui interdum ipſum maledictionis ſubſannatione impetunt, quem probatum dignioribus meritis habet omnipotens. Multa ſunt enim iudicio condemnata humano, quæ diuino ſunt probata, & ſanctificata conſilio. Et plerumque opinationibus ſuis tranſgrediuntur homines diuinam ſententiam: dum cuius meriti apud illum quiſque permaneat, neſciant. Et tamen iam quaſi præſagi occultorum, vel dignum prædicent, vel reprobum infament. Cum vtique inculpabilius, ſi ad ſe reuerterent, iudicarent: etſi quanto, vel quali oneri vnuſquiſque ſubiaceat, vel quo ſit debito reus intenderent, nullatenus culpabiliter de incognitis diſputarent. Sed agunt nonnulli hæc, quo in veritate exprobratio diuina con-
Hierem. 8. tra nos olim prolata firmetur, quæ ait: Attendite, & auſcultate. Nemo quod bonum eſt loquitur, nullus eſt, qui agat pœnitentiam propter peccatum ſuum, dicens: Quid feci? Qui proprij facinoris trabe neglecta, de feſtucis aliorum ſolliciti permanentes, quod leui ſuſurrationis aure captauerint, verum nihilominus, & nullatenus incredibile eſſe affirmant. Numquam autem virgo clementiſſima ſine cauſa iram admouit, niſi cum forte aut infantulis, aut aliquam è ſororibus negligentem aſpiceret, quas ſolo intuitu oculorum redarguebat humiliter. Numquam aliquando in cuiuſquam prorupit contumeliam, nunquam os eius vaniloquio eſt occupatum, nuſquam aniles & otioſas fabulas ſuis paſſa eſt admitti auditibus. Chriſtum corde, Chriſtum ore ſæpius meditans, illam frequentius cum omni affectu canebat antiphonam, quam in laudem Sanctorum beati patres ſuaui cantu aptauerunt, Aperi mihi Domine Paradiſi ianuam, vt ad illam patriam reuertar, vbi mors non eſt, vbi dulce gaudium perſeuerat. Cum his colloqui delectabatur, quorum mens ſpiritali virtute ſuccincta, mortificata cum vitiis, & concupiſcentiis membra gerebant, nec cuiquam ſe, niſi forte ſpiritualibus viris, & id perrarum, ac ſerius viſendi præſtabat acceſſum. Quia clauſtra fœminarum à cellulis monachorum altis interiectis diſparata maceriis, licet vnius patris gubernaculo regerentur, hæ tamen ſequeſtratis ſe manſiunculis retrudẽtes, nulli omnino contuendi ſe facultatem præbebant. Sed, ſi ſubinde aut fratribus congrua inſtaret neceſſitas, aut hoſpitum pia impetraret humanitas, ſola venerabilis Eliſabeth per feneſtram ſe exhibebat cernendam, quæ prior, & totius erat mater vera monaſterij.

Eliſabeth prior inter religioſas 90 cætu iam tẽpore D. Eulogij.

Recludit ſe ſanctæ Columbæ.

Qvodam igitur tempore petiit à conſororibus Columba, vt inter ipſa clauſtra in quodam angulo cellula ſibi daretur, quo ſecum ſola demorans immunis à cæterarum ſtrepitu fieret. Annuunt pro rogatu ſanctæ ſorores, præbentque adminiculum ſuo conſenſu augendi virginis ſanctitatem, quæ aliquam etiam inde percipere confidebant mercedem. Vt enim præmio dignum eſt ſanctæ conuerſationis ſtudium, ita & erga pie viuentes religioſus affectus. Nec diſtat à factis bona conſenſio, quæ non virtute animi, ſed virium quaſſatur defectu: vt cum forte non fuerit vigor corporis tali exercendi, ſit mentis intentio ſimilibus delectandi. Communia ſunt enim operis ſancti commercia, & eo fiunt Chriſto gratiſſima, quo ſimpliciter in charitate perfecta ad noſtrum referimus commodum fraternæ ſanctitatis ſtudium.

Denique indepta benedictione ſororum, exors omni cœnobialium actionum curarum virgo venerabilis, in contemplatione Dei, & meditatione ſcripturarum multum temporis perſeuerans, poſt crebra ſuſpiria, & fletus immenſos, in quibus ſpeciali munere ſupra plurimos cœlitus eminebat, denuo ad inſtruendos diuinis paſtibus conuirginalium animos reuertitur ad cœtum. Ferunt namque illam perſæpe ternas, & quaternas horas, necnon vſque in medium diem in oratione decumbere, & cum nullus reſonarent ſuſpiria, nulloque ſingultu membra incuterentur, in magno tamen ſilentio
3 fletum promebat. Adeo vt ſubtus matta, in qua illa proſtrato corpore exorabat, humectum lachrymis pauimentum oſtenderetur. Maximum etiam in obſecrationibus ſtando expendens curriculum, in tantam ſubito ferebatur theoriam, vt geminatus
4 vtroque oculo riuulus lachrymarum ad mentum deſcendens, in vnum cõuerſus mentum, crebra ſtillatione guttatim quaſi è tecto in humum influeret.

Tabennenſis cœnobij euerſio.

Interea, cum furor perſequutionis, qui in excidium eccleſiarum fremebat,
5 hanc fœminarum collectam vbi admoueret, in prædiolum, quod dudum ſibi in confinio baſilicæ ſancti Cypriani extruxerant, ſeſe conferunt retrudendæ. Hic iam conſtituta beatiſſima virgo incomparabiliter flebat, lugebatque vbertim, & ſuam quietem, quam gerebat in montibus, & tumultus quos in vrbe incurrerat. Semper tamen,
3 corde & lingua clamabat: Tu noſti Domine, quia diem hominis non concupiui ſupra

Baſilica S. Cypriani. Tobia.

terram

certam. Semper prædicabat, semper orabat, semper psalmos canebat, semper in ore eius laus, & benedictio Domini resonabat. Et quia virginum mansio præfati sanctuarij parietibus cohærebat, tantumque obiectu maceriæ à vestibulo altaris dirimebatur, si quem forte cantum sanctorum laudibus resonantem per natalitia martyrum audisset à clericis psallentibus, confestim quadam iucunditate cœlestium desideriorum compuncta prorumpebat in lachrymas: vt non minus illam introrsus crederes proclamare: Sitiuit anima mea ad Deum viuum, quando veniam & apparebo ante faciem Dei, fuerunt mihi lachrymæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus. Ipsis etenim nexibus corporis, quibus in hac peregrinatione mens sancti cuiusque retenta, ab illa ineffabili claritate sanctorum cum magna supernorum desideriorum siti exusta se iungitur, velut obstantibus murorum repagulis ne ad ciuitatem viuentium concito, quo vult, gressu pertingat: quasi è regione onus membrorum sibi credens resistere plorat & dicit: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, dum dicitur mihi quotidie, vbi est Deus tuus. Cum illo vtique esse desiderat, cum quo Apostolus resoluta iam mortalitate cupiens permanere, dicebat: dissolui & esse cum Christo melius est. *Psalm. 41.* *ibidem.* *Philip. 1.*

VERVM indesinenter his votis sancta Columba insistens, cum plus aliquid, vt reor, in semetipsam cruciatus, ipsa inferret, quam furens imploderet carnifex, vigiliarum, ieiuniorum, atque orationum scilicet continuando labores: quasi parua essent ista omnia, proprio & vltroneo in se voto illata tormenta, velut de suis etiam meritis, etsi maiora exerceret, hoh confidebat. Ac metuens ne centesimum virginitatis suæ fructum vacuum apud patrem commodi reperiret: ad ineffabile martyrij indubia lucrum aspirat, quod peccatores etiam directo tramite in regnum mittit cœlorum, dicente Euangelio: Regnum cœlorum vim patitur, & violenti diripiunt illud. Hinc iam ardentius in amore Christi succensa, concitis ad eum gressibus, cui fideliter seruierat, anhelatis peruenire, quibusdam etiam reuelationibus ad id frequenter impulsa: quodam die irrupto latibulo, reseratis tacite foribus in forum digrediens, licet † incognita viarum vrbis existeret, prouido tamen exploratu, quo iudex moraretur, addiscit. Ibi cum peruenisset, eiusque astaret obturibus, dat professionem Catholicæ fidei, profert euangelicam veritatem, iniquum dogma retundit, auctoremque magni esse sceleris talia præsumentem annuncians, ipsum denuo arbitrum quare se talibus sacrilegiis combinaret, blandis admodum verbis hortatur. Cuius speciem verbaque miratus, illico eam in palatium ducens, satrapum concilio repræsentat, ibi adhuc profitetur, prædicat, admonet, omnes suæ potius debere saluti consulere, quam vanis insistere deceptionibus, quibus eam transuertere conabantur. Dicebat etiam, non talem Christus habet sponsam, quæ immutati de pristina compactione artarum eius præualeat. Nam quis ditior illo est, vt vos me copiis rerum credatis illicere? Quis pulchrior eo est, cuius speciei forma præ filiis hominum claret, vt vos meretricio nuptu terreno arbitremini oblectandam? Quis cultus vel secta euangelicæ fidei veritate sanctior est, quæ per totum orbem Apostolorum vocibus promulgata, æternæ spei credentibus præmium repromittens, omne propheticum, quod abilla dissentit, anathema esse in veritate non dubium est. Quamobrem relicta vanitate, verum euangelij ducem requirite, quo melius filij lucis, quam genimina tenebrarum, mortisq; soboles appellemini. Ille etenim dixit: Qui sequitur me, non ambulabit in tenebris, & omnis qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum. *Matth. 11.* *Sancta Columba ad martyrium properat. (prosignata)* *Psalm. 44.* *Ioan. 8.*

IGITVR cum fortissimam virginis constantiam consules vniuersi aduerterent, & neque immutari posse talibus imbutam oraculis cernerent, neque hortatum assertionis eius ferre valerent; continuo ante fores palatij eam trucidari præcipiunt. Quam cum summa reuerentia foro constituentes, non se prius decollari permisit, quam præmio lictorem virgo sacratissima honoraret. Sicque prono ceruicem inclinans, in lapsu iuguli delicatum corpus sternitur. Nec mota, vt erat lineis indutum, cadauer sporta immissum alueo profici principes mandauerunt, nec sicut cæteta occisorum cadauera, aut pro foribus neglexerunt, aut equuleo suspenderunt 15. Calend. Octob. Era DCCCXCI. Quod post sextum diem illæsum & integrum quorundam solertia monachorum diuinitus nobis allatum est, digneque officio in basilica sanctæ Eulaliæ virginis & martyris, quæ in vico Fragellas constituta est, honorabilem meruit sepulturam. Hoc nobis ad fidem de ea relatum est. Cæterum tu sacratissima, quæ vtiliter Ecclesiam Catholicam & viuens conuersationis exemplo, & moriens celso meritorum instituis patrocinio: esto memor cultoris tui, erue me laqueis mundi, abstrahe pertur- 6 *Sancta Columba iugulatur.* 7 8 *Anno Domini DCCCXCI. Iij. dies Septembris 17. Sancta Eulalia baſilica.* 9 10 *Fragellas vicus.*

bationibus sæculi, & confer post mortem requiem paradisi. Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui viuit cum patre & Spiritu sancto, vnus & Immortalis Deus, per infinita sæcula sæculorum. Amen.

¶ Pompa virgo & martyr. Cap. XI.

Monasterij sancti Saluatoris. Pinna Mellaria. Fandila martyr.

IGitur cum ad multorum notitiam ipso die rumor consummati martyrij prædictæ virginis peruenisset, & non solum totam ciuitatem, verum etiã viciniora loca inserperet: virgo quædam venerabilis, nomine Pomposa, ex cœnobio S. Saluatoris, quod ad radicem Pinnæ Mellariſæ constitutum est, quo dudum se cum parentibus, fratribus & cognatis Christo militatura contulerat: ex quo antea beatissimus Fandila eiusdem loci sacerdos olim descenderat: mox vt il-
1 lud martyrium à dicentibus comperit, alio die cita occurrit. Hæc namque virgo beata
2 parentum, & propinquorum sanctam conuersationem, quam gerebant in Corduba (ex qua erant progeniti) cernens, confestim auida mente tali se voto assignans, cum his simul mundum spernit, labentia deserit, integritatem promittit, mansuraque perę-
Pinna Mellaria Gadi dicta. niter toto nititur conatu appetere. Quapropter parentes eius, distracto patrimonio, præfatum cœnobium construentes in eo loco, qui ex eo quia ab antiquitus congestos
3 in illa celsiori rupe apum industria fauos, qui vsque hodie permanent, maiores nostri viderunt, Pinna Mellaria vocatus est. Ibidem autem se ad exercitium vitæ monasticæ collocantes, tradunt beatam hanc virginem inter illum suorum conuentum pulchriorem gratia sanctitatis floruisse: & quæ vltimum per ætatem gradum tenebat, sit cæteris excellentiori culmine innocentiæ ac simplicitatis merito sublimata. Tantoque in scripturarum meditatione fortissima permanebat, vt si fieri posset, non diebus, non noctibus à lectione vacaret, nisi quarundam ingruentium tempestatum impediretur
4 procellis. Si quid fortè ad suam exaggeratum sentiret iniuriam, illa quæ macte humilitatis gratia prominebat, cuncta patienti animo sustinebat. Instabat vigilijs, ieiunijs, &
Felix Abbas Pila Mellariensis. orationibus crebrius incubabat, quibus fauente Domino inuiolabiliter votum posset conseruare promissum. Plura sunt quæ de eius sanctitate referente nobis famulo Christi Felice monacho, eiusdem cœnobii Abbate, cognouimus, quæ obtentu euitandi fastidium relinquentes, ad illud, quod eam sine dubio cœlo præmisit, quam propere festinamus. Cum enim summæ sanctimoniæ studium gereret, seruiretque Deo fideliter, mox vt beatæ Columbæ martyrium comperit, illicò interius igne conflagrata martyrii, sit admodum lætior tali nuntio recreata. Et quibus ad id posset pertingere passibus, tacito & singulari cogitamine ruminat. Et ô miram vocationem Domini, & supernæ dispositionis aditum patefactum, quo nullus prædestinatus martyrij gloria defraudatur: quo nemo cœtui sanctorum ascriptus, humana potest illaqueatione teneri. Fuerit namque quod multo satis ante hoc tempus hæc virgo ad martyrium conuolasset, nisi
Psal. 126. quibusdam suorum impediretur repagulis, qui eam, causa sæuientium persequutionũ, alta seruabãt custodia. Sed quid in se potest habere custodiæ conditio miserabilis? quãdo, sicut scriptum est, nisi Dominus custodierit, in vanum vigilant, qui humaniter se quippiam custodire arbitrantur. Et enim ipsa superueniente nocte, cõsummata in Dei laudibus nocturna vigilia, vnus è fratribus suis cęteris quiescendi gratia regredientibus ad cubile, quasi diuinitus moneretur, & certe non sine prouidentia Domini, arreptа claue, portam monasterij inconsuetus aperuit, minimoq; tãtum modo clauo superposito retrusit. Ad quam illa silenter accedens, & clamostium reserans, vadit per tene-
5 bras noctis cœlesti lumine illustrata. Totumque illud iter vasta horridum solitudine ante lucis crepusculum transiens, clarescente mane vrbem ingreditur, seseque obtutibus iudicis præsentari non differt. Ad quem sanctæ fidei rationem proponens, vatemque impudicum simplici exhortatione confundens, confestim ille gladio truci-
6 dandam decernit, sicque ante fores palatij constituta exempto capite consterna-
7 tur 13. Calend. Octob. Era Dcccxcj. Cuius cadauer in flumen proiicientes, quorundam mercenariorum studio in quadam fouea congestum desuper multo puluere tumula-
Annum Dcccliij. dies Septemb. 16. S. Eulalia basilica. tur. Ex quo iterum, Christo fauente, post dies pene viginti, industria quorundam monachorum inde abstractum, ad prædictum beatæ virginis Eulaliæ sanctuarium reportantes, digno ibidem sacerdotum & religiosorum ministerio, ad pedes sanctæ Columbæ humatum est. Quod nihilominus diuina credimus dispensatione peractum, vt quæ se in vita

se in vita sua tanta charitate dilexerant, morte etiam ab sepultura indiuisæ manerent, regnante domino Iesu Christo in secula seculorum.

Abundius Presbyter & Martyr. Cap. XII.

EX hoc autem tempore, decem mensibus interiectis, quidam presbyter Abundius nomine, de vico Ananellos, qui est in montana Cordubensi, exortus, ibidemque sacerdotium suum peragens, *ferunt*, quorundam commento, vel fraude gentilium, ad martyrium fuisse *pertractum*. Sed ille Dei famulus cùm se quadam vocatione in sacrificium verum cælitus aptari conspiceret, quo nolens ducebatur, grato animo adiit. Ac sic interrogatus à iudice, intrepida responsione rationem fidei pandēs, vltimo sceleroſum dogmatistem, eiusq; cultores veridicis assertionum obiectis inculcat. Ideoque sub celeri indignatione peremptus, canibus & bestiis deuorandus exponitur V. Idus Iulii. Era DCCCXCII.

Ananellos vicos.
Hæc Latinius emendāda, aut legendum: fertur pertractus.
Annus Domini 853. dies Iulii 11.

Martyrium sanctorum Amatoris, Petri, & Hludouici. Cap. XIII.

SVCCEDENTI deniq; tempore, quidam presbyter adolescens, nomine Amator, qui olim ex oppido Tuccitano cum genitore & fratribus suis Cordubam discendi gratia aduentarat, & Petrus monachus, ac Hludouicus contribulis noster, & frater Pauli Diaconi, cuius Martyrium liber secundus exponit, ex ciuibus Cordubensibus orti, vno se fœdere colligantes, ad prædicandam Euangelicam veritatem aptarunt, ideoque celeriter sub præcedentium professione perempti sunt. II. Calen. Maias, Era DCCCXCIII. Quorum corpora fluuialibus immersa gurgitibus, Deo fautore, post aliquot dies littori exponuntur, & cùm penitus nullam suæ quietis sanctus sacerdos notitiam dederit, manent tamen cæteri sancti venerabiliter in prægnitis locis repositi. Nam beatus Petrus in Pinnæ Mellariensis cœnobio tumulatur, Hludouicus in vico Italicensis prouinciæ nomine Palma, quæ Singilio flumine præsidet, digniter requiescit.

Tuccitanum oppidum.
Hludouicus Pauli martyris frater.
Annus 855. dies Aprilis 30.
Pinnamellariensis Cœnobium Italicensis prouincia.
Palma oppidum.

De Witesindo Martyre. Cap. XIV.

EA tempestate Witesindus quidam vir ætate iam plenus, ex prouincia Egabrensi, qui nescio ob quam persequutionem dudum fidei sanctæ lapsum incurrerat, dum ad exercitium nuper indepti cultus adhortaretur, abnegat se eiusmodi sacrilegio manere infectum: quod vel carnis infirmitate, vel circunuentione diaboli, subito sibi susceptum est: Illo momento cum talia fateretur, sub celeri indignatione peremptus est, Era qua supra.

Egabrum.
Annus Domini 855.

Heliæ presbyteri, Pauli, & Isidori monachorum Martyrum. Cap. XV.

PRÆTEREA Helias presbyter iam senex ex prouincia Lusitania, cum Paulo & Isidoro monachis adhuc iuuenili ætate florentibus, sub priorum professione perempti sunt XV. Calen. Maii, Era DCCCXCIV. Quorum corpora patibulis eleuata, post multos dies Bætico sinu conduntur.

Prouintiâ Lusitania.
Annus Domini 857 dies Aprilis 17.

De Argimiro Monacho, & Martyre. Cap. XVI.

INDE prætereà Argimirus quidam Confessor vir nobilis & ætate iam plenus ex oppido Egabrensi cognationem ducebat, & quodam tempore Cordubæ patriciæ Centor à rege præfectus extiterat, cùm se motus ab administratione iudicii, otium cœnobii incoleret quietus, quorundam ethnicorum dolo vel odio circunuentus, accusatur coram iudice de subsanio vatis sui, & exprobratur de professione diuinitatis filii Dei, quodque isto omnipotentiorem nullum alium fateatur; & illum vanitatis auctorem, ducemque asserat perditorum. Continuo Dei seruus sub grandi & ferocissimo iudicis motu coniectus ergastulis, arctius coarctatur. Quem coram se post aliquot dies iudens adsistere, dum suis adhortationibus & *lenociniis quoddam verborum*, profano ritui mancipare studet, nec prævalet: pertinacem in sancto proposito militem Christi equuleo viuentem imposuit, ensequetransfossum peremit IV. Calendas Iulias, Era DCCCXCIV. Cuius corpus cùm post multos dies ex præcepto iudicis de patibulo deponeretur, cuiusdam religiosi solertia sancti Acisculi basilicæ deportatur, ac digno sacerdotum ministerio propè tumulum prædicti Martyris, & sancti Perfecti humatū est.

Egabrum.
Curiubæ patritia.
Centoris munus.
Forte; lenocinio quodā: dut lenocinio quibusdā: aut lenocinis quorundā verborum.
Annus Domini 856. dies Iunii 28.
Sancti Acisculi basilica.
Sanctus Perfectus martyr.

De Aurea virgine, & Martyre. Cap. XVII.

Adulphus & Ioannes Martyres. Cuteclarenſi monaſterio.

EA tempeſtate virgo quædam nobilis, nomine Aurea, ſanctorum Adulphi, & Ioannis Martyrum, de quibus in præcedentibus memorauimus, ſoror, quæ à tempore collisionis eorum deuotionis præmio fungebatur, cùm reuelatis ſacræ religionis ſtudiis in cœnobio Cuteclarienſi, quod antiquitus ſanctæ & glorioſæ virginis Mariæ nomini dedicatum eſt, cõmaneret per annos ferme triginta, & amplius, cunctis fidei ſuæ notitiam donans, nec vllis adumbrata pauoribus, conuerſationem Chriſtianiſmi ſui patulo gerebat congreſſu. Et quia erat ſtemmatis ortu præcincta, grandique faſtu Arabicæ traducis exornabatur, nullus exterorum virginis fidem incurſare debat,

Prouintia Hiſpalenſis.

donec quidam ſuorum ex prouintia Hiſpalenſi, vnde genus trahebat, diuinitus vtar-bitror concitati, quo iam debita ante mundi conſtitutionem virgini corona martyrii praeretur, & præſtantius in cæleſtibus de cõſummato lætaretur triumpho, cauſa explorandi ad ſe perlati rumoris fidem, ac propoſitum virginis venientes, callide contribulam ſuam gratia hoſpitandi ſeſe inuiſere mentiuntur. Quam non ſolum Chriſtianam, verum etiam ſacræ deuotionis inſignitam ſtigmate contuentes, confeſtim de ea iudici referunt quæſtionem. Qui & ipſe iure natiuitatis eidem virgini concretis adhærebat proſapiis. Tali ergo ſtimulatus relatione, ſuis eam aſſiſtere iubens obtutibus, quare ſe tam nobiliter auctam famulatu fidei Chriſtianæ degenerem reddiderit, vilique propoſito tam præcelſi generis infecerit inſulam clementi admodum exhortatu compellat. Sed poteris (inquit) quam propere totis abſolui pædoribus, debitamq; interpolatæ originis recipere claritatem, ſi tui gerens conſulrum fidei noſtræ cultibus intimis te votis admittendam elegeris, ſummisq; nobis affectibus parens, quod ſequimur ſequaris, & quo ducimur ire contenderis. Si verò & contemptos nos, & etiam quæ colimus abrogaueris, & illos quos hactenus æmulata es, intuitu fidei ſectare decreueris: poſt varia diræ cruciationis tormenta, poſt multiplicium dolorum immenſa ſupplicia, quæ merito tanti criminis rea rependens, poſtremò turpiſſimæ mortis ſuppliciũ incurres. Ferunt eodem momento virginem ſub iudicis obiurgatione ceſſiſſe, & omne ſibi imperatum libenter exequendum polliceri. Et quia melius de rebus non expertis ſilendum eſt, quã procaciter incognita ventilare, cuius rei obtentu hæc ipſa negatio Martyrem futuram ſubrepſerit, vtrum formidine carnis, an cauſa diſponendi rem familiarem, incompertus teſtificare non audeo, niſi forte ex ſubſequutis euentibus, quibus poſtmodum obſtinanter in profeſſione perdurans, promeritã adepta eſt laureã, vt ſeſe cõiectura arbitratus humani habet, carnis illam infirmitate non ſubcubuiſſe credam.

Iudex Aureæ conſanguineus.

Aurea fidem abnegat.

Igitur poſt auditam iudex oris eius profeſſionem, qua iuxta omnes ritus legis ſuæ degere ſpoponderat: illico abeundi, quocunq; vult, ſibimet libertate collata, è veſtigio domum regreditur. Ac ſicut prius militans Chriſto nullatenus à propoſito ſanctæ fidei deſueuit, nec à fidelium contubernio ſe paſſa eſt diſgregari, quin potius illorum perſæpe ſe cœtibus conferens, quos pietatis religio perluſtrabat, condignis fletibus affectus interno lapſum linguæ deplorans, ſpei ſuæ veram fiduciam ad redemptoris alligatæ dulgentiam, ſi forte reatu præuaricationis obnoxiam famulam non repellat, qui adulteram ab exitio lapidationis eripiens, Petrum à maris fluctibus incubantem Apoſtolico functurum primatu receptat, furemq; patricidio coinquinatum ſuo comitatui peradiſum luſtraturus admittit. Nec obeſſe fidebat prælargæ, & incomparabili Domini pietati inutilis famulæ momentaneum crimen, apud quem multimoda miſeratio, & redemptio copioſa & exuberans, præuenit gratiæ dono indignus, & quibus ſtrenuis laboris ſtipendia nulla ſuppeditant, cõſulta pietate iuſtificat. Auget præterea virgo ſancta compunctionem, ſtudium lamentationis multiplicat, votis vota cõgeminat, & duplicato mœrore affectuq; mentẽ perurgens, ne ſupremo examine aut de ſcelere cõdemnata, æterno manciperur ſupplicio, aut à conſortio fratrum ſuorum Adulphi ſcilicet & Ioannis Martyrum beatorum congruis meritorum repagulis detrudatur, felicibus votis adnititur.

Aurea pœnitentia.

Exin claro intrepidoq; proceſſu frequenter Eccleſiam adiens, iam iamq; in virtute Domini roborata, terrenis abſtracta contagiis: & cæleſti curiæ anhelata aſcribenda, ſi fortè cuiuſquam recidiuò conteſtationis euentu in ius denuo mitteretur. Sed hæc callidus veterator non leuiter ferens, cùm fideliori conciliatu nuper elapſam creatori ſuo nunc quàm antea militare intelligit, nec in aliquo penitus profuiſſe ei conuentionis ſuæ præſtigium contuetur, quin iniecto ſtupore neſcio cuius habitudinis tranſuerſam virginis linguã à profeſſione veritatis leuiter & perfũctorie cõteſtantis ore, non corde fuiſſe ſublatam aduertens: haud dubie condemonibus de extremo cur-

Recidiuo vel tradidit.

to cursu conqueritur dicens. Hæc celebs pridem me labiis fortuitu honorans, modo cor eius præcinctum virtute superna, grandi obiectu à meis disparatur illecebris. Et iccirco quendam in persequutionem Beatæ Virginis, pruritans denuò, ad perquirendam tyronem fidei suæ compulit.

Aurea iterũ accusatur.

Nonnulli interea gentilium eius explorantes conuersationem, nihilominus iuxta priorem habitum Christi famulam reperientes, illico de ea coram iudice questum deponunt, crimen asserunt, dolosque prætendunt, & vt tanti abusus presumptioni vindex occurrat, talesque ausus legali auctoritate percellat, peruersis linguis contendunt. Qui protinus vehementi ira comotus, ferocium truculento satellitum ministerio suis eam attrahere conspectibus iubens, illico exhibitam de contemptu nuper adepti cultus redarguit, de neglectu promissi comminatur propositi, & cur tanti iuri decretum non reuerita sit horrisonis percontatur clamoribus. Tum virgo, quæ se nouerat ad tale iam diuinitus electam certamen, vt erat prudentioribus diserta facundiis, sancto iam perlustrata respectu, iudici refert. Nunquam à Christo Deo meo separata sum, nunquam à religione pietatis eius discessi: nunquam prophanationibus vestris vel ad momentum inhæsi, licet dudum coram te, lapsu quoddam sermonis, lingua succubuerit. Erat autem cor meum fiduciam habens in Domino, qui me suarum promissionum introrsus adminiculis erigebat dicens; Qui credit in me, etiam si mortuus fuerit viuet. *Ioann. 11.* Inde quamuis verbotenus laqueum præuaricationis incurrerim, viuido tamen sanctæ credulitatis tenore cor præmunitum gerebam. Nam statim quo à te digressa sum; & votis & affectibus lachrymosis, quem ab infantia mea didiceram cultum exercui, fidem seruaui, propositum gessi. Restat ergo iam nunc, vt secundum profanationis vestræ ritum, aut gladio vindice puniat; aut si inultum præterire factum huiuscemodi potest, de reliquo tota me libertate ad cohærendum Christo domino prætermitte. Tunc immanissimus arbiter virginis assertione succensus facturus de ea regi relationem ergastulis mancipauit, ingentique vinculorum onere coarctauit. *Aurea ingulatur.* Quam alio die per decretum principis gladio trucidans, confestim exanime corpus eius cuiusdam homicidæ patibulo, qui ante paucos dies affixus fuerat capite deorsum suspendi præcepit: cuius beatum cadauer cum cæteris furum membris, qui tunc ob flagitium interempti sunt Bæticis immersum gurgitibus nullum hactenus comparendi vestigium præbuit. Christus autem Deus, & Dominus noster qui est adiutor bellantium, & Martyrum coronator; qui dat lassis virtutem, se quoque requirendi affectum insinuans, prouidam pulsandi ianuam misericordiæ suæ confert, interitionem, multimodo rerum effectu secundum placitam sibi dispensationem præscitam, & prædestinatam ante mundi principium, ad coronam Martyrii famulam suam in pace suscepit. Cui est honor & gloria, virtus, & potestas in secula seculorum. Amen. Coronata est hæc virgo XIV. Calendas Augusti, Era qua supra. *Anno Domini 856. die 19. Iulii.*

FINIS LIBRI TERTII.

Scholia In Librvm Tertivm.

Caput primum.

Militaribus vescebantur.] In Sancio Martyre de his Christianis nobilibus Sarraceni regis tyronibus iam dictum est.

Caput quartum.

Et quia vndique.] Rasis Omarum Hacanis filium contra hunc Mahometum regem rebellasse scribit, ipsumque ab regis exercitu in prælio interemptum. Vixit deinceps, eodem authore, quietus in regno. Rudericus, Toletanos aduersum regem insurrexisse, in Arabum historia scripsit. Victi sunt, & magna strage deleti Toletani, cum rege Ordonio, qui supperias eis ferebat. Crediderim Omarũ Toletanorũ ducem fuisse.

Cæsum, & fugatum.] Ego diuo Eulogio magis crediderim, quam Rasi, qui omnia ei pacata & prospera vbiq; euenisse commemorat. Quanquam cùm primo prælio fusus eius exercitus fuisset, potuit deinde & ipse vincere, & rebelles domare.

Caput quintum.

Lunaremq; præmiorum.] Stipendium intelligo, quod singulis mensibus militibus persoluebatur. Ego non solui stipendia per omnes anni menses intelligerem maximè quibus domi milites agerent: cùm iam prius ipsis annonis demutilatas dicit Eulogius.

Chirographa exigendi.] Hoc est, vt tributis per chirographa exigendis præficerentur. De chirographo vide Docum. Mart. pag. 91. ad finem.

Caput septimum.

Accitanã Colonia.

Ex vrbe Accitana.] Vrbs hæc nunc Guadix in Granatæ regno vocátur. Nec est huius loci causas, & testimonia afferre, quæ in Hispaniæ antiquitatibus cõgessimus, vt eádem esse Gaudixiensem vrbem, & Accitanã Romanorum olim coloniã probaremus.

Se Tabanensi.] De hoc monasterio, de isto etiã altero sancti Saluatoris, superius crebra fuit mentio. Pinnæ Mellariæ retro quoq; meminit, sed suus adhuc erit locus de illa dicendi capite. XII.

Ratio temporis.

Fortissimum verò athletam.) Diem & annum hic prætermisit Eulogius. Ex Vsuardo, Adone, & Equilino Idus Iunii fuere, hoc est tertius decimus eius mensis. Et siquidem die insequenti Anastasius est passus, vt proximo capite scribitur: planum etiam ex Eulogio fit, tertiodecimo Iunii sanctum Fandilam fuisse trucidatum.

Caput octauum.

Quem sequens alio die.] Insequentem nullo interiecto diem, hoc est crastinum intelligi debere, ex die cædis sancti Fandilæ indicatur.

Spreto ministerio.] Diaconii ordinis, cuius est præsertim, vt vocabulum ipsum Græcis sonat, in Ecclesia ministrare.

Ego Encæniis pro Encæniis, quasi nouã dedicatione legerẽ, & paullo sup. in textu, monasticam vitam.

In cenibus egerat.] Locus, quantum ego capere possum est corruptus. Nam neque cenibus vocabulum quid significet reperio: neq; tamen quo pacto emendare possim, succurrit. Et in veteri ita plane fuit scriptum. Nisi fortè quis legendum credat scenicus per S. & tabernacula velit intelligi, vnde & Scenitæ Arabes dicuntur.

Natione Getulus.] Getulia Africæ pars est. Hinc autem opinio illa ortum habuit, ex Sarracenorum progenie editum hunc diuum credatur. Potuit profectò ex parentibus Christianis nasci. Erant enim in Africa, tametsi ab Sarracenis occupata, Christiani, quemadmodum in Hispania Mocarabes.

In asturias deuolutus.] Hinc quidam hunc nomine & re ipsa Felicem Martyrem in Asturiis passum scripsere.

In horam nonam.) Computatio est Romanorum, in sacris etiam Euangeliis vsitata. Huius autem sancti Martyris festum nonnullæ Hispaniæ Ecclesiæ celebrant totumq; hoc de Dignæ virginis insomnio iisdem penè verbis in lectionibus referunt. Vnde cõstat diui Eulogii libros legisse, quicunq; ei festiuitati historiam compararunt. Et nos etiam quædam in libro de sanctis Martyribus Iusto & Pastore scripsimus: sed cùm nõdum diui Eulogii scripta vidissemus.

Nolite me Dignam.) Vera humilitas ex sui cognitione deiecta, in cœlum tamen vsq; ad Dei cognitionẽ effertur. Multa sunt autem, quæ perfectam nobis nostri cognitionẽ præstare possint. Sed illud vnum est, quod ad eam ipsam me sæpe perducit. Nunquam me totum mihi plenè cognoscendum offerro: introspicere me vndiq; omni ex parte non sustineo: & aliquid incompertũ reliquisse, me ipsum misere fallens, penè exulto. Hoc, qualis sim, demum mihi ostendit. Hic miserabilis pudor me conspiciendi, mêmet ipsum mihi plene conspicuum facit. Hoc ipsum olim miseriã nostram deplorantes, hoc Epigrammate complexi sumus.

Si quando interno me totum lumine luſtrem,
Veſtigansque animum cernere me cupiam:
Conſcia mens qualem ſit me oſtenſura, veretur;
Aque mei partem ſubtrahit illa mihi.
Cum decluſa tamen me me occultaſſe putabat:
Me miſerum tunc me plenius aſpicio.

In cõmune autẽ ad ſui cognitionem mentem etiam tetraſticho olim excitauimus, ex illa Sponſi in canticis adhortatione: Niſi te noueris, o pulcherima mulierum, egredere poſt veſtigia gregum tuorum, paſce hædos tuos. *Canti. 1.*

Tu niſi te agnoſcas (mens o pulcherrima rerum)
Quas toto pulchras condidit orbe Deus,
Pro deſiderio, quod tete ad ſydera tollet,
Turpis terrarum ſollicitabit amor.

Caput nonum.

Quorum cadauera.) In ſancti Zoyli, apud Carrionẽ nobile oppidũ, monaſterio ordinis ſancti Benedicti cõrpus ſancti Martyris Felicis Cõplutenſis in argentea theca ſeruatur, & magna religione colitur. Eo fuit cum Sancti etiam Zoyli corpore translatum, quod in vetuſtis cœnobii monumentis, quæ ego ibidem legi, traditur. Et tamẽ hic videmus eius cadauer per ignem & aquam fuiſſe diſſipatum. Potuit tamen pia Chriſtianorum diligentia oſſa non penitus incendio conſumpta, de flumine extrahere. Id vtiq; fuit facile cum igne deſſicata ſupernatarent. *Sancti Zoyli monaſterium.*

Caput decimum.

Cum viro ſuo Hieremia.) Libro 1. cap. 4. apertè oſtendimus hunc eundem eſſe Hieremiam, qui Martyr eo capite ſcribitur. Vide quæ ibi appoſuimus.

Huius præpoſiti verna.) Hoc eſt: cupiebat relictis parentibus in monaſterium Hieremiæ transmigrare, & tanquam vernacula ancilla ei adhæreſcere.

Vt ſubtus matta.) Intextum ex ſparto ſeu iunco ſtramentum. Inde apud Ouidium in faſtis, *Scirpea matta.*

Theoriam.] Græcum eſt vocabulum: qua ſi tu dicas contemplationem.

Sancti Cipriani.) Et hæc baſilica intra vrbem fuit.

Foro conſtituentes.) Manifeſtum hinc eſt forum ante fores palatii extitiſſe: vt id plateæ fuerit, quod arcis muris obſeptũ, ante tamẽ quam ipſam arcem ingrediamur, cùm fluminis proſpectu expanditur. Aut illud fortè vacui ſoli, quod inter turrim, quam Leonũ vocant, & Epiſcopalis domus hortos interiacet, forum fuit. Sed illud alterum vero propius eſt. *Turris Leonã.*

Cum ſumma reuerentia.) Intellige ſanctam Martyrem cum ſumma grauitate & modeſta vultus conſtantia ad Martyrium vadentem, miniſtros & carnifices traxiſſe. In quibus quæ potuit eſſe reuerentia?

Non ſe prius.) Tanquam quæ ſummum in morte pro Chriſti fide obeunda beneficium eſſe intelligeret, etiam carnifici, quanquam immerenti, aliquid eidem largiendo, voluit gratificari. Hoc innuit: nec tamen quid ei dederit explicuit.

Sanctæ Eulaliæ.) Duas habuit olim Hiſpania hoc nomine Martyres, Emeretenſem alteram, alteram Barchinonenſem. Neq; enim audiendi ſunt, qui vnam ex vtriſq; facere voluerunt. Contra quos in noſtra hiſtoria fuſè diſputauimus. Neq; tamen vtrius fuerit baſilica, indicauit. Neq; de oppidulo Fragellas habeo, quod dicam. *Eulaliæ duæ.*

Cæterum tu ſacratiſſima.) Quemadmodum ſanctę huius Martyris vitam, & cædem copioſius, arq; etiam facundius diuus Eulogius perſcripſerat, ita etiam pia prece hic in fine voluit ipſam compellare. Et vtroq; quidem fuit virgo digniſſima. Vt enim eius vita eximiis ſanctitatis exemplis plena, conſtantiaq; in morte admiranda, maiorem hiſtoriæ ſeriem, præſtantioriſq; ſtyli ſplendorem promerebantur: ita quoq; ingentem in cælis dignitatẽ adepta, præſentius & maius ſuis ferre patrocinium apud Deum poterat, quod inde deberet expoſci. Et hæc profectò inſignis vitæ mortiſq; in hac virgine præſtantia, hæc digna eius inuocatio, cui principiũ iam hinc fecerat Eulogius: faciunt vt credam, hanc noſtratem Cordubenſem Columbam, non illam alteram ex Senonibus Gallicanam, eſſe, quam tanto opere vbiq; inſigni cum religione Hiſpania tota concelebret. Et ſunt præterea plures etiam aliæ cauſæ quæ me permoueant, cum nulla ſit, quæ contrarium poſſit perſuadere. Quæ enim, rogo, cauſa nos potuit incitare, vt Gallicanã Martyrem longè ex Senonibus, hoc eſt ex remotiſſima Galliæ, quantum ad Hiſpaniam pertinet, regione ſolummodo auditam, tanto cum cultu veneraremur? Celebritas cre- *Sanctã Columbam Hiſpanam, Hiſpanicolas.*

do Martyrii ei⁹, cui⁹ martyrologia vno penè verbo meminerint, Eolinus paucula scripserit: cùm breuiaria nostratia minimè in lectionib⁹, aut in die festiuitatis eius cõcordent. Fuit profectò Sennonica Columba virgo sanctissima, Martyr strenua: sed ipsa in cælis residens, inde nos nunc libenter audiens, optat nos veritatẽ inuenire, & cõfirmare: & illũ legitimum cultũ, qui vt ab Hispanis Hispaniç Diuæ debetur, eidẽ asserere. Is verò cultus tantus est, & tanto opere insignis, ac penè singularis, vt non alienigenæ, sed alumnæ tributus debeat videri. Delubra sunt in agris per Hispaniã quã plurima, Sanctæ Colũbæ nomine sacrata, quæ populorũ eximia veneratione statis diebus solenni ritu frequẽtantur. Parentes, deuotione in hanc diuã permoti, eius nomẽ filiabus imponũt. Burgensis Ecclesia inter dignitates, vt dicũt, habet sanctæ Columbæ Abbatẽ. Habet eodẽ nomine & honore primariæ dignitatis sacerdotẽ Ecclesia Segõcina. Sacellũ quoq; huius diuæ ibidẽ in summo templo est structura nobile, cultu eximiũ, & prouentib⁹ insigniter locuples. Quanquã vtrobiq; corrupto iam nomine Sancta Coloma, non Colũba vocetur. Hæc tanta veneratio, tam varius cultus religionis, plurimorũ tot signis testata deuotio, tot testimoniis declarata, & tam pia animorũ propensione semper exaucta: cur externæ, & non patriæ, cur alienigenæ, & non ciui, cur peregrinæ, & non domesticæ & penè tutelari diui tribueretur? Indigenã habeam⁹, quæreremus externam? Propria aderat, alienã aduocaremus? Nostratẽ profectò nos colimus, Hispanã Martyrẽ veneramur, & vernaculũ in ea, iureq; quodã cõmunis patriæ nobis debitũ patrocinium merito exquirimus legitima relligione. Sed dies, inquis, quo sanctæ Colũbæ festiuitas in Hispania celebratur, Decẽbris nimirũ vltimus, sanctæ Colũbæ Senonensis est natalitius, non Cordubẽsis, quæ si coleretur, 17. Sept. debuit occupare. Dicam equidẽ q; sentio. Primũ variant hic breuiaria. Segoncinũ nanq; 8. Ianua. die, Cauriense 3. Aprił. sanctã Columbã habent. Sed ego credo, cùm sanctã Columbã Cordubensẽ nostratiũ aliqui celebrare vellent, nec diẽ, quo passa Martyriũ, scirent, & vlt. Decemb. Colũbã coli cernerent: Cordubensẽ arbitrati, eum diẽ ei sine discrimine attribuerũt. Atlectiones Senonensis martyriũ referunt. Nimirũ quemadmodũ dies natalitius nostratis diuæ erat incognitus, ita etiã vita & passio, quæ non passim in diui Eulogii libris legebatur. Inde q; ad manum erat, nomenq; idẽm veluti propriũ dabat, arripuerunt. Hoc ipsũ in sancta Marina nostrati, hoc est Gallicienſi, factum videmus. Nihil erat proprium, quod legerent, diuæ Margaritæ historiam ex parte ei accommodarunt. Hæc habui, quæ de nostræ huius sanctæ Columbæ cultu dicerem: liberum interim iudicium ei relinquens, qui aliter sentire maluerint.

Refutantur obiectiones.

Caput vndecimum.

Alio die cita occurrit.) Hinc planè deprehendimus, cùm alium diem, vt capite nono Eulogius nominat, crastinum debere intelligi.

Hæc nanq; sacra virgo.) Hæc omnia vsq; ad studia & sacrarum scripturarum meditationẽ tanto opere in veteri exemplari fuere corrupta: vt nullus penè sensus eliceretur. Nos quoquomodo potuimus emendauimus, vnum atq; alterũ verbũ superaddentes.

Qui vsq; hodie permanent.) Permanent etiam vsq; in hoc tempus, in quo hæc scribimus. Neq; enim dubiũ est, quin de eo sublimiore colle & rupe diuus Eulogius intelligat, quæ quarto ab vrbe milliario in vicinorũ montium vertice supereminet, supra nobilẽ fundũ, qui dicitur el Albayda. Saxum ipsum Sancii Mirandæ rupes appellatur. Illi apes in petræ foraminibus quotannis mellificant. Ad culminis eius radices fons diuæ nat permagnus, qui vicinos hortos citriorum omnis generis arboribus consitos rigat. Situs est monasterio admodũ opportunus, & vestigia ædificiorũ cum ruinis, non vno loco apparent. Meminisse autem oportet cap. 8. diui Eulogiũ hoc monasteriũ haud procul ab vrbe cõstituisse. Ideo hanc rupẽ ipsum signare credendũ est. Alioqui insignẽ locũ ad Guadiati fluminis ripas intelligere potuim⁹, q ab apũ per rupes mella cõficientiũ multitudine, Apiaria vulgo nõinatur. Sed locus 2 o. ferme ab Corduba distat milliario.

Albayda.
Rupes Sancij de Miranda.
Guadiatus fluuius.

Mactæ humilitatis.) Libenter hac voce cum Liuio vtitur.

Vastæ horridum solitudine.) Et cõfragoso etiam per cliuos & saxa itinere præruptum.

Sicq; ante fores palatii.) Vides iterum, forum ad arcem ipsam extitisse.

Era DCCCXCVII.) Ita apertè fuit in vetusto codice, sed describentis vitio manifesto. Siquidem sanctæ Columbæ Martyrium Pomposam eodem ipso die concitauit. Et capite etiam sequenti is scriptoris lapsus planè conuincitur.

Caput duodecimum.

Decem mensibus interiectis.) Annus insequens iam hinc denotatur. Is fuit 854.

Ananellos.) Frustra, quid de hoc viculo dicere possim, inquiram.

V. Id. Iulii.) Is est dies eius mensis vndecimus. Perendie celebratur huius Martyris

festum: quia nimirum superiores dies aliis erant sanctorum festiuitatibus impediti. Vsuardi martyrologium anteuertit, & Iunii octauo reposuit.

Caput decimum tertium.

Ex Taccitano oppido.) De hoc oppido retro dictum iam est.

Hludouicus.) Aspirationē habuit semper in exēplari hoc nomē. Et ita ex diplomatib. imperatorū; qui hoc nomine fuere, scribit semper F. Onuphrius Panuinius in Cęsaribꝰ.

Italicensis prouinciæ.) Longum esset referre, quibus rationibus probari possit, Italicam vrbem eo ipso olim situ extitisse, qui nunc cum magnis ruinis Hispalis vetus appellatur, & ex aduerso penè ei vrbi trans flumen opponitur. In nostris Hispaniæ antiquitatibus, quicquid ad id ipsum inuenire potuimus, congessimus. *Italica.*

Palma.) Retinet hoc ipsum nomē id oppidū, quod Comitatus caput, & emporiū est admodum celebre. Illud etiam ad celebritatem & singularem in primis amœnitatē habet insigne, q; interamniū est, Singili fluuio Bætim ab altero eius oppidi latere intrante. Distat a Corduba milliaribus triginta duobus. Palmā autē prouinciæ Italicensis, hoc est diœcesis, fuisse intellige. Nam Episcopum eo tempore quemadmodū superioribus retro seculis habebat. Sic capite sequenti Egabrensem diœcesim prouinciam appellat. *Palma.*

Caput decimum quartum.

Egabrensi.) Ægas Græce capra dicitur. Latini olim Græcū huius vrbis nomen retinebant. Nam quo loco Plin. lib. 3. c. 1. oppida Cordubæ viciniora cōmemorat, pro Bæbro emendatiores codices, antiquis adiuuantibus exemplaribus, Ægabro habent. Nos Hispani Græcū vocabulū interpretati, Cabra nunc id oppidū nominamꝰ. Penè namq; manifestis testimoniis in præfato de Hispaniæ antiquitatibus opere ostendimus, Ægabrū priscum, idipsum, q; nunc Cabra est, oppidū fuisse. Distat à Corduba milliaribꝰ 36. Insigne est oppidū, q; Comitatus nomen & titulū præbeat, q; situs amœnitate præcellat, q; celebratissimā illā voraginē propè habeat, quam nos Simam appellamus: q; inter tesqua & rupes hians, nullū vulgo fundū habere creditur. Itaq; in prouerbiū iam abiit. Montes huic oppido vicinos Rasis florū & odoris causa magnopere celebrat. Et ea suauiolentia hodie quoq; iucundissima verno tempore persentitur. Episcopū olim habuit. *Egabrum.*

Caput decimum quintum.

XV. Cal.) Is est dies Aprilis 17. quo eodem eorum meminit Vsuardus: apud quem Helæus, non Helias legitur. Adonis martyrologiū eodē die habet: item Romanū nūp ab Maurolico exauctū. Meminit etiam libri vndecimi vltimo capite Equilinus.

Caput decimum sextum.

Confessor vir nobilis.) Apparet Argimirū, publicè aliquādo ante martyrii tēpus Christianā fidē, & Mahometi pseudoprophetę falsitatē professū fuisse: vnde cōfessoris nomen & gloriam iam retulerat. Nam confessores, vt notum est, nomine à primæuis nascentis Ecclesiæ temporibus vsurpato dicebantur, qui ita sese apud iudices gessissent, nec tamen mortem subiissent, quamuis suppliciis essent grauibus affecti. *Confessor.*

Censor.) Qui fuerit apud Arabes hic magistratus, ignoramus. Vmbrā aliquā saltem Romanæ censuræ fortè habuit, ex ciuium censu: vnde hoc ei nomen potuit diuus Eulogius accōmodare. Iudicē apparet fuisse ex eodem cap. cum semotus Argimirus ab administratione iudicii dicatur. Tum etiam ex præfat. lib. 1.

Caput decimum septimum.

Sanctorum Adulphi.) Artemiæ igitur, de qua libro secundo capite octauo, filiā.

Per annos ferè triginta.) Probè omnia consonant. Initio enim regni Habdar rahgmanis passos Adulfum & Ioannem retulerat, & nunc post eorum Martyrium consecrasse se Deo Autream in monasterio memorat.

Insignitā stygmate.) De stigmatis metaphora iam diximus libri primi capite primo: erat autem sacrare virginum insigne, vt alibi etiam diximus, velum capitis, aut nigrū, aut rubeum; vt ex conciliis Toletanis constat. Nigrum nunc gestant: tristitiam videlicet de morte domini nostri Iesu Christi testantes. Rubeus color sanguinis etiam eius pretiosissimi, quo redempti sumus, memoriam potuit respicere.

Non expertis.) In veteri expertis tantummodo fuit: sed descriptoris haud dubie vitio. Cum sensui apertè refragaretur. Ideo nos negationem adiecimus.

Pratermitte.) Conniuendo finito.

XIV. Cal. Aug.) Iulii dies 21. anni 856, in quem vsq; diem diuus Eulogius produxit historiam. Eam videtur postea continuasse; cùm in Apologetico sanctos Martyres Salomonem & Rudericū adieceit, qui anno insequenti quinquagesimo septimo mense Martio passi fuere. Inde totis duobus annis, quos diuus Eulogius superuixit, nullum martyrem fuisse crediderim. Neq; enim scribere de his prætermisisset. *Salomon & Rudericus Martyres.*

FINIS SCHOLIORVM LIBRI TERTII.

ARGVMENTVM OPERIS SEQVENTIS.

DECREVERAT diuus Eulogius in hoc opere vitam & Martyrum sanctorum Ruderici & Salomonis tantummodo scribere. Id enim initio iam indicat, & tandem in fine operis apparet. Verum quia instabant adhuc pusillanimes quidam Christiani, qui propter imbecilles zelo quodam, sed non secundum scientiam, commoti, martyribus vltro sese iudicibus passionis caussa offerentibus detrahebant: iterum aduersus eos hoc opere insurgit, tanquam non satis haberet in primo libro contra hos valide pugnasse. Tractat autem locos quosdam ex his quibus iam responderat, & denuo alia refutat argumenta. Erat autem misere corruptum exemplar, lassato nimirum iam descriptore, & negligentius omnia excipiente. Hinc fuit hic multo magis in emendando sudandum. Neq; tamen nobis permisimus, nisi vnum aut alterum verbum addere, permutare, transponere. Diximus autem iam, authorem indiculi luminosi id opus in defensionem Martyrum scripsisse iisdem rationibus dilutis.

Titulus hic fuit in veteri

IN NOMINE DOMINI INCIPIT LIBER APOLOGETICVS *Sanctorum Martyrum Eulogij Presbyteri.*

PROLOGVS.

DVM Studio promendi Martyrum gesta operis huius breuitatem extruere intentarem, meumq; exilem in indagatione præliorum Sanctorum stylum immitterem: confestim oblatrantium stolidorum opiniones recolens, qui proprium de eo pro captu scientiæ ferentes iudicium, non vt prioribus, his quoq; reuerentiam Martyribus exhibendam esse decernunt: nisus sum in exordio operis aduersus eos respondere. Quo contigit, vt in vigorem Apologetici gestorum pertransiret materies. Et licet suprema pars Commentarii Martyrum gestet agonem: & qualiter tropliæis victoriarum, milites Dei, claruerint penultima series libelli exponat, pro eo tamen quòd in principio delatorum maledictis occurri, potius Apologeticus sanctorum, quàm gesta solummodo Martyrum appellare decreui: vtrumtum pro parte designans, mox limen lectionis recessum aperiret voluminis, ne prototo nominans partem, in aliud, quod non existimaret, prudẽs lector impingeret, foretq; tunc facilis detrahendi infensis occasio, dum aliud nomen, aliud proderet volumen. Percurrant ergo lectores mei simpliciter, quod fidelis deuotio nostra in defensione Martyrum pio redemptori dicauit: nec ritu belluino laborem nostrum maliuola intentione subsannent, quoniam scriptum est: Omnis detractor eradicabitur. Licet enim opus nostrum reprehensionibus dignũ sit, Deo tamen, non inuidis, arguendum manet iudiciũ: cui cùm velle supperit indulgendi, protinus subest facilitas exequendi.

Incipit textus Opusculi.

Et hoc etiam fuit in exemplari.

GRECIA beatorum certamina Martyrum feliciumq; monumenta virtutum, qui Deo fautore totius vanitatis respuentes affectũ, specimen bene gerendi præcipuum mortalibus reliquerunt, licet à prudentioribus non moratis indagare sit congruum, & iure à iustificatis quodam priuilegio sanctimoniæ exponi sit ratum, non tamen abnuenda est vox peccatrix vera promentium, quandoquidem non solum alienigenarum, vt Hiram & Hiram consultum intenditur, dum & ab vno Moyses expositã iudicii formam cudit, & ab alio Salomon in ædificatione templi industriam accipit, verum etiam irrationabili animali humaniter facundiam exercitare conceditur. Quare ergo culpabilis iudicetur talia præsumens, cùm in veritate dignus sit præmio benedictionis, veritatẽ enarrãs? Etsi sanctitas remunerat iustum, dignũq; efficit concionati sanctis sanctorũ: quare non tueatur pietate peccator magnificans iustũ, dummodo ad multorũ profectũ studet patefacere victorias beatorũ; quæ, si fuerint obliteratæ silẽtio, nullum poterunt fidelibus piæ conuersationis exhibere exemplum, vt elucubratis exactorum trophæis, tam possint desides excitare ad prælium quàm certantes informare perfectionis intẽdere terminũ. Nam cum omnes Sancti terreno non egeãt laudationis præconio, qui iam cælestiũ exuberãt munerib⁹ præmiorũ, necessario tamẽ eorũ meritis applicatur, quicquid bonitatis suorum gratia exemplarium mortalibus operatur.

Exod. 18. 3. Reg. 5. Num. 22.

Promam igitur dominorum meorum gesta victricia, &, in quantum possem, tus mihi collatum est, in talibus rebus conatus meos expendam, quia non dubii de clementia redemptoris, non solum culparũ talibus studiis remediũ speramus, verũetiam eorum, quos votiuo celebramus stylo, consortium adipisci confidimus, dicente D

mino, Qui vos diligit, me diligit: & qui vos recipit, me recipit: & qui recipit Prophetam in nomine prophetæ, mercedem prophetę accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet: & iterum in psalmis, Mihi autem honorificati sunt amici tui Deus. *Matth. 10.* *Psal. 138.*

Sed priusquam eorum exequar trophæa insignia, opere pretium resistere credidi imperitis, qui ore blasphemo horum temporum Martyribus derogantes, non esse illos consimiles prioribus Martyribus, volunt. Illa denique (aiunt) gentilitas olim simulacrorum cultibus dedita, variisq; imaginum sacrilegiis occupata, milleno extitit idolorum portento subacta, & quot mundi alium mirata est species rerum, tot sibi instituit formas Deorum: putans non alias obtineri posse temporarium commodum, ob quod suum miserabilem summis viribus expendebat conatum; nisi haberet numerosam obseruantiam numinum. Cuius errore decepta, crudeli persequutione resistentem, ac aduersantem sibi Christianam vexabat militiam conuitiis, lacerationibus, flagris, equuleis, incendiis, bestiis, fluctibus, ac diuersis generibus tormentorum: speransà cultu religionis reuocari posse suppliciis animas, quas spiritali conflictu introrsus iam eruditas, nouerant etiam facillimè materiales debellantium cuincere pugnas. Sic hebes, dum inuictissimam fortissimorum militum virtutem admiratur, de immensis quoq; miraculorum ostensis obstupescens, insultat: dæmonicis deputando præstigiis, quæ cęcata mente pietatis nequibat effectum aduertere. Erantq; vt apud plurima legimus exemplaria, beatorum occasiones conuertendi ad Christũ, prodigia ipsa signorum. Nam isti tyrones, & nostrorum temporum confessores ab ictu mucronis celerem tantummodo excipientes interitum, nullam furentium acerbitatem perpessi tortorum, non sub diutinum desudarunt stimulum. Præsertim cùm ab hominibus Deum colentibus, & cælestia iura fatentibus compendiosa morte perempti sint. Vnde sat eis est, si præteritorũ curationem adepti sunt criminum, quod non tersit cathenarũ stridor, ferri onus, squalor carceris, nec diuersa pœnalitas persequętis.

Prima aduersorum obiectio.

Alia obiectiones.

Igitur hæc vana paruipendentium adinuentio congrua necesse est legum auctoritate retundatur: & in quantum Dominus iuuerit, veridico assertionum ariete impellatur. Vt mens religiosorum sacratissimis imbuta oraculis, discat ex veritate nouicios, sicut priscos venerari patronos, quos generali deuotione per mortem gloriosam ire cernit ad cœlos.

Quid enim celere militibus sanctis excidium officit, per quod ad id cursum pervenit, quo per varia & aspera tormenta olim catalogus beatorum accessit? Aut quid interest, quo mortis genere ex hac vita mortis excedat: quando, vt scriptum est, Iustus quacunq; morte pra occupatus fuerit; anima eius in refrigerio? Aut quid obest, verum per longa cruciamina, an subitaneo decedat: quando vna eademque res est, quæ vtrosque coronat, zelus scilicet Dei, & amor regni perpetui? An non perfecti sequutores præceptorum Christi censendi sunt, qui subitanea mortificatione accesi, eorum oblectamenta spernentes etiam parentum, filiorum, coniugum, fratrum, cunctorumque affectiones affinium ad punctum temporis abnegarunt? & quid inter vniuersa supplicia cruentius morte est? Quid terribilius, quàm micantem ante oculos cernere gladium, ceruicibus confitentium protinus illapsurum? Aut quid per longa certamina nisi mors sanctis Martyribus quæritur? Illa vtiq; mors de qua Psalmista canit & dicit, Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Non enim diu patienti sed vincenti corona promittitur. Et feliciori pertinacia beati agonis terminum prælolans, de spe salutis æternæ quodammodo magis animatur, dicente Domino: Qui perseuerauit vsq; in finem, hic saluus erit. Siue autem dilationibus, siue fortuitis casibus passionum strenuis militibus propter Christum pugnantibus propera seu tarda mors occurrat, hoc solummodo aduertendum est, si causa fidei passiones excipiant, si propter Christum coronatorem Martyrum, vt in æternum saluentur, animas perdere anhelant, sicut scriptũ est, Si quis voluerit animam suam saluam facere perdet eam, & qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam custodiet eam. Nam etsi delictis obnoxii maneant, & ex qualibet sorde vitiorũ infecti ad Martyriũ veniant: nihil impedit: cum omnib⁹ martyriali trophæo deletis ad Christũ coronandi accedant. Nec enim est per multa tormenta in nomine crucifixi animã in morte tradere, & semel pro ictu propter ipsum occumbere, qui dixit: Si quis perdiderit animam suam propter me, in vitam æternã inueniet eam. Et licet scriptum sit, quòd per multas tribulationes oporteat nos conscendere ad regnum; vtiq; cum suppetunt, sustinendũ est vsq; ad obitum. Sin verò celeritas persequentis intercidens, expeditam confessoribus

Respondet vltro obiectioni. *Sapientiæ. 4.*

Psal. 115.

Matth. 10.

Matth. 10.

Actor. 14.

Christi intulerit mortem, & in hoc nullatenus gloria eorum mutilanda est, quia perseuerauerunt vsque in finem.

Frustra ergo zelo Dei accensus ad brauium festinaret miles egregius, & casso co-
Comparatio. natu in primordiali exercitatione vires suas expenderet, si ab Imperatore emeritæ victoriæ triumphis defraudaretur, pro eo, quod in procinctu & in ipso belli auspicio palmam de tyranno obtinuit, neque eam diutina, & laboriosa conflictatione conquisiuit, aut per multimodum concertationis discursum adepsit. Illis vtique laboriosis vexationibus, & non expeditæ victoriæ corona deberetur, si magis prolixitas pugnæ, quàm festinatum trophæum pensaretur. Qualitas itaque, non quantitas intentionis obseruanda est discurrentis ad præmium; cum quo quomodo rei desideratæ capiatur effectus; unus tamen idemq; est rex æternus, pro cuius amore temporalibus se passio-
Latro in cruce cum Christo pendens. nibus sancti omnes submittunt. Quid enim latroni Euangelico obstitit, quod fraterno cruore illitis manibus crucem ascendit? Aut qualibus inter ipsa mortis dispendia miraculis coruscauit, qui (vt ita dixerim) totius vitæ suæ metam latrociniis, rapinis, prædisq; exegit? Et tamẽ sub vnius cõfessione momenti tanto scelere non solũ eruitur, verum etiam dignus comitatu Redemptoris primus paradisi possessor habetur, dicente Domino, Hodie mecum eris in paradiso. Et si nemo maiorem habet dilectionem, quam qui animam suam pro amicis suis ponit, quanto excellentiori charitate ferendus est qui pro Deo suo decertat vsque ad mortem? Nam & paterfamiliâs, non vna hora colonis in vineam missis æquam mercedem dispensans, non magnopere de temporis curat diuersitate, quia in exercitatione laboris non expertem à priorum intentione vltimorum mercenariorum operam compensat. Multi autem erunt nouissimi primi, & primi nouissimi, & multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, Isaac, & Iacob in regno cælorum.

Luce 23. Ioan. 15. Matth. 20. Matth. 8.

Secunda obiectioni respondet. Miracvlorvm verò insignia ideo olim inter supplicia per eosdem athletas Dei virtus mundo præstabat, vt prodigiorum virtutibus mitigaret furentum insaniã, quæ beatorum constantiam fatigabat, vel incredulum genus ab infidelitatis errore conuerteret, qui cælestium iura scripturarũ obduratis præcordiis respuebat. Eratque illo tempore multoties necessarium Dei testes signis coruscarẽ virtutum, quoniam rudem per æuum diffusum Christianismum nunc instructione verborum, nunc exercitatione scripturarum, nunc ostensione signorum, nunc etiam trophæis inclytis passionum conabantur radicitus fieri firmum in cordibus credentium populorum, sicut scriptum est: Euntes per vniuersum mundum, prædicate Euangelium omni creaturæ, qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos, qui crediderint, hæc sequentur. In nomine meo dæmonia eiicient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent, & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit. Super ægros manus imponent, & bene habebunt. Illi autem profecti, prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante sequentibus signis. & iterum, Euntes prædicate dicentes, quia appropinquauit regnum cœlorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate, dæmones eiicite; gratis accepistis, gratis date. Hæc prima fidei nostræ rudimenta fuerunt, harum exercitatione virtutum, quasi lactantium paruulorum auspicia, teneritudo eius & confota est & nutrita; vt ministerio signorum vel augeretur multitudo fidelium, vel roboraretur fides credentium, ac veluti quædam instrumenta ferramentorum fuerunt, per quæ ornamenta ex auro argentoue, torques scilicet, monilia, regumque diademata componenda, aptanda, & compingenda, formata sunt.

Miracula initio nascentis fidei necessaria. *Marc. 16.* *Matth 10.*

Miracula per fidem fiunt. Itaqve gratia confirmationis Catholicæ fidei, in primordio sui portenta atque miracula Christo cooperante profusius esse ostensa videmus: & ideo non miracula fidem præcedunt, aut fides miraculis cedit: ad quorum efficientiam nisi per fidem non peruenitur. Sic Moyses legifer sanctus, alternatione diuini colloquii dignus, fide grandis effectus est. Sic Deo credulus Abraham iustificari promeruit, dicente scriptura, Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam, & amicus Dei appellatus est. Sic iusti ex fide viuunt, & omnes sancti per fidem regna vicerunt, operati sunt repromissiones, obturauerunt ora leonum, extinxerunt impetum ignis, fugauerunt aciem gladii, conualuerunt de infirmitate, fortes facti sunt in bello.

Iacob. 2. Ad Heb. 11.

Alloquitur aduersarios Eulogius. Vides ne (ô tu quisquis ille es, qui contra aslurgis) quod hæc omnia instrumenta fidei sunt, & quasi clientulo famulatu piæ religioni subiecta, vt ex hoc nunc iam te in veritate credere oporteat, non prodigiis atque portentis, sed integritate fidei, & professionis constantia excellentiores fieri martyres: illudque tantummodo in eis sit admiran-

admirandum, quod animo fortiori mortem exceperunt propter Christum. Qui dixit: Qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam inveniet eam. Sanè omnium virtutum radix ac fundamentum fides est, quæ certantes adiuuat, vincentes coronat, & cœlesti dono quosdam defectu signorum remunerat. Nihil est enim quod synceræ fidei denegetur: quia nec aliud à nobis Deus, quàm fidem exigit. Hanc diligit, hanc requirit, huic cuncta promittit & tribuit. Fides (inquit) tua te saluum fecit: & esto fidelis vsque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. Nihil ergo fidei subtraxit, nihil ei impossibile esse depromit. *Matth. 16.*

Vtridam mirum & omnibus plenum, intelligit D. noster Eu. qui de Martyrum fide loquitur, qua vtridiorem nullam reperies: siquidem per ingentè charitatem operatur. Illam enim maiorem charitatem esse Christi ait, qui animam suam ponit pro amicis suis. Matth. 10.

Nec magnopere de prodigiorum insignibus confidendum est, quæ plerunque ab infidelibus exeruntur, vt in Exod. scribitur. Fecerunt & malefici per incantationes sicut & Moyses. De qua quæstione sufficienter, vt opinor, in illo Memoriali sanctorũ opere disputatum est. Siue enim Dei testes, miraculis emicent, siue absque prodigiis beatum certamen expediant, nihil interest, cùm ab eis hoc cæleste auctor tolli modo experat, vt vsque ad finem constantiam spei suæ non deserentes, viriliter agonem consument, quo in æternum catalogis adunati sanctorum, de perpetuitate salutis exultent: dicente Domino, Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit.

Simplex profecto dispositio nostra extiterat, vt victorum victorias depromentes, compendiosæ breuitati studeremus, sed repagulis insolentium præpeditus, nitus sum hoc apologeticum incertis assertoribus dare, & ideò fortè, vltra quam debui, modum excessi historiæ. Contra quorum prauitates pauliſper adhuc veniendum est, quo fidelis conuentus discat, votis ardentioribus plus amare quod credit, dum ex auctoritate sacræ legis & veritatem religionis, & errorem impiæ nouitatis compererit.

Dicunt enim, quod ab hominibus Deum, & legem colentibus passi sunt, nec ad sacrilegia idolorum, sed ad cultum veri Dei inuitati perempti sunt, & ideo non vt piorum Martyrum, horum Martyria veneranda sunt. Deum ergo & legem isti vanitatis cultores vllo modo habere credendi sunt, qui euangelicæ institutionis per totum orbem vitalia diffusa præcepta non solum non credunt, verumetiam omni zelo peruersitatis magnum discrimen ea fatentibus ingerunt, exosum & iniquum putantes Christum verum Deum, & verum hominem credere? Ac sic, irrisione nefaria quotidie Dei sortem infamantes, ritum sacræ religionis vbiq; lacessunt, irrident, & maledicunt: spem credulitatis & fidei suæ in cuiusdam pestilentioſi ac dæmoniosi homunculi diuinationibus collocantes. Qui ab spiritu immundo præreptus iniquitatis mysterium vt verus antichristi præcursor exercens, nescio quam nouitatis legem pro suo libito, & instinctu dæmoniorum perdito vulgo instituit. De quorum impietate beatus Paulus Apostolus patulis prophetiæ oraculis, sancto reuelante spiritu, Thessalonicensib⁹ dicit. Pro eo quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent, ideo mittit illis Deus spiritum erroris, vt credant mendacio, & iudicentur omnes qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati in omni seductione. Idem quoq; ad Romanos refert, Reuelabitur enim ira Dei de cœlo super omnem impietatẽ, & iniustitiã hominum eorum, qui veritatem in iniustitia detinent, qui quod notum est Dei, manifestũ est in illis, & cùm cognouissent Deum, non sicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt. Qui commutauerunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & seruierunt vanitati potius quã creatori, qui est Deus benedictus in secula. Propter quod tradidit eos in reprobũ sensum, vt faciant quæ non conueniunt: repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia, nequitia: plenos inuidia, homicidiis, contentione, dolo, malignitate: susurrones detractores, Deo odibiles, contumeliosos, superbos, elatos, inuentores malorũ, parentibus non obedientes, insipientes, incompositos, sine affectione, absq; fœdere, sine misericordia. Qui, cùm iustitiam Dei cognouissent, non intellexerunt: quoniã qui talia agunt, digni sunt morte, non solum qui faciunt, sed & qui consentiunt facientib⁹. Nam & beatus Petrus princeps Apostolorum, firmissimum Ecclesiæ Catholicæ fundamentũ, vtpotè cui ab ipso redemptore dictum est: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam: ita in suis epistolis ait. Fratres, habemus firmiorem propheticum sermonẽ, cui benefacitis intendentes, quasi lucerna lucenti in caliginoso loco, donec dies lucescat, & lucifer oriatur in cordibus nostris. Hoc primum intelligentes, quod omnis prophetia scripturæ, propria interpretatione non fit. Non enim voluntate humana allata est aliquando prophetia, sed spiritu sancto inspirante loquuti sunt sancti Dei homines. Fuerunt verò & pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui subintroducent ie-

Tertia obitio. Diuisit obitio.

Machometis abominanda peruersitas.

1. ad Thessa. 2.

Ad Rom. 1.

Matth. 16. 2. Petri. 1.

Ibidem. 2.

ctas perditionis, & eum, qui emit eos, dominatorem abnegantes, superducent sibi celerem perditionem, & multi sequentur eorum luxurias: per quos via veritatis blasphemabitur, & in auaritia fictis verbis de vobis negotiabuntur. Quibus iudicium iam olim non cessat, perditio eorum non dormitat.

Quæ omnia, sicut hæc beata apostolorum annuntiatio continet, non solum eidem pseudoprophetæ, sed & illis, qui eum reuerenter accipiunt, conuenire, multi peritissimorum mecum intelligunt, nec nos tanta de sanctis scripturis contra eum, eiusque sequipedas frustra congessisse aduertunt. Quippe quem iam vident sacræ legis præconio prædictum, ac veri magistri docentis oracvlo denotatum. Multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos. Nihil certè de nostra in eum exprobratione arguerent, quem tot pattum auctoritate impugnari cernerent. *Matth. 24.*

Quapropter hoc in loco non mihi absurdum esse videtur, si præcedentium de eo doctorum testimonium proferam, vt quomodo eum tunc ecclesiastici viri diiudicauerint, & qualiter illum fide & professione coluerint, quantusq; & qualis apud nostros extiterit, melius ex eorum dictis agnoscant, qui nunc cum non sano sensu legem illum adduxisse, aut Deum in veritate coluisse asseuerant.

Pompelonensis ciuitas. Legerēse monasterium. Cum essem olim in Pampilonensi oppido positus, & apud Legerense cœnobium demorarer, cunctaque volumina, quæ ibi erant, gratia dignoscendi incomperta, reuoluerem: subitò in quadam parte cuiusdam opusculi hanc de nefando vate historiolam absq; auctoris nomine reperi.

Annus 618. Diuus Isidorus. Sisebutus rex. Templum Sancti Ephrasii. Iturgi ciuitas. Sanctæ Leocadiæ templum. Exortus est namque Mahomet hæresiarches tempore Heraclii Imperatoris, anno imperii eius septimo, currente Era DCVI. In hoc tempore Isidorus Hispalensis Episcopus in Catholico dogmate claruit, & Sisebutus Toleti regale culmen obtinuit. Ecclesia beati Euphrasii apud Iturgi vrbem super tumulum eius ædificatur. Toleti quoque beatæ Leocadiæ aula miro opere, iubente prædicto principe, culmine alto extenditur. Obtinuitque prædictus Mahomet nefandus propheta principatum annis decem, quibus expletis mortuus est, & sepultus in inferno. Exordia verò eius fuerunt talia. Cum esset pupillus, factus est cuiusdam viduæ subditus. Cumq; in negotiis cupidus fœnerator discurreret, cœpit Christianorum conuenticulis assidue interesse: & vt erat astutior tenebræ filius, cœpit nonnullas collationes Christianorum memoriæ commendare, & inter suos brutos Arabes cunctis sapientior esse. Libidinis verò suæ succensus fomitè, cum patrona sua iure barbarico in ita congressus est. Moxque erroris spiritus in speciem vulturis ei apparens, os aureum sibi ostendens, Angelum Gabrielem esse se dixit, & vt propheta appareret, impetrauit. Cumq; repletus esset tumore superbiæ, cœpit inaudita brutis animalibus prædicare, & quasi ratione quadam, vt ab idolorum cultu recederent, & Deum incorporeum in cœlis adorarent, insinuauit. Arma sibi credentibus assumere iubet, & quasi nouo fidei zelo, vt aduersarios gladio trucidarent, instituit. Occulto quoque Deus iudicio (qui olim per Prophetam dixerat: Ecce ego suscitabo super vos Chaldæos, gentem amaram & velocem, ambulantem super latitudinem terræ, vt possideat tabernacula non sua. Cuius equi velociores lupis vespertinis, & facies eorum vt ventus vrens, ad arguendos fideles, & terram in solitudinem redigendam) nocere eos permisit. Primum nanque fratrem Imperatoris, qui illius terræ ditionem tenebat, interimunt, & ouantes de triumpho victoriæ, gloriosi effecti, apud Damascum Syriæ vrbem regni principium fundauerunt. Psalmos denique idem pseudopropheta in ore insensibilium animalium composuit, vitulæ scilicet rubræ memoriam faciens. Aranea quoque muscipulæ ad capiendas muscas historiam texuit. Vpupæ præterea & ranæ cantus quosdam composuit: vt fœtor vnius ex eius ore eructaret: garrulitas verò alterius in eius labiis non desineret. Alios quoque ad condimentum sui erroris in honorem Ioseph, Zachariæ, siue etiam genetricis Domini Mariæ stylo suo digessit. Cumq; in tanto vaticinii sui errore duraret, vxorem vicini sui nomine Zeid concupiuit, & suæ libidini subiugauit. Quod scelus maritus eius sentiens, exhorruit, eamq; prophetæ suo, cui contradicere non valebat, permisit. Ille verò quasi ex voce Dominica in lege sua illud annotauit, dicens. Cumque mulier ille displicuit in oculis Zeid, & eam repudiasset, sociauimus eam prophetæ nostro in coniugium, quod cæteris in exemplum, & posteris fidelibus id agere cupientibus, non sit in peccatum. Post cuius tanti sceleris factum mors animæ, & corporis illius simul appropinquauit. At ille interitum sibimet imminere persentiens, quia propria virtute se resurrecturum nullo modo sciebat, per Angelum Gabrielem, qui ei in specie vulturis apparere (vt ipse aiebat,) solitus erat, resuscitaturum se tertia die prædixit. Cumq; animum

Abac. 1.

Mahometis delirantia scripta.

Mahometis mors.

mum inferis tradidisset, solliciti de miraculo, quod eis pollicitus fuerat, ardua vigilia cadauer eius custodire iusserunt. Quem cum tertia die fœtentem vidissent, & resurgentem nullo modo cernerent, angelos ideo non adesse dixerunt, quia præsentia suorum terrerentur. Inuento igitur salubri (vt putabant) consilio, priuatum custodia cadauer eius reliquerunt, statimque vice angelica ad eius fœtorem canes ingressi, lactis eius deuorauerunt. Quod reperientes factum residuum cadaueris eius humo dederunt. Et ob eius vindicandam iniuriam, annis singulis canes occidere decreuerunt: vt merito cum eo habeant illic participium, qui pro eo dignum meruerunt subire martyriũ. Digne ei quidem accidit vt canum ventrem tantus ac talis propheta repleret, qui non solum suam, sed multorum animas inferis tradidisset. Multa quidem & alia scelera operatus est, quæ non sunt scripta in libro hoc: hoc tantum scriptum est, vt legentes quantus hic fuerit agnoscant.

Ecce qualibus prestigiis deditum vulgus, quantæque impietatis ducem pleriq; non metuunt sub nomine piæ religionis censeri. Asserentes, quod ab hominibus Deũ colentibus, & legẽ habentibus, isti tyrones nostrorum temporum milites occisi fuere: nulla discreti prudentia, vt saltim prouido cogitamine aduertant, quia si talium cultus aut lex vera dicenda est, pro certo vigor Christianæ religionis infirmabitur.

Etsi, quod in veritate fatendum est, notitia sanctæ fidei totius mundi compita penetrauit, cunctas nationes terræ peragrans; nullam iam partem orbis expertem luminis eius fore confidimus. Præsertim quia in omnem terram exiuit sonus Apostolorũ, & in fines orbis terræ verba illorum. & omne aliud Euangelium præter quod Apostoli gentibus tradiderunt, anathema magis esse, quam verbum salutis fatemur, sicut dicit Apostolus. Si quis vobis euangelizauerit præter quod accepistis, anathema sit. Et veritas ore suo discipulos contestatur, dicens, Multi pseudoprophetæ surgent, & seducent multos, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Et iterum, Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt. Qua consequentia credendum est, dæmoniosum & mendacio plenum veritatem proferre? fallaciis obuolutum legem donare? nemus peruersum fructus bonos exhibere? Ille interim nefandus de malo cordis suo thesauro proferens malum, & vulgo insipienti ducatum impietatis ministrans, vterq; præcipitium in chaos æternum pœnas luiturus incurrit. De quo atq; eius similibus dominus per Oseam loquitur dicens, Ipsi regnauerunt, & non ex me principes extiterunt, & non cognoui.

Ad Gal. 1.

Matth. 24.

1. Ioan. 4.

Osea 8.

Denique, inter cæteros post ascensionem Domini hæresum auctores, solus hic infaustus nouæ superstitionis sectam instinctu Diaboli condens procul ab Ecclesiæ sanctæ conuentu discisitur, auctoritatem priscæ legis infamans, prophetarum vaticinia respuens, sancti Euangelii veritatem conculcans, & Apostolorũ doctrinam detestans, qui ridiculum potiùs quàm rerum necessariarum causas per eandem sectam suam insinuans, ore blasphemo docuit: Christum Dei verbum esse, & spiritum eius, & prophetam quidem magnũ, nulla verò Deitatis potentia præditum, Adæ similem, non Deo patri æqualem. Qui ob meritum sanctitatis sancto repletus spiritu, per virtutem Dei miraculis claruit signis, atque portentis enituit, nihil ex propria maiestate, aut Deitate prævalens, sed vt vir iustus & pia seruitute Deo cohærens, votis supplicibus ab omnipotente multa impetrare promeruit. Sed & alia inaudita vanitatis scelera prædicans: adinuentione verspellis, à quo obsidebatur inuenta, qui se eidem transfigurauit in angelum lucis, delubra in quibus pessimum dogma suum coleretur extruxit, constituens in vltimo idolatriæ situ turrem, altiori pinnaculo cæteris ædib⁹ prominẽte, ex qua populis veneno nequitiæ suæ illectis sacrilegi furoris concionaretur decretum. Quod hodie suæ impietatis sacerdotes ab illo edocti obseruant. Ita vt more aselli dissutis mandibulis, impuriſque patentibus labiis horrendum præconium non prius emittant, quam obseratis vtroq; digito auribus, quod aliis exequendum annuntiant, quasi quoddam edictum sceleris, idem ipse eorum propheta audire non patitur. Quem impietatis ruditum dum Diuæ memoriæ auus meus Eulogius aure captaret, ferunt continuo vexillo crucis frontem præmuniens, cum gemitu, hunc psalmum solitum fuisse cantare. Deus, quis similis tibi? ne taceas neq; sileas Deus, quoniam ecce inimici tui Domine sonuerunt, & qui te oderunt, leuauerunt caput. Nos autem mox vt fallentis vocem præconis audimus, confestim oramus. Salua nos Domine ab auditu malo, & nunc & in æternum. Et iterum, Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui gloriantur in simulacris suis.

Mahumetis de Christo seruatore nostro nefarium iudicium.

Mauorum templa.

Mauorei sacerdotes de turribus proclamantes.

Eulogius Diui Eulogij auus.

Psal. 82.

Psal. 96.

Cuius quidem erroris insaniam prædicationis deliramenta, & impiæ nouitatis

precepta quisquis Catholicorum cognoscere cupit, euidentius ab eiusdem sectæ cultoribus perscrutando aduertet. Quoniam sacrum se quippiam tenere, & credere autumantes, non modo priuatis, sed apertis vocibus vatis sui dogmata prędicant. Multa etiam apud quosdam nostrorum scriptorum inueniet, qui zelo Dei armati aduersus ipsum vatē impudicum prudenti exarserunt stylo. Sed & nos in illo memoriali sanctorum opusculo huius sectæ errores ex parte digessimus, refutauimus, & confodimus.

Restat iam nunc expeditis Apologeticis beatorum, vt aliquid de victoriis eorū ad æmulationem catholicę plebis pandamus. Beatus igitur Rudericus presbyter ex quodam * vico Egabrensi progenitus, in eadem vrbe sanctæ legis doctrinam, gradumque sacerdotalem promeruit. Huic duo fratres fuerunt, sed ex his vnus fidem Christi rectius tenens, alter gentilico deprauatus errore, Catholicam spreuit religionem. Qui sicut discors à fide sancta manebat, ita semper discordanti conflictatione ob diuersarum rerum occasiones cum fratre Catholico mouebatur. Nam quadam nocte, nescio qua occasione tumultuaria in alterutrum litigatione se conferentibus, & in sese inuicem fœda simultate bachantibus sanctus sacerdos litem medius sedaturus interuenit. Qui omnes nimio iam furore accensi, cæca indignatione sacerdotem inuoluunt, & magis nescientes, quàm volentes, eum vsq; ad necem lacessunt. Ex qua * cęde valde contritus, dum omni destitutus vigore, confracta membra lectulo reponeret; profanus ille frater feretro illum imponens, per vicos & vicinia quæq; vehentium humeris duci, ac reduci fecit, & vt verus imitator diaboli fraudulenta machinatione super exanimem sacerdotem testimonium iniquitatis composuit, dicens: Hic frater meus presbyter visitatione Dei compunctus, fidei nostræ cultum elegit, & sicut cernitis, iam in vltimis agens, noluit prius mundo discedere, quam vobis id notum existeret. Ita cum eò loca diuersa peragrans, hæc & his similia criminosis de eo verbis narrabat. Nescience ipso prorsus, imo nec sentiente, quid contra se vir ille iniquus aptabat. Dei verò dispensatione post nonnullos dies molestiis ægritudinis sacerdos erutus, ac viribus reformatus, cum subdola nefandi fratris molimina cognouisset; exemplo Domini, qui ad informandos nos insidias declinauit Herodis: siue sancti Euangelii non surdus auditor, quod de ciuitate in ciuitatem, caussa vitandæ persequutionis, deliteſcere iubemur; relicto proprio rure, alibi se Christo libere contulit seruiturus. Quasi posset temporale euadere supplicium, cui diuinitus à constitutione mundi prædestinatum parabatur Martyrium: aut sicut ad tempus sese occulendo insequutorem fefellit profanū, ita quoq; abesse posset oculis pii Redemptoris, & vocatoris sui ad regnum. Per idem ergo tempus grauiter in nos præsidialis grassabatur insania, ita vt nonnullas apud Cordubam olim patritiam, nunc autem florentissimum regni Arabici vrbem basilicarum turres euerteret, templorum arces diueret, & excelsa pinnaculorum prosterneret, quæ signorum pestamina erant, ad conuentum canonicum quotidie Christicolis innuendum. Deniq; cùm exoptatum patris sui libitum progenies iniqua cognosceret, vt quibuscunq; modis ac viribus posset, Dei Ecclesiam infestaret: omnem crudelitatis adnisum erga filios lucis tenebrosa proles alacriori voto exercet: minusq; se putat adipisci meritum, nisi summo furore exarserit in euersionem fidelium. Prędixerat quippe hoc veritas sancta auditoribus suis dicens: Absq; synagogis facient vos, & omnis qui interficit vos, arbitrabitur se obsequium præstare Deo. Et iterum, Hæc loquutus sum vobis, vt in me pacem habeatis, in mundo autem pressuram habebitis.

Igitur dum ob rei familiaris necessitatem ex interiori montana Cordubensi, quo se pridem beatus sacerdos intuitu latendi contulerat, in nundinas descendisset, in quibus rerum distractio exercebatur: ab iniquo fratre obuius agnoscitur. Quem vt cernit stigmata piæ relligionis ferentem, non mediis lacessitum iniuriis ad vicem exquisiti muneris iudici offert, deponens aduersus eum coram arbitro questum præuaricationis sectæ Mahometianæ, quam se dudum veraciter coliturum, fuerat confessus. Dei verò miles cælesti iam munere illustratus, non sicut olim aduersariis tergum exponit, sed magna præditus fortitudine, nunquam se à Christo fuisse decisum, nunquā peruerso dogmati aliquando consensisse, iudici refert: seseque non solum Christianum, verumetiam Christi fatetur esse ministrum. Quem primò iudex blandis reuocare affatibus putans, poteris (inquit) rerum affluentiis, & dignitatum fascibus honorari, &, quæ tibi immine., sententiā mortis euadere, si te pristinis votis rediuiuo ardore reformans, missum ab omnipotente in veritate prophetā nostrū credideris, Christumq; restaueris Deum non esse. Cui beatus sacerdos ait, Illis inquam, iudex, hæc obseruanda

pro

* Ex hoc loco maxime patet vicum apud D. Eulogium idem esse quod nos modo Hispana lingua Aldeam appellamus. Idem constat ex cap. 13. lib. 2. Mem. Sācti. Hic è contra videtur aduersari locus statim sequens per vicos & vicinia eius: & alius D. M. pag. 91. b. Rudericus presbyter martyr. Egabrensis ciuitas. Matth. 2.

Matth. 10.

Corduba regum Sarracenorum sedes.

Turres templorum & cymbala.

Ioann. 16. Ibidem.

Montana Cordubensia.

Rudericus ab fratre impio accusatus.

propone, qui forte legibus veſtris dediti, ritibusq; profanis immerſi, potiori intuitu cõmodum temporale, quam æternum affectant honorem. Nobis autem quibus viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum, cui ſanctus ille clauicularius regni futuri dicebat, Domine ad quem ibimus, verba vitæ æternæ habes? qui diſcipulum in carcere commonebat, dicens; Beatus qui non fuerit ſcandalizatus in me: vt quid perennis fontis poculum relinquemus, hauſturi gurgitem cœno mendacii ac vitiorum ſordibus turbulentum? aut qua vltione procacitas punienda eſt filiorum, qui pia parentum iura ſpernentes, iniuſtum victrici contubernium expetunt? His verbis iudex vehementi furore commotus, applicari martyrem ergaſtulis iubens: abeat, inquit, etim damnatorum custodia, horrida marcerãdum antra carcerum excipiant, parricidarum & furum ſolatio fruatur, & omni penitus ſolatio deſtituta, vel ſic peruicax elidatur temeritas.

Philipp. 1.
Ioann. 6. 11
Matth. 11.

Adit Dei famulus hilari vultu exultantibus animis ſpecum illum reorum, qui verè ſciebat auctorem ſuæ ſalutis vbique inuocatum adeſſe, nec aliquo poſſe abeſſe ſitu: cuius dominatio omnem penetrat locum: qui etiam potenti diuinitatis imperio olim ſectatoribus ſuis fidele promiſſum dederat dicens, Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſumationem ſeculi. Hæ ſunt, diabole, minaces ſæuitiæ tuæ leges: hi ſunt exquiſiti terrores. Sed dictum eſt nobis, nolite timere eos qui occidunt corpus, quia non habent quid amplius faciant, ſed potius eum timete, qui poteſt corpus & animam perdere, & mittere in gehennam. Et iterum tradent vos in conciliis, & in ſyganogis ſuis flagellabunt vos, & ad præſides & Reges ducemini propter me in teſtimonium illis, & gentibus. Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Si ergo poteſt concredere aduerſus animam, & pertinacem in cõfeſſione ſua ſpiritum, ſupera: videbis me magis per tormenta proficere: & cum tu plus exarſeris, plus ſemper deficies, & feliciorem me facies peruenire ad gloriam.

Reperit vero in carcere Rudericus beatum Salomonem, quem ob cõfeſſionem nominis Chriſti dudum crudelitas perſequentium ibidem religauerat. Simili quippe & ipſe crimine impediebatur, eo quod ſanctæ religionis cultum ſpernens, aliquo tempore ſectæ Mahometanæ adhæſiſſet. Extemplo indiuiduo voto nectuntur, ac ſibimet inuicem conſolationis ſuffragia miniſtrantes, ab alterutro ſe ad peragendum agonem armantur, id in commune ſtatuentes, vt calcatis mundi affectibus, pia quotidie ſeruitute Deo inhæreant. Fit concors in Dei timore vtrorumque aſſenſus, macerantur membra ieiuniis, fatigantur vigiliis, limantur ciliciis, meditationibus compunguntur orationibus refouentur, ſicque ardore quodam cæleſtis patriæ conflagrati, diſſolui cupiunt, & eſſe cum Chriſto, feſtinantes faciem eius videre, cui ſeruierunt. cuius amore defectum temporis non verentes vitam hanc, vt quoddam diſcrimen immane, refugiunt.

Salomon Martyr.
Ad Philipp. 1.

Igitur permanentibus ſanctis in exercitio officiorum cæleſtium, & reddentibus quotidie pio Redemptori ceremonias laudum, pro ſummis deliciis antrum illud habebant. Quapropter zelo ductus iniquiſſimo iudex, ferali edicto cuſtodes carceris arguit, eoſq; ab inuicem diuelli præcepit, & ne à quoquã viſitationis gratia illuſtrentur totis veſaniæ ſuę furoribus iuſſit. Sed in nullo te iuuas diabole, quando per hoc diſſidiũ conſtantiam putas fatigari ſanctorum, quibus vnum idemque pro Chriſto moriendi manet indiſſolubile votum. Nam hi confeſſores beati ordine & natione diſſimiles, charitate non impares diuerſo licet tempore certaminis campum aggreſſi, vno tamen eodemque fidei ardore flammati, ſpecimẽ beatæ paſſionis egregium orbi inſtituunt.

Interea non poſt multos dies obtutibus ſuis iudex eos exhiberi præcipiens, illico ad ritum ſuum inuitat, ac de rerum copiis dignitate honorum ſuadendos attentat, quos ante mundi conſtitutionem electos & prædeſtinatos in adoptione filiorum Dei diuinitas ſancta perſcripſerat. Quorum pertinaciam in Dei profeſſione conſiderans, poſt ſecundã & tertiam exhortationem ex decreto regis fore plectendos ſtatuit. Prius tamen quam egrederentur ad publicum, conuinctorum ſe pedibus aduoluentes rogant, vt continuis obſecrationibus iuuarentur, ne tentatione humana prærepti, retrorſum reſpicerent, & ab intuitu percipiendi vexillum victoriæ turbarentur. Ita pacis oſculo reconciliati, qui nunquam fuerant litigio ſeparati, omnes præ gaudio lachrymantes ſanctorum ſe fauoribus tueri exorant. Sicque vrgentibus miniſtris voto alacriori proſiliunt, celerius properantes ad locum quo paſſionem conſummarent. Et cum iam hora deciſionis inſtaret, iterum à iudice blandius exhortantur cum ſpecie diuitiarum, honorumque ſublimium, quibus vtiq; fruerentur, ſi reuerterentur.

Ruderici & Salomonis ſollicita hortamina.

Abnuunt sancti, sicuti à principio iudicis optionem, ita vt sanctissimus Rudericus quadam vegetatus animositate superno iam munere perlustratus, audacter ei respondere deret, dicens. Quomodo nos cogis relicta pietate declinare in deuium, qui sanctæ fidei sacramentis instructi, fortiter ignorantiam vestram deflemus, quos tanto videmus errore infectos? Nam nos adeò hanc sectam detrectabilem iudicamus, vt nenostris quidem eam incolendam canibus pateremur, quantò magis nosmetipsos fallacissimis eius figmentis subdamus. Aut quare copiis rerum aut dignitate honorum labentium oblectemur, in ipso forsitan oblectationis momento intercidente morte protinus omnia amissuri. qui nouimus apud Christum coronatorem nostrum rerum inestabilium opes manere, quas oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendunt, se diligentibus repromissas? Ideoque celeriter crudelitatis tuæ in nos exere vltionem, quos cernis nullatenus à confessione Christi desistere vsque ad mortem, vt & quę debentur hostibus Dei, tibi accrescant in cumulum, & diu nobis dilatum cito proueniat præmium.

Sancti martyres trucidantur.

Hinc acrioribus frendens sceleroſus iudex clamoribus, vltimam suæ crudelitatis sententiam promens, perduellium, inquit lictoribus, properate abscindere colla, & debitam in capite contemptorum celerius retorquete vindictam. Sic super crepidinem aluei constituti, crucis signaculo se præmuniunt, & sic denuo ense prosternuntur. E quibus prior Dei sacerdos occumbens, præuius triumphator cœlum intrauit. Quod ideo iudex fieri voluit, vt si fortè horrore decisi cadaueris beati Salomonis animus flecteretur: quem post varias deceptionum illecebras constantem & fortissimum comprobans, vltimo gladio vindice trucidari præcepit. Hæsit tamen suo collo non funditus vertex incisus, quia expeditiorem beato Ruderico, quam huic Salomoni framea intulit obitum.

Ingens in occisos Sanctos sæuitia

Sed quia cœlorum regna adeuntibus animabus nequit obsistere callidus serpens, adhuc contra exanimata corpora bellum exsuscitat. Quasi mortua superare posset cadauera, cùm iam nullus esset spiritus, qui potius irrideret, quàm sentiret tormenta: aut quasi aliquis titulus putaretur victoriæ, cum defunctis bellum inire. Vt ergo passionibus Christi communicarent Martyres, instinctu ferocitatis à diabolo præses armatus, sub cuius dira crudelitate totius dignitas Cordubensis tunc grauiter vexabatur, iubet corpora martyriali cruore perfusa vestigiis inversis configi, ac deinceps fluuiali abyssu recondi. Eadem nocte ingenti lapidum onere alligata, separatim vastissimo gurgiti immerguntur. Sperabat miser elementis imperare vndarum, quæ præstantius intendere nouerant creatoris imperium, vt creditas sibi opes martyriales non solum à belluis conseruarent, verumetiam erepta saxorum pondere membra placido remigio fluctuum ad locum quietis veherent.

Diui Eulogii pientissima audacia.

Ego interim peccator Eulogius, qui gesta beatorum meo elucubranda stylo dudum decreueram, cum rumor consummatæ passionis eorum vbique discurreret, expletis missarum solenniis, ipsorum inuisenda corpora quadam vegetatus audacia adii, ac propius quam cætera spectantium turba accedere non veritus sum. Et testis est redemptor meus, qui hoc commentarium discussurus est, quia non mentior, quod tanta decoris pulchritudine decisa illa cadauera fulgebant, vt crederes, si à quodam scisciterentur, protinus loquutura.

Innentio sanctorum corporum

Nonnulli etiam è turba gentilium venientes sumebant lapillos fluminis, qui cruore Martyrum erant aspersi, & lymphis abluentes proiiciebant in pelago, ne Christianis in emolumentum exisserent lipsanorum, nescientes quod nihil obesset ab his partem adimere, quibus totam decreuerat Dominus passionem donare. Namcredita algarum latibulis membra, & altis abyssorum gremiis deputata, quæ tam celanda, quàm pabula piscibus ministranda susceperant illico diuinitus ad superos reuocata, non solum nequeunt retineri, verumetiam leniori spiramine reciprocanti fluctuum alternatione, quæ dispersa tenebantur, incolumia littoribus exponuntur. Sanè beati sacerdotis suis non hæserat cerussicibus caput, quia semel illud vno ictu satelles auulserat. Et ideo alibi vertex, & alibi corpus iactatum, vnoque in loco fabulo oppertum ab accolis viculi, quo vehentibus vndis expositum fuerat, reperitur.

Tertios vicus Sancti Geneſii monaſterium Funus ſancti Ruderici.

Interea dum situs quietis sanctorum notitia pene dierum viginti tempus excederet, nec vllum apparendi darent indicium: quorundam ex improuiso relatione gentilium proditur, referentibus hoc cuidam presbytero, apud viculum Tertios commanenti, quo Monasterium sancti Genesii fundatum est. Quo nuncio idem sacerdos compulsus beatum cadauer suæ deportandum ecclesiæ pergit. Cui redeunti ingens

fidelium

fidelium turba occurrit, vtpote summo triumphatori debitum honorem dependere anhelans, qui talia pro Deo suo in exemplum Catholicorum non contempserit sustinere; & quia defectu solis crassum tenebrarum chaos illabebatur, totumque mundi aspectum nox cæca mutauerat, ministerio obuiantium populorum multimoda lampadum face tenebrosus horror expellitur, adeò vt nimio splendore omnia illustrante, redituum ostentauerit nox illa diem emergere. Flebant omnes præ gaudio, miscebatur tripudiis luctus, & nulla contrahente mœstitia vultum, pium refundebat pupilla lamentum. Adest & venerabilis pontifex, felicium stipatus agmine clericorum, votis ardentioribus talibus interesse festinantes exequiis, qui mox sanctas reliquias adeunt, & inclitus Papa detegit, & oculis sancta membra demulcet. Redolent secreta cubiculi, quo prius beatum corpus sacerdos intulerat, miro suauitatis odore, cunctaq; cellulæ pauimenta etiam ablato puluere ferunt aliquandiu suauissimi odoris olfactu respirasse. Fit omnibus in stuporem, quod inhumatum corpus nulla putredo insumpserit, nulla pestis infecerit, nulla tabes corruperit, nulla bestiarum altiliumue rabida fames discerpserit, nec propriæ cutis qualitatem tot dierum interiecta capedo degenerans immutauerit. Sicq; sacerdotum & religiosorum officio sanctum corpus è cellula sacerdotis humandum Ecclesiæ inferentes, dant cuncti hymnorum cælestium clamorem egregium, resonant ora fidelium congruenti carmine melos, præstrepunt omnes diuinæ cantionis euphoniam, implentur atria Domini murmure sancto psalmorum, feliciumq; laudum odam omnes quasi ex vno ore persoluunt; & suaui concentu omnibus percrepantibus, largoq; fomite luminum totius aulæ penetralibus relucentibus, regem Christum militia comitante cælicolum ad spectaculum illud, exequiis innuebat interesse sanctorum.

Sancti Salomõnis Martyris corpus inuentum.

Expletâ igitur functione sanctissimi Ruderici, fit ardentior cunctis intentio requirendi beati Salomonis corpusculum, quod relatione multorum impetu fluminis falso credebatur esse transmissum. Nam hæc opinio prouidum magis Christicolarum ausum inhibuerat, quam furens conspiratio præsidis, quæ acrioribus vlciscendum legibus exploratorem reliquiarum promiserat. Etenim cum nullum latentis corporis instaret indicium, moueretque omnes spes beneficentiæ Dei, qui reuelare abstrusa, & aperta condere cõsueuit, prærogatiua quodammodo diuinitatis potentia, quia in cœlo & in terra, in mari & in abyssis omnia quæcunq; vult, ordinat, disponit, & facit: subitò per quietem, quo situ corpus martyris deliteſcat, prædictum admonet sacerdotem. Cumq; sacerdos monentem de loco sui latibuli sciscitaretur, seseq; instrui quæreret, quod explorandi tenere debuisset indicium; in illâ, inquit, ripa fluminis, quæ vico Nymphiano adsciscitur, ibi à commeantibus inter fructeta tamaricum projectus, cespitis limosi perfruor vili sepulchro. Pergit securus ad locum sibimet diuinitus demonstratum ille sacerdos, nec aliter, quàm quod ei reuelatione ostensum est, reperit. Quod illico summis reuerentiæ, obsequiis comptum ad vicum Colubris deportans, venerabilium Dei sacerdotum officio in basilica sanctorum Cosmæ & Damiani honorifice tumulatur. Consummauerunt autem beati Martyres agonem suum tertio Idus Martias, Era DCCCXCV. regnante domino nostro Iesu Christo in secula seculorum. Amen.

Vicus Nymphianus.
Vicus Colubris.
Basilica sanctorum Cosmæ & Damiani.
Anno Domini 857. Idibus Martii.13.

Ecce patroni mei Reuerendissimi, milites Christi, testes idonei, bellatores egregii, victores potissimi, tutores gregis catholici, detractoribus vestris obuius veniens, eisq; (pro vigore virium) mearum resistens, gesta quoq; victoriarum vestrarum ad exemplũ fidelium ordinaui, vt tam proficeret cupientibus ire ad regnum, quàm mihi occurreret ad expiationem facinorum. Quia non displicere vobis, quæ de vobis vera disposui, existimo: quinimo grata vobis, Christoque digna obtentu vestro futura credidi cuncta, quæ in hoc opere edidi. Vnde obsecro vos ego peccator Eulogius, pauper meritis exiguus sanctitate, & culpa multimodus, vt digna intercessio vestra tuitionem mihi, & inter ingruentia mundi scandala præbeat, & inter supplicia inferorum, quæ pro meritis expauesco, defensionem exhibeat: sanctificando me gratia huius opusculi, dignũq; efficiendo, quod sordidus sordidaui. Et si fortassis error contrarius fidei in quacunque parte libelli emerſit, Dominus vestro interuentu mihi parcat, vos quæso, quibus innocentia cordis mei non latet. Præsertim cùm non nesciam, prudentes plerunq; incurrere sermonis lapsum, vbi animus non gerit errandi affectum.

EXPLICIT, DEO FAVTORE, LIBER APOLOgeticus, pro gestis sanctorum Eulogii peccatoris.

Ita fuit in exemplari.

SCHOLIA IN APOLOGETI CVM SANCTORVM MARTYRVM.

Vod fraterno cruore) Aduerte receptam illorum temporum fuisse opinionem, sanctum latronem fratrem in re remisse. Nam aliis etiam locis hoc ipsum diuus Eulogius innuit. cap. 14. lib. 3. Mem. Sanct. pag. 7.. patricidam appellat.

Et apud Legerense cœnobium.) Huius Monasterii meminit etiam Epistola ad Pompelonensem Episcopum, vbi nos de ipso, & de vrbe, plura dicemus: perdurat enim adhuc incolume.

Mahometis initium.

Exortus est nanque Mahomet.) Annus Heraclii Imperatoris septimus, idem fuit Iesu Christi domini nostri sexcentesimus decimus septimus. Annus Eræ hic notatus annum vnum superadiicit. Neq; vlla tamen est repugnantia. Nam vnius anni discrimen inde potuit prouenire, quod vnus Heraclii annos emergentes, vt aiunt, alius computet vsuales. Sed non est huius loci hæc exquisitius rimari. Hæc autem, quæ de Mahometis initiis, progressibus & fine ex eo codice Legerensis cœnobii Eulogius se refert habuisse: iisdem verbis leguntur in paruulo, eodemq; vetustissimo codice literis Gothicis in membrana descripto, qui est in bibliotheca huius nostræ Academiæ Complutensis. Quanquam abscissum folium aliquot lineas in principio abstulit. Exemplar etiam conciliorum ante sexcentos annos scriptum, quod ex Monasterio sancti Emiliani de la Cogolla in Regium Diui Laurentii del Escurial aduectum est, eandem hanc habet historiam.

Septem primi Hispaniæ Episcopi.

Ecclesia beati Euphrasii.) Diuus Euphrasius vnus ex septem Episcopis fuit, quos primos Petrus & Paulus Apostoli Roma in Hispaniam miserunt. Multi Diui Iacobi Zebedæi Apostoli discipulos fuisse tradunt. Ego in hoc ex probatis authoribus nihil compertum habeo. Quod potui in nostra historia perquisiui. Illud omnes affirmant Hispanorumq; Ecclesiæ ferme omnes in matutinis legunt, Diuum Euphrasium Iliturgi & prædicasse, & obiisse. Fuit autem Iliturgi oppidum ad Bætim fluuium supra Cordubam, cuius Liuius, Polybius, Strabo, Plinius, & Ptolomæus meminerunt. Eo autem loco situm fuisse Plinius memorat, vt credi recte possit, eodem situ, aut non longè collocatum fuisse, quo vrbem nunc, Anduiar dictam, esse videmus. De quo latius nos in nostris Hispaniæ antiquitatibus disseruimus. Illud hic operæ pretium fuit aduertere: tempore etiam Gothorum huius Diui beatum corpus, cum templo eidem dicato ibidem permansisse. Nunc nec aliqua saltem in ea ciuitate eius memoria retinetur. Iuxta opulentum illud Diui Benedicti cœnobium Samos appellatum, de quo plura in Cordubensibus dicemus antiquitatibus: huius Diui corpus in oppidulo dicitur asseruari: & sepulchrum quidem magna religione vidimus ab accolis venerari.

Iliturgi.

Toleto quoq;.) Rudericus Toletanus, & Lucas Tudensis, atq; alii rerum nostrarum authores huius templi structuram ab hoc rege cœptam, & miro opere, ita enim scribunt, perfectam celebrant. Et sequentibus deinceps temporibus, neq; antea vnquam concilia in eo templo celebrata fuisse videmus. Creditur autem hoc ipsum esse templum sanctæ Leocadiæ, quod extra vrbem hodie perdurat non longè ab flumine Tago. Nam duo alia eius Diuæ intra vrbem visuntur.

Qui ridiculum potius.) Iisdem verbis libro primo vsus Diuus Eulogius fuerat. De illo autem Sarracenorū ex turribus clamore, de quo paulò post Diuus Eulogius, mentionem etiam, Indiculi Luminosi author, fecit.

Ruderici regis aurea numisma.

Igitur beatus Rudericus.) Rudericus verum est nomen, quod in Rodrigui nos Hispani corrupimus. Nam nummum aureum Ruderici, vltimi Gothorum regis, vidi, qui cum eius vultu has in orbem literas habuit inscriptas. IN DEI NOMINE RVDERICVS REX. Et parte auersa circum crucem. EGITANIA PIVS, in antiquissimis libris manuscriptis semper Rudericus legitur. Et Ruderici Archiepiscopi Toletani subscriptiones authographas nonnullas in publicis archiuis per totam hanc metropolitanam Toletanam ditionem vidimus, vbi Rudericum se, non Rodericum nominat.

Quæ signorum gestamina erant.) Mirum est Arabes huiusmodi æneas cymbalas in templis Christianorum ante hanc direptionem permisisse, qui alia multo magis impietati suæ tolerabiliora, vt apud hunc auctorem cernimus, vetarent. Pretio antea redemptum

ptum hoc ipsum, & tributo impositò donatum crediderim: nunc verò impietatem cum auaritia certantem viciſſe. Et de cymbalo eius temporis, quod hodie perdurat, ſuo loco diximus.

Deniq; cùm exoptatum.) Habdarrahgman patrem, & Mahomad eius filium reges intelligit.

Ad vicem exquiſiti muneris.) Hæc verba quem ſenſum habere poſſint, nec diuinando aſſequi poſſum, nec quomodo emendari poſſint ſuccurrit.

Qui diſcipulum in carcere.) Hoc ideo dicit, quia Diuus Ioannes Baptiſta cùm iam in vinculis poſitus diſcipulos ſuos ad dominum Ieſum miſiſſet: hæc ipſa verba eidem, quem hic diſcipulum appellat, nuntiare iubentur.

Hæc ſunt diabole.) Verba eſſe videntur Ruderici, dæmoni inſultantis. Deeſſe verò aliquid videtur, quo hæc ab illo dici ſignificaretur. Alioqui proſopopœia ſubitò irrumpens, conſtare non potuit.

Ordine & natione diſſimiles.) Non dubito, quin deſint etiam aliqua, quę de patria, & vitæ inſtituto Salomonis tradiderat. Nam qui potuit nunc Eulogius hæc referre, niſi ſecurus ſe iam neceſſaria, vt hæc intelligi poſſent, retuliſſe.

Et ſuper crepidinem alnei.) Hinc perſpicue intelligitur, forum ad Bætis littus fuiſſe. Nam cùm in forum eſſent hi duo martyres, vt occiderentur, deducti, ad ripam decollantur. Et Diui Eulogii cadauer in alueum fluminis præcipitatum non longè ab arce, vt in eius vita annotauimus, iacuit. Ante aream platea haud dubie forum habuit, & tribunal, vt ibidem dictum eſt.

Ac propius quam cætera turba.) hęc erat ſancta diui Eulogii audacia: hæc digna futuro martyre magnanimitas. Cum cæteri Chriſtiani infidelibus immixti ſe continerẽt ne mortis periculum adirent, ſi ad contemplanda martyrum cadauera propius accederent, ipſe vnus contemto mortis metu, Deum in ſanctis ſuis laudaturus, turba ſe eximens, ad patibulum ferme ipſum progreditur. Satis verò apparet quantum diſcrimẽ illa eius aditent fortia veſtigia: quum Arabes adſtarent, nomini Chriſtiano & martyrum gloriæ tantopere infenſi, vt quod ſequitur etiam minutulis eorum ſanguinis guttis iraſcerentur.

In pelago) Ita fuit in veteri, & quamuis credam fluuii aquam qualemcunque ſignificari: non tamen tacebo, quod ea Bætis pars, quæ à ſolis porta aut paulo ſuperius, ad pontem aut paulo inferius, hoc eſt ad arcem, veteris vrbis mœnia, vt ſuo loco dicemus, alluit, peculiari nomine nunc vocatur Pelagus. Et cum ex re ipſa hoc nomen inditum, aut potius adaptatum fuerit: quia nimirum toto eo tractu flumen ipſum laxius ſtagnet, & inpelagi formam protendatur: credi facile poteſt, eodem etiam tempore ita fuiſſe nuncupatam, proprioque nomine hic diuum Eulogium vſum fuiſſe. *Bætis pelagus.*

Libſanorum.) Libenter diuus Eulogius Græcis nominibus vtitur: Græce idem eſt quod apud Latinos reliquiæ.

Ab accolis Viculi.) Deeſſe nomen proprium oppiduli exiſtimo. Numquam enim ipſum author ſolet prætermittere.

Apud viculum Tertios.) & vici & monaſterii meminit Aluarus in diui Eulogii vita: & idem diuus alibi non ſemel. Sunt autem Geneſii duo martyres ambo in Dei eccleſia percelebres, Romanus alter, alter Arelatenſis. Vtriuſque Martyrium vno eodemque die hoc eſt Auguſti XXV. recolitur.

Et quia defectu ſolis.) Aſſurgere tentat hoc loco oratio. Et pectus illud diui Eulogii Deo plenum, & ſanctorum gloriæ cupidiſſimum, interna deuotione inſtinctum, feruentius prorumpit. Nec deeſt eloquentiæ natiua vis, ſed verbis, quod fuit temporis, deſtituitur, & modo quod fuit regionis caret.

Et inclitus Papa.) Aliquot etiam retro ſeculis Papæ nomen, quod patrem ſignificat, Epiſcopis quibuſque iam commune fuerat. Prudentius ad Valerianum epiſcopũ ſcribens in Hippoliti martyris paſſione. Rorantes ſaxorum apices vidi, optime Papa. Et multæ Sidonii Apollinaris epiſtolæ epiſcopis ſcriptæ, hunc titulum præferunt. Poſtea vſus tenuit, vt hoc nomen ſummo Pontifici Romano totius eccleſiæ Chriſtianæ capiti ſolummodo, per antonomaſiam quandam, tribueretur.

Era DCCCXCV.) LXXXV. fuit in veteri: ſed perperam profecto. Era enim nonageſima quinta fuit notanda, quandoquidem Machomad rege regnante, quod ſupra dixerat, interfecti ſunt hi duo martyres: qui poſtremi omnium paſſi hoc tempore ante Eulogium videntur, anno Domini octingenteſimo quinquageſimo ſeptimo.

IN NOMINE DOMINI INCIPIT LIBER, DOCVMENTVM MARTYRII EVlogii presbyteri, quod in carcere positus, virginibus Christi, Floræ, & Mariæ ergastulo mancipatis, dicauit.

Titulos qui in exemplari fuerunt omnes reliquimus.

PROOEMIVM OPERIS SVBSEQVENTIS.

QVi copiis rerum, & multiplici quæstu pecuniarum exuberant, quicquid in rebus terrenis affectant, facile consequuntur. Sed multo aliter est penuria & fame vexatis, qui vix quotidianum victum operoso sudore capessunt. Diues enim cogitauit & fecit, pauper cogitando defecit. Ast ego illis longè inferior egestate scientiæ laborantibus: & eorum, qui exigua literarum parcitate subnixi sunt, himium vltimus, hoc opus abiecto satis (ita dixerim) stylo sensuque digestum, ex eo Documentum Martyrii appellaui, ex quo quorundam virginum animos reorum mancipatarum specu ad consummandũ cursum certaminis imbui: seu quia profuturum fore cæteris talia exquirentibus credidi. Non igitur facundiæ nitore, quæ mihi oppido deest, materiam libri succinxi, non leporem venusti sermonis in extructione eius intendi. Sed quomodo per huius instrumenti virtutem Deum possem propitiari, meoque me reatu absoluere: quoniam scriptum est; Qui conuerti fecerit peccatorem, saluat animam eius, & suorum cooperit multitudinem peccatorum. Et iterum; Qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt sicut stellæ in perpetuas æternitates. Inde hoc prooemiũ & præsentibus & futuris precem humilem defert lectoribus, vt simplici studeant percurrere animo, quod simplexque dictauit intentio. Et si fortassis in aliquibus sanæ doctrinæ sententiam meam obstare repererint, nescientiæ id, non voluntario errori ascribant: meliusque emendando indulgeant, quam reprehendendo derogationibus vacent, quia non erit ad culpę meæ titulum coram Domino referendum crimen, quod non est vltroneo lapsu commissum.

Iacobi cap. 5.

Danielis. 12.

EVLOGIVS SERVVS CHRISTI VIRGINIBVS Sacris Florę, & Mariæ carcere compeditis, salutem.

PAruum hoc opus instructioni vestræ, vt reor, necessarium, Sanctæ in Domino Iesu Christo Sorores, operæ pretium condere visus sum, quod Deo fautore vobis fiet proficuum, mihique & nunc, & in futuro examine surget in testimonium. Vel quia ipsius dono, & sancti illustratione spiritus organũ linguæ meæ prędonio veritatis repleri confido: vel quia cœptũ voluminis huius laborẽ ab eo & perfici & sanctificari spero: vel quia fecisse vos magna & laudabilia verbis prędico, sensibus admiror, literis effero: superasse vos viros superasse clericos fateor. Excessit virtus vestra prędclara monumenta virorum, & excelsis elatum laboris vestri vexillum dat omnibus pię operationis documentum. Incitando desides ad triumphum, imbecilles armando ad prælium, debiles roborando ad bellum, tergiuersantes hortando spe vincendi rediuiuum ad castra pugnatorum facere reditum, & vniuersæ ecclesiæ specimen pro veritate moriendi exhibendo signiferum. Propterea non discedet laus vestra de ore hominum vsque in seculum. Si quidem prædonabilis est virorum victoria, excellentior tamen fœminarum extollitur palma: & cum magnum sit in viris victoriæ signum, plerunque glorioso efferuntur mares triumpho adorearum. Maioris vero est admirationis laude colendum fœminarem fecisse virorum, quippe quæ sexus sui fragilitatem oblitæ, celsa virtutum appetere non verentur. In qua subinde fortiũ vigor lassatur. Denique hac magnanimitate virute olim legales fœminę Est hęr & Iudith subnixæ fuerunt, quæ propter saluationem populi Dei hostium sese periculis iniecerunt. Nam vna earum Aman in perniciem Israel nefaria machinantem persuasit regi crucifigendum. Altera sopitum quiete virorum Holofernem saluo pudore peremit. Et sic cum excellenti victoria medias pugnatorum acies scindens, suum reuisura populum voti compos regreditur. Vnde vos quęso, Sorores meæ, vt harum exemplo succinctæ in excidiũ aduersarii Dei animę spiritu

ſpiritum erigatis: & vt tam vos quàm cæteruam fidelium à perditionis æternæ laqueis eruatis. Eſt enim angusta & arcta semita: sed compendiosa celeritate vos sub vnius horæ spacio ad sponsi vestri peruenire faciet gaudiũ. Non desit sacrario pectoris vestri primæuus ardor bellandi, quin potius quotidianis incrementis intra mentium vestrarum recessus sit adauctus, solenniter crepitans, Quasi ex vno ore ambæ clamatæ. Mihi autem absit gloriari nisi in cruce domini mei Iesu Christi, per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. *Ad Gal. 7.*

Non vos, sorores meæ, seculi blandimenta decipiant, qui Christum dominum ore Apostolico audistis dicentem, Nolite diligere mundum, non est charitas patris in eo. Quia omne quod in mundo est, concupiscentia oculorum carnis & concupiscentia oculorum est: & superbia vitæ quæ non ex patre, sed ex mundo est: et mundus transiet & concupiscentia eius. Non vos copia rerum illiciat, quia scriptum est: Nolite sperare in iniquitatibus, & in rapinis: nolite concupiscere diuitias: si affluant, nolite cor apponere. Et iterum, Nolite sperare in incerto diuitiarum. Non vos carceris squalidus horror auertat, quæ verè scitis Prophetas, Apostolos & beatos Martyres per carceralia vincula ad cælestem patriam peruenisse. Multisq; secreta mysteriorum in antro potitis reuelata sunt. Non vos contubernium scortorum exturbet, quoniam scriptum est: Sicut lilia inter spinas, sic amica mea inter filias: & Dominus quidem cum iniquis deputatus est, & inter verunq; latronem affixus est. Non vos furentis iudicii terror immuter, quoniam nec capillus de capite vestro sine iussu patris vestri auelletur. Non vos conuitia iniuriarum deterreant, quoniam scriptum est, Nolite timore opprobrium hominum, & blasphemias eorum ne timueritis, sicut enim vestimentum, sic comedet eos vermis. Et sicut lana, sic deflorabit eos tinea. Non vos supplicia illata pœnarum marcescant: non immanitas dolorum exuperet: non vulneribus tormentorum vigor fidei vestræ succumbat, quia scriptum est, Nolite timere eos qui occidunt corpus, animæ vero in nullo possunt nocere: sed potius eum timete, qui potest corpus & animam perdere, & mittere in gehennam. Dominus & magister vester hoc iubet, sorores meæ, & ex eius deifico ore ista prolata sunt. Iam non est vltra, quod metuas pusillus grex quoniam complacuit patri vestro dare vobis regnum. Roboretur prorsus vehementius humana fragilitas, & exerta manu in certamine pro Deo suo exerceat pugnans. Ipse dabit auxilium, ipse victoriandi conferet meritum, qui tale auditoribus indixit præceptum. Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consumationem seculi. *1. Ioan. 2.* *Psal. 61.* *2. ad Tim. 6.* *Cant. 2.* *Esai. 51.* *Matth. 10.* *Luca. 12.* *Matth. 28.*

Comminatur certè hostis publica vos venalitate dimittendas, foroque imponendas, & nefariis vulgarium prostituendas obscœnitatibus, crudeli exequutione nundinaliter distrahendas. Sed neque huiuscemodi obsecro cedatis furoribus, quia non derelinquet Dominus virgam peccatorum super sortem iustorum, vt non extendant iusti ad iniquitatem manus suas: ipse enim vos prouidus scrutator secretorum veltrorũ, veltrique vigoris collator, propulsari tentationum molestiis non sinet. Quibus probari, & non succumbere posse vestrum spiritum sperat. Quod si (quod absit) persequutoris voluptas improba intercesserit, & vim corporibus inferens, dicata Deo membra libidinose inuitas oppresserit: procul sit tantum ab appetitu animi pernicioſa consensio, quia non polluet mentẽ aliena corruptio, quã non fœdat propria delectatio. Quapropter in harum tentationum discrimine, quarum graui conflictatione hinc inde prominentibus bellis imbecillitas humana vexatur, dum corporis integritatem amittere veretur, vel perditã periisse dolet, etiam coram Domino præmia integritatis suæ meretur. Nec (dum inter homines vim perpessa iam caro turpis notam infamiæ subiisse verecundatur) crimen est: sed id potius intuendum, idque omnibus modis affectandum est, quod nos Deo inculpabiles reddat, non autem metuendum quod vulgus de nobis iudicium ferat. Quoniam non vacuabitur mercede incoruptionis mens, etiam carnis integritate adempta: dummodo permaneat sub testimonio sui opificis castitas interioris hominis illibata. Nam quantumlibet aduersariis cedat infirmitas carnis, quibus datum est corpora trucidare, tormentis affligere, stupris coinquinare ferreisque diuersis addicere: in nullo tamen animabus sanctitatis propositum conferentibus possunt nocere. Quia vt beatus ait Hieronymus, corpus sanctorum mulierum non vis maculat, sed voluptas. Et iterum sanctissimus Augustinus. Non amittit cor sanctitatem, manente animi sanctitate, etiam corpore oppresso: sicut amittitur corporis sanctitas, violata animi sanctitate, etiam corpore intacto. Sic Ioseph, sic Hieremias, sic Daniel, & tres pueri multique Hebræorum fideliter Deum *Psal. 124.* *Hieronymus.* *Augustinus.*

colentium illa tempestate venundati sunt: & tamen à verbo Dei non recesserunt. Quia nullum in statum deuenerunt, quo Deum suum non inuenirent, illum vtique ipsum, cuius in mente & intentione passionem ferentes, & dum cæderentur, & dum secarentur, & dum lapidarentur & dum venderentur: Christi passionem cogitabant; *Ioh.4.2.* qui impio post multa secula proditoris discipuli dicti abendus erat cõmercio. Deniq; Ionas propheta Dei nutu ponto de naui profectus, belluinis faucibus raptus, ex improuiso carceri horrifico mancipatur. Sed tamen expers omnis rationis monstrum i" d rationabiliter creatori suo obiequens, mystice tantummodo conseruandum sibi vate creditum fore intellexit, & inde non demoliendam perniciter alui sui specubus reuerendam prædam reposuit. Vt quæ erat prophetæ causa periculi, fieret postea nationibus credituris in sacramentum mysterii: & ex eo infractus visceribus, & incolumis permaneret, ex quo triduani temporis sepulturam mortis portendebat Dominicæ, quod abrogans Dei sui mandatis parere, Tarsum maluit nauigare. Sic Malchus *Malchus Monachus.* Monachus in captiuitate, victrici dextera castitatem tuetur, crudelium que Dominorum iugo exuitur, dum pro eo, intercedente pudicitia, armata vngula seruit, immani feritate impium conterens Dominum, qui pudicum in antro suo immunem reliquerat Malchum. *Sanctus Paulinus.* Sic Paulinus Nolanæ vrbis Episcopus vir eximiæ sanctitatis, & incomparabilis meriti, propter vnicum viduæ filium sponte subiit seruitutem, exemplo veri magistri comotus: qui dum liberum & coæternum frueretur cum patre & spiritu sancto cuncta disponendi imperium, nec præiret genitoris potestas maiestatem prolis, coæuę (quia natura diuinitatis indiuisibiliter persistente, diuersitas personarum inconfusa manebat, vna eademque patris filii & spiritus sancti substantia existente) nõ *Ad Philip.2.* rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo, sed semetipsum exinaniens, formam serui accepit, humiliauit se vsque ad mortem, mortem autem crucis.

Quapropter sorores meę, hoc Dominicæ passionis exemplar ante oculos cordis statuentes, & eius vestigia iugi meditatione sequentes, omne temporale supplicium pro nihilo reputate. Quia licet sit asperum & amarum, breue tamen est atque fini contiguum, & sub vnius momenti spatio aut qui infert perit, aut sustinens deficit. Quia pœnæ si acriores sunt, citò ingerunt patiendi defectum, si verò leuiores sunt, facilius tolerantur. In vtroque semper gloriandi vobis manet trophęum: in vtroque semper felicitatis cumulatur profectus, dum per multimodam excruciationem veluti aurum igne probatum, puriores animæ vestræ decidentibus scoriis vitiorum reduntur, & acrius pœna grassante, maturum laureandis vobis infert interitum: incunctanter vos nihilominus ad verum præmittens solatium, de quo per prophetam dicitur: Dabo eis solatium verum, pacem super pacem.

In huius igitur vitæ corruptione, quantalibet quisq; nostrorum tranquillitate fruatur, commodis vegetetur, prosperitate feratur: ex eo tamen quia peregrinamur a Domino, magis desolationem esse, quam pacem in veritate fatendum est. Quia cuncta quæ temporalibus rebus hærent, & vario mundi lumine perlustrantur, nihilominus *Eccles. 1.* vanitati corruptioniq; succumbunt, & facilè à statu suo labuntur, dicente Salomone, Omnia vana sub sole.

Hinc vehementius piis Deo affectibus supplicandum est, sanctisq; frequenter studiis insistendũ, & quasi lucerna in caliginoso loco lucente diuinarum scripturarũ pręcepta sanctorumq; iura verborum è tenebris nostrę peregrinationis, quibus à Domino, & beatorum consortio separamur, contemplanda sunt, & seruanda donec dies lucescat, Lucifer oriatur in cordibus nostris. Vnde, si libero aspectu Deum cernere anhelamus, prius fide corda purificanda sunt, operibus consecranda, & muro charitati hinc inde vallanda, quibus profecto illius sacri Euangelii sponsione incunctanter condigni habeamur, qua dicitur: Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Inde quęso vos beatæ virgines, ne perdatis coronam vobis paratam, nec vos è charitate *Ad Ro.8.* Christi cuiusquam rei mundialis oblectatio segreget, sed æquo animo cum Apostolo prædicate dicentes: Quis enim nos separabit à charitate Dei? tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculũ, an gladius? Sicut scriptum est, quoniã propter te mortificamur tota die, æstimati sumus vt ouis occisionis. Sed in his omnibus superamus, propter eum, qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque instantia, neque futura, neque creatura alia poterit nos separare a charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Quin potius ista omnia propter æternam retributionem alacrioribus animis votisque ardentioribus & quærendis

1. Petri.1.

Matth.5.

sunt, & ferenda. Manet enim vnicuique apud Dominum reposita laboris sui corona: & pro qualitate certaminis repensabit ille fructum mercedis.

Equidem nec nos diuino beneficio extorres fieri credimus, nec expertes, aut ingratos cælesti munere speramus: quia licet inuiti, tamen pro nomine suo sumus deuincti, & altero ergastulorũ laqueo deligati. Repleta sunt penetralia carceris clericorum cæruis, viduata est Ecclesia sacro præsulũ & sacerdotũ officio. Horrent diuina tabernacula squalidã solitudinẽ: aranea rexit templũ, tenent cuncta silentium. Confusi sunt sacerdotes, & ministri altaris, quia dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omniũ platearũ: & desinentib⁹ in conuentu hymnis cantionũ cælestiũ, resonant abdita carceris murmure sancto psalmorũ. Nõ promit cantor diuinũ carmẽ in publico: non vox Psalmistę tinnit in choro, nõ lector cõcionatur in pulpito, nõ leuita euangelizat in populo, nõ sacerdos thus infert altaribus. Quia percusso pastore dispersionẽ intulit aduersari⁹ regi catholico, priuata prorsus Ecclesia omni sacro ministerio. Et licet hęc inuiti sustineamus, non esse tamen inmunem coram Domino detentionẽ nostram confidimus. *Misera Ecclesiæ persequutio. Thre. 4.*

Quanto vos nobilior gloria, prælatiorq; corona, ô sanctę sorores meę, expectat, quę spõte sęculo, & fluxibus eius renũtiantes, zelo Dei armatę, intrepido gressu cõtra hostẽ fidei libero exilistis processu (Dignæ quidẽ munere diuino, cõdignę autem prophetali oraculo, quo dicitur, Qui sponte obtulistis de Israel animas vestras ad periculum benedicite Domino) Proferentes testimoniũ veritatis in auctorẽ sceleris, & institutorẽ peruersi dogmatis, victricia cõtra eum arma assumite. Ieiuniis, vigiliis, orationib⁹, & clamorib⁹ dieb⁹ ac noctibus insistentes. Rogo vos, sanctę sorores, ne desistatis à cœpto, ne cessetis ab inchoatis, ne resiliatis à prælior ũ auspiciis, quia non inchoantib⁹ præmium, sed perseuerantibus datur. Ne respiciatis retro, nec primã fidẽ irritam faciatis, nec manũ super aratrũ tenẽtes, ab itinere regio in deniũ declinetis. Festinate ad mercedem laboris vestri vòs accingere, cõtendite ad culmẽ perfectionis ascendere. Quia post vidoriã miles coronatur strenu⁹; & iam cõsumato labore, cõductis mercenariis merces dispensatur. Nam & qui certat in agone non coronatur, nisi legitimè certauerit. Certare verò legitimè est, omnibus à corde exclusis labentiũ rerũ affectibus intuitu capessendi regnũ cœlorum, aut cũ iustitia viuere vsq; ad mortẽ, aut nõ timere propter iustitiã mortẽ. Nã cum iustus rediuiuã semper dęmoniorũ vsq; ad obitũ perferat litem, nec desint ab eo tẽtationes vsq; ad finẽ, receptur⁹ pro qualitate certaminis in futuro mercedẽ, quãtauis sanctitate præcellat, nõ pergit securus, nõ vadit ad Deũ intrepidus. Ille verò qui sectãdo iustitiam, pro iustitia mori eligit; celerẽ iustãtibus bellis defectũ immunit, æternũq; indubius ad regnum ascendit. Sit qualis vult, & ex quibuslibet vitiorũ liqueis seu peccatorum sordibus venerit, etiamsi illotus baptismate ad Martyriũ conuenerit, nihilominus coronatur. *Iud. 5. 1. ad Tim. 2.*

Ne terreamini, sorores, furoribus persequentium, neq; formidetis à faciebus eorũ, neq; enim timere vos faciet dominus vultum illorũ. Vobiscũ ille est, qui vos armauit, ille propter vos pugnat, qui incitauit. Nec adiuuare desistet ille ipse, qui vos ad hunc agendum agonem elegit, quo deuictis aduersitatum stimulis secum iure perenni conregnãre faciat temporibus infinitis.

Verũ ad eos veniamus, qui vos ab hac intẽtione inhibẽdas esse putarũt, & illã primordialẽ cõfessionẽ vestrã infringere, & negare iusserũt, quam vos incitante Christo spõte corã iudice protulistis. Nos autẽ tali vos agere interdicim⁹, quia Deo est obediẽdũ, pot⁹ quã hominib⁹. Magister n, noster, fũdatores Ecclesię Apostolos nostros in prędicationẽ Euãgelii informãs, hoc eis dedit pręceptũ. Si quis me cõfessus fuerit, *Marc. 8.* & verba mea in generatione ista adultera & peccatrice: hunc & filius hominis cõfitebitur, cùm venerit in gloria patris sui & sanctorũ angelorũ. Non oportet, sorores meę, votũ vestrũ irritũ facere, quia scriptũ est: Siquid vouisti Deo, ne tarderis reddere. Displicet n. ei infidelis, & stulta promissio: sed quodcunq; voueris, redde. Multoq; melius *Eccl. 5.* non vouere, quàm post votũ promissa negare. Non erit Deo inultũ, vt post cõfessionẽ veritatis denuo veritati repudiũ detis. Illudq; os quod testimoniũ veritatis profetendo diuinitus sacratũ est, mendacio polluatis. Qui enim ista vos facere iubent, nihil aliud quam mentiri suadent. Et qui ad hoc mentes vestras inclinare cõtendũt, nihil aliud quam veritatẽ negare cõpellunt. Nulla itaq; differentia est inter mendacẽ, & veritatẽ negantẽ. Quia eodẽ reatu mihi videtur astringi vera abrogans, quo & falsa deprotestans. Mendax n. nititur falsum cõmentũ loco veritatis inserere: vera autẽ obtegens sibi suo falsitati administrat vigorẽ. Hinc euenit, vt veritas celata nõ pateat, & falsitas admixta prealeat. Vtrũq; verò vnũ fũt, & ob hoc impunita nõ erũt: Scriptũ est enim, testis falsus non erit impunitus. Et iterum, Os quod mentitur occidit animam.

Quare ergo sanctissimæ sorores, vosmetipsas interficere, vestrarumque animarum parricidias fieri non timeatis? Neque enim aliud agit, quam hominem occidit, qui seipsum occidit, & grauioris culpæ criminibus obnoxius iudicatur lictor animarum, quam corporum. Quoniam elisa caro quandoque surgit pro meritis cum anima regnatura in gloria: vitiis autem anima interempta secum pariter carnem pertrahit ad gehennam.

Nunquid mentitæ estis in eo, quod patulis assertionibus in aduersarium [illegible] catholicæ protulistis? Nunquid omne conuitium quod in ipsum præuium Antichristi dixistis, non verum & certum est? virum dæmoniosum, Sathanæ ministrum, mendacio plenum, mortis ac perditionis perpetuæ filium. Nunquid non omnis Catholica Ecclesia identidem quod & vos, Deo testimonium refert?

Proponunt certè vobis expugnatores sancti propositi, eremitatem Ecclesiarum, compeditionem sacerdotum, dispositionem ministeriorum: & quod non est nobis in hoc tempore sacrificium, nec holocaustum, nec oblatio, nec incensum, cuncta vastante sacrilega manu, omniaq; turbante fauore tyrannico. Sed respondendum est eis, sacrificium Deo acceptabile esse spiritum contribulatum: & quod in anima contrita, & *Psal. 21.* in spiritu humilitatis ita â Domino suscipiamur, sicut in holocaustis arietum & taurorum, & sicut in millibus agnorum. Quia non est confusio confitentibus eum. Vos ergo sorores beatæ, iam in illo reti Dominico captæ estis, quod in dextera nauigii ad præceptum magistri missum, plenum magnis piscibus littori expositum est, ad hoc reseruatum, vt scrutinio Apostolorum foris malis proiectis, perenni vos societate iungamini electorum catalogis. Si verò scisciante iudice, negaueritis vos maledixisse vatem, maledicemini: nec detestatas fuisse, quod Dominus detestatus est, duplici peccatorum reatu obnoxiæ. Vnum erit mendacii, negando veritatem, quam iam confessæ estis: aliud subtrahendo coram inimico iustitiæ verbum confessionis. Et certè quæ non maledicimus, è contrario benedicimus: & quem non detestamur, quasi fauendo nostræ societati admittimus,

Vnde insistendum est, sorores meæ, vt cœpta bella cum diuino auxilio in parcendis animarum vestrarum consumatis, nosq; potiori iuteruentu de cœlestibus tueamini. Quoniam si sic vobis pius Dominus non deest auditor, facilius tamen eius contubernijs cohærente, quicquid ab eo petieritis, impertietur. Quia sic immaculata virginitas liberis passibus Dominum sequitur, sic munda castitas a Redemptoris sui consortio non auellitur: sic etiam purpureo Martyrii aspersa cruore sertis diadematum victrices amicta comitatur. Deus enim Ecclesiam suam à molestia vastatoris defendet, nosque quæ sicut voluerit inuicte potestate de vinculis istis eruet, & custodiet, sedibusq; propriis misertus restituet. Vos tantum sorores, perseuerate vsq; ad mortem carnis, vtique solum animarum periculum euadatis, verumetiam in vitam æternam eas custodiatis *Matth. 10.* dicente Domino: Qui perdiderit animam suam propter me, in vitam æternam custodiet eam. Tunc autem quo pacto inculpabiles esse tis, si communi cum nostra Ecclesia silentio in hac re vteremini, non detestando publicè, quem frequenti impugnatione blasphematis occultè? Nec statueret vobis Dominus ad reatum, quod sola cordis meditatione, non oris professione ipsum referretis in forum, æmulando magis prauitatum huius nostræ Ecclesiæ, quæ hoc tempore contra ipsum vatem iniquum clandestinis agit inuectionibus? Pro eo quod *præpediente facinore, elapsa aditione Gothorum respublica, quæ olim in Hispanis aucta felicitate Ecclesiarum, & summa dignitate pollente sacerdotum, ab eis moderantibus gubernabatur: in istius nefandi cultoris priuilegium vatis occulto iustoq; Dei iudicio transuecta est. Quoniam quæcunq; Dominus nobis intulit, in vero iudicio fecit, & hæc omnia propter peccata nostra: aliquando scriptum est, hæreditas nostra versa est ad alienos, domus nostra ad extraneos. Aquam nostras pecunia bibimus, & lingua nostra pretio comparauimus. Serui dominantur nobis, neq; est qui redimat nos de manibus eorum. Qui grauissimo iugo collapsas mentes fidelium, omne à regni sui finibus, sicuti cernitis, genus excludere moliuntur Christicolum: nunc pro suo libito tantummodo exercere nos sinentes Christianum: nunc dira seruitute fœtere facientes ritu Pharaonitico sudore nostrum: nunc intolerabiliter à nobis vectigalem extorquentes chirographum: nunc publicum imponentes miserorum ceruicibus censum: nunc rebus nos abdicantes, crudeliter detrimentis atterunt retum. Et ita vario oppressionis genere orthodoxorum fatigant conuentum, diuersoq; persequutionis incursu gregem affligentes Dominicum, gratum se Deo suo nostris iactutis credunt præstare obsequium. Quantò tunc præstantiores bis

x. causante. Ita inf. prædiente desiquio, ad Episcopum Pathphilonensem. Hispania deuastatio. Thr. 4.

Exod. 5.

bis gloria à Domino præstaretur, si desidiam respuentes documento vestro excitati, talia peragere festinatemus, nec nos sub diuino impię gentis laborare stimulo patere-
D. Eulogii spiritus fortitudinis.
mur. Sed nos miseri eorum oblectati sceletibus non incongruè Psalmistæ denotamur Psal. 105.
oraculis, qui ait, Cõmixti sunt inter gentes, & didicerunt opera eorum, & seruierunt sculptilibus eorum, & factum est illis in scandalum. Heu proh dolor, quia esse sub gentibus delitias computamus, iugumque cum infidelibus ducere non renitimur. Et inde ex quotidiano vsu illorũ sacrilegiis plerũq; vtimur, magisq; ipsorũ cõtubernia affectamus, quam vt exemplo Lòth Patriarchæ relicto Sodomitico rure in monte saluemur. Gen. 19.

At vos, beatę virgines, postquam strenuè bellatrices ad publicũ prosiliſtis certamẽ, & corã regibus & principibus mundi intrepida cõfessione repulistis iustitiæ hostẽ; pugnandum est vobis vsq; ad mortem, quia hoc genus certaminis in morte glorificatur: & tunc brauiũ miles accipit, quãdo moritur; eoq; fit de corona victoriæ certus, quo se ardentib⁹ bellis iniecerit moriturus. Sic vos obitũ distrahentes corporeũ æternũ vitæ pereñis emetis statũ, luci perpetuę mancipatũ, dũq; cælestia pro terrenis mutando acquiritis, & dispẽsando labẽtia in æuum mansura percipitis; meritorũ vestrorũ exẽplaribus Ecclesiã Catholicã informatis, quo mundana abdicando supernis rebus intendat. Manet igitur vobis sorores meæ, ex vtraq; parte victoriæ cõmodum, manet ex vtroq; latere præmiorum indefinentium lucrum: & hinc non indecenter illud Psalmistæ vaticinium vestris iustis laboribus extat paratum, quo dicitur: Gloria & diuitiæ in domo eius, & iusticia eius manet in seculum seculi. Psal. 111.

Sed iam me in portu silentii constituto priusquam volumen finem appetat, & sancto in spiramine educatis arma præliandi ministrare desistat; tecum mihi paululũ loqui libet, o virtutum meritis florens, Flora sanctissima soror, vt nostræ familiaritatis verbum auditu placido captans, secretario cordis recondendum admittas. Nostrumq; consultum sanctificatis mentibus tuis, vt pii patris præceptum reponas. Audi ergo filia & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiscere populum tuum, & domum patris tui: quoniam concupiscit rex speciem tuam. Non itaque vocatio tua cæteroru simili est: Siquidem tu lupino creata coitu, & oue matre progenita, quasi ex sentibus rosa frondescis: In nullo tibi ethnicum semen obsistens, cum tamen Christiano edita partu, conceptũ diuinitus, pięque matris magisterio dominum Iesum Christum adeo credula mente coluerit, vt propter nomen eius actoribus cæsa flagellis, pristinam nullarenus professionem repuleris. Noueras enim spõsum tuum dixisse: Tradent vos in conciliis, & in synagogis flagellabunt vos: & ad præsides regesque ducemini propter me in testimonium illis & gentibus. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Hinc iam tibi proposita, auspice Deo gloria cœpit tẽ comitari martyrii. Hinc nominis tui magnifica toto orbe fama diffundi, hinc prò te rumor agonis, populos nationesque peragrans, cœpit pluribus innotescere. Denique cuiusdam ictibus flagelloru venerabilis tui vertices cutem, rimamque, qua cæsaries pulchra defluxerat, ego persequutionis tuæ tempore intuitus sum, dignante te illud mihi ostendere veluti proximo patri puritate reuerentiæ tuæ. Et blanda manu attrectans, quia oculis ipsa vulnera non crederem esse demulcenda; postquam à te discessi, diu alteq; mentem reputans suspiratui. Exponente verò coram me diffusa cælitus gratia oris tui ingentia dolorum tuorum, casusq; periculorũ, qui te presserant, & quomodo septa custodia, qua mancipata exiteras, diuinitus patefacta nocturna tibi silentia aditum effugiendi præstiterint: reputaui conformem te esse Petri Apostoli passionibus per hæc eademque gesta, quæ cunctis ostenderas. Quippe quæ tunc diuinitus absoluta, post sexennium de ciuitate in orbe, de vico in oppido per multa & varia exilia, atque latibula remedio fugæ conlecta fueras. Et quæ prius intuitu euadendi enormes moles transcenderas; nunc quasi monenti Christo sponso tuo ac tibi dicenti, Vbi pascis, vbi cubas in meridie soror mea? iterum venio crucifigi: rediuiuo præliandi aucta regressu, forum adis, publicũ petis, teque intrepida, confitendo Christum, & detestando fidei aduersarium, iudici offers, fortiterque ei resistens, laudans Christum tuæ salutis authorem, pietatis extollis religionẽ, ac deinceps impudicum vatem infamans nullatenus vera potuisse prædicare, mendacio plenum denuncias: & ob hoc congrue Dauidicum carmen decantas: Loquebar de testimoniis tuis Domine in conspectu regum, & non confundebar. Et iterum. Bene nunciaui iustitiam tuam in Ecclesia magna. Ecce labia mea non prohibebo Domine, tu cognouisti. Iustitiam non abscondi in corde meo, veritatem tuam, & salutare tuum dixi. Non celaui misericordiam tuam, & veritatem tuam à synagoga multa. Ac si patenter diceres, Testimonium veritatis tuæ Domine hactenus Cant. 1. Psal. 39.

timore carnis celaui: iam nunc, tuis armata viribus, patefaciam, quia sic timere nescit Deicola, sic trepidare ignorat mens tuo munere optima. Hæc ideo, Christi famula, Domina soror mea Flora, tibi disposui, vt tantarum virtutum beneficia recolens, ne tuis collata cælitus meritis perdenda reputes, ne conculcanda pertractes. Festina ad brauium, curre ad præmium, dum tempus capessendi instat potissimum. Paratus enim est sponsus tuus dominus Iesus Christus titulum tibi conferre perfectionis, si pugnare usq; ad mortem non cessaueris: si pro eo mori, sicut à principio elegisti, vsque ad supremũ contenderis: si hanc perfunctoriam pœnalitatem gaudiis oblectata supernis pro nihilo penderis. Quia non sunt condignæ passiones huius temporis ad superuenturã gloriã quæ reuelabitur in nobis. Certa bonum certamen, soror mea virgo beata, & si acrius vulnereris, non cedas. quia hæc vulnera æternæ sunt felicitatis auspicia, & sempiternis conferunt defectum doloribus. Cuncta permanent incolumnia. Mors hæc vitam donat, cœtibus sanctorum agglomerat, & statum perennitatis fideliter ac viriliter in agone perseuerantibus præstat. Verũ quia se pridem claudi iam liber sperauerat, cum me tibi singulariter verbum facere, ô soror Flora, olim gesta primordialis martyrii tui cogerent: nunc ad vtrasque reditũ faciens, adhuc paululum cõmuniter vobis loquens, quod mereamini præmiũ, differam, & sic deinceps prolixo sermoni finem imponam.

Ad Rom. 8.

Inenarrabilia sunt, sorores meæ, præmia vestra, egregia multum nimis reposita munera. Accipietis enim à Domino fructum virginitatis centesimum, & glorioſi martyrii inenarrabile cõmodum. Occurret vobis obuiam sancta & venerabilis regina mundi virgo Maria, florentissimis virginum choris ornata. Aderunt etiã fortissimi milites Dei confratres vestri Perfectus, Isaac, Sancius, Petrus, Vualobonsus, Sabinianus, Vuistremundus, Habentius, Hieremias, Siserandus, Paulus, & Theodemirus, qui vos præcesserunt cũ signo fidei, & victoriã de hoste tulerunt, vobisque iamiam perueniendi ad regnũ aperuerunt, dignum itineri vestro præparantes occursum, atq; dicentes. Venite sorores sanctissimæ, ingredimini thalamũ sponsi vestri, quem caenus dilexistis, vt propter illum mori non timeretis: Iam enim hyems transiit, imbres abiit & recessit, quia temporalis tribulatio à vobis deuicta discessit. Properate sanctæ sorores, festinantes eum iucunditate faciem eius cernere, cui in veritate famulastis, pro quo mori non recusastis, vt in æternũ viuatis. Percipite mercedem vestri laboris, & sumite lauream glorioſi certaminis. Quis tunc existimare gaudium tuum poterit ô soror Maria? Quis illi felicissimæ horæ diffusum cælitus mentibus tuis lætitiã compensabit cum inter eos Leuitam agnoueris Vualobonsum, quem tibi pia parentalis affectio germanum genuerat? Quis vtrarumq; vestrarũ tripudiũ mortalibus cõiectis aut verbis humanis expediet, quæ diutino iam gremio cõstitutę, inter affluentia deuitiarũ paradisi locatę, incunctanter illius remunerationis donaria capietis? Quia oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderũt, quæ præparauit Dominus diligentibus se. Vnde obsecro vos, sanctissimæ sorores meæ virgines prudentissimæ, quæ semper oleo castimoniæ redundantes, ornatissimo lampadũ cælestiũ emicastis fulgore, quando tabernacula Domini intraueritis, vt mei memores esse dignemini, dum thalamũ vestri adieritis sponsi, eiusq; amplexib⁹ inceſſabili mereueritis fruitione cõiungi, tuemini me precibus, defensate meritis glorioſis. Prosit mihi peccatoribus mediocritas succincta libelli, quem spirituali vestro flagrans amore vestræ saluti cõsulens edidi: quod per eum vos instituí, quod ad perficienda bella Domini incitauí, vt cõflictu non deficeretis, ense predicationis armaui: quod illecebras, quas fugere debeatis, ostendi: quòd præmia, quę mereatis, disposui: quod in laudib⁹ vestris, prout potui me versaui. Vos noſtis quid à vobis petierim, quid charitatis intuitu vobis indulserim. Vt digno intuentu vestro omni vitio careã, culpis exuar, nesciamq; delinquere: quo fideli famulatu, omnipotenti Deo meo cohæretis, fruar post transitum tam veliti quã Dominorũ meorũ cõsortio, in quorũ defensione & laude opus cõdidi memoriã sanctorũ, quod imanitas persequutoris me cõpulit relinquere imperfectũ, Christi fore quandoq; nihilominus cõsumandũ. Opitulationẽ sanè perparuã voluminis huic adieci, quã & verbis simplicib⁹ edidi, & vestro necessariã proposito fore perceui. Vt crebra meditatione vestris eã memoriis alligantes, tam pro vobis iam cælestis luminibus vestigiũ cordis supertenentibus, quã pro totius Ecclesię Catholicę cõmunitate Domino offeratis, nostriq; mentionem, prout textus exorationis poscit, loco temo faciatis. Ita vos Deus pacis ad perfectũ sanctificet, vt animas & corpora sine quela in aduentum Domini Iesu Christi seruetis, qui cum patre & spiritu sancto viuit regnat in secula seculorum. Amen.

Martyres Cordubenses, qui superfuerant conuenit.

Mariam alloquitur. Vualobonsus Maria frater.

EXPLICIT DEO GRATIAS.

ITEM ORATIO EIVSDEM EVLOGII AD SVPRA DICTAS VIRGINES.

DOMINE Deus omnipotens, qui sperantibus in te es solatium verum, timentibus te remediũ indefessum, & te diligentibus perpetuum gaudiũ, accende igne amoris cor nostrum, & flamma tuæ charitatis pectoris nostri exure recessu, quo valeamus cœptum consummare martyrium. Vt dilectionis tuæ in nos vigente incendio, decidant à nobis incentiua peccaminum, & malesuadæ titillationes procul effugiant vitiorum. Vt dono gratiæ tuæ illuminati, cuncta mundi oblectamina valeamus despicere, & te puris mentibus ac votis simplicibus vsque quaque diligere, timere, desiderare, & quærere. Da nobis Domine in tribulatione auxilium, quia vana est salus hominum. Da fortitudinem præliandi in hoc certamine, & de Sion intuitu liberandi nos respice: quatenus passionis calicem tua prosequentes vestigia, possimus iucundo ore ebibere. Tu enim, Domine, Israelitas tuos, olim sub diro Aegyptiorum iugo gementes, non solum potenti dextera liberasti, verum etiam Pharaonem, & exercitum eius in medio mari demersum, ad gloriam & honorem nominis tui omnino contriuisti. Da fragilitati nostræ in hac congressione inuictum resistendi inimico præsidium. Confer inter acies dæmoniorum, & hominum contra nos insurgentium inexpugnabile dexteræ tuę auxilium. Oppone in defensionem nostram numinis tui scutum, & vsque ad mortem propter te viriliter dimicandi præbe suffragium, quo valeamus effusione sanguinis nostri passionis tuæ reddere debitum. Vt sicut pro nobis tu ipse dignatus es mori; ita nos quoque condigno pro te martyriali obitu facias interire: vt torménta æterni supplicii per temporale gladium euadentes, depositá sarcina carnis, ad te mereamur peruenire felices. Adsit etiam Domine absque obstaculo catholicæ plebi tua virtus piissima, defendens ecclesiã tuam à vastatoris molestia: omniumque sacerdotum tuorum corona sanctitatis & castimoniæ ope subnixa, post illibatum sacræ officiositatis ministerium cælestem adire iubeas patriam. Inter quos seruum tuum Eulogium, cuius post tuum * munus documentis instruimur, literis edocemur, solatiis confouemur, prædicationibus animamur: omnibus peccatis mundatum, sceleribus vniuersis absterssum fidelem tibi efficito famulum, tuo perẽniter obsequio mancipatum: quo in hac mortalitate placitum tibi exhibens famulatum condignis tuarum in futuro habitus muneribus gratiarum saltem, vel vltimum requiescendi obtineat loculum, in regione viuentium. Per Christum Dominum nostrum, qui tecum viuit & regnat in secula seculorum. Amen.

* *Id est, gratiâ & donum, vt Hispanismum, dessumendo de iumentis, sapiat.*

SCHOLIA IN DOCVMENTVM Martyriale.

Virginibus sacris Florę & Mariæ.) Diximus iam Gothorum tempore sanctimoniales dominas variis nominibus fuisse compellatas, quod in conciliis Toletanis ostenditur. Inter cætera, sacrarum virginũ nomen fuit eisdem tributum, sed enim non hinc duas, sacras virgines appellat diuus Eulogius: cum altera tantum fuerit sanctimonialis. Sed quia martyrio iam destinatæ, tanquam sacræ victimæ, multo iustius hoc nomen promerebantur.

Triumpho adorearum.) Verrius Flaccus, seu Festus Pompeius: Adorea, laus: quia gloriosum putabant qui farris copia abundabat. Sed præsertim ea gloria hoc vocabulo postea significabatur, quæ bellicis rebus fuisset comparata. Inde videlicet, quod imperatores re bene gesta, frumenti genere, quod adoreum vocant, solerent donari. Plinius lib. 18. cap. 3. Gloriam denique ipsam à farris honore adoream appellabant. Et capite quinto eodem libro meminit publicorum donorum; quæ ex farre constarent. Et diuus Eulogius amat plerunque eiusmodi inusitatiora vocabula, quod alibi etiam annotauimus.

Rem feciſſe virorum.) Hispanismus.

Illum vtique ipſum.) Hic locus misere fuit in exemplari lacer, & deprauatus. Nullus prorsus erat sensus. Nos quoquomodo potuimus emendauimus, & suppleuimus.

Si acriores sunt.) Ex antiquorum philosophorum subtilitate, hoc est desumptum, vt ex Ciceronis tertia Tusculana apparet. Et non ab simile est illud Senecæ. Dolor decidit, vbi quo crescat non habet.

Repleta sunt penetralia caeteris.) Misera illa Reccafredi Episcopi tempora deplorat, de quibus Aluarus in diui Eulogii vita.

Non lector concionatur in pulpito.) Concionari vocat aliquid in ecclesia, aut ex sacris literis, aut ex sanctis doctoribus, & conciliis ad fidelium institutionem legere. Hoc erat proprium lectorum. Nam inter missarum solennia epistolam subdiaconus, diaconus, quod vtrumque nunc etiam fit, euangelium legebat. Homilias, hoc est sacras conciones ad populum habere hoc Episcoporum, & Doctorum tantummodo fuit.

Sic qualis vult.) Hispanismus, sensus quasi quisiere.

Etiamsi Illotus baptismate.) Theologi sacri, baptismum flaminis vocant martyrium.

Verum ad eos veniamus,) Eos nimirum innuit, contra quos primo libro, & seorsum in martyrum Apologetico depugnauit, qui male sanis argumentis retrahere Christianos à publica confessione volebant. Et has duas virgines horum vesanis vt apparet, monitis lubrico vestigio veluti labantes nutasse, in ipsarum passione libro primo; & in epistola ad Aluarum scripsit. Ideo validius confirmandas, & hoc errore fortius extrahendas putauit.

Eualsam ictibus.) Quæ sequuntur, fusius in harum duarum virginum passione diuus Eulogius narrat, vbi etiam de martyribus, quos hic nominat, late perscripsit.

Aderant etiam.) Horum omnium martyrum, sanctas has duas virgines præcesserat, vt libro secundo constat.

Prosit mihi.) Epilogus concinne adhibitus, & artis integumento artificiosior.

Quod immanitas persequutoris.) Quo tempore ab Reccafredo Episcopo missus est diuus Eulogius in carcerem, nec secundum finierat, quem postea, vt ibidem narrat, expleuit.

Da fragilitati nostræ.) Sumptum haud dubie ex pia oratione, quain sacratissimæ virginis Mariæ officio, vt vocant, ad sextam vtimur. Concede misericors Deus fragilitati nostræ præsidium.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ SEQVENTIS.

CVM in Galliam iter diuus Eulogius faceret, apud hunc antistitem fuerat diuersatus: qui beati Zoyli martyris Cordubensis ab eo reliquias petierat. Eius suæ peregrinationis historiã hic retexens, reliquias Zoyli, & Asciscli etiã transmittit: calamitates, quas Cordubẽsis perpetitur ecclesia, multorumque martyria recensens. Titulos in hac & in cæteris epistolis, quemadmodum in veteri codice fuerunt, reliquimus. Et hic ille Vuiliesindus Episcopus est, cuius multum mentionem facit Innigui Aristæ regis diploma, quod in Nauarrorum historia Garibayus apposuit: de quo in Numilone & Alodia iam diximus.

REVERENDISSIMO ET SANCTISSIMO DEI MINISTRO DOMINO ET PATRI meo Vuiliesindo Pampilonensis sedis Episcopo, Eulogius presbyter salutem.

Aluarus & Isidorus Eulogii fratres.
Gallia Togata.
Hludouicus rex Baioariæ.
Vuilhelmus dux Gothiæ.
Carolus rex.
Habdarragh man rex.
Saburica populi.
Gallia Comata.
Sancio Sanctionis comes.

OLIM, Beatissime Papa, cum dira seculi fortuna, quæ fratres meos Aluarum & Isidorum a genitali solo abducens, penè in vlteriores Togatæ Galliæ partes apud Hludouicum regem Baioariæ exulare fecit: cum me etiam propter eos diuersas adire regiones, & ignota atque laboriosa itinera subire compelleret (quoniã stipata prædonibus via, & funesto quondam Wilhelmi tota Gothia perturbata erat incursu; qui aduersum Carolum regem Francorum eo tempore, auxilio fretus Habdarraghmanis regis Arabum, tyrannidem agens, inuia & inadibilia cuncta reddiderat) ad partes Pampilonenses deuenisse putaueram me inde cito migraturum: sed ipsa iterum, quæ Pampilonem & Seburicam limitat, Gallia Comata, in excidium prædicti Caroli contumaciores ceruices factionibus Comitis Sancii Sancionis erigens, contra ius præfati principis veniens, totum illud obsidens iter, immane periculum cõmeantibus ingerebat. Eo tempore magnam mihi consolationem Beatitudo tua in ipsa peregrinatione exhibuit. Et vere summi magistri typum gerens, & in veritate eius præceptis obediens, non distulisti hospitio recreare, quem

quem tibi vera charitas Iesu Christi commendauerat, dicentis: Hospes eram, & collegistis me. Ita thesauros meritorum apud patrem in cælis collocare studens, præbes necessaria destitutis, foues omnia, vniuersa tutaris: adeò vt in illo exilio meo, nihil præter affectuosam peregrinorum fratrũ & destitutæ familiæ presentiam suspirarem. Lugebam ego sæpe, sed tu pater assidue consolabaris mœrentem: flebam multum, sed tu pia compassione relevabas prostratum. Quandoquidem iuxta Apostolum mecũ infirmabaris, mecum tristabaris, plangebasque vbertim, cum ego plorarem. Cumq; me vno residere loco multiplex dolor non sineret, libuit mihi loca visitare sanctorum quo deiectum summis mœroribus animum releuarem. Et maxime libuit adire beati Zachariæ acysterium, quod situm ad radices montium Pirenæorum, in præfatę Gallię portariis, quibus Aragus flumen oriens, rapido cursu Seburim & Pampilonam irrigans, amni Cantabro infunditur. Quod famosissimis in exercitatione regularis disciplinæ studiis decoratum, toto refulgebat occiduo. Sed tu pater iuuas anhelantem, & salutari consultu instruis abeuntem, pioque fratrum comitatu foues pergentem. Pri° autem, quam ad eundem locum accederem, plures apud Legerense monasterium cõmorans dies, præcipuos in Dei timore viros ibidem manere cognoui. Deinde alia atque alia loca peragrans, tandem diuino munere ad illud, quod sæpius desiderabam, perueni cœnobium. Præerat quippe ei tunc Odoarius Abbas, summæ sanctitatis magnæque scientiæ vir. Qui, vltra quam referri potest, nos digne suscipiens, omnem erga nos humanitatem exhibuit. In illo etenim beatæ congregationis collegio, quod bene centenarium numerum excedebat, veluti sydera cæli, alii quidem sic, ceteri vero sic, diuersis meritorũ virtutib⁹ emicabant. Florebat in nonnullis perfecta charitas Christi, quæ foris mittit timorem, pleroſque alto culmine extollebat humilitas, qua sese vnusquisque iuniore inferior reputans, imitatores præceptorum Dei fieri contendebant. Multi etiam cum essent corpore imbecilles, virtute tamen magnanimitatis subnixi, alacrioribus animis iniunctum exercebant obsequium. Sic quoque in aliquos principatum suum obedientia (quę omnium virtutum magistra est) vindicans, suos non patiebatur executores degenerare. Sed supra vires grandia exercere compellebat, quoscunque suo munere illustrauerat. Operabantur omnes certatim, alter alterum inuitans contendebat præcellere. Augebatur inuicem ardor placendi Deo & fratribus, & vnusquisque proprię artis industriam ad communem profectum exercitabat. Exercebant alii peregrinorum & hospitum diligentius curam, & quasi declinanti Christo ad hospitia eorum, omnibus aduentantibus obsecundabant. Cum vero tot essent, nullus murmurans, nemo arrogans intererat. Studebant cuncti silentio, totamque per noctẽ furtiuis precibus incumbentes, nocturnum chaos petuigili meditatione vincebant. Magna se circunspectione vallantes: ne Psalmistæ denotarentur oraculis: qui ait, Dormierunt somnum suum, & nihil inueneruht.

Monasterium sancti Zachariæ.

Pirenei montis. Aragus fluuius. Cantaber fluuius.

Legerense cœnobium.

Odoarius Abbas.

Sed quid referre de sanctorũ virtutibus lingua potest mortalis, qui in terris positi angelicè degunt? Et qui licet inter homines conuersentur, propositum vero gerũt cæleste? Cum quibus paululum commorans, eum ab eis vellem discedere, omnes solo prorurũt, pro se exorare deposcũt & cur tam cito à me desererẽtur, supplici prece querebantur. præstabat quippe tunc mihi charissimus filius meus Theodemundus diaconus comitatum: qui ab exordio itineris mei usque in vltimum inconuulsibiliter contubernio meo cohærens, mecum totius discrimina illius peregrinationis confecit. Regredientibus ergo nobis præbent sodalitatem Abbas ille venerabilis Odoarius. & Ioannes Præpositus: per totum vsque in vesperum diem, colloquium de diuinis scripturis getentes, sic quoque ab invicem datis osculis discedentes, ad te, Apostole Dei, è vestigio tepedauimus, cuius informatione tanta honoris venerabilitate ab illis patrib⁹ excipi meruimus.

Theodemundus Diacon⁹.

Ioannes Præpositus.

Igitur cum proprium reuisere arium, piæ matris Elisabeth, seu sororum duarũ Niolę & Anullonis, iunioriſque fratris Ioseph vrgerer affectu, cogis, vt adhuc remaneã nec finis abire metentem: sed vtroque vulnere percussum cor meum tu iam mederi non poteras: cui & peregrinatio fratrum, & desolatio domesticorum quotidianum afferebant lamentum. Ita de nostra charitate confisus, rogas vt Cordubam repetens ipse reliquias tibi sancti martyris Zoyli dirigerem, & hoc munere Pampilonenses populos illustrarem. Illico me satis facere petioni tuæ, respondi: & huius rei debitorem me vobis esse in veritate promisi.

Elisabet Eulogii mater. Niola & Anullo sorores. Ioseph frater.

Sancti Zoyli reliquiæ.

Quumque à vobis egrederer, festinus Cæsaraugustam peruẽi, causa fratrum meorum, quos vulgi opinio negotiatorum cohortibus interesse nuper ab vlterioris

Cæsaraugusta.

Maguntia. Franciæ gremio ibidem descendentibus iactitabat. Deinde vrbi appropinquans, negotiantes quidem repperi, peregrinos autem meos eorum relatione apud Maguntiam nobilissimam Baioariæ ciuitatem, exulasse cognoui. Et verum fuisse hoc negotiatorũ nuncium, regredientibus, Deo fautore, succedenti tempore ab interiori Gallia fratribus nostris, didicimus.

Senior episcopus. Complutũ. Segontia. Sisemundus episcopus. Venerius episcopus. Toletum. Vuistremirus Archiepiscopus Toletanus, & eius laus. Aliquandiu vero apud Seniorem pontificem, qui tunc rectis vitæ moribus eandem vrbem regebat, demorans, postea Complutum descendi: raptim per Segontiam transiens ciuitatem, in qua tunc præsulatum gerebat vir prudentissimus Sisemundus. Et cum ab antistite Complutensi Venerio digne susciperer, post quintum diem Toletum reuerti. Vbi adhuc vigentem sanctissimum senem nostrum, faculam spiritus sancti, & lucernam totius Hispaniæ, Vuistremirum Episcopum comperi. Cuius vitæ sanctitas totum orbem illustrans, hactenus honestate morum celsisque meritis catholicũ gregem refouet. Multis apud eum diebus degimus, eiusque angelico contubernio hęlimus.

Ioseph Eulogij frater. Cumque in domum me reuocassem, cuncta incolumia reperi, genitricem scilicet, binasque sorores, & vltimum nostrorum omnium ætate Ioseph: quem sæua tyranni indignatio eo tempore à principatu deiecerat. Suscipit peregrinum suum destituta familia, & quasi è sepulchro suscitatũ lætantibus animis, gaudet reuixisse post longum tempus Dominum. Ego vero semper in omni colloquio meo te patrem excolens semper inter familiares sermocinationes tuam beneficentiam recolens, semper tuæ charitatis affectum corde gestans, mentis vlnis amplector.

Pompilo Christiana ditionis iam facta. Et quia, intercedente terrarũ prolixa capedine, multis ab inuicem disparamur spaciis, obstãte quoque alio chaos immane, quo ego Cordubæ positus sub impio Arabum gemam imperio: vos autem Pampilona locati, Christicolæ principis tueri meremini dominio: qui semper inter se vtrique graui conflictu certantes, liberum commeantibus transitũ negant: inde est, vel quod non debitum vestræ bonitati dependimus famulatũ: vel quod nõ pio desiderio vestro satisfecimus in trãsmissione reliquiarũ, seu quia non quibuscũq; tales tantasq; opes cõmittere duximus ratũ. Nunc autẽ, quia Deo dispensante, Dominus Galindo Enniconis ad propria remeans, suos reuisere fines exoptat, per ipsum vobis prędicti martyris reliquias destinauimus. Sed & sancti Aciscli, quas à nobis non postulastis, transmisimus, vt vos sponsionis vestræ votum feliciter adimplentes, eorum beatæ memoriæ construendo basilicam, nobis Deo fautore propter hanc obedientiam patrocinium illorum occurrat ad veniam. Christo vobis omnia repensante atque donante, quæ erga nos operati estis: quem vestrum in nos olim exhibitũ non latet obsequiũ, & quia remuneratione centuplicatũ vobis valet rependere cõmodũ, qui dixit: & qui vos recipit, me recipit: & qui vos spernit, me spernit: & qui recipit prophetam, in nomine prophetæ mercedem prophetæ accipiet: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet. cuncta tibi pater reposita sunt coram Domino, omnia apud illum, quæ piis laboribus tuis debentur, salua & incolumia perseuerant, recipienda ab eo tempore necessario, cum iustus iudex aduenerit, vnicuiq; reddere pro qualitate laborum, aut præmium, aut supplicium.

Gallindo Enniconis.

Cordubensis Ecclesiæ persequutio. Deniq;, beatissime pater, nolumus vos ignorare tribulationẽ nostrã quã his diebus nostro prepediente deliquio sustinemus, vt solito nos propensiº orationum clypeo defendẽtes, vestrę intercessionis irrepudiabili merito, quod multũ apud Dominũ valere confidimus, è profundo tædiorum labyrintho erui mereamur. Etenim anno præsenti, qui est Era octingentesima nona, exardescens sæuus aduersus Dei ecclesiam furor tyrannicus omnia subuertit, cuncta vastauit, vniuersa dispersit, retrudens carcere Episcopos, Presbyteros, Abbates, Leuitas, & omnem clerum: & quoscunq; illa tempestate capere potuit, ferro deuinctos, quasi mortuos seculi, subterraneis specubus immersit. Inter quos egò ille peccator amabilis vester deuinctus sum, & vna pariter omnes horridos ergastulorum luimus squalores. Viduauit ecclesiam sacro ministerio, priuauit oraculo, alienauit officio: & non est in hoc tempore nobis oblatio, neque sacrificium, neque incensum, neque locus primitiarum, quo possimus placare dominum nostrum: sed in anima contrita, & in spiritu humilitatis reddimus Christo vota laudationis, ita vt à conuentu desinente psalmodię, cantu resonent penetralia carcerum murmure sancto hymnorũ. Quæ omnia prudenti relatione Dominus Galindo vobis enucleatim poterit enarrare: quia nos partim mœrore depressi, partim fastidium impolitæ orationis vitantes, suis limitibus schedulam coarctauimus, ne in modum commentarii breuitas transiret epistolaris.

Propter

Propter futurarum autem generationum ſecula illuſtranda, & vt expertes noſtrarum tribulationum, & ærumnarũ non fierent, ſaltim vel pauca è pluribus perſtringamus. Quidam enim Presbyterorũ, Diaconorum, Monachorũ, Virginum, & Laicorũ repentino zelo diuinitatis armati in forum deſcendentes, hoſtẽ fidei repulerunt: deteſtantes, atq; maledicentes nefandũ & ſceleroſum ipſorum vatem Mahomat: & hoc modo contra eum animoſum ſpiritum erigentes, teſtimoniũ protulerunt. Virũ hunc, quem vos ſumma veneratione excolitis, & cuius ſectam præſtigioſam inſtinctu dæmoniorum elicitam, tanto honore ſuſcipitis; magum, adulterum, & mendacem eſſe cognouimus, eiuſq; credulos æternę perditionis laqueis mancipandos cõfitemur. Quare ergo vos, cum ſitis homines prudentiſſimi, talibus ſacrilegiis communicatis, & non potius euangelicam veritatem intenditis? Hæc & his ſimilia, prout ſpiritus dabat eloqui eis, in conſpectu regum & principum confitentes, omnes gladio vindice interẽpti ſunt. Quorũ deciſa corpora ſtipitibus ſuſpendentes, poſt aliquot dies igne cremarũt eorumq; cineres fluuialibus aquis perdendos merſerunt: pleraq; verò inhumata præ foribus palatii relinquentes, volucribus, canibuſq; deuoranda expoſuerunt, adhibitis cuſtodiis militũ, ne quis Chriſtianorum intuitu humanitatis, carnibus nudata cadauera, ſepeliret, ſicut ſcriptum eſt: Poſuerunt mortalia ſeruorum tuorum eſcas volatilibus cœli, carnes ſanctorum tuorum beſtiis terræ: effuderunt ſanguinẽ eorem veluti aquã in circuitu Hieruſalem, & non erat, qui ſepeliret. Quorum nomina dieſq; alliſionum in fine epiſtolæ digeremus. Huius rei cauſa nos deuinẽti manemus, propter hoc cõpediti exiſtimus: noſtro deputantes inſtinctui, noſtræque informationi aſcribentes, quicquid illi diuinitus illuſtrati egerunt. Vnde quæſumus, vt ſuffragia orationum veſtrarum in defenſionem noſtram adhibeatis, noſtrumq; carcerem omnibus monaſteriis veſtris innoteſcere faciatis: & vt proni pia exoratione inuigilent, iubeatis: ita poſt peractum luctamen mundi de æterno præmio exulteris.

Martyres Cordubenſes.

Pſal. 139.

Cur captus D. Eulogius.

Sane ſalutationum officia, quæ dudum alia proferendo, omiſimus: nunc cernua mente perſoluimus, voſque feliciori ſerie temporum vigere expoſcimus. Petentes, vt ſalua honoris veſtri reuerentia, non dedignemini nobis ſalutare amabiles, & chariſſimos patres noſtros: id eſt, Fortunium Legerenſis monaſterii Abbatẽ, cum omni collegio ſuo. Odoarium Serafienſis monaſterii Abbatem cum omni collegio ſuo. Salutamus etiam cæteros patres, quos in peregrinatione noſtra tutores, & conſolatores habuimus, omnemq; ſcholam dominicam in oſculo ſancto.

Fortunius Abbas Legerenſis. Athilima Cellenſis Abbas. Scemenus Igaſenſis Abbas.

In nomine Domini, regnante in perpetuum domino Ieſu Chriſto, anno Incarnationis eius octingenteſimo quinquageſimo, Era octingenteſima octuageſima octaua, decimo quarto Calendas Maias, Perfectus presbyter occubuit.

Sequenti verò anno, qui nunc eſt, Era octingenteſima octuageſima nona, tertio nonas Iunias, Iſaac monachus decidit: poſt quem Sancio Laicus, de oppido Albenſi, nonas Iunias in hac ipſa Era, martyriali obitu triumphauit.

Martyrum Cordubenſium nomina.

Deinde Petrus presbyter, Vualabonſus Diaconus, Sabinianus, Vuiſtremundus, Habentius, & Hieremias monachi, vno die, vnaque hora ſeptimo Idus Iunias, in Era ſupradicta, interempti ſunt.

Siſenandus verò diaconus decimo ſeptimo Calendas Auguſtas, eadem Era proſtratus eſt.

Paulus diaconus decimo tertio Calendas Auguſtas, Era qua ſupra alliſus eſt.

Theodemirus monachus, octauo Calendas Auguſtas, eadem Era occiſus eſt.

Iſti ſunt, qui tradiderunt corpora ſua in mortẽ propter teſtimonium veritatis, vt in æternum viuerent. Siquidem & duas virgines Chriſti, Floram & Mariã, nobiſcũ ob eandem profeſſionem nunc in ergaſtulum detruſerunt: & quotidie de interitu comminantur.

Die fuit in exemplari. VVilieſindus Epiſcopus, Guilleſindus appellatur in priuilegio Ennicones regis, quod proculit Gazinalus. Vt Guilielmus & VVilhelhelmus dicitur per digammæ additum.

DATA DECIMO SEPTIMO CALENDAS DECEMBRIS PER GALINDVM ENNICONIS VIRVM ILLVSTREM, ERA OCTINGENTESIMA OCTVAGESIMA NONA.

SCHOLIA IN EPISTOLAM SVPERIOREM.

Pompelo ciuitas.

Ampilonenſis ſedis Epiſcopo.) Verum nomen vrbis eſt Pompelo, vt eſt apud Strabonem, Plinium, & Ptolemæum. Paulatim autem corruptu in Pampilonam fuit. Nos Hiſpani corruptius adhuc proferimus Pamplona. Eſt autem vrbs in Vaſconibus Hiſpanis notiſſima, regni Nauarræ caput & arx munitiſſima. Strabo, quamuis id plane non ſcripſerit, ſatis aperte tamen ab Pompeio conditam fuiſſe dicit, ſiquidem Pompelonem, quaſi Pompeiopolim, hoc eſt Pompeii ciuitatem dictam docet. Et nomen ipſum vrbis ſuum profectò refert conditorem.

Carolus Caluus.

Olim beatiſſimè Papa.) Quantum ex his, quæ paulò poſt memorat diuus Eulogius, colligi poteſt, apparet hanc eius peregrinationem in Caroli Calui regis Francorum initia incidiſſe. Cœpit autem mortuo patre Imperatore Hludouico regnare hic Carolus anno Domini octingenteſimo quadrageſimo, vt in priſcis Annonii annalibus habetur. Decem igitur poſtea annis, aut paulo minus hæc epiſtola ſcribitur, vt in fine notatur, & in Nunilone & Allodia nos diſquiſiuimus. Vnde non immerito olim potuit hic dicere, & quondã etiã paulò mox dicet. De nomine autẽ Papę, retro iam diximus.

Gallia Togata.

Togatæ Galliæ.) Ciſalpina Galliæ pars, quæ Italiæ coniuncta fuit, Togata ideo dicebatur, quòd togis incolæ, quemadmodum Romani vterentur, Plinius lib. 3. cap. 14.

Hludouicus Imperator.

Hludouicum regem.) Præpoſita ad hunc modum aſpiratione ſcriptum fuit in exemplari. Quam lectionem ex antiquis monumentis vbiq; ſequitur F. Onufrius Panuinius. Neceſsè eſt autem hic Hludouicum Hludouici Pii Imperatoris filium Caroli Calui Francorum regis fratrem nominari. Illi enim moriens pater Germaniam hæreditario nomine reliquit, & poſtea etiam eidem eſt in arbitraria diuiſione poſt bellum inter fratres confirmata. Authores ex antiquis ſunt Rhegino Prumienſis, & Annonius annalium ſcriptores. Vnde Paulus Æmilius, & Robertus Gaguinus deſumpſere. Vuolfgangus porro Lazius lib. de gentium migrationibus ſeptimo diplomata etiam huius Hludouici regis adducit, quæ per hoſce annos conceſſa ſint: in quibus ſe Baioariæ regem cõpellat. Ideo Baioariæ regem hunc D. Eulogius vocat. Eſt autem Baioaria corruptũ nomen, quo Paulus Diaconus & cæteri inde ſcriptores vtuntur. Verum nomen Boiaria eſt à Boiis populis, qui ad Noricum in Germania habitarunt, quorũ Cæſar libro primo & ſeptimo, Plin. lib. 3. cap. 24. & aliubi meminit. Eam ſuis finibus vndiq; cluſam deſcribit Paulus Diaconus lib. rerum Langobardicarum tertio, cap. 29.

Boiaria.

Et funeroſo quondam Vuilihelmi.) Nihil prius in hac epiſtola quam ſeries temporum, & ratio chronologię eſt attendenda. Hinc enim & nihil diſcors apparebit in Gallorum hiſtoria, quod alioqui poterat lectorem diligentem interturbare. Rurſus etiam rectè ſibi conſtare D. Eulogium, nec diſcrepans quippiam narraſſe apparebit. Cùm tamen niſi tempora cum rebus geſtis ita dilucidentur, diuerſum quiddã & repugnans ſanctus martyr recenſere videatur. Temporum autem & rerum geſtarũ ſeriem ex his potiſſimum annalibus Gallorum deſumemus, qui ſunt cum vita Caroli Magni iam pridem Coloniæ excuſſi. Illorũ author nomen ſuum non prodidit: ſatis autẽ apparet, ſui temporis hiſtoriam texuiſſe: quo pluris eſt eius fides & authoritas facienda. Is igitur anno 827. de Hludouico Imperator Helyſachar presbyterum & Abbatem, & cum eo Hildibrandum atque Donatum comites ad motus Hiſpanicę Marcæ componendos mittit. Ante quorum aduentum Aizo Sarracenorum auxilio fretus multa eiuſdem limitis cuſtodibus aduerſa intulit: eoſq; aſſiduis incurſionbus adeò fatigauit, vt quidã illorum relictis, quæ tueri debebant, caſtellis, recederent. Defecit ad eum filius Beronis nomine Vuiliemundus, & alii complures nouarum rerum, gentilitia leuitate, cupidi, iunctiq; Sarracenis Ceritaniam & Vallenſem rapinis atq; incendiis quotidie infeſtabant. Cumq; ad ſedandos ac mitigandos Gothorum, atq; Hiſpanorũ in illis finibus habitantium animos Helyſachar abbas cum aliis ab Imp. miſſis, multa & propria induſtria & ſociorũ conſilio prudenter adminiſtrarent: Bernardus quoq; Barcinonæ Comes Ayzonis inſidiis, & eorum, qui ad eum defecerant calliditati, ac fraudulentis machinationibus pertinaciſſimè reſiſteret, atq; eorum temerarios conatus irritos efficeret: exercitus à rege Sarracenorum Habdarraghman, ad auxilium Ayzoni ferendum miſſus, Cæſaraugusta veniſſe nuntiatur. Super quem Abumarbam regis propinquum duc-

Helyſachar Abbas.

Ayzo dux.

Vuiliemundus, Ceritania. Vallenſis.

Bernardus Barcinona Comes.

dux constitutus, ex persuasione Ayzonis haud dubiam sibi victoriam pollicebatur. Contra quem Imp. filium suum Pinum Aquitaniæ regem cum immodicis Francorū copiis mittens, regni sui terminos tueri præcepit. Quod ita factum esset, ni ducum desidia, quos Francorum exercitui præfecerat, tardius quam rerum necessitas postulabat, is, quem ducebant, ad marcam peruenisset exercitus. Quæ tarditas in tantum noxia fuit, vt Abumarban vastatis Barcinonensiū & Gerundensiū agris, villisq; incensis, cunctis etiam, quæ extra vrbes inuenerat, direptis, cùm incolumi exercitu Cæsaraugustam se reciperet: priusquam à nostro exercitu, vel videri potuisset. Et quia tot retro annis hi Guillielmi motus occeperant, ideo diuus Eulogius quondam dixit. Intelligo autem bellum, quod tunc seri cœptum fuerat, ad Caroli Caluī regis tempora, dum aliud ex alio germinat, successisse. Fratres etiam Eulogii Hludouici tempore in Galliam abierant; ibi vsq; ad Carolum Caluum eius filium perstiterant. Hoc Carolo iam regnante Pompelone Eulogius fuit. Aliter temporum, quæ ipse magis innuit, quam signat, ratio constare non potest. Et de Carolo Caluo loqui Eulogium liquet. Is enim ab anno Domini DCCCXL. ad DCCCLXXVIII. regnum Francorum tenuit.

Habdorrahaim Rex Caesaraugustæ Abumarban Saracenus.

Pipinus rex Caroli Magni filius.

Gerundenses.

Gothiam autem vocat eam Galliæ ad Narbonem partem, quæ quod Gothis fuerat semper subdita, Gallia Gothica fuit appellata.

Gothiæ.

Sed ipsi iterum, &c. Pampilonem.) Seburici populi sunt, vt hinc & paulò post apparet, in Pireneis, & inter Vascones computandi. Ab Seburi ciuitate nomen, vt mox videbimus, habuere. Eorum in antiquis Geographis nulla mentio. Longè enim diuersi sunt ab Sebusiis, seu Sebusianis, quorum Cæsar & Cicero in oratione pro Quinctio meminere. Illi ad Narbonem, hi ad occasum longè dissiti fuere. Illi Galliæ, hi erant Hispaniæ. Intellige verò Galliam Comatam, quæ ab comæ nutriendæ studio nomen accepit, cum Seburicis ita conjungi, vt in finibus Hispaniæ ea parte Seburici essent postremi. Aragus enim fluuius totus est Hispanorum. Et ad Aragum Seburim vrbem fuisse confestim Eulogius memorat.

Seburici populi.

Factionibus comitis Sancii Sancionis.) Comitis huius nomen Hispanum esse videtur, & illorum plane temporum, in quibus iam apud Nauarros & proximos Celtiberos patris cognomen filii retinebant. Inde sunt vsitatissima priscis temporibus solenni hoc more cognomina, Fernandez, Rodriguez, Goncalez, & multa huiusmodi à patre in filium deriuata. Sed quis hic Sancio fuerit: aut qua de causa aduersus Carolum Caluum rebellauerit, nusquam in priscis Gallorum, aut nostris, aut Aragonensium annalibus legitur. Neq; ego quid hic possim dicere aliunde habeo.

Huius fit mentio in Chronico Adefonsi ad Sebastianum cum de Ordanico rege agit. Sancio Sancionis comes.

Acyfterium.) Monasterium. Diximus de hoc vocabulo initio libri primi.

Quibus Aragus flumen.) Paululum immutato nomine nunc Arga vocatur. Non longè ab Vayona Galliæ vrbe propè Azpeletam oppidum oritur. Vt rectè ab diuo Eulogio dictum sit, in Galliæ ingressu nasci. Inde Pompelonem veniens, infra Lerin oppidum Egam fluuium intrat. Vnde manifestum Egam eum esse fluuium, quem hic diuus Eulogius Cantabrum nominat. Seburis autem vrbs ad Aragi ripam, & ante Pompelonem profectò, vt hinc apparet fuit: eius tamen nec nomen nunc extat, nec situs, qui fuerit, intelligi potest.

Aragus fluuius.

Ega fluuius. Cantaber fluuius.

Legerense monasterium.) Huius etiam cœnobii meminit in martyrum apologetico. Nunc verò San Saluador de Leyri appellatur, & octauo ab vrbe Stella, XXIV. ab Pompelonensi milliario distat. Vidi autem multa priscorum regum Nauarræ & Aragonensium monumenta, eidem monasterio concessa, qui ibidem seruantur, in quibus Legerense monasterium semper nominatur. Et fuerat iam antea ab rege Inrigo Aristæ constructum. Quod in Caroli principis Nauarræ historia, & in Aragonensium annalibus legitur. Et inter cætera illud Sancii maioris diploma in Nunilone & Alodia iam retro appositum, oppidorum meminit, & prædiorum, quibus superiores reges idem cœnobium ditauerant.

Legerense cœnobium.

Lib. 1. cap. 3.

Præerat quippe ei.) Sunt qui dicant huius Odoarii Abbatis sequædam opuscula excussa vidisse. Certe Ioannes Tritemius eius inter scriptores ecclesiasticos nō meminit.

Odoarius Abbas.

Charissimus filius meus.) Spiritaliter filium nominat, quem in Christo, vt diuus Paulus inquit, genuerat: erudiens, instituens, & ad eum vsq; dignitatis in Ecclesia gradum promouens.

Ioannes Præpositus.) Nostri temporis monasteria Benedictina, & Cistercienſia præter Abbatem, priorem etiam, ita appellant, ex prisco suo instituto habent. Hunc nimirum præpositum vocat diuus Eulogius.

Monasteriorum præpositi.

Reliquias tibi.) Alibi iam annotauimus, corpora sanctorū martyrum Zoyli & Aciscli Cordubę ad hęc vsq; tempora perduraſſe. Quod etiā hinc & ex fine epistolæ astruitur.

Sanctorum Zoyli & Asciti corpora.

Nã neq; illustrati Pompelonenses, nisi insigni aliqua missa reliquiarũ portione poterãt, nec basilica aliter ædificanda, q; postea fit, peteretur. Neq; pleno dono ditare Episcopũ Eulogius potuit, nisi horũ martyrũ corpora integra pene Cordubę haberentur. Fuit a. S. Zoylus Romanorũ Imp. tempore martyriũ Cordubę perpessus. Puteus nunc religiose suspicitur, in quem pars viscerũ eius proiecta fuisse memoratur. Eius corpus Agapio Cordubensi Episcopo Gothorum regum tempore fuit reuelatum. Vnde etiam translationis eius festũ celebratur. Carrionẽ demũ multis post Eulogiũ annis (quẽadmodũ in Felice Complutensi martyre diximus) fuit translatum.

Agapius Episcopus.

Ab vlteriores Francię.) Boiariã, seu Baioariã Germaniæ superioris partẽ recte vlteriorẽ Franciã nominat. Nã Francorũ tunc & regnũ & nomẽ ad Germaniã vsq; vltimam protendebatur. Est autem Moguntia notissima in Germania superiori ciuitas.

Moguntia.

Cæsaraugustam peruenit) Huius vrbis magna nunc est celebritas, & citius Plinius, Ptolemęus, Antonin⁹, & alii meminerũt. Cũ Salduba antea prisco & Hispano nomine diceretur, ab Augusto Cęsare facta Colonia, nomen accepit. Quod ipsum cum cęteris eius vrbis antiquitatibus egregie, vt alia omnia, Hieronymus Cutita, indidẽ ciuis, in suis Aragonensiũ annalibus persequitur. Neq; tam ea cõmentatione patriã suam illustrat, quam quod tam inclyto alumnio possit gloriari. Suauissimũ tiamq; ingenii, iudicii in literis rarum, Latinę & Græcę linguę singularis cognitio, peritia totius antiquitatis insignis, egregia in scribenda suorũ historia laus, & diu in magnis negotiis probata prudentia dignissimũ effecere, vt Philippus Rex catholicus summi in sacro Inquisitionis senatu secretarii, vt vocant, munere virũ grauissimũ exornaret: postquam iam pridẽ ab suis Aragonẽsibus publici historici prouinciã publico regni totius decreto accepisset. Ego etiam iure optimo glorior, magnã mihi cum illo multis iam annis & beneuolẽtiã, & familiaritatem intercedere: historiæq; meæ, & huius etiam ex parte laboris cessorem ab Regio senatu mihi tributum. Vt meritò possint iam mihi quæ scripsi, cum tanto viro placuerint, non displicere.

Caesaraugusta.

Lib. 1. cap. 48.

Hieronymi Curitæ laus.

Complutum descendi.) Recto itinere Cæsaraugusta Cordubã proficiscentibus Segõcia, primũ, indẽ Cõplutũ, Toletũ tandẽ est pertranseundũ. Segõciæ nomẽ in Tito Liuio non semel legitur. Strabo etiam & Plinius eius vrbis meminere. Nunc immutato paulisper nomine Siguenca dicitur, cui suus Episcopus dominatur. Itisighisq; est cõ præsertim titulo cathedralis Ecclesia, quæ sanctę Liberatę corpore, & magnificentissimo tumulo illustratur. Altera fuit Segoncia in Bætica versus fretũ, Plinio nominata. Visuntur eius ruinæ non longẽ ab Lethæi fluminis ripa, hodieq; Gisgonca loco nomẽ est. Cõplutũ id planè oppidũ esse, quod nunc Alcala de Henares appellatur, in quo nos hęc cõmentamur, multis iisq; grauibus testimoniis astruximus, in opere, quod de sanctis martyribus Iusto & Pastore superioribus annis euulgauimus. Hinc autem, cum Episcopũ etiã hoc oppidũ adhuc tempore diui Eulogii haberet, maximè probatur, id q; nos etiã ibi cõtendimus, sanctã illam basilicã, qua diuorũ Iusti & Pastoris corpora olim cõdita fuerant, semper Christianorũ fuisse, neq; eis ab Mauris fuisse ademptam. Quoniã verò D. Vrbicius pio furto eadem corpora Oscam iam hoc tempore asportauerat: ideo D. Eulogius ipsorũ hic non meminit: proculdubio, si adforent, non prætermissurus. Supplici veneratione eadem sancta corpora reuerítus, suæ quoq; deuotionis participem Vuilesindum effecisset.

Segontia dicta.

Complutum.

Sanctorum Iusti & Pastoris corpora.

Diuum Vrbicium.

Post quintum diem Toletum reuerti.) Reuerti, inquit, quia Corduba primum egressus, illuc quoque iter fecerat. Quintũ diem memorat; vel ab eo, quo Segontia fuerat profectus, vel ab eo quo Complutũ intrauerat. Alioqui Compluto Toletum bidui iter tantummodo est. Toletũ verò vrbs Hispaniæ celeberrima non semel ab Tito Liuio nominata; ab Plinio & Ptolæmẽo mẽoratur. De qua, vt de Carthagine Sallustius, præstiterit nihil hic, qtiam pauca referre. Quũ præsertim suo loco, in Hispanię nimirum antiquitatibus, multa fuerimus exequuti.

Toletum.

Vuistremirũ Archiepiscopus Toletanus.

Vuistremirũm Episcopum.) Ingenti gloriæ Toletanis Mocarabibus Christianis profecto fuit, talem ac tantum virum hoc tempore Episcopũ habuisse: sed Cordubensibus meis inde etiã multũ præstantissimę laudis deriuatur: diuum videlicet Eulogium eodem ipso tempore habuisse, qui multorũ Episcoporũ suffragio & Toletani populi sanctis studiis dignus haberetur, qui Vuistremiro, quali bone Deus antistiti, succederet. Idq; circũspecto iudicio & matura deliberatione factũ prorsus est: cũ ex hac apud se cõmoratione Toletana Mocabarũ Ecclesia nobili experimento didicisset, quem virũ dignis studiis & populi voluntate requireret. Debet autem sancta ęcclesia Toletana plurimũ diuo Eulogio, quod sanctissimi præsulis hic memoriam conseruauerit. Aluaro itidem Cordubensi, qui ad hoc vsque seculum nostrum notitiam electi antistitis

transmiserit, qui Martyr esse tandem promerueri. At verò cum hactenus dicat Eulogius, intelligere licet, eo ipso anno, quo scripta hæc fuit epistola, viuere adhuc Vuistremirũ Archiepiscopum. Itaq; sequentibus annis electum fuisse diuum Eulogium Toletanum antistitem, hoc est martyrio suo propiorem manifesto deprehendimus.

Quem sæua tyranni indignatio.) Quemadmodum primo libro vidimus, Habdarraghman rex quoscunq; Mocarabes Christianos, qui muneribus publicis fungebantur, aut sibi in palatio quaque ratione inseruiebant (quorũ non erat exiguus numerus) magistratib⁹ priuari, palatio eiici, annonis regiis carere præcepit. Inter hos Ioseph quoq; diui Eulogii frater, vt apparet, fuerat multatus. Hoc profectò vocat à principatu deiici, aut sanctũ Ioseph patriarchã, Ægyptiorũ olim principatũ vicariũ obtinentẽ, alludens. Quẽ enim alium principatũ potest in misera Mocarabũ Christianorum seruitute innuere?

Christicolæ principis tueri mereamini dominio.) Carolus Magnus Imperator, Caroli Calui, qui nunc regnabat, auus Pompelonẽ Mauris iam pridẽ ademerat, & aliquoties rebellantẽ ipse, & Hludouicus Pius eius filius restituerant. Qua de re innominati illius authoris annales ita habent. Anno 778. Imp. Carolus Magnus Pompelonẽ Nauarrorũ oppidũ aggressus, in deditionẽ accepit. Et paulò post. Pompelonẽ reuertitur. Cuius murũ, ne rebellare posset, ad solũ vsq; destruxit. Et anno 806. In Hispania verò Nauarri & Pompelonenses, qui superioribus annis ad Sarracenos defecerant, in fidẽ recepti sunt. Et anno 824. iam sub Hludouico Caroli Magni filio Imp. & Gallorũ rege, Æblus & Asinarius comites cũ copiis Vasconũ ad Pompelonẽ missi: cũ peracto iam sibi iniuncto negotio reuerterentur, &c. Vbi manifestè apparet Pompelonẽ recuperatã hac expeditione, si fortè defecerat: sin minus pacatam in tumultu, si quis fuerat exortus, fuisse.

Pompelo à Christianis capta.

Æblus & Asinarius comites. Illinc forte nomen Aznari Nauarris admodum familiare.

Galindo Enneconis.) Hic Galindo Iñiguez aut Nauarrus, vt vulgaribus nominib⁹ vtar, aut Aragonensis fuit. Nã in vtriusq; gentis priscis annalibus Galindi nomen, & inde ductũ cognomẽ sæpe in proceribus legitur. Hieronymi Curitæ annales lib. 1. non semel testantur. In antiquis etiã regũ vetustissimorũ diplomatibus Galindi nomẽ inter cæteros proceres reperitur. Ex his mihi sequentia videre contigit. Era 919. hoc est anno Domini 881. die Aprilis 22. Hordonius rex huius nominis secundus, cũ Geluira vxore donaria quã plurima auro & argento pretiosa, itẽ vicos, & alia Ecclesiæ Cõpostellanæ, vbi D. Iacobi corpus est tumulatũ, dedere. Subscribit, & cõfirmat inter cæteros proceres Galindus. Item Geloyra regina Veremundi regis secundi, vt ipsa de se inquit, vxor, Alfonsi quinti mater, die Augusti decima octaua Era M.LV. h. e. anno Domini 1017. eidem Ecclesiæ plurima donauit. Inter cæteros præsules subscripsit, & confirmat Galindus Abbas. Et his omnibus magis amplum est Froylæ regis Alfonsi quarti filii diploma 25. Octobris Era 950. hoc est anno Domini 912. eidem Ecclesiæ concessum: in quo cum cæteris proceribus Galindus etiam confirmat. Quæ tria diplomata in Archiuo eiusdem sanctæ Ecclesiæ asseruantur. Libuit autem hic hæc cõgessisse, vt nobilis huius apud nos familiæ, cui Galindo, seu Galindez cognomen est, antiquitas certis testimoniis astrueretur. Cùm autem & hoc loco, & paulò post in exemplari Galindo innominatiuo fuisset scriptum: in fine denuò Galindum in accusatiuo habet.

Galindorum familia.

Eorum beatæ memoriæ construendo basilicam.) Vsitato tempore diui Augustini vocabulo, quo & ipse, & alii nonnulli vtũtur, memoria Martyrũ locus dicebatur, vbi martyres colebantur. Hic diuerso aliquantulum sensu, consueto nimirũ & vulgari, ponitur. Videtur autem diuus Eulogius ex concilii Africani seu Carthaginensis quinti decreto hoc ipsum deposcere. Eius hęc sunt verba. Itẽ placuit, vt altaria quæ passim per agros, aut vias, tanquam memoriæ martyrum cõstituuntur: in quibus nullum corpus, aut reliquiæ martyrum conditæ probantur, ab Episcopis, qui eisdem locis præsunt si fieri potest, euertantur. Et paulò post. Et omnino nulla memoria Martyrum probabiliter accipietur, nisi aut ibi corpus, aut aliquę certè reliquiæ sint: aut vbi origo alicuius habitationis, vel possessionis, vel passionis fidelissima origine traditur.

Memoria Martyrum. Concilii Africanum quintum.

Denig. Beatissime pater.) Quæ sequuntur omnia de Ecclesiæ nostratis calamitatibus, sanctorumq; martyrio, retro libro primo & secundo leguntur: atq; ibi si quid opus fuit annotauimus. Repetit verò hic eisdem verbis quædam diuus Eulogius, quæ in Documento martyriali posuerat.

Quæ dudum alias proferendo.) Apparet aliam antè Epistolam, sine salutationibus Eulogium ad hunc eundem Vuiliesindum scripsisse. Hoc credo intelligit. Ego verba hæc vt erant in exemplari reliqui.

Odoarium Serasiensis monasterii Abbatem.) Sub Sancti Zachariæ nomine & tutela cœnobiũ hoc conditũ. Hoc alterum nomen Serasiense, quo nunc vtitur, loci fuit aut regionis.

Hurdaſpalenſis Monaſterii.) Non dubito, quin id cœnobium intelligat, quod nunc de Vrdax appellamus. Situm eſt trans Pireneos Galliam verſus, non admodum longè ab vrbe Vayona diſſitum. Et cùm Eulogii tempore ordinis diui Benedicti fuerit, nunc eſt Præmonſtratenſis.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ EVLOgii ad Aluarum.

Mittit ad Aluarum documentum Martyriale, quod virginibus Floræ & Mariæ ſcripſerat, priuſquam eiſdem legendum traderet, Chriſtiana modeſtia & inſigni circunſpectione, vt in ſuo apparet, commotus.

CHARISSIMO FRATRI MEO ALuaro Eulogius.

SEMPER, mi frater, recordatione peccatorum meorum compunctus, luctum non amitto quotidianum: quoniam ex frequenti vſu non deeſt à me peccandi affectus. Super his quoque vehementi carceris mœrore confectos, non minus ex improuiſo tædium mihi occurrit ex eo die quo me ſerenitas veſtra præmonuit, ne à glorificatione militum Chriſti deſiſterem, ne primam de eis ſententiam meam irritam facerem. Quia propterea, quòd illi viriliter inimico luſtitiæ reſtiterunt; crudelitas nos tyranni carceralibus mancipauit ærumnis, noſtris deputando hortamentis, quod in eos diuinitus inſpiratum eſt. Quaſi futura foret hæc nobis occaſio facilis vituperandi (quod abſit) quos olim laudaueram, laudandosque verbo & ſtylo extuleram. Qua de re coactus ſum huius opuſculi laborem aggredi, quod fortè & noſtræ crudelitatis de victoria eorum futuris generationibus redderet teſtimonium, & iſtis virginibus propter veritatis profeſſionem nobiſcum deuinctis, ſpei certandi præberet adminiculum. Quod ego pro arbitrio meo Documentum Martyrii credidi appellandum. Tuum eſt autem, frater chariſſime, huic voluminiſ auctoritatem donare, quia priuſquam earundem virginum aditu obtutus, tuo elimari eum iudicio volui: ne forte errore neſcientiæ in aliquibus repugnaret catholico dogmati. Aue in domino Ieſu Chriſto frater chariſſime.

Scholia in epiſtolam primam ad Aluarum.

Quo me ſerenitas veſtra præmonuit.) Hæc ſerenitatis compellatio, qua non ſemel vitur author ad Aluarum ſcribens, facit, vt eum nobilem admodum fuiſſe credam. De ea autem poſtea in Veremundi regis diplomate dicemus.

Quia propterea.) Eandem cauſam vinculorum ſuorum hanc fuiſſe in ſuperiori Epiſtola retulerat. Aluarus in eius vita ab Reccaffredo Epiſcopo miſſum in carcerem tradit Eulogium. Nimirum in idem vtrunq; recidit.

ARGVMENTVM EPISTOLÆ SEQVENTIS.

Laudat opus ad ſe miſſum, & iudicium de eo facere tum modeſtiæ cauſa, tum operis præſtantia detrectat.

ITEM ALVARVS AD EVLOGIVM.

LVMINOSVM veſtri operis Documentum ex illis Orientalibus, de quibus legitur, pomis valde bonis eleganter collectum, atque ex vitalibus ſuccis & ex quadrifido fonte virtutum operoſa arte confectum, iuxta congenitum literarum ſtudium mihi perlegi, & non diſcutiendo, ſed admirando, textum totius opuſculi laudabilis percurri. Et quod ex theſauro ſapientiæ Dei à docto ſcriba noua, & veteri re conditione prolatum eſt, altè profundeq; totum rimaui, nihilq; dignum, quod tanto reperiderem operi, in tenuiſſimo pectore pauperis tui intueni. Verè ad inſtar illius Ioſeph reconditum triticum tempore neceſſitatis diſpenſas, & fame veri laborantibus alimoniæ victum impertiris, atq; adipe ſpirituali arida corda pingueſcis. Quicquid enim de ſanctis ſcripturæ fontibus à quoquam potuit vnquam hauriri, à te aſſumptum, diſcuſſum eſt, atq; digeſtum. Et planè nobis omnibus aliquid mutire volentibus ſilentium deinceps manet impoſitum. Eloquenter namque atq; ſplendide oratorum more, imò ſcholaſtica eruditione opus totum digeſtum, & humana pariter ac diuina inſtructione perfectum, non diſcuſſione indiget, ſed potius

potius laudari inquirit. Nec egestate laborantibus scientiæ seipsum discutiendum cõmittit, sed in corda insularum præconiis digna, & virtutum laude cothurnata alto se extollendum boatu infundit. Quod vero meo, quod sæpe probasti, scientia egeno, iudicio tantũ fulgorem committis, licet humilitati vobis congenitæ hoc notum sit assignari: tamen cauendum est, ne fulgor materiæ, & authoris splendor futuo inficiatur horrore. Præsertim quia tenebræ discutiuntur à luce, & horida semper caligo splendore fugatur nubium, quas densas grassedine aureum iubar serenat. Nec compertum est, vt vice contraria discutiant tenebræ lucem, aut densus aër suo subdat iudicio solem. Ego vero, mi Domine, opusculum Dei ecclesia dignum, & Christo opifici & coronatori martyrum in primordio sui votiua cordis oblatione sacratum, non humano audeo subdere iudicio, quod certum noui inspiratione diuina ex arcano pectoris vestri prolatum: Et ideo sicut per vos spiritus sanctus loquutus est, ita & nomen, quod ipse author bonorum consensione, imo electione vestra imposuit ei, vt perenniter hæreat, & perpetua memoria vigeat, nostra quam consulis pusillitas videt. Raptim cursimque ipsum opusculum legi, sed ad rescribendum illud retinere dubitaui, ne forte culpabilis vestro fuissem amori. Peto autem, vt in alio quaternione apertiori manu illis sororib⁹ ad me pro rescribendo denuo reuertatur.

SCHOLIA IN EPISTOLAM SVPERIOREM.

Ex illis Orientalibus.) Alludit ad paradisi terrestris descriptionem, quæ Geneſis 2. capite habetur.

Insularum præconiis digna.) Hoc quantũ ego assequi possum, intelligi vult, episcopis poti⁹ & summis sacerdotiis dignis doctoribus opus tradidi debuisse iudicandum. Ipse enim Aluarus laicus (ita loqui consueuimus Christiani) cum esset, ad eum iudicium sacrorum operum, quale hoc diui Eulogii erat, pertinere non poterat. Quæ sequuntur in hac periodo, misere fuerunt in veteri Codice deprauata. Nos quoquo modo potuimus restituimus.

Cothurnata.) Elata & sublimia. Poëtę more loquitur. Sumpta audacius ex tragicorum habitu metaphora, qui cothurnis sublimes efferebantur.

Argumentum.

Martyrium duarum virginum Florę & Mariæ celebrat, quod libro secundo latius commemorat.

CHARISSIMO IN DOMINO IESV CHRISTO *fratri meo Aluaro, Eulogius.*

MAGNIFICAVIT Dominus misericordiam suam nobiscum, mi frater, & facti sumus lętantes. Quia quibus verbum vitæ in lachrymis seminauim⁹ in gaudio victoriæ fructũ metisse videm⁹. Videm⁹ n. virgines nostras debellato principe tenebrarum, conculcatis mundialium oblectamentis affectionum, accensis adoreárum lampadibus, obuiam prosiliisse sponso ac regi cælorum. Et quia semper se hostiam viuam, sanctam, Deo placentem præparauerunt, ideo cælestis aulæ limina adeũntes, intrauerunt inuitante Christo ad nuptias, cantantes canticum nouum, atque dicentes: Dignus es, domine Deus noster, accipere gloriam & honorem, quoniam redemisti nos de potestate tenebrarum, & fecisti nos condignas sortis sanctorum tuorum, & transtulisti in regnum tuum æternum. Et cum hoc gaudium vniuersalis ecclesia de illarum victoriis habeat præcipuè, tamen ego præ cæteris quodam tripudio iucunditatis extollor, quoniã non in vacuũ eis, iam pene quorundam exprobratione à gradu suo labentibus, documentum illud martiriale porrexisse conspicio. Quia licet ab initio mundi & vocatio, & sanctificatio earum à deo patre nimirum processerit, habet tamen intentio nostra in earum instructione suam coram Domino mercedem repositam, qui largitionem algentis calicis remunerari promisit, in nomine suo impensam. Nam decimo & amplius die priusquã ad martyriũ ducerentur solã dominã meã Florã, instinctu fratris sui, iudex ille iniquitatis auditioni suæ aduocans (post agnitam eius intrepidissimam professionem, qua ipsũ iudicem Christi ancilla denotans, aduersarium fidei intrepida responsione deiecit) in carcerem eam iussit reuerti. Quapropter clausura, quibus detinebantur ego appropinquans, quæ iudicis ad eam interrogatio fuerit, vel quę ad iudicem responsio eius exiterit, dominam meam humilitet scisciatus sum. Illa vero, vt erat angelico decorata aspectu, supernæ claritatis gratia fulgens, hilari vultu, ore pudico, iam quasi quibusdam cælestis patriæ gaudiis vegetata, subridens retulit mihi. Dum hodie iudici

præsentarer, præceptor, astante haud procul è contra fratre meo illo aduersario fidei nostræ, cuius persequutione in hunc lacum decidi; exquisita sum, vtrum eum agnoscerem? Quem ego fratrem meum esse carnalem proferens, quare (inquit iudex) iste cultor fidei nostræ probatissimus manet, & tu Christum profiteris? Respondi, ante octenniũ, o iudex, & ego tenebris ignorãtiæ occupata, paternis legib⁹ seruiẽs, gentilitio famulabar errori. Sed illuminante me pietatis auctore, elegi fidem Christianorũ, propter quam certare disposui vsque ad obitum. Et quæ est, inquit iudex, hodie sententia tua in illud, quod dudum coram me professa es? Exprobationem videlicet, mi vatis abstrusis interrogationibus exprimens, qua ipsum auctorem sectæ peruersitatis olim amota formidine detestata sum: cum iterum è latibulis meis ad passionem re- 10
grediens, forum petii, ac iudicem adii. Identidem aio, iudex, quæ & primo me exponentẽ audisti: &, si me adhuc disquisieris, ingentiora prioribus de eo referam tibi. Tunc in flatis buccis, turgenti gutture, stridentibus lingua sermonibus, de interitu me comminans, in ergastulum iussit reuerti. Hæc postquam melliflua oris sui relatione mihi domina mea retulit, verbis eam, quibus potui, confortaui, de spe promerendæ coronæ admonui, eiusque angelicum obtutum reclinis ceruicibus adoraui: deinde precibus eius, & felicibus meritis me commendans reuerendissimis illius colloquiis recreatus, latibula carceris mei reuisi. Vnde quæso fraternitatem tuam, charissime domine, vt ad posterorũ memoriam gesta passionis earum breui tantummodo ordinare digneris stylo, ita semper illarum protegi mereatis suffragio. Ipso autem die, quo gloriosarum nobis relatus est sub confessione nominis Christi interitus, omnes ad orationum arma currentes, horam nonam in Dei laude persoluimus. Ac deinceps auctis tripudiis vespertinum, matutinum, & missale sacrificium consequenter ad honorẽ & gloriam nostrarum virginum celebrauimus, cunctique nos illarum patrocinio tutandos fouendosque commisimus. Et quia vniuersorum spes non perfunctorie in earum meritis collocata est: ideo, sicuti cernitis, fauens Christus earundem victoriis & interuentibus gloriosis, post sextum diem, quo illæ coronatæ sunt, nos vinculis absoluit, & carcerali claustro exemit. Nã & quibusdã familiaribus hoc, antequã paterentur, condixerunt sororibus, vt mox, postquam Christo coronatori suo adsisterent, pro nostra liberatione intetuenirent. Et sic quidem illæ octauo Calendas Decembris explentes martyrium, nos tertio earundem Calendarum sole dimittimur: magnificantes & benedicentes nomen Dei nostri qui confortauit in certamine sanctas virgines suas Floram & Mariã, & viceruntnosque per digna illarũ merita liberauit in pace, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

SCHOLIA

Accensis adoreatum.) Hoc est palmarum & gloriæ triumphalis. diximus de hac voce in ipso martyriali documento. Manifestum autem est, quam seruatoris nostri parabolam respiciat.

Quorundam exprobatione.) Hoc nimirũ est, quod retro iam in ipso ad eas virgines opere annotauimus.

Illa vero vt erat.) Huiusmodi piè commemorationes, quibus frequenter vtitur diuus Eulogius, quanuis martyrum ardore caleant, tamen in ipso sancti huius pectore qualis diuini amoris ignis exardesceret, satis ostendunt. Flagrat profecto his perlectis pius animus, sed cum de martyris flamma accensum se videat, maius profecto incendium ex verborũ huiuscemodi face subdi persentit: vt author de suo prorsus igne ignem in lectorum cordibus videatur accendere. Esto namque, tepide alius absque hoc deuotionis feruore hoc ipsum commemoraret: res eadem cum esset, tamen nullam pene in lectorum pectore scintillam excitarent.

Matutinum & missale sacrificium.) Non facile possit quispiam intelligere, quo pacto in carcere retrusi Christiani missam celebrare, aut ipsi decenti loco & apparatu possent, aut ab impiis custodibus sinerentur Horarias preces, solenni more submissa voce concinere certe potuere: Verum enimuero, Deus optimus maximus pias suorum deuotioni non deerat, & quo pacto consolari seipsos & armare diuini sacramenti perceptione possent, benignus prouidebat. Nam in documento martyrii plane dixit, horarias preces Christianos Ecclesiæ ministros in carcere positos solitos fuisse decantare.

Argumen-

ARGVMENTVM.

NArrat Baldegotoni Florę sororis martyrium, cingulumque eius ei transmittit. Cum autem iam omnia dicta, & narrata sint libro secundo, & epistola superiore: atq; vtrobiq;, quæ necessaria visa sunt, annotata: nihil hic reliquum fuit, quod scholiis indigeret.

EVLOGIVS SERVVS CHRISTI CHARISSIMÆ in Domino Iesu Christo sorori nostræ Baldegotoni, Salutem.

NOTVM tibi sit, Domina soror, quia consummauit martyrium suum in pace Domina & Sanctissima Patrona nostra, soror tua Flora, octauo Calendas Decembris die, tertia feria, hora nona, vna pariter cum consocia sua beata Maria Cutheclarensi religiosa (quę inter illos priores Martyres fratrem in cœlum præmisit Vualobonsum Diaconum) perseuerantes in sancta professione vsque ad mortem. Inde, charissima soror, iubemus te tanta consolationis ope suffultam manere, quanta sine dubio credimus illas inter cælicolas, & beatarum virginum choros collocatas manere. Tenentes victoriæ palmas, quotidie ante thronum agni, canticum nouum cantantes, atque dicentes: Dignus es domine Deus noster accipere gloriam & honorem, quia redemisti nos de potestate tenebrarũ, & per glorioſũ martyrii trophæum transtulisti nos in regnum tuum. Tu vero, dilectissima, studе vitam tuam dignis & Deo placitis moribus exornare, quibus in æternum valeas cum Christo regnare, & beatarum virginum consortiis inhærere. De cætero direximus tibi pro memoria venerabilis sororis tuæ Floræ cingulum, quo illa in carcere vsa est. Vale in Domino, & ora pro nobis charissima soror.

ARGVMENTVM.

OPus memoriale martyrum appellatum ad Aluarum mittens, quando cœptum, intermissum, & tandem finitum fuerit, memorat. Censuram & limam eius expoſcit. Primum autem eius operis librum solum modo nunc missum: & hinc & ex Aluari responso apparet. Quando in carcere positus diuus Eulogius ad Aluarum scribit.

CHARISSIMO IN DOMINO IESV CHRISTO FRATRI MEO ALVARO EVLOGIVS.

OLIM, mi frater, tranquillitate vegetatus domestica, & pacatis familiaribus curis, cuncta mihi comodius prosperabantur. Verum dum subito omnes ex martyrio beati Isaac turbaremur, totaque vrbs tantæ rei nouitatem stupesceret: cœpere omnes tam clerici quam laici magnanimiter colere quod actum est, summmoque honore tanti prædicatoris extollere constantiam. Sed dum coalescens calor diuinus multos incenderet, ageretq; cateruas fideliũ in forum descendere, ac præmissa fidei confessione, hostem Ecclesiæ detestari: illico iracundia tyranni sæuientis omnes exterriti, inaudita versibilitate sententias mutant, detrahunt, maledicunt, auctoresque magni sceleris esse, & eos qui talia agunt, & qui eis fauent, adnuntiant: paucis admodum, sicut ipse non nescis, taliũ sacrilegio sequestratis, qui primam sententiam suam nullatenus à venerabilitate sanctorum immutauerunt. Qua de re nisus sum huic insistere operi, & pro captu virium, Domino adiuuante, succinctam huius mediocritatem formare libelli; vt suum de nobis reddens futuris generationibus testimonium, aut mendacii infamiam, aut laudis ab eis susciperem titulum. Cùm nos obtentu eius, præmium defensoris iustitiæ nihilominus à Domino speremus accipere. Quod opus iam penè expeditum, cum me furibunda optio præfidalis horribilibus carceribus applicaret, turbata omni familia mea irruptione satellitum, vt erat chartulis & pitaciis diuersis dispositum; arbitratus sum, quod per varia fuisset dispersum. Sed illud tunc Domino conseruante, nunc inter angustias carcerales, ipso demum iuuante, non solum perfici, verumetiam alibi trans-

cribi promeruit, seseq; non prius alteri quam tibi innotescí elegit. Quia cæteris magis non audet publicari, quam nolit: ne detrahendi occasionem inculta materies aduersariis præbeat, ne ridiculum oratio impolita perosis exhibeat. Hinc ad te, frater chariſſime, arbitrum scientiolę meæ iustissimum, opus ipsum vilibus adhuc membranis digestum primo procurauí transmittere, vt fraterno elimatum iudicio, si probaueris, pateat: si reprobaueris, taceat. Ac deinceps tunc iam illabili gressu cuneos susurronum armata dextera scindat, & ad fideles suos victoriando accedat: vt simplici exhortatione catholicum imbuens gregem, quicquid gloriæ promeruerit, vestris laudibus admittatur, vestræq; parti tota eius benedictio applicetur. Sin verò turbinibus suę obuolutum segnitiæ silentio eum decreueris perenni sopire, nullus mutum irridere, nemo tacentem poterit infamare. Vnde quæso serenitatem vestram, vo intuitu charitatis, qua vtriq; inconuulsibiliter copulamur, electione arbitrii nostri hoc opus memoriale sanctorum vocatum percurrendo emendetis, recensendo excolatis. Et si nominis sui meritum geret, vestro testimonio roboretis. Ita cùm eidem ipsis, de quibus loquimur, sanctis, adscripta nominis vestri memoria in cælesti pagina, gaudeatis, dum mihi, vel in vltimo angulo paradisi, gratia interuentus eorum, situm præstiterit quiescendi. Amen. Vale in domino Iesu Christo serenissime frater.

SCHOLIA.

Vt mendacii infamiam.) Ex fiducia veritatis ita loquitur subobscure.

Cum nos obtentu eius.) Et hic non admodum perspicue loquitur: & tamen zelo fidei, & veritatis etiam fiducia hæc dicuntur.

Pitaciis.) Tabellæ Græcè pitacia dicuntur. Omnia autem in quibus scribebatur, tabellas priſci vocabant, tametsi membrana esset aut charta.

Per varia.) Aliquid deesse videtur, discrimina, aut loca.

Quia cæteris.) Subtile quiddam cùm dicere cuperet, non potuit effugere obscuritatem. Cùm indigne (inquit) ferat opus se supprimi, horret tamen in vulgus exire. Cupit, & pariter timet euulgari. Videtur pauculis verbis comprehendere voluisse, quod librum suum alloquens, non paucis versibus Horatius exequitur.

Illabili gressu.) Hoc est firmo, & quod labascere iam non formidet.

Victoriando.) Nouatum illo tempore vocabulum, sicut & illud paulò post inconuulsibiliter, & multa huiusmodi, quę omnibus nota annotatione nostra non indigent, cùm præsertim catalogum ipsorum iam in ipso operis vestibulo apposuerimus.

ARGVMENTVM.

Superiori respondens Aluarus, opusq; magno opere laudans, rerum præstantiam, & orationis extollit grauitatem. Vt edat hortatur, sublimitatem verò dictionis affectans, in affectationem per Cacozeliam incurrit.

RESCRIPTVM ALVARI AD EVLOGIVM

Reuerendissimo patri Eulogio Aluarus.

REPRIORASTI, mi domine, emolumenta priorum: & anteriorem iamque obliteratum fulgorem catholicum, ceu fontem obturatum vitæ æternæ, saturum, ex Iesu pectore scaturientibus profluens venis, reseraſti fidelibus vniuersis. Ille enim, qui ætatis nostræ huius miseratus errorem, athletarum suorum occultum propalauit agonem: ipse maghum præ omnibus inspirauit doctorem, quem talium veriſſimum accingeret laudatorem. Vigore nempe æthereo, non mundiali caduceo accinctus, & eloquentia pariter diuina humanaq; ornatus, & in hortatione martyrii primus accurris, & in defensione Ecclesiæ ante alios milites palestræ æternæ desudans, bella Domini prælians, præ cunctis assurgis. Verè namq; ille spiritus corda vestræ prudentiæ tetigit, qui olim missus apostolis Ecclesiam diuersis donis ornauit. Et qui heroas, de quibus loquimur, armauit ad pugnam, aptauit ad gloriam, & ad perennem perduxit coronam: ipse fidei vestræ constantiam, ac linguæ diserte facundiam seu sapientiæ profluentem doctrinam, plus solito acuens in rebus sibi placitis, eo dogmatis imbuit munere, quo sibi notum est soli placere. Et licet philosophica dictio, & Tulliani fontis redundans oratio trimodum illud loquendi genus pro insita naturali cautela retentet, tamen maiori laude habendum est, quod apostolico more digestum est. In vno enim & paruo, vt videtur, volumine & lumen inenarrabile profers cœli, & venustatem sermonis non medie representas humani: dum & oratorum florem aspergis rethoricum, & potrigis legentibus cibum diuinum. Tibi lacteus

Lioni

Liuii ſubditur amnis, tibi dulcis cedet ille ſecularis lingua Catonis, feruens quoq; Demoſthenis ingenium, & diues Ciceronis olim eloquium, floridusq; Quintilianus. Et dudum præconatus ſtylo in rebus perditis & caducis, & labilis æui rotatu decurſis, omniſq; mille generibus exculta doctrina, comparata luculentiſſimo operi, obſoleta eſt, & infecta. Terreſtris quippe nitor æquiparatur ex nulla parte cæleſti & immortali immortale ingeniũ extollitur laude. Neſcit nãq; finiri cum ſæculo, quod collatũ eſt donoſuperno. Bonus enim homo de bono theſauro profert ea, quæ bona ſunt, & doctus à Deo ſcriba de theſauro profert noua, & veteta, de quibus ſummi patris regat familiam.

Ornaſti (mi ſanctiſſime) noſtræ ætatis vltima tempora, & ſequuturis generationibus odorem nectareum propinaſti: vt à generatione in generationem noſtra ætas laudetur, & nomen tuum redoleat in vniuerſis finibus terræ. Nec vigor diuinus humano præconio indiget: & quod per ſe extat laudabile, haud dubium quin in prima glorioſum ſit facie. Pulcher enim, mox vt videtur, licet à longè videatur, amatur: & ignicomus centri viator confeſtim vt oritur, cœli oculus comprobatur: nec operoſo indiget viſu, qui non videntibus oriendo præbet aſpectum.

Quod verò humilitati ſeruiendo, meo ſubdis iudicio, quod diuino inſtruxiſti oraculo: licet ob noſtram ædificationem tua dicta inficias, & ſatius veritatem à ſuo tramitis greſſu in obliquam mergas: tamen cauendum eſt iterum, nedum humilitati nimium ſeruis, infringas iudicium veritatis: dum infimum, & quem tu inicium multotiens comprobaſti, tantæ materiæ ſuperponis, & pretioſum à vili non ſolum non ſecernis, ſed quod magis eſt verendum, cœno limoq; inuoluis. Verum quia noſtræ cenſuræ (quæ nulla eſt) hunc tacendum, publicandumue iniungis: patienter perfer noſtram ſententiam, & ipſum codicem ſydereo ſplendore coruſcum ad multorum remedium ſolida, ſi dici fas eſt, literis in æternum. Egiſti autem, beatiſſime pater, carmen ſonorum, quo mortis metus excantatus effugiat, & antiqua glacie duratus animæ ſtupor frigusq; pellatur: quo calor vitæ, & ignis ille Deificus, quem Chriſtus venit mittere, ardeat, & extincti carbones, vel corpora mortua, flante ex quatuor partibus mundi ſpiritu, viuant, & lumen Arabico * dolo extinctum recipiant. Macte virtute, macte gloriæ ſemper habendus, qui non ſolum linguæ in laudibus confeſſorum ſoluiſti officium, verumetiam ob oris gratiam in præmium confeſſorum ex parte ſentis ſupplicium: & inter ſæua clauſtra & arcta cuſtodiæ verbum regni ferens, feliciori pollex victoria. Præconandus ſeculis vniuerſis, qui & in ſuppliciis poſitus linguam non cohibet, & pro omnibus ſolus non tacet. Splendeſce, & ampliori lumine, quo fulges, clareſce: quia repoſita tibi ſunt præmia; & centuplicata te manet corona, noſq; tuo ſuffragio, quo ſemper foueſti, tuere.

Ezech. 37.

SCHOLIA.

Quo ſibi notum eſt.) Obſcure aliquantulum, vt alia quædam, dixit. Eo te munere Deus donauit, quod illi repenſum, ſolet illi placere. Nouit autem ille ſolus, & quod tandem hoc munus ſit, & quo pacto eadem donari, in ipſius obſequium gratum eidem, & iucundum refundant.

Trimodum illud.) Triplex dicendi genus Rhetores diſtinguunt, ſublime, mediocre, & infimum. In idem penè recidunt Aſianum, Rhodium, & Atticum.

Lacteus Liuii ſubditur amnis.) Titi Liuii plenam, & dulci quadam æquabilitate redundantem vbertatem, lacteam primus Fabius appellauit. Inde Diuus Hieronymus lacteo illum eloquentiæ fonte manare dixit.

Illa ſecularis lingua Catonis.) Non video cur ſecularem Catonis linguam appellauerit. Niſi forte in nomine Catonis mendum inſit, aut in epitheto, vt ſingularis legendum ſit.

Et dudum præconatus.) Hunc authorem, quem maximè omnium nominatum oportuit, reliquit ſine nomine. Nec diuinare datur, quem innuat. Et coniunctio quidem deerat in exemplari, fueratq; ſuperaddita priſca admodũ, & Mocarabi ſcriptura, ſicuti & multa alia ſæpe. Et manifeſtum vtiq; eſt coniunctionem ab Aluaro interpoſitam: neq; enim quæ ſequuntur Quintiliano tribui poſſunt.

Et ignicomus centri viator.) Tragicum planè eſt ephiteton: quemadmodum & poëticum etiam eſt, ſolem cœli oculum appellare. Mundi oculus apud Ouid. IV. Metamor.

Tua dicta inficias.) Hoc eſt, hoc colore, quod dicis, intingas, & hoc prætextu vtatis. Et ſatius aduerbium, mox additum, pro cautius politum crediderim.

Verum etiam ab eius gratiam.) Subtile, & inde obscurum, præterquam quod ipsa verba nescio quid perplexum inuoluunt. Sensus est. Non solum debito officio linguæ fungeris, confessores laudando: sed præmium etiam laudabilis huius officii assequeris, confessoris iam sustinendo supplicium. Ob martyres laudatos eo munere à Deo afficeris, vt penè iam martyr efficiaris.

D. PETRVS PONTIVS LEONIS A CORDVBA PLACENTINVS EPISCOPVS SVMMVS

per regna, & ditiones Philippi. II. Regis Catholici de fide Christiana inquisitor, Ecclesiæ ciuitatique Cordubensi bene in Domino valere, martyrum suorum gloriam digne suscipere, & ipsorum patrocinio inuocantes digne perfrui.

QVANQVAM studia nostra omnia, & diutinos in literis impensos labores, dignitatis, in quam me immerentem Dei benignitas euexit, & muneris iniuncti ratio suo iure assidue vendicent: nos tamen in diuorũ Hispanorum scripta peruestiganda & illustranda vehementer propensi, partem aliquam studiorum nostrorum, curam etiam & diligentiam eo semper libenter contulimus. Cumq; Diui Benedicti per Hispaniam monasteria, propter insignem vetustatem huiusmodi opibus ditissima esse reputarem: tum etiam sanctam Ouetensem Ecclesiam isdem in primis locupletem esse semper existimaui. In misera enim Hispaniæ nostræ Gothorum tempore vastatione, fugientibus nostris, & tutiora loca petentibus, eo connectos pariter cum sanctorum reliquiis libros etiam quam plurimos memineram. Vtrobique igitur priscos nostrorum authorum, & sanctorum præsertim codices per annos aliquot indagare summa industria & diligentia curauimus. Nec defuit studio huic nostro felicissimus euentus: piamq; sudulitatem benigne Deus iuuit, atq; prouexit. Nam præterquam quod multa in sacris nostratibus conciliis scitu dignissima, neque tamen vnquam antea visa inuenimus, commentaria etiam in sacros libros egregia nonnulla sumus assequuti. Vnus tamen Diuus Eulogius, à nobis hac indagine repertus, omnem nostrum laborem, tametsi multo maior fuisset impensus, abunde profectò compensasset. Quis enim sperare saltem auderet, tanto se thesauro beandum? Audieram ego sanè, & alicubi legeram, huius Diui nomen, & quæ scripsisset tenui quadam memoria tantum veluti olfeceram: sed nec votis quidem concipere poteram, me eius aliquando scripta adepturum. Et cùm nullum alium mihi dari mallem, de nullo tamen minus cogitabam. Tanti igitur thesauri compos tandem factus Deo Opt. Max. in primis gratias agebam, qui mihi homini Cordubensi Cordubensis diui scripta sanctissima, & in his tot Cordubensium martyrum triumphos, nunquam speranti, & minimè reputanti repente obtulisset. Sed enim quanuis scripta ipsa per sese erant dignissima, quæ multis de causis plurimi fierent: me tamen illa vehementer commouit, quod præstantissimam alioqui ciuitatis nostræ gloriam, hinc mirum in modum augeri videbam: donumq; etiam hinc me habere, quod digne ego eidem tribuerem, quodq; illa libentissimè acciperet, magno opere gaudebam. Nam præterquam quod Cordubæ natus, educatus, & primis literarum rudimentis Latineq; linguæ cognitione institutus, tantum eidem me debere intelligo, quantũ patriæ clarissimæ quisquam vnquam potuit: quod etiam paterna stirpe totus ex primo vrbis Maurorum temporibus expugnatore progredior, nescio quo maioris charitatis & propensissimi affectus incitatione in ipsam semper feror, & eius gloria mirificè recreor. Gratias deinde sanctæ quoq; Ouetensi Ecclesiæ, quas potui persolui, quæ has nobis diuitias per tot secula conseruauisset, & mecum nunc easdem libenter communicasset. Verumenimuero quoniam nos Cordubæ nostræ laus & gloria impensius sollicitabat, ne diutius hoc illam eius incremento carere permitterem: edendi cupidus operam dedi, vt quam primum exemplar ipsum, quod mihi Ouetenses benigne commodauerant, describeretur. Id magno nobis & domesticis nostris labore cõstitit. Gothicis enim literis scriptum cum esset, nisi longo vsu legi multa non poterant. Adde incredibilem codicis vetustatem, qui cum aliis, quos ante sexcentos penè annos scriptos fuisse constabat, collatus, paucis retro annis illi prorsus scripti fuisse videbantur. Tanta era-

erat vetuſtas, & priſcorum characterum, atq; membranæ & ipſius etiam compaginationis manifeſta differentia. Quod quemadmodum ad codicis fidem & authoritatem multum habuit momenti: ita ad deſcribendum ingentem attulit difficultatem. Itaq; deſperantibus aliquando domeſticis noſtris, quibus eam curam & operam demandaueramus: nos ipſi ſuppetias in præclaro labore attulimus, & noſtra manu nonnulla, in quibus ipſi hærebant, deſcripſimus. Et quemadmodū hunc laborem libenter nos ipſi ſuſcepimus, ita etiam illum alterum multo maiorem emendandi, & ſcholiis illuſtrādi reuera non ſubterfugiſſemus: niſi nos paſtoralis cura, & Eccleſiæ noſtræ Placentinæ, cui nos, etſi indignos, præeſſe Dominus voluit, varia negotia diſtinerent, ac præpedirent: & niſi vicariam operam in hac parte Ambroſius Morales ciuis noſter, & Cordubæ dignus, idemq; regius Philippi ſecundi domini noſtri hiſtoricus præſtitiſſet. Is, quo eſt in diuorum Hiſpanorum vitas & res geſtas illuſtrandas ſtudio & diligentia, hunc laborem non impar ſuſcepit: qua verò eſt in Cordubam noſtram charitate, auide amplexus eſt. Vt rerum hoc, quicquid hic eſt, eſt autem per maximum dignitatis & gloriæ Cordubenſis incrementum, non alii eidem quam Cordubenſes tribuerent. Diuus Eulogius primum ſeipſum dedit, nobilitate, doctrina labore verè Chriſtiano, ſcriptis libris memoria noſtratium martyrum conſeruata, & demum ſuo martyrio præſtantiſſimum. Nos eius ſcripta ex perpetuæ oblitionis tenebris eruimus, & nunc in lucem damus: quod Dei munere nobis cōtigiſſe & pie credimus, & magno opere lætamur. Noſter Ambroſius, quod totus liber vbiq; declarabit, vt emendatiora, locupletiora, & magis perſpicue ſancti martyris opera ederentur, nullum laborem recuſauit. Veſtrū erit ſacerdotes grauiſſimi, Patres reiput. noſtræ amantiſſimi, munus hoc noſtrum ad veram Cordubæ communis patriæ gloriam comparatum, beneuolo & læto animo ſuſcipere: ſanctorum martyrum veſtratium gloriam penè tedidiuam iucundiſſimè recolere, & iugi ſemper veneratione reuereri: Dominum in ipſis aſſidue laudare: ipſorum exemplis inſiſtere: patrocinia ſubinde implorare & promereri: eximiamq; hanc noſtræ ciuitatis laudem, ac verè cæleſtem præſtantiam digno cultu & Chriſtianis obſequiis ſemper magnificare. Ita demum fiet, vt & vos hinc magnum religionis fructū, pietatiſq; emolumentum capiatis: noſq; noſtro hoc munere, digno illo equidem perfecte, maius tamen aliquid, Deo bene fortunante, tribuiſſe lætemur. Valete viri præſtantiſſimi, clariſſimæ vrbis ciues digniſſimi.

OPERVM DIVI EVLOGII FINIS.

AMBROSIVS MORALES PIO LECTORI.

IVSTISSIMIS de cauſis quæ ſequuntur, Diui Eulogii operibus viſum eſt adnectere. Nam & Dei gloria in quoruncunque martyrum cædibus celebrior vtique & mirabilior prædicatur: atque ex omnibus etiam inuictæ patientiæ, multarumque virtutum exempla ſumuntur. Argumenti præterea indiuulſa cognatio poſtulabat, vt qui non multis poſt annis ſub eadem impiis Arabum regibus Cordubæ paſſi ſunt martyres, ſuperioribus adiungerentur: & qui loco, cauſa, & quod maius eſt, feruentiſſimi ſpiritus ſimilitudine coniungebantur, in poſteritatis memoria non ſepararentur. Iam verò cùm Diui Pelagii martyrium tota Hiſpania ſit celeberrimum, vix tamen paſſionis eius exigua, & penè iam deleta veſtigia perdurabant. Diuæ Eugeniæ tenuis quædam memoria, eaq; inter pauciſſimos permanebat. Dominici & ſociorum eius nec fama ſaltem vlla apud noſtrates Hiſpanos fuerat. His omnibus incitatus atq; permotus, hæc Diuo Eulogio ſuperaddenda iudicaui: non dubius, quin piis omnibus per Hiſpaniam, & vbiquè in commune, ſeorſum Cordubenſibus noſtris futurum foret gratiſſimum.

ADMODVM ILLVSTRI ET REVERENDISSIMO DOMINO ANTONIO MORALI Tlaxcaltensi in noua Hispania Episcopo, Ambrosius Morales Cordubensis Regius Historicus eius auunculus.

S. P. D.

EX quo semel ad te, Præsul optime, de diui Eulogii martyris Cordubensis operibus recens inuentis, & mox in lucem prodituris scripsi: tanta quadam cupiditate cibum pretiosissimum degustanti incensus, tam longe positus, auidissime per literas percunctaris, an iam excussa in vulgus exierint: obnixe me obtestans, vt quam citissime ad te transmittantur. Ego vero quam primum possum, non mitto solum, sed hanc etiam partem postremam huius æditionis, quæ tota nostra est, tibi dedicare constitui, tuam peculiarem esse volui, tuique nominis auspiciis in publicum exire. Pusillus faue labor, exiguum munus: sed inde profecto magnum, quod ad laudandum dominum in sanctis eius sit opportunum. Nostrum autem totum est, quicquid hic tibi offerimus. Etenim quantuis nostro labore sanctissimi martyris superiora omnia opera sint veluti denuo renata, & redidiua, nihilque in eis alienum sit, præterquam quod ab Illustrissimo Placentino Episcopo fuerunt adinuenta: illo tamē nuper vita functo, omnia in me plenius incubuere, nostraque cura, labore & impensa perficienda fuerunt: cum sequentia omnia, hoc ipsum etiam nostrum habeant, quod à nobis inuenta, Hispanæ Ecclesiæ atque adeo vniuerso orbi Christiano legenda & fruenda traduntur. Atque eo libentius tibi, Antistites Reuerendissime, hoc quicquid est nostri laboris dicauimus, vt mecum pro necessitudinis nostræ & communis sanguinis iure, Deo Opt. Max. quas ego digne non possum, gratias agere insistas, quod me in hoc sanctissimo labore versari dignatus sit, & in sanctorum gloriam tantisper impendi benignissime prouiderit. Quanto enim me indigniorem tam sancto ministerio reputo, tanto maiorem persentio Dei misericordiam, qui eidem me destinauerit. Et cum non dubitem, quin sancta quadā inde lætitia afficiaris, quod nostræ familiæ hoc præclarum: & merito plurimi faciendum Dei benignitate fuerit tributum, vt ex ea sanctorum martyrum nostratium scripta ac monumenta in lucem prodierint: tum etiam inde tibi non modicam Christianæ lætitiæ occasionem oblatam intelligo; quod me, quem valde amas, licet indigni videas tamen in sanctissimo labore Dei munere non segniter insudasse: vnde ipsius (qui est in sanctis suis semper mirabilis) gloria magis ac magis augeatur. Quemadmodum & tui omnes, cum te in hunc præcelsum Ecclesiasticæ hierarchiæ gradum, Episcopum factum, sublatum fuisse gaudemus, familiēq; nostræ inde merito gratulamur: multo tamen maiori lætitia cumulamur; quod omnibus tuis factis, curis magnisque laboribus in administrando credito tibi grege pro vero Christiani præsulis munere incumbas, & peruigilem te Dominicis ouibus pascendis pastorem, bonorum omnium testimonio & honorifica prædicatione, exhibeas. Idem etiam in fratre tuo Doctore Ludouico Molina. V. C. atque doctiss. supremi Regii Senatus consiliario contingit. Præstantissimam dignitatem adeptum sui omnes lætantur: doctrina vero, prudentia iusti atque æqui amore & solicitudine parem se summo honori præstare; vehementer gaudemus. Quæ omnia ad Dei Opt. Max. gloriam, teque ad dignam gratiarum actionem, quamuis per te satis incitatus sis permouendi gratia scripta hic, & contestata esse volui. Vale Præsul reuerendissime & vigilantissime. Atque equidem meritissimi honoris titulo ideo te Reuerendissimum iure optimo compellamus: quia tu te vigilantissimum præstes.

DE SANCTA EVGENIA MARTYRE CORDVBENSI.

VIGINTI nunc quatuor anni plus minus aguntur, ex quo Cordubæ propè vicum, cui nomen est los Marmoleios, dum domus fundamentis scrobes effodiuntur, lapis marmoreus candidus non admodum magnus fuit erutus: qui tredecim versus habuerat insculptos. Verum quia, vt coniectari licet, multo tempore solo impositus iacuit: magna pars literarum pedum attritu fuerat consumpta. Sed bene habet, singulari Dei prouidentia, & iucundissimo suo munere literæ versuum primores integræ ferme omnes perdurarunt: vt nomen sanctæ Eugeniæ martyris in hunc vsq; diem fidelibus proderent. Hic lapis in sacræ aræ vsum consecratus, Cordubæ in Diui Pauli cœnobio ordinis Prædicatorum, summa cum veneratione asseruatur. Quæ in eo super sunt literæ, hæ sunt.

/ / / / / / / / / / / / / / / / / /
/ / / / / / / / / / LIS / / VVLNERA / / / /
GENV / / / / / / / / / VS TRVCVLENTVM
EX / / / / / / / / / QVI FOECVNDA
NOBIS HIC / / / / / / / / / / RETENTAT
IN CÆLO DE HINC MERVIT PER SECVLA VIGENS
ADIVNCTA POLLET CVRIÆ SANCTORVM IN ARCE
MERCEDES IPSO RVTILI SVB SOLE CORVSCAT
AMBIENS SACRI GLORIAM DE MERCE CRVORIS.
REX TRIBVIT CVI CORONAM PER SECLA FVTVRA.
TV ITAQVE NVTIBVS MARTYR NOS MANDA DIVINIS.
IDEM SVB ERA NOVIES CENTVM IVGVLATVR
/ / / / SEXAGIES ET VNO SEPTEM DE CALENDIS APRILIS.

APRILIS nomen seorsum ad hunc modum fuit infra scriptum. Vltimi verò versus primam dictionem, quæ deest, crediderim sanè fuisse, RVRSVS. Nam et. R. necesse est fuisse, vt integrum nomen EVGENIA MARTYR compleretur: & illa numeri sequentis ad superiorem adiectio probe (vt illorum temporum fuit in carminibus vsus) per hoc aduerbium copulatur. Huiusmodi verò literas in carminibus, cum alio aliquo quam incipiendi, aut finiendi versus munere funguntur, vt per se aliquid significent, Acrostichas Græci vocant. Quod his verbis Cicero in secundo de diuinatione explicuit. Tum vero quæ Acrostichis dicitur, cùm deinceps ex primis versuum literis aliquid connectitur, vt in quibusdam Ennianis, quos Ennius fecit, id certè magis est attenti animi, quam furentis. Et quanquam Ennius huiusmodi versus composuerit, Plautusq; etiam in argumentis fabularum, & similes præterea Sybillæ Erythrææ, ab Diuo Augustino & Eusebio referantur: nostrorum tamen Hispanorum peculiarem hanc fuisse argutiam, & ab eis in primis adamatam video: cùm in vno solum prisco Romanorum temporis, eoq; Hispanarum fœminarum, in Hispania saltem naufragio absumptarum Epitaphio quæsitam, animaduertā. Id ex domo Cæsia Aldus in sua Orthographia posuit his versibus descripium, in quibus eius, qui lapidem, titulumq; posuit, nomen, IVLIVS SECVNDVS primis literis legitur. *Acrostichæ literæ.*

IAM DATVS EST FINIS VITÆ IAM
PAVSA MALORVM.
VOBIS QVAS HABET, HOC GNATAM
MATREMQVE SEPVLCHRVM.
LITORE PHOCACIO PELAGI VI
EXANIMATAS
ILLIC VNDE DAGVS ET NOBILE
FLVMEN HIBERVS
VORSVM ORTVS VORSVM OCCA
SVS FLVIT ALTER ET ALTER

STAGNA SVB OCCANI TAGVS ET TYRRHENICA HIBERVS
SIC ETENIM DVXERE OLIM PRIMORDIA PARCÆ
ET NE VERE SVPER VOBIS VITALIA FILA
CVM PRIMVM LVCINA DARET LVCEMQVE ANIMAMQVE
VT VITÆ DIVERSA DIES FORET VNAQVE LETI
NOBIS PORRO ALIA EST TRINO DE NOMINE FATI
DICTA DIES LETI, QVAM PRO PAGARE SVOPTE
VISVM OLLIS TACITO ARBITRIO CVM LEGE PERENNI
SISTI QVÆ CVNCTOS IVBET AD VADIMONIA MORTIS.

Diuus Eugenius III. Archiepiscopus Toletanus.

Ab Gothorum verò temporibus ea voluptas Acroſticharum in carminibus, & in Epitaphiis præſertim à noſtris frequentius fuit quæſita. Sunt enim Diui Eugenii tertij Archiepiſcopi Toletani nonnulla Epitaphia, quæ hac ipſa arguria exornantur. Sed nihil æque egregium & omnibus numeris abſolutum, quam eiuſdem præſulis Epitaphium, quod ipſe ſibi viuens compoſuit: & cùm in principio Acroſtichas habeat, habet etiam in fine Telioſtichidas. Ita enim Græci literas appellant, ex quibus in fine carminis aliquid connectitur. Quod & appoſuimus.

EXCIPE CHRISTE POTENS DISCRETAM CORPORE MENTE M,
VT POSSIM PICEI POENAM VITARE BARATHRI
GRANDIS INEST CVLPA, SED TV PIETATE REDVNDA S:
ELVE PROBRA PATER, ET VITÆ CRIMINA TOLLE
NON SIM PRO MERITIS SANCTORVM COETIBVS EXVL
IVDICE TE PROSIT SANCTVM VIDERE TRIBVNAL
VIS, LECTOR, VNO, QVI SIM, DIGNOSCERE VERSV
SIGNA PRIORA LEGE: MOX VLTIMA NOSSE VALEBIS S.

Duras ſibi compedes cum iniecisſet: nullo tamen veſtigio titubauit, nullum inconcinne greſſum protulit. Hoc Epitaphium cum aliis quibuſdam eiuſdē Antiſtitis, & aliorum carminibus ex Michaëlis Acagræ exemplari habuimus. Diuus autem Ildefonſus, qui eidem in Eccleſia Toletana confeſtim ſucceſſit, nonnulla ipſum carmine ſcripſiſſe commemorat. Codex etiam ſacrorum conciliorum in Regio ſancti Laurentii ad oppidum Eſcurial monaſterio ante ſexcentos ferme annos literis Gothicis, ſcriptoris nomen, locum & tempus, quibus ſcribebat explicat. Tentarunt etiam noſtra memoria Hiſpani poëtæ non inuenuſte Acroſtichis ludere. Sed ad Eugeniæ martyrium redeamus.

Habdarraghman rex IIII.

Paſſa eſt anno Domini nongenteſimo viceſimo tertio, Martii menſis die viceſimo ſexto, regnante iam Habdarraghman huius nominis quarto, regni eius anno duodecimo, vt ex chronologia, quam iam non ſemel iniuimus, conſtat. Hic verò impius rex, initio regni ſui indito ſibi cognomine, Ananzer Alendin Ala (vt eſt apud Rudericum Archiepiſcopum) ſe vocari præcepit: quod legis diuinæ defenſor interpretatus. Vt iam tunc mature oſtenderet, quanto Chriſtiani nominis odio flagraret. Eodemque iam illud alterum, quod ſibi impoſuit cognomen Amomiramolin (quod ſummorum regum inter Sarracenos fuit alioqui commune) ſpectaſſe videtur: ſiquidem (vt eſt apud eundem authorem) rex credentium ſonat. Nec mitius ſeſe in Chriſtianos reipſa quam nomine ediderat, geſſit. Quod huius diuæ, & ſancti Pelagii cædes inter alia oſtendunt.

Rex Ordonius ſecundus.

Legionenſe verò regnum hoc anno Ordonius ſecundus Alfonſi Magni filius regebat. Nec dum enim Froyla eius frater regnum acceperat. Nec obſtat eius inſcriptio, quam in Nunilone & Alodia poſuimus. Nam nondum rex, ſed priuatus adhuc pretioſam illam arcam obtulerat, atq; ideo regis nomen ibi non vſurpauit.

In hoc ſacro marmore illud nunc merito admiramur, literas nimirum, quæ adhuc permanent, duriſſima, & ipſo etiam marmore rigidiore materia eſſe oppletas. Siue id bituminis genus eſt, quod initio excauatis literis fuit infuſum: ſiue lapis eſt nouæ

formæ, quem natura ibidem, tot ſeculis, quibus terra obrutum marmor permanſit, ingeneratiſ.

Ego verò primus omnium, neque alius ante me (Deo Opt. Max. laus, honor & gloria) hoc Epitaphium perlegi, & Acroſtichas in eo primus animaduerti, diuæque martyris nomen inde euulgaui, & quæ ad Epitaphii totius, perſonarum, temporum rerumque rationem plene intelligendam neceſſaria fuerunt, perſcripſi ad F. Laurentium Figueroam Marchionis de Pliego, & Ducis de Feria magnorum principum fratrem, qui diui Pauli monaſterio prior tunc Cordubæ præſidebat: & quantum natalium ſplendore præſtat, tantundem ſpectatiſſima religione, doctrina ſingulari, concionum ſanctiſſimarum admirabili eloquentia inclytam familiam, & Cordubam noſtram illuſtrat.

DE SANCTO PELAGIO
MARTYRE CORDVBENSI.

DVOBVS poſt Diuam Eugeniam annis, hoc eſt Dominicæ natiuitatis nongenteſimo viceſimo quinto, menſis Iunii die viceſimo ſexto, qui in dominicam eo anno inciderat, Cordubæ Diuus Pelagius, martyrio, per omnem Hiſpaniæ Eccleſiam vſque hodie celebratiſſimo fuit coronatus. Cuius glorioſi triumphi fama etſi ad exteras quoque nationes inclyta permearit, & in Saxoniam vſque remotiſſimam regionem actutum penetrauerit: ibique Rhoſuitham clariſſimam virginem commouerit, vt ſanctiſſimi huius martyris victoriam heroico carmine inſigni cum præconio deſcriberet, ac celebraret: & noſtrates etiam priſci hiſtorici eiuſdem meminerint: Eccleſiæ etiam per Hiſpaniam multæ in lectionibus matutinis martyrii eius ſeriem retineant: ego tamen hic eam eius martyris hiſtoriam apponam, quæ, vt ſuo loco apparebit, ipſis martyrii diebus, ab eo qui & tunc vixit, & interfuit, ſcripta videatur: ea in peruetuſto codice Gothicis literis in membrana deſcripto continetur, qui in inſigni ſancti Petri de Cardenna ordinis ſancti Benedicti cœnobio, propè Burgos nobiliſſimam vrbem olim fuerat, & nunc in Regio ſancti Laurentii ad oppidum del Eſcurial aſſeruatur. Codex etiam ſanctæ Eccleſiæ Toletanæ ſanctoralis Smaragdinus dictus, admodum vetuſtus eandem iiſdem verbis habet, ſancti Pelagii hiſtoriam. Vidimus etiam illam ipſam in veteri Tudenſis Eccleſiæ ſanctorali. Ibi enim indigenam martyrem, eiuemque ſuum ſolenni in ſacris pompa Tudenſes concelebrant. Titulum qualis erat in illo veteri Gothico exemplari, & Raguelis authoris nomen in margine appoſitum, ſicuti ibi fuerat, reliquimus. Sed de Raguele poſtea. Vbique autem corruptiſſime omnia erant deſcripta, præterquam quod ab Raguele obſcure multa, quod fuit illorum temporum, videbantur ſcripta. Nos quaque ratione potuimus, nihil fermè immutantes, emendauimus:

Rhoſuitha de ſancto Pelagio ſcripſit.

Monaſterium ſancti Petri de Cardenna.

Burgos. Regii ſancti Laurentii monaſterium.

VITA VEL PASSIO SANCTI PELAGII MARTYRIS, QVI PASSVS EST CORduba ciuitate, sub Habdarraghmati rege, die VI. Calendas Iulii.

Raynal presbyter doctor fuit huius passionis Cordubensis.

ILLVSTRE quidem cuiusque operis tunc habetur exemplum, cum eius narrationis textus cœptum bene tenuerit initium. Quia ex hoc maxime ad laudem prolationis proficit subsequentis, si vltima haud discrepauerint primis: vt quæ fuit cœpti causa initii, sit etiam ad complemẽtum operis peragendi. Et licet nostra scriptio martyriũ disponere nititur fidelissimi testis, sui tamen primordiis non disiungitur, vbi supplicium paratum extitit populis Christianis. Vnde autem orandus est Dominus, vt loquendi nobis in laudem sui præbeat initium, quod consummato opere nullum penitus habeat discidium. Quo tandem ille foris resonet in lingua, qui auctor erat intus in conscientia.

Gallia.

Igitur temporibus illis, cum sæuissima orta fuisset tempestas Christianis, contigit, vt totius Hispaniæ hostes contra Galleciam mouerentur, vt si fieri posset funditus ea subuersa, fideles omnes dominatio possideret externa. Sed non destitit diuinum omnino auxilium, temeritatem reprimens indebitè contra suos venientium. Ad quendam itaq; locum cum prædicti hostes peruenissent, e contra Christianorum exercitus occurrit, & sese vtriq; obuiarunt. Mos est autem regis fidelium Christianorum, vt sua simul secum in expeditione Episcopus habeat: Conserto itaq; prælio, ita populus Dei in fugam versus est, vt etiam ipsi Episcopi cum aliquantis fidelibus captiui tenerentur.

Ermoigius Tudensis Episcopus.

In quibus autem vnus nomine fuit Ermoigius, qui ferro vinctus Cordubæ carcere mansit clausus. Porro quia diuinitus varia sunt iudicia his, quos omnipotens Deus ad regna vocat cælestia: festus iste Ermoigius Episcopus carceris angustiis, ac ferri oneribus: obsidem pro se suum dedit sobrinum nomine Pelagium, ea quoq; spe retenta, vt

Pelagius ob ses datur.

ipso abeunte, captiuos mitteret, quibus hunc sobrinum redimere posset. Verum solita diuinitus affuere beneficia, quæ hunc Pelagium ita illuminarunt, vt carcerem haberet probationem, vel quotidianorum, sine quibus humana fragilitas viuere non potest, casuum limam. Vt eo etiam sibi hoc ergastulum ad ablutionem induceret peccatorum, quo antea in propria positus patria cum esset, quamuis puer, absq; illecebris vitam nequibat ducere incentiuorum. Quia vix homo in bonore positus Deo placere potest, cum sibi, quæ sua sunt, quisq; vult vendicare. Vnde Dominus dicit, viam esse arctam, quæ ducit ad vitam, latam verò & spatiosam, quæ ducit ad perditionem. Reuera quanto facilius est ex prosperis ad ima dilabi, tanto vnicuiq; congruentius extat, ad sublimia per aspera & confragosa prouehi. Quinimo vnde morti similis extat, inde angelorum opportunius curiæ associatur.

Sanctitatis in Pelagio rudimenta.

Igitur iste beatissimus Pelagius sibi diuinitus hæc omnia inspirata, iuxta quod eius narrant indicia, examinans, caute in carcere viuebat, vbi ferme decem annorum ætate inclusus fuerat: porrò qualem ibidem se gerebat, sodales non tacent, & fama nõ silet. Erat enim castus, sobrius, quietus, cautus, orationibus vigil, lectioni assiduus, Dominicorum præceptorum non immemor, bonorum colloquiorum ascitor, malorum expers, risui non facilis. Elegerat enim sibi magistrum Paulum Apostolum in doctrinis vigilantem, deprecationibus instantem, angustiis communicantem; in pressuris non deficientem. Quapropter solers erat in lectione, ac facilis in doctrina. Eadem quippe illius extabat conuersatio, de illa nihilominus responsio, qua, eo reluctante, si quando fortè quiuis dissimilis fidei garrulus aderat, refutatus abibat. Sic præterea mente vel corpore seruabat integritatem, vt putares eum non nisi futurum martyriũ præmeditantem, vtpotè cum talia præberet indicia, quæ nullatenus cælestia amitterent gaudia. Quis verò talem indolem plausibus non efferret, quam species foris pulcherrima paradisigena prærogatiua iam decorauerat? Cui sanè intus manebat instructor Christus, qui foris erat formæ illuminator: quo ipsum etiam celebraret magistrum specie vultus, qui mente haud dubie dignum regebat aluminum. Purificabat quoque vas suum, dignum parans habitaculum, in quo post paululum, vt sponsus lætaretur, & de quo facto laureatus cruore, sibi suisq; amplexibus inter sanctorum curias dignus honore famulus iungeretur. Vt bina tam virginitatis, quam passionis vbe-

rius

rius corona ditatus, duplicem ferret de hoste triumphum, cùm & diuitias abhorreret, & vitiis non cederet. Ergo merito duplum pertingit ad brauium, qui cum suis satellitibus hostem calcauerat tetrum. Manens verò sanctus Pelagius promissionibus resistendo fortis, ac vitiis sanè non cedendo laudabilis: quantum interea ille antiquus hostis suis cristatus nequitiis eum irretire, nunc aperte, nunc tacite conabatur, tantū propriæ malitiæ calliditate sub ipsius, Deo annuente, prostrabatur pedibus infirmè.

HIS vero pene trium annorum & semis circulum probabiliter gestis, forte quodam die regii tyronis cuiusdam satellites affuere, qui huius beatissimi Pelagii venustiorem vultus pulchritudinem suo Domino esse nuntiarunt. Nec immeritò pulcher foris intuebatur, quia Domino Iesu Christo intus pulchrior diligebatur. Hoc pacto stulti homines, & veritatis nescii, eius formam gurgitibus vitiorum putabant obruere, quam idem Dominus noster inter sanctorum virginum choros, suis à dextris pollicebatur stare. Non vtique intelligentes miseri, Domino non posse contraire, qui nec suum album, aut nigrum vnquam capillum possunt facere. *Sanctus Pelagius ob pulchritudinem.*

QVÆ interea fama regis auribus innotescens, ei optime, sed non recte placuit, cum Dei famulus Pelagius in carceris etiam angustiis pulcher apparuit. Rex itaque inter epulas positis apparitores misit, qui futuram Christo hostiam suis sisterent conspectibus intuendam. Sed quia omnipotenti Deo possibilia manent cuncta, dicta factis complentur: & Dei famulum Pelagium præcipites satellites cum vinculis rapuere, ita vultridentes in aula regis, cum amputarentur, cathenarum tumultus audirentur. Gaudentes itaque, mente cæci regi offerre mortali, cuius iam sibi Christus animam nexu desponsauerat inseparabili: cum regis conspectibus trabea indutum regali obtulerunt, beatissimi auribus pueri mussitantes; quod ad tantum perduceretur honorem eius species. Ad quem illico rex inquit. Puer grandis te honoris fascibus sublimabo, si Christum negare, & nostrum volueris propheram verum esse dicere. Nonne qualibus quantisue potiamur regnis vides? Insuper addam tibi numerosam auri vel argenti copiam, vestes optimas, ornamenta pretiosa. Sumes præterea tibi qualem ex his tyrunculis elegeris, qui tuis ad votum moribus famuletur: sed & cortes offeram ad habitandum, equos ad vtendum, delicias ad fruendum. Porro & de carcere, quantos petieris, educam, & parentibus etiam tuis in hanc, si volueris, regionem aduocatis immensas dignitates conferam. At verò sanctus Pelagius vniuersa despiciens, ac ridenda esse intelligens: hæc, ait, quæ demonstras, o rex, nihil sunt: & Christum non negabo, Christianus sum, fui, & ero. Nam hæc omnia finem habent, & cum suis spaciis transeunt. Porro Christus, quem ego colo, nescit habere finem: quia nec initium habet vllum. Ipse namque est qui cum patre & spiritu sancto vnus permanet Deus, qui nos ex nihilo fecit, & vniuersa potestate continet. *Rex visu Pelagium in ea vestibus ornat.* *Sanctus Pelagius ad regem.*

Interea cum eum ioculariter rex tangere vellet: Tolle canis, inquit, sanctus Pelagius, nunquid me similem tuis effeminatum existimas? Et illico vestimenta, quę indutus erat scidit, & fortem in palęstra se athletam constituit, eligens digne pro Christo mori, quam turpiter cum diabolo viuere, & vitiis inquinari. Ipsum vero adhuc suaderi posse rex existimans, suis præcepit tyronibus, vt eum suasoribus, delinirent lenociniis si forte apostatando, tantis acquiesceret regalibus pompis. Sed ille adiuuante Domino fortis stetit, & intrepidus permansit; Christianum se solummodo prædicans, eiusq; per secula præceptis obsecundare se dicens. Cuius feruentissimum rex spiritum contra persistere videns, atque in suis se desideriis spretum esse intelligens: ira stimulatus, appendite, inquit, illum in forcipes ferreas, ac strictim tandiu sursum deorsum vicissim leuantes deponite, quousque aut animam exhaler, aut Christum esse dominum deneget. Quod beatus Pelagius forti animo pertransiens, stabat intrepidus, qui adhuc pro Christo pati penitus non recusabat. Cuius cum immobilem rex constantiam videret, iussit eum membratim gladio scindi, & in flumine proiici. Qua ministri potestate accepta, per tam immania in eum exerto pugione ludibria debacchati sunt, vt eos putares sacrificia componere de eo, quem immolari, eis inscijs, in conspectu domini nostri Iesu Christi erat necesse. Et qui iam electus manebat in cælis; adhuc duriter patiebatur in terris. Nam alius brachium radicitus amputauit, alius tibias desecauit, alius etiam cervicem ferire non destitit. Interea stabat martyr intrepidus, ex quo guttatim languis distillabat, pro sudore profluus. Nullum interim præter dominum Iesum Christum inuocans, pro quo pati non recusabat, dicens: Domine eripe me de manu inimicorum meorum. Quem sane diuina potestas non deseruit, faciens illum in pœnis confessorē, ac sub gladii mucrone glorioſum in cælis martyrem. Porro manus, quas ille ad Deum *S. Pelagius tam sanctissima iudicia.* *S. Pelagius cruciatur, & discerpitur.*

leuabat, illi sceleratissimi gladio amputabant. Inter quæ beatissimus Pelagius tessus anhelabat. Et quia qui hominum misereretur, non aderat: Deum solumodo inuocabat. Clamabat quidem athleta fortissimus, sed præsens certaminis præerat Dominus, Veni, inquiens, accipe coronam, quam tibi ab initio promisi.

Inter hæc spiritus migrauit ad Deum. Corpus vero proiectum est in fluminis alueum. Sed post hoc nullatenus defuere fideles, qui illud quærerent, atq; ad sepulchrũ honorifice deferrent. Cuius quidem caput cemiterium tenet sancti Cypriani, corpus vero cespes sancti Genesi.

Cæmiterium sancti Cypriani.

Sancti Genesii templum.

O verè dignum Deo martyrium, hora septima cœptum, vespere autem eodem die consummatum. Quis vnquam tale donum vllis compensare valebit sermonibus. Nam pro carceris squalore reddita est ei cæli gloria: pro angustiis temporalibus, meruit cæli munera: pro patria, quam reliquit, possidet paradisum, quem optauit. Dimisit sane parentes, vel fratres: sed nunc angelos habet consortes. Omnis (inquit sermo diuinus) qui dimittit patrem aut matrem, &c. propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam possidebit. Sustinuit membris gladium, qui nunc cælorum obtinet regnum.

Oratio ad Sanctum martyrem.

O beatissime testis Pelagi, qui inter delicias minasque Christum confiteris, ac blandiciis cedere nolis: eligens magis mori pro veritate, quam viuere seculo, & carere iustitia. Et, quem iam Christus in sorte habebat electorum, promissionibus noluit cedere perditorum. Vnde quæsumus sancte martyr ecclesiæ patrocinare, eamque foueto inde esse præsidiis, quam tibi famulari conspicis votorum obsequelis. Quatenꝰ te corã Deo habeat patronum, quem * Galletia oriundum, sed martyrii sanguine Corduba tenet gloriosum.

* *Natus Zamoræ, nõ prorie Galletia oriundus dicipotest: nisi quod ea ætate Hispaniam interiorẽ hoc nomine tantum censebant, qui in montibus imperabãt, contenti ipsi vel nomine ipso Galletiæ, vbi regnarent. vt satis constat ex huius vitæ principio. Tenera sancti Pelagii in martyrio ætas.*

Igitur hic beatissimus Pelagius ætate circiter tredecim & semis passus est annorũ Corduba, vt dictum est, in ciuitate Habderraghman rege imperante. Die videlicet dominica, hora decima, sexto Calendas Iulias, Era DCCCCLXIII. Regnante domino nostro Iesu Christo, qui viuit & regnat cum Deo patre in vnitate spiritus sancti, vnus in Trinitate Deus, in secula seculorum. Amen.

IN antiquo exemplari scriptum plane per notas fuit, Era DCCCLXIIII. qui fuit annus Domini DCCCCXXVI. Sed cum dies Dominicus, in quo Diuus Pelagius sit passus, ab Raguele nominetur: & certi pene simus diem Iunii vigesimum sextũ, vt mox apparebit, fuisse eodem etiam illo vetustissimo codice, & multis aliis antiquis exemplaribus attestantibus: ex nostra Astronomica supputatione (quæ fallere nullatenus potest) Erã emendauimus, vt esset nongentesima sexagesima tertia, annúque Domini conficeret nongentesimum vicesimum quintum. Habuit enim is annus qui bissextus non fuit. B. literam dominicalem, qua docemur eo anno die Iunii vicesimum sextum, Dominicum diem fuisse; cum insequens annus eum Iunii diem, die lunæ habuerit. Cum igitur ita emendauerimus, dies cum anno, annus cum die recte concordat. Dicet aliquis. Cur potius annum, quam mensis diem emendare instituis? Quia is dies nimirum in omnibus breuiariis martyrologiis, & antiquis exemplaribus, huic diuo tribuitur, & quidem festo sanctorum Ioañis & Pauli impeditus: vt cõmode & iusta de causa transferri diuus Pelagius retro in diem XXV. aut porrò in XXVII. vacuos omni festo potuisset: Relictus eo die est, quia eius fuit proprius.

Tenera sancti Pelagii in martyrio ætas.

Dies Iunii. XXVI. annus Domini 925.

Ratio temporis.

De tota illa infortũata expeditione, quæ causam sancti Pelagii martyrio dedit, Sapyrꝰ Asturicensis Episcopus, vetustissimus illorum temporum scriptor (ab quo & Rodericus Toletanus, Lucas Tudensis, atque alii transtulerunt) de Ordonio rege huius nominis secundo Alfonsi magni filio loquens, ad hunc modum scripsit. Iterum rex Cordubensis cum allis Agarenis regibus, & cũ multis Sarracenorũ exercitibus, contra regẽ dominũ Ordoniũ venit, ad locum qui dicitur Mindonia, & inter se dimicantes, & prœliũ mouẽtes corruerũt ibi multi ex nostris: & vt ait Dauid varii sunt euẽtus belli. Et hinc in anno tertio innumerabile agmen Saracenorum venit ad locum, qui dicitur Mohis. Quo audito Pampilonensis rex Garsia, Sancii regis filius misit velociter ad Dominum Ordonium, vt adiuuaret eum contra acies Agarenorum. Rex vero perrexit cum magno præsidio. Et obuiauerunt sibi in valle, quæ dicitur Iuncaria. Et, vt assolet peccato impediente, multi corruerunt ex nostris: etiam duo episcopi Dulcidius Salmanticensis, & Ermoigius Tudensis ibidem sunt comprehensi, & Cordubam addũcti. Et pro isto Ermoigio Episcopo ingressus fuit obses sobrinus eius sanctus Pelagius Cordubam. Deinde posuerunt eum in carcere, qui postea pervenit ad martyrium.

Clades ad Iũcariam.

Ordonius rex II.

Mindonia.

Mohis.

Garsia Nauarrorũ rex.

Iuncaria vallis.

Dulcidius Salmãticẽsis episcopus.

Ermoigius Tudensis episcopus.

Sanctus Pelagius.

Annus

Annus huius ad Iuncariam cladis ab Sampyro non signatur. Neque ex præsule Toletano, aut ex Luca Tudensi certi quippiam aut signati habere possumus. Historia regis Alfonsi excussa, nec prælii huius saltem meminit. Annales Aragonensium multo post, hoc est circa annum Domini ferme millesimum, contigisse tradunt. Veritas ex superiore Raguelis narratione aliquantisper hoc pacto poterit percipi. Martyrio coronatur Pelagius ad finem mensis Iunii, anno Domini nongentesimo vicesimo quinto. Tribus annis cum dimidio in carcere permansisse, non semel Raguel ostendit. Adde anni etiam dimidium, quod paciscendo, & obsidibus euocandis sit initio consumptũ. Prelium igitur anno Domini nongentisimo vigesimo primo, commissum videtur. Hęc ideo exquisitis supputare volui, quo temporum series, quæ in nostris historicis misere est obscurata, lucem aliquam veritatis, lumine alicunde illato, possit accipere. *Rasis temporis.* *Lib. 1. cap. 6.*

Illud hic etiam annotasse opere pretium fuerit. Hunc Raguelem, ipso sancti Pelagii tempore vixisse, vt eius martyrium vidisse potuerit. Nam de eiusdem martyris sodalibus, in carcere simul vinctis se audiuisse asserit, quę de præclara eius sanctitate scribit. Hoc ipsum etiam inde satis confirmatur. Pauci perfecti anni interfuere, post martyrium sancti Pelagii, & legationem Sancii rẽgis de repetendo eius corpore missam. Loquitur autem Raguel de sancti martyris sepultura: tanquam Cordubæ adhuc corpus caputque permaneant, sine vlla, quę tunc esset, trãsferendi mentione. Et Cordubensis ecclesiæ presbyter, credo Raguel fuit. Nam epitheto Cordubensis, non ad passionem ingignendi casu (quod erat ineptum) sed ad scriptorem in nominatiuo (quod fuit pene necessariũ) est referendum. Cur ego fuit in finem transpositum? Nescio profectò: nisi quod multa eiusmodi, cõtempto Latini sermonis legitimo ordine in nostratibus in illorum temporum scriptoribus passim reperio. Doctoris autem vocabulum, pro authoris positum fuit. *Raguel Cordubensis.*

Honeste autẽ & satis verecunde Raguel dixit, regem sanctum puerum ioculariter tetigisse: quod liberius Rhosuita, stupri per vim tentati mentione habita, retulit.

TYRONES autem, regis Sarraceni nobiles pueros aut iuuenes fuisse, libro secundo in Sancio martyre, & alibi etiam, docuimus.

Quanta semper fuerit huius sancti martyris celebritas, quanta vbique veneratio ex sequentibus patebit. Idem Sampyrus de rege Sancio Ranimiri secundi filio, qui Crassus est cognominat⁹, ita inqt. Rex vero Sancius salubre iniit consiliũ vna cũ vxore Terasia, & cum sorore sua regina Geloyra: vt nuncios mitterẽt ciuitati Cordubæ, vt peterẽt corp⁹ sancti Pelagii martyris, q. martyrũ acceperat in dieb. Ordonii principis sub rege Arabũ Habdarraghman. Et dum legatos vna cũ Velascone Legionensi Episcopo illuc pro pace, & ipsius corpore sancti Pelagii miserunt: egressus rex Sancius ex Legione, venit Galletiam, &c. Addit Toletanus. Rex autem construxit monasterium Legione, in quo corpus sancti Pelagii statuerat collocandum. *Sancius Crassus rex.*

Et Sancius quidem rex sancti martyris corpus obtinuit. Erat n. Habdarraghmani charus, iam inde ab eo tempore, quo hydrophisi seu monstrosa pinguedine æger Cordubam adierat, Arabum medicorum opem, ab quibus & sanatus est, quæsiturus. Verum sanctas reliquias aduenientes, morte præreptus non vidit. Eas filius eius Ranimirus tertius tandẽ excepit. De quo Sãpyrus ita inquit. Corpus Sancti Pelagii martyris ab Sarracenis recepit: & cum religiosis episcopis in ciuitate Legionensi tumulauit. Rudericus in eo monasterio, quod ad hoc ipsum pater regis construxerat, ab filio refert sepultum. *Ranimirus rex. III.*

EGO in his omnibus Sãpyri Astricensis Episcopi libentius vtor testimonio, quia isdem his tẽporibus, de quibus scripsit, vixit: vt prisca regum monumenta & diplomata in Sãcta Compostellana ecclesia, item in Ouetensi asseruata, quorum ego multa vidi, testantur. Fons itaque & origo historiæ illorum temporum hic est author. Verum autem eius nomen Sampyrus est, non Saphirius, vt quidam proferunt. In Regiis enim illis diplomatis, de quibus diximus, ubi de prisco nostratium more cum proceribus regni subscripsit, Samphyrus legitur. Et antiqua omnia exemplaria consentiunt. Trium autem iam habui satis vetusta. Inter quæ insigne admodum illud. S. Ouetensis ecclesiæ fuit, Gothicis literis in membrana descriptum, quod regis Alfonsi, qui Toletum cæpit fuisse aperto constat testimonio. Eius mihi olim copiam idem Illustrissimus Placentinus episcopus fecit. *Sampyrus Astricensis episcopus.*

Corpus vero sancti Pelagii aliquot post annos Ouetũ est translatũ: quo tempore Christiani diram Almansoris Arabũ, siue regis, siue ducis vastationẽ in secũdo eius aduentu metuentes, relicta Legionensi vrbe, cum sacris vasis, scriptis, monumentis &

reliquiis sanctorum regumq; eadaueribus, Ouetum transfugerunt. Qua de re ita scribit Pelagius Ouetensis Episcopus, qui post Sampyrum illorum temporum historiã continuauit. Cũ verò, inquit, audiuissent & cognouissent Legionenses & Asturicenses ciues illam plagam venturam super eos, acceperunt ossa Regum, quæ erant sepulta in Legione, & Asturica vna cum corpore sancti Pelagii martyris, & intrauerunt Asturias, & in Oueto in Ecclesia sanctæ Mariæ dignissimè sepelierunt ea. Corpus autẽ sancti Pelagii posuerunt super altare beati Ioannis Baptistæ. Hucusq; Pelagius, qui exemplar illud Ouetense cum sua, & Sampyri, & aliorum historia scribi iussit, vt præfato regi Alfonso Toletanorũ victori dono daret. Quod cum in ipso codicis initio satis appareat: insunt etiam nonnulla eiusdem Pelagii Episcopi manu, vt ipse testatur, exarata. Et in regis illius diplomatis eiusdem Episcopi nomen plerunque videmus subscriptum.

Pelagius Episcopus.

Et quamuis in sancti Ioannis Baptistæ veneratione conditum id monasterium initio fuerit: nunc tamen sancti Pelagii nomine compellatur, & sacris Deo virginibus incolitur. Sanctum martyris corpus supra maius, vti dicunt, altare theca argentea, quatuor ferme pedum longitudine decentissime repositum, supplex veneratus sum in illa sancta legatione, qua iussu regis Catholici Philippi. II. perfunctus fui, de qua iam Diui Eulogii vita mentio facta est. Et ego quidẽ ab rege Fernando huius nominis primo eo sublatũ, & diuiti tumulo ad eum modum honoratum sanctum martyrem crediderim. Vidi enim in eodẽ monasterio eius regis diploma Gothicis literis scriptũ, cuius initiũ fideliter transcriptũ apponã, cũ sua tota illorum temporum sermonis inconcinnitate.

Fernãdus rex. I.

Nos exigui famuli Christi Fredenãdus rex ex Sancia regina vobis dopnos eximios patronos nostros præcursor & Baptista Ioannis, nec non & vltimus martyr Pelagius, cuius corpus tumulatum manet, iuxta aulam Sancti Saluatoris sedis Oueto. In ipsius Iesu Christi honorem, & hunc sanctum martyrem amorem inspirauit Dominus in cordibus nostris, & hanc famulã vernulamque tuam cõiuge mea Sancia spiraculum prudentia in cordibus nostris immisit, vt in melius restauraremus ipsius cimeteriũ, vbi ipsum corpusculum martyris sanctissimi requiescit. Denique venimus in hunc sanctum locum cum Episcopis & proles nostri, & omnes maghati terræ nostræ, & fecimus trãslationem mirificam ipsius corporis sancti: vt maiori surgat in culmine, cuius anima sublimiori exultat in requie. Ideoq; nos iam sæpe dicti famuli vestri ad honorificentiam corporis sancti concedimus in hunc locum sanctum pro sustentatione fratrum & sororum ibidem degentium, &c. *Et in fine.* Notum die. V. Id. Nouemb. Era LXI. post millesima. Is est annus Domini millesimus vigesimus tertius.

Corporis sancti Pelagij elevatio.

Atq; ibi quidem sancti Pelagii corpus magna cum veneratione colitur. Reliquę verò per Hispaniam ecclesiæ, paucis exceptis, annuam eius festiuitatem concelebrant. Sed ô negligentiã merito deplorandam, perpaucæ admodum eius in matutinis legũt historiam. Illud vero monasterium, quod primum ab Sancio rege ad reponendum sancti martyris corpus fuerat Legione ædificatum, Almansore totam vrbem deuastante, cũ fuisset dirutum: post eius vrbis, cœnobiique ipsius instaurationem diui Isidori corpori excipiẽdo locũ dedit, ab eoq; diuo nomẽ denuo accepit: q; in eiusdẽ monasterii antiquis monumentis legitur. Sed hæc iactura (si modo iacturam possumus nominare) multis aliis, iisque magnificis huius martyris templis, quæ hodiæ per Asturum, Galletiæ, & veteris Castellæ, vti vocãt, regiones cernimus, abunde satis est compensata.

DE SANCTO DOMINO SARRACENO ET SOciis martyribus, Cordubæ coronatis.

VEremundus rex huius nominis secundus, Alfonsi quinti pater, huius martyris & sociorũ, vt mox apparebit, nobis memoriam reliquit, quam, nisi eo authore, aliunde non haberemus. Eius sequens diploma, in sancta ecclesia Compostellana seruatur, quod nos inde cum aliis centum ferme hac occasione habuimus. Compostellani Archiepiscopi librum habent manuscriptum, quod eius simul cum dignitate traditur, in quo transcripta sunt, tum summorum pontificum, tum etiam priscorum regum diplomata, sanctæ eidem Ecclesiæ olim concessa. Hunc librum congessit Bernardus eiusdẽ Ecclesiæ, vt vocant, thesaurarius, anno Domini millesimo centesimo vigesimo nono. Quod in præfatione ipsemet ostendit Bernardus. Cum autem sancta eadem ecclesia opera nostra aliquando indigeret, eum librum nobis tradi iussit. Inde nos hoc Veremundi diploma, cum aliis multis transcripsimus, quę rebus Hispaniæ, & verę temporũ supputationi magnã lucẽ afferre possunt. Quinetiam cũ sanctũ diui Iacobi Sepulchrũ postea, tũ sancta legatione Philippi regis catholici fungentes, tum etiam religioso peregrinorum more inuisissemus: hoc ipsum diploma in secretioribus huiusmodi monumentorũ collectaneis, quæ Tumbos patrio nomine ibi vocant, denuo vidimus.

REGIS VEREMVNDI SECVNDI DIPLOMA.

IN nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis. Dicendum est, quod cunctis notum manet quomodo Domino permittente, & peccatis exigentibus, mucro hostilis & crudelitas iniquorũ, sæuiens scilicet Hismaelitica gens, promouit se ex Hispanię partib⁹ aduersus Christianos. Et pergens armata venit vsque ad Septimacensem ciuitatem. Et cateruatim eam circumvallans, atque in arcu & sagitta eam obsidens, diruptis muris, & aperta ianua, irruit in ipsam ciuitatem. Et sicut scriptum est, qui conterit multos & innumerabiles, & facit stare alios pro eis: & nec alio loco, nec alio modo moritur homo, præter quod positum est: gladio vindice, & hominum scelere prævalente, quos ibi Christiãos inuenit, in ore gladii interemit. Et diruta ciuitate, pauci, qui remanierunt ad Spaniam in Cordubensem vrbem ducti in captiuitatẽ, onere cathenarum onusti, atq; ferro vincti, & carcere trusi, duos annos & dimidium ibi peregerunt, laudantes & benedicentes Deum vnum & trinum semper viuum & verum. Et quoniam Deo cura est de omnib⁹, maxime de eis, qui positi in tribulatione cum spe & fiducia Deo animas suas simul & corpora in benefactis cõmendant: voluit pietas diuina, quomodo iam prædestinatione ordinauerat, illorum ęrumnis & laboribus, & etiam temporalibus malis finem imponere. Et vt ad eũ, cui famulatum exhibuerant, cum palma martyrii tripudiantes venirent: permisit ipsum tyrannum, qui eos captiuos duxerat, de squalore carceris ipsos eiicere, & gladio interfectos, sanguine proprio laureatos, ad regna cęlorum, & præmia atque æterna munera à Deo illis præparata, coronandos & remunerandos dirigere: Inter quos fuit vir felicissimus nomine Sarracenus proles Ioannis vocitatus, qui dimisit hæreditatem & cortes in ciuitate Numantia, quæ modo Zamora nuncupatur cùm nullum superstitẽ vel hæreditarium, aut propinquum relinqueret, qui ipsam hæreditatẽ possideret: sed remanserit sine herede & sine alicuius serie testamenti. Dũ starẽt hæc omnia intestata, accepit ea sæuissimus princeps dominus Ranemir⁹ indecẽter, & tenuit vsque ad obitum suum. His expletis, ego Deo meo trino & vno, humilim⁹ princeps Veremundus in regno parentum & auorum meorum nutu diuino pie elect⁹, & solio regni collocatus, antequam ipsi sancti & electi Dei martyrium acciperent, & adhuc trusi in carcere essent: visum mihi fuit moto pietate in redemptionẽ animę meę eos inde redimere. Et iam nuncii mei in via erant, quos p illis miserã, quãdo ipsũ martyriũ cõsumatũ est. Quãdo tale nunciũ ad aures meas peruenit, q ipsi sancti iã in regno cælorũ essẽt: placuit serenitati nostræ, vt hæreditatis ipsius supradicti martyris Sarracẽ, qui in baptismo Dominicus vocitatus est, ecclesiã facerẽ hęredẽ. Quia inutile & incõueniens erat, vt ille esset in regno cælorum: & hæreditatem eius possideret rustica & laicalis conuentio. Ob hoc ego iam sæpe dictus princeps Veremundus propter bonũ testimonium in amore Dei, & in memoria ipsius supradicti martyris Dominici partem aliquam donare decerno, atque in perpetuum ad habendum concedere mihi visum & conueniens est loco Apostolico in veneratione ipsi⁹ patroni nostri Apostoli Iacobi, vbi nunc dilectus Dei Petrus Episcopus præsulatum tenebat. Sic do & concedo cortem intus in ciuitate noua prope ecclesiam sanctæ Leocadiæ in omni gyro, sicut eam ipse Sanctus Dominicus obtinuit cum omnibus suis vtensilibus, cupis, torcularibus, & tendis in mercatello, & vineis, quæ seruierunt ipsi corti, vbicunque sunt, ab integro eas cõcedim⁹. Et azeniã integrã in vado, quẽ dicunt Domini Garsiæ, & medietatem in alia in Teliares. Et ibi in Teliares quartã portionẽ in aliã azenia. Et omnes suos hortos vnum in Aruale, & alium in ripa fluminis Durii. Et suos ferraginales, vbicunque illos habuit. Et alium hortum in Perales. Et etiam cuncta, quæ ipsi domui deseruierunt, tã ex illa parte fluminis Durii terras & vineas, & omne suum debitum, quã quæ ipsi corti deseruiunt. Adhuc dando atque donando adiicimus, quod ipsi corti pertinuit, villã quam vocitant Alcopam in ripa riuuli Arotoy cum omnibus suis præstationibus, quę intus & foris sunt, cupis & torcularibus, terris, vineis per suos certissimos terminos. Et omnia quæ ad ipsam villam pertinent, sicut ille eam obtinuit, cum suis iugariis & porcariis qui ibi seruierunt, & modo ibi sunt: siue & peculiare de ouibus, vbicunque sunt quæ ipsi corti deseruierunt. Omnia supra taxata, quæ resonant iam scripta, iam

ſupradicto Apoſtolico loco donate, atq; concedere curauimus in memoria & veneratione ſancti illius iam dicti Dominici, vt habeant inde habitantes & Deo ſeruientes, atq; per ſingulos dies & annos memoriã illius facientes, & ſacrificia & orationes Deo offerentes, temporale ſubſidium: & illi cum ſancto Dei Apoſtolo Iacobo etiam in perpetua remuneratione à Deo recipiant collatum præmium inconuulſum. Si quis tamẽ (quod eſſe non poteſt, nec oportet, & fieri minime credimus) aduerſus hanc teſtamenti ſeriem ad irrumpendum, vel diruendum, venire temptauerit, ſiue ex progenie vel ſtirpe noſtra, ſiue etiam quilibet Comes, vel Pontifex, aut quælibet poteſtas hanc factionem infringere temptauerit: quiſquis fuerit, in primis à corpore Chriſti ſit extraneus, & amborum careat lumine oculorum, & cum Iuda Domini traditore in inferno ſit damnatus. Facta à ſereniſſimo & pio principe domino Veremundo ſerie teſtamenti. IIII. Idus Februarii, Era poſt millenam tertia ſcilicet, & decima.

Anno Domini 975. Dies Februarii. X.

Veremundus rex confirmat.
Sebaſtianus Epiſcopus confirmat.
Gundiſaluus Epiſcopus confirmat.
Sauaricus Epiſcopus confirmat.
Armentarius Epiſcopus confirmat.
Pelagius Epiſcopus confirmat.
Petrus Epiſcopus confirmat.
Fredenandus teſtis.
Sauaricus teſtis.
Gudeſteus teſtis.
Felix teſtis.
Vimara teſtis.
Munius teſtis:

QVædam ſunt in hoc diplomate, quæ interpretatione magnõ opere indigere videbantur: quædam etiam a l temporum ſupputationem animaduertere diligenter oportuit. Ideo verunq; libenter ſumus exequuti.

Septimancæ oppidum. Hic aduerſatur Itinerarium Antonini, vbi Septimanca in eadem regionis tractu iam legitur.

Venit ad Septimancenſem ciuitatem.) Celebre eſt oppidum ad Durii & Piſoracæ magnorũ fluminũ confluentes. De oppidi nomine, quo nunc etiam compellatur, fama eſt, ab ſeptem ſiniſtris manib⁹, quas mancas priſci Hiſpani appellabant, tractũ. Nam Mauris hoc ipſo bello, de quo regi ſermo eſt, in oppidum irruentib⁹, ſeptem virgines pudicitiæ ſuæ periculo conſulentes, ſiniſtras ſibi abſcidiſſe ferunt: vt horrendo vulnerũ & defluentis ſanguinis conſpectu hoſtes abſterriti, trucidare mallent fœde mutilatas fœminas, quam conſtuprare, aut in captiuitatem inutiles ſeruitio ducere. Hoc municipes narrant, eiuſq; facti teſtimonium, oppidi inſignia, ſeptem manib⁹ antiqua cælatura inſculptis, proferunt. Huius autem cladis miror in Sampyri, aut Pelagii hiſtoria nullam eſſe mentionem. Lucas Tudenſis illam his verbis ſcripſit: cùm de Ranimiro tertio Sancii Craſſi filio ſermo eſſet. Factum eſt autem, vt cum Sarraceni ſecuritatẽ accepiſſent ab Rege Sancio, & filio eius rege Ranimiro, quod non ferrent ſubſidium Caſtellanis, direxerunt arma contra comitem Fernandũ Gundiſalui. Et cùm non poſſet eis dictus comes reſiſtere, cœperunt Sarraceni Gormaz, & Septimancas, & Septempublicam, & multas & horrendas ſtrages perpetrauerunt in terra Chriſtianorũ. Eadem habet Toletanus. De anno huius cladis in fine diplomatis diſputabimus.

Ad Spaniam.) Non dubium eſt quin plures in Hiſpania fideles, quam quos Arabes captiuos duxerant, permanerent. Ideo per hyperbolem quãdam id eſt dictũ. Spaniam autem pro Hiſpania ſcribere, mos fuit illorum temporum, de quo iam diximus.

Duos annos & dimidium.) Tempus diligenter eſt attendendum. Hinc enim illius rationem poſtea apertè poterimus inire.

Mors laborum finis.

Illorum erumnis & laboribus.) Pretioſa ſemper eſt in conſpectu Domini mors ſanctorũ eius. Cæterum quod hic habetur, ex illorũ philoſophorum ſententia dictum eſt, qui cùm nullum in morte malum eſſe diſputarent, inter cætera mortem malorũ omniũ & laborũ finem eſſe docebant. Quod ipſe Deus tanquã clementiſſimus hominũ pater & dominus, notũ eiſdem eſſe voluit, eo ipſo tempore, cum vniuerſo humano generi meritũ ſuppliciũ in vno Adam infligeret. Maledicta, inquit, terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea. At ne ſempiterna hæc mala crederentur, certaq; ſpes finiendi laboris relinqueretur, ſuperaddidit: omnibus diebus vitæ tuæ. Et apertius ſtatim. In ſudore vultus tui veſceris pane, donec reuertaris in terrã, de qua ſumptus es. Quaſi apertè diceret. Hæc omnia mala merito tuo patieris: cæterũ ſuo illa, vt ſempiterna nõ ſint, mortis fine claudẽtur. Hoc ipſũ ego, adoleſcẽs cũ eſſẽ, hoc epigrammate cõplexus ſum.

Genes. 3.

SVPPLICIVM HVMANI GENERIS, ATQVE SOLATIVM.

Cvm Deus vltrices armaret criminis iras,
Totum noxa hominum polluit vnda genus:
Infremuit: rutilaque tonans de vellere nubis,
Atroces tumido concipit ore minas.
Inque homines, hominumque genus maledicta futuram
Congerit, irarum verba cruenta notis.
Atque ait: inuisus nunc te auersabitur orbis,
Inuisumque tibi nunc erit omne solum.
Sudor & imbriferos fundat ni ex ore liquores,
Hinc sterilis victum iam tibi terra negat.
Sed proh benigni placabilis ira tonantis:
Intentat nondum vulnera, iamque fouet.
Afflictis quam certa adhibet solatia rebus?
Quam mulcet dictis tristia dicta suis?
Ne trepidi, ne spes pauidi ne absumite vestras:
Non plecto aeternis crimina vestra malis.
Durate: en dabitur tantos finire labores:
Supplicii iubeo terminus esto, mori.

Cortem.) Diximus iam de hoc vocabulo in virginibus Flora & Maria. *Camera olim est Numantia.*

Numantia, quae modo Zamora.) Error fuit illorum temporum communis, vt Zamoram vrbem, antiquam Numantiam omnes fuisse crederent. Qua de re extat doctoris Ioannis Genesii Sepuluedæ doctissimi viri, & ciuis Cordubensis clarissimi epistola. Nosque tum in nostra historia, tum etiam in Hispaniæ antiquitatibus fusius omnia sumus prosequuti.

Vel hæreditarium.) Pro hærede positum est, tractum propius ex Hispano, hæredero. *Ranimirus III. rex*

Sauissimus princeps.) Historici omnes regis huius Ranimiri fœuitiam, superbiam, & vecordiam notant. Sampyrus ita inquit. Rex verò Ranimirus, cum esset elatus, & falsiloquus, & in modica scientia positus: cœpit comites Galletiæ & Legionis, siue & Castellæ factis acriter ac verbis contristare. Eadem Toletanus atq; Tudensis habent.

In regno parentum & auorum meorum.) Cum Pelagius Ouetensis, consentientibus Toletano & Tudensi, regem hunc Veremundum filium fuisse tradat regis Ordonii, qui frater natu maior fuerit Sancii Crassi: ferendum non est, regis Alfonsi historiam, Sancii Crassi filiũ ipsum dicere. Quanquã mendũ fuisse apparet in codicib⁹ excussis. *Ordonij rex Veremundus II. pater.*

Pie electus.) Nam apertè tres supradicti authores regni successionem iure ad ipsum fuisse deuolutã, Ranimiro sine liberis mortuo, testantur. Et procerũ omniũ electione præterea in Regnum Legionis & Castellæ est euocatus, cum Galletiæ rex antea esset.

Antequam ipsi sancti & electi.) Et hoc quoq; ad futuram suppurationem mox incundam, diligenter est attendendum. Illud etiam, quod sequitur, oportet animaduertere. Et iam nuncii mei, &c.

Quando tale nuncium.) Hoc etiam diligenter est notandũ ad futuram suppurationẽ.

Serenitati nostræ.) Hæc honorifica compellatio, sicut etiam illæ: gloria nostra, sublimitas nostra, ab Gothis planè sunt desumpta: vt ex conciliis Toletanis, & Gothorum legibus constat. His titulis Reges seipsos nominabant, & alii honoris causa eisdem ad Reges vtebantur. *Serenitatis titulus.*

Qui in baptismo Dominicus.) Hinc facile intelligimus, Satracenus, cognomen esse. Quod etiam multa illorum temporum monumenta testantur: vbi inter cæteros regni primores, nonnullos aliquando hoc cognomine subscribentes legimus. Neq; tamen est necesse ipsa regum diplomata sigillatim commemorare, quæ inter Compostellana & Ouetensia vidimus. In quorum subscriptionibus ad hæc vsq; huius regis tempora frequens etiam est Dominici nomen: vt ab ipsis Gothis, quemadmodum alia multa, videatur cõtinuatũ, & inde præter hunc sanctum martyrem, ad tres insignes nostrates Diuos Calciatensem, de Silicibus (quem de Silos vulgo vocant) & fratrum prædicatorum ordinis instituto rem peruenisse: quemadmodum ad nos ex his tribus postea dimanauit. Integrum autem nomen huius sancti martyris fuit: Dominicus Iannez Sarracenus. Nam cognomen Iannez patronymicum, rege referente habuit. *Sancti Dominici plura.*

Ferraginales.

Cupis.) Cubas nos non dicimus. Neq; oportet tamen singula quæ sequuntur, barbara nomina annotare, quæ nostris Hispanis notà sunt, & vulgaria. Ferraginales Castellanis tantummodo vsitatum est vocabulum: quod Bætici mei non intelligerent. Herrenales vocant, eas agri portiones, in quib⁹ non ad frumenti copiã, sed ad viridis tantummodo pabuli faginam ordeum seritur. Ab Latino farrago ductum videtur.

Potestas.

Potestas.) Præclarus fuit illorum temporum magistratus, hoc titulo & dignitatis nomine insignis: quod vetusta regum ante hunc diplomata testantur: in quorũ subscriptionibus procerum quorundam nomini additur potestas, & potestas terræ.

A corpore Christi sit extraneus.) Imprecatio est, non excommunicatio. Quomodo & multa huiusmodi sunt intelligenda, quæ in omnibus ferme regum priscorum diplomatis apud nos reperiuntur. Quæ non intelligenti esse poterant offendiculo.

Reges Hispaniæ sua diplomata testamenta vocabant.

Serie testamenti.) Solenne his temporibus, & multis postea sequentibus fuit, quamcunq; donationem rex, aut proceres facerent, testamentum ipsum vocitare. Quasi hoc nomine maiori iure solidaretur. Regum exempla sunto, quæcunq; fere eorum reperiuntur diplomata Latine scripta, quibus aut monasteria denuo instituunt, aut institutis iam aliquid donant. Procerum hæc vidi magis insignia. Comitis Fernandi Gundidisalui diploma, quo sancti Petri de Arlança monasterio multa donat. Comitis Petri Ansurii noua institutio Ecclesiæ diuæ semper virginis Mariæ, quam Valle Oleti ædificarat. Ioannis Manuelis noua item institutio, qua constructum ab se sancti Dominici cœnobium in oppido Pennafiel, multa eidem donans, testatur.

Ratio temporis.

Era post millenam.) Annus hic est Dominicæ natiuitatis nongentesimus septuagesimus quintus: Februarii dies decimus. Si autem hanc anni notationem cum superioribus cõiunxerimus, annum, quo sanctus Dominicus cum sociis passus est, exacte ferme reperiemus: & ad illorum temporum rationem incundam, certi aliquid & indubitati statuemus. Supputatio autem ad hunc modum procedit. Anno Domini 975. mensis Februarii die decimo, Veremundus rex hoc diplomate donat sancti martyris bona. Motum verò se, vt donaret, affirmat, illico, vbi martyrẽ cũ sociis passũ ex suis nũciis audiuisset. Ait enim: Quando tale nuncium, &c. Placuit serenitati nostræ. &c. Nuncii verò missi fuerant, martyribus nondum occisis: & illis ipsis nunciis iter agentibus occidũntur: quod vtrunq; rex fuse & perspicue narrat. Hanc autem legationem hoc ipso anno missam minimè crediderim. Neque enim Ianuarius mensis cum paucis Februarii diebus satis esse poterat, vt Legione Cordubam nuncii irent, ac redirent: cũ leucarum nostratium plus centum interfit, montibus etiam niue tota hyeme obrutis, non uno loco interiacentibus. Neq; verisimile porrò est, legatos propius Legionem iter agentes, sed Cordubam iam appropinquantes, verum & certum de martyrum cæde nuntium accepisse. Nam semel audito fidem non erant vtiq; daturi longiore mora, & propiore fama certius aliquid captantes. Et si quid præter captiuorum redemptionem in mandatis habuere, Cordubam profecto peruenerunt. Quæ omnia apertè declarant, nuncios in fine anni superioris, hoc est nongentesimi septuagesimi quarti ab Rege missos, eodemq; ipso anno cum sociis Dominicum martyrio fuisse coronatum.

Alhacan Cordubæ rex.

Hinc etiam possumus ferme colligere hos sanctos martyres sub rege Arabum Alhacan, fuisse interfectos. Nam huius regnum, quod ex historia Arabum Ruderici Toletani constat, ad annum Domini nongentesimum octogesimum peruenit: cum decem & sex annos regnasset.

Hinc etiam, ratione probe subducta, scire propèmodum exacte possumus, quo anno clades illa ad Septimancas cum Castellæ vastatione contigerit. Cum enim duos annos & dimidium in vinculis fuisse hos martyres in regio diplomate tradatur: appareret anno nongentesimo septuagesimo secundo, aut primo fuisse captos.

Apparet etiam Ranimiro mortuo, Veremundum illo ipso anno nongentesimo septuagesimo quarto, quo occisi martyres sunt, regnum Castellæ iniisse. Quippe aut ipsemet actutum est innata bonitate commotus, vt captiuos Christianos redimeret: aut suorum precibus & lachrymis propere incitaretur. Eratq; hoc pium in primis, tum etiam faustum magno opere regni principium. Et hanc quoq; festinationem suam rex ipse hic de se prodit. Hæc vel ideo præstiterit exquisitius indagasse, quòd ingens sit in nostris historicis temporum per hos reges varietas, quæ hinc aliquantisper poterit amoueri.

FINIS.

HEROES. MAGNI. VOS.
CORDVBA. VESTRA.
PRECATVR.
SIT. VESTRO. SEMPER.
SALVA. PATRO-
CINIO.

AMBROSIVS MORALIS CORDVBENSIS AD SANCTOS CORDVBENSES MARTYRES DEPRECATIO.

MAgnanimi Heroes, quorum violentia cælum
Vim paßum rapiens, belligerat moriens:
Quorum mors patriæ tantũ truculenta triumphi,
Quantum nullius inclyta vita dedit:
Veſtra labore ſuo nunc ſi illuſtrata reſurgit
Gloria, iamque nouo germine culta viret.
Supplicibus votis, gemituque è corde reuulſo
Suſpirans, veſter vos vocat Ambroſius.
Suſtollensque oculos, celſasque ad ſydera palmas,
Ingemit: & tacitus vos ſine voce rogat.
Quid poſcat petitis? Melius vos ſcire poteſtis,
Id quod velle miſer debeat, & petere.

DE CORDVBÆ VRBIS ORIGINE, SITV ET ANTIQVITATE.

TAm multa ſunt, quæ D. Eulogius de Corduba noſtra ſuis operibus interſeruit: atq; adeò frequenter multarũ in ea vrbe regionũ, oppidorũ, agrorum, fluminũ, ſimiliũq; rerũ meminit: vt fuerit neceſſariũ, de eius ſitu & antiquitate multa hic apponere. Et Cordubæ quidẽ vrbis originẽ, ſitum, eiuſq; mutationes, cum reliquis, quæ ad eius antiquitatem perueſtigandam poterant pertinere: in eo opere, quod de Hiſpaniæ antiquitatibus hiſtoriæ noſtræ adiunximus, plenius ſumus proſequuti. Inde huc nonnulla transferemus.

Sita eſt Corduba in ipſo fermè Bæticæ prouinciæ meditullio, atq; in his eius populis, qui Turduli ab Ptolemæo, Plinio & Strabone nominantur. Ab ortu ea regio ad Baſtulos ſeu Baſtetanos vſq; protenditur: ab occaſu Turdetanos contingens, Hiſpalenſi tractu terminatur. Habet ad meridiẽ late patentes campos, qui ad Mediterraneũ mare & Herculeum fretum expanduntur. Qua verò parte Septentrionẽ Corduba ſpectat, poſita eſt ad ipſas Marianorũ montiũ radices: quos nunc Hiſpani, priſco nomine corrupto, Sierra Morena, hoc eſt Morenos montes dicimus. Ea verò horum montiũ pars, quæ Cordubæ imminet, aut ſaltus Caſtulonenſis eſt portio, aut cum eo ad ortum contingit. In his montibus, authore Plinio, Bæturia regio, à Bæti flumine nomen accipiens in duas regiones diuiſa, ad Anam vſq; fluuium excurrit. Ipſe Bætis, qui Cordubã alluit, Cirtius olim & Tarteſſus etiam, vt apud Pliniũ, Liuium & Strabonẽ eſt, dictus, tanta ſemper celebritate fuit, vt toti prouinciæ nomen dederit, tanta porrò eſt magnitudine, vt ingentia flumina exorbens, ab Mauris inde nomẽ acceperit. Guadalquibir nanq;, quod huic fluuio nunc nomen eſt ab iiſdem impoſitũ, magnum flumen ipſorũ lingua ſignificat. Ab ortu verò ad occaſum latus Cordubæ Auſtrale lambens, ita montes ab planitie diſterminat, vt id ſibi ſtudio habuiſſe natura videatur: quo diuerſiſſima ſoli diſcrimina ſeiungeret, & eo tanquã limite ſepararet. Hinc montana, quæ ipſa ſuburbia pene contingunt, celſis collibus elata, duris cautibus prærupta, hortis, vineis, olea, & omniũ generis arboribus ſunt conſita. Inde campeſtris regio trans flumen complanata, nuda, glareis & luto friabilis, frugibus tantummodo ferendis eſt accommoda. Huius verò tractus quæ ſit feracitas, inclyta noſtræ ciuitatis horrea, tota Hiſpania celeberrima ſatis oſtendũt. Alterius verò ſoli montibus prætenti quanta ſit amœnitas cũ inſigni fertilitate cõiuncta, vix quiſquã ſatis digne poſſit explicare. Ipſę præciſę rupes, ſcopuli ipſi, vbi planũ quidpiã non ſoli (neq; enim ſolum eſt illud, ſed lapidũ ſtrues) verum quicqd id eſt plani, Loton ſuauiſſimã & ſiliquã ſponte naſcentes, ſatiuas vero oleam, vitẽ, ficũ, ceraſum, mala punica & Perſica, pruna, & q̃ magis mirandũ ſit, citria mala omnis generis abunde producũt. Præſtãt hoc ipſum magna ex parte fontes copioſæ, puriſſimæ, ſuauis, & ad potum ſalubris aquæ, quibus paſſim penè irrumpentibus, irrigua omnia circũ circa fiunt. Hinc valles vrbi propiores non niſi ab pulchritudine, ab paradiſiacis, ab Regiis hortis, ab roſarũ multitudine, aut ab florũ aſpectu nomen inuenere. Hinc vini & olei Cordubæ tanta eſt copia, atq; adeò exuberantia, fructuũ omnis generis tanta vbertas, vt hoc vnum aliam quantumuis celebrẽ ciuitatẽ magno opere poſſet nobilitare. Mala autẽ citria omnis generis tantoopere in ea vrbe exuberant, vt aduenis & peregrinis hominibus frequenter ſint ſtupori, non cumuli ſolum, qui per plateas venales vili pretio cernũtur, ſed etiã qui nouorũ fructuũ aduentu, per agros & ſterquilinia proiiciuntur: decuſſis non modico impendio ex arboribus malis, ne ſuper ferentes flores impediant. Florum autem ipſorum in his arboribus tanta vndiquaque intra vrbem & per vicina ſuburbana eſt copia, tanta verno tempore fragrantia: vt non iam, quod de iiſdem floribus Virgilius dixit,

Animas & olentia Cimes
Ora illis foueant, & ſenibus medicentur anhelis:

ſed ſuauiſſimo odore vrbs tota, vicinique agri perfundantur, & ad eam ſuaueolentiam captandam noctu homines peruigiles diſcurrant. Neq; tamen diutius in Cordubæ amœnitate & vbertate celebranda ſit immorandũ. Vnum ſatis ſit teſtis præſtantiſſimi teſtimoniũ. Ipſe ſit Muça dux Arabũ, Hiſpanię totius victor, quicq; eam omnem perluſtrauerat, & vndique percognitam habuerat. De eo Raſis Maurus in Arabũ hiſtoria his ipſis verbis, Latine fideliter redditis ſcribit. Abibus Alaydi filius, homo qui nullatenus in re vlla mentiretur, ita ſcripſit. Quum Muça Cordubã egreſſus in Africam nauigaturus, ſummis Hiſpanię proceribus deducentibus, iter occipere et & in collẽ, vnde vrbis totius proſpectus patebat, veniſſet: mula, cui inſidebat, retro conuerſa, aliquantulũ conſiſtens, vrbẽ tacitus contemplabatur: & tandem in hæc verba cum gemitu prorupit. E heu Corduba, quantũ es inſignis?

Corduba ſitus.
Turduli.
Baſtuli.
Turdetani.
Mariani montes.
Saltus Caſtulonenſis.
Bæturia regio.
Ana flumẽ.
Bætis fluuius.
Cordubenſis ſoli feracitas.
Cordubenſium montium amœnitas.
Val kermoſo.
Val parayſo Arrecafa.
Horti regii interpretatur.
La ſonda del roſal.
Mira flores.
Muça Arabum dux, de Corduba præſtantia dictum.

quæ & quantæ tuæ sunt deliciæ? Quantum tibi bonorum Deus voluit conferre? Hæc loquutus, mœrens iter continuat. Hucusq; Rasis. Probum autem hunc æstimatorem nemo non possit digne censere, ab quo videat ipsam rei veritatem, ipsam natiui soli præstantiam tales gemitus, talem vocem, tantum encomium extorsisse.

Metalla Cordubensia sunt etiam inter authores celebratissima. Auriferam, quod mox apparebit, poetæ Cordubam vocant: & æs Marianum, hoc est, quod prope eam vrbem in eius montibus effoditur, maximè Plinius laudat: cum argenti viui & stibii ditissimas fodinas hodie in eius tractu conspiciamus.

Cordubæ nomen. Habuit ea ciuitas duo nomina, quemadmodum apud Plinium legimus. Corduba enim, atq; eadem Colonia Patritia est appellata. Sed Cordubæ nomen priscum fuit & peruetustæ originis, illud alterum quo tempore ei fuerit inditū, suo loco dicemus. Et verum rectumq; vocabulum Cordubam esse Silius Italicus, Martialis, Prudentius, atq; alii poetæ attestantur. Lex enim carminis incorruptiora & incontaminata vocabula conseruat. Potuit sane nominis huius veritas fidelius ex nummis; & ex lapidibus astrui. Sunt qui se nummos vidisse affirment. Sed ego harum rerum non indiligens peruestigator, & omnis patriæ meæ antiquitatis in primis studiosus, Romanum nummum adhuc vidi nullum, qui Cordubæ nomen habeat inscriptum: cum coloniæ patritiæ nomen in quam plurimis Augusti; Tiberii & Germanici etiam, quorum non nullos ipse habeo, conspexerim. Lapides, in quibus vtrunq;, & alterum seorsum nomen insit, quinq; apponam: quorum quatuor primos omnes ipse vidi, & ipse descripsi: vltimum relatu doctiss. hominum habui.

In oppido Linares basis est marmorea, nigra, ex ruinis Castulonensis vrbis admodum vicinæ aduecta, his literis inscripta.

Lapis Castulonensis vrbis.

VALERIÆ. CIPATINÆ. TVCCITANÆ. SACRVM. COLONIÆ. PATRICIÆ. CORDVBENSIS FLAMINICÆ. COLONIÆ. AVG. GEMELLÆ. TVCCITANÆ. FLAMINICÆ. SIVE. SACERDOTI. MVNICIPII. CHASTVLONENSIS.

Superioribus annis Cordubæ cum capite, & muliebris statuæ fragmentis, basis marmorea, cum hac dedicatione est eruta.

Lapis Cordubensis.

D. N. CORNELIÆ. SALONINÆ. AVG. CONIVGI. D. N. IMP. CÆS. P. LICINI. GALLIENI. PII. FEL. ET. INVICTI. AVG. DACICI. MAX. GERMANICI. MAX. TRIB. POT. IIII. COS. III. IMP. III. PP. PROCOS. PROVINCIÆ. BÆTICÆ. DEVOTA. NVMINI. MAGESTATI. QVE. EIVS CORD/////////

Cordubæ in Diuæ Marinæ templo, ad vsum aquæ benedictæ, cippus marmoreus candidus.

Lapis Cordubensis.

D. M. S.
M. LVCRETIVS.
VERNA.
PATRICIENSIS.
ANN. LV.
PIVS. IN. SVOS.
H. S. E.
SIT. T. T. LEVIS.

Lare,

Lora, quod oppidum in medio itinere ferme est, quo Corduba Hispalim itur, in basi marmorea pro foribus templi. *Lora oppidum & eius lapis.*

L. LVCRETIO. SEVERO. PATRICIENSI. ET. IN. MVNICIPIO. FLAVIO. AXATITANO. EX. INCOLATV. DECVRIONI. STATVAM. QVAM. TESTAMENTO. S. SIBI. PONI. IVSSIT. DATIS. SPORTVLIS. DECVRIONIB. M. F. AXATITANI ////////// XII //////////
//

Hispali in vico, cui ab Sarpente nomen est, cippus cum hoc epitaphio visitur. *Lapis Hispalensis.*

Q. FABIVS. Q. F.
QVIRINA FABIANVS ILVRCONENSIS. IDEM
PATRICIENSIS
ANNORVM
XXXXIIII. IVST.
IN SVIS. H. S.
E. S. T. T. L.

Patriciæ verò nomen libentius in vsu fuit tempore Romanorum Imperatorum, tanquam honorificentius & illustri de causa, vt postea videbim[9], Cordubæ impositũ. Cordubę vero nomen incorruptũ credo cum Romano imperio & lingua; ad Gothorũ vsq; tempora permansit. Tunc demum cœpit permutari; vt Cordoua, quemadmodũ nunc Hispani proferimus, diceretur: nec subitò tamẽ, sed paulatim immissa corruptela. Testimonio sunt aurei nummi Gothici duo, quos ego habeo, diversis satis typis percussos. Recceſuinthi regis Gothorũ sunt, & altera parte cum regis ipsius facie inscriptũ habent. RECCESVINTHVS. REX. In auersa verò parte scriptũ in orbem est. CORDOBA. PATRITIA: vt iam. V. versum in. O. esset: B. autem nondum esset in. V. permutatũ. Ad eundem etiam modum, tam in Diui Eulogii veteri exemplari, quam in quibusq; libris Gothicis literis, quos vidi plurimos, descriptis, scriptum semper Cordoba reperitur. Et de nostræ vrbis nominibus hæc satis: nunc de eius antiquitate est dicendum. *Recceſuinthi regis nummi.*

Priscam admodum, & peruetustam vrbem Cordubã fuisse: cuiusq; originis propter summam antiquitatem, nullum extet in hominum memoria principium: duabus potissimum de causis adducor vt credam. Primum enim quæcunq; vrbes in Hispania duobus nominibus olim Romanorum tempore compellabantur: alterum Hispanum nomen, priscum, vetustissimæ originis, & quasi vernaculum peculiaris linguæ habuisse constat: alterum vero tanquam Romanæ ditionis & imperii stygma eisdem fuisse impressum, aut adulatione dominantium Imperatorum certè expressum. Tales fuere in Celtiberia Illurcis ab Tiberio Graccho, mutato nomine, vt author est Verrius Flacc[9], Graccuris dicta. Salduba in eadem regione Plinio teste; Cæsaraugusta postea nominata. Eodem authore & priscis lapidibus etiam attestantibus, Obulco Municipii Portensis nomen accepit. Attubi, Claritas Iulia: Astigi, Iulia Firma: Tucci, Augusta Gemella: Iliturgi, Forum Iulium: Hispalis, Romulensis Colonia est dicta. Multa sunt eiusmodi apud eum authorem & in antiquis marmoribus & nummis nomihum in vrbibus geminationes. In quibus omnibus negare non possis, prius nomen vernaculum esse & Hispanum, æqualisq; cum vrbis primordio antiquitatis fuisse. Talis est Corduba, quæ Colonia Patritia postea est cognominata: testemq; suæ vetustatis priscum nomen habet, velati nascenti sibi olim impositũ. Illud deinde nostræ vrbis vetustissimam potest antiquitatem astruere: quod cum Turduli populi omnium vetustissimi & sapientissimi in Bætica fuisse ab Strabone tradantur, Cordubensis verò situs feracitate & amœnitate tantoopere præcellat: credi par est, oppidum ibi non paucis retro sæculis fuisse conditum, neq; neglectam ab eius regionis accolis præstantissimam habitandi commoditatem. Quemadmodum igitur de Cordubæ origine nihil certi afferri in medium potest: ita etiam vetustissimam ipsam fuisse, merito creditur. *Corduba antiquitas.* *Hispana vrbes binomines.* *Graccuris.* *Cæsaraugusta.* *Obulco.* *Attubi.* *Astigi.* *Tucci.* *Iliturgi.* *Hispalis.* *Turduli.*

Quidã ab Persis, quos in Hispaniam etiam venisse Plinius ex Varrone tradit, cõditam Cordubã fuisse asseuerant. Ipsum vrbis nomẽ eos, vt opinor, in eam sententiã illexit. Nam Cordubã etiã in Persida ciuitatẽ fuisse credidere. Sed n. leuis est cõiectura, & quã nullo veritatis fundamento subnixã, facile nobis fuerit in historia nostra, occasione obiata conuellere. *Corduba ab Persis non fuit condita.*

Prima Cordubæ mentio. Apud authores nullam priorem Cordubæ mentionem inuenias, quam quæ apud Silium Italicum reperitur. In Catalogo namq; earum Hiſpaniæ ciuitatum, quę Hannibali in Italiam tranſeunti nubes miſerunt, Cordubā etiā connumerauit illo carmine.

Nec decus Auriferæ ceſſauit Corduba terræ.

Cordubæ ſitus duo. Sed neq; quo in loco condita primum Corduba fuerit, ſatis conſtare poteſt, cū duo eiuſdem ſitus nunc appareant: alter quem vrbs ipſa occupat, alter, quem quarto ab vrbe ad occaſum milliario clariſſimo Diui Hieronymi monaſterio vicinum cùm veteris Cordubæ nomine deſolatum cernimus. Ego non leuibus coniecturis adducor vt credam, priſcam vrbem, eodem quo nunc eſt iunior iſta, ſitu fuiſſe. Quod ipſum tunc oſtendemus, cùm quæ neceſſario præmittenda ſunt, perſequuti fuerimus.

Marcius Marcellus Cordubæ cōditor ſeu inſtaurator. Sequens igitur, poſt illam Silii Italici, Cordubę mentio inſignis admodū eſt & illuſtris. Refert enim Strabo, Cordubā ab Marco Marcello quaſi conditam, & paulò poſt magnificentiſſimè auctam. Eius lib. 3. hæc ſunt verba. Corduba, Marcelli ædificiū, eo magnitudinis creuit, vt nominis celebritate & potentia polleat. Quæ verba doctos homines non paucos permouiſſe video, vt crederent, hanc primam eſſe vrbis noſtræ originē, & eiuſdē Marcellū verum fuiſſe conditorē. Proinde neceſſariū fuerit totum hoc diligenter inueſtigare, & ſubtilius expendere. Quod ex Liuio atq; Appiano Alexandrino conſtat, Marcus Marcellus, eius Marci Marcelli, qui docuit Hannibalem poſſe ſuperari, ſiue nepos, ſiue pronepos, totā Hiſpaniā in Prætura ſorte obtinuit, eo ipſo anno, quo Q. Martius Philippus ſecundū, & Gn: Seruilius Cœpio conſules fuere. Eſt autem is annus ante Ieſu Chriſti Domini noſtri Natiuitatē 167. Totam autem Hiſpaniā

Annus ante Chriſtum natum 167. is Marcellus hoc anno ſuſcepit gubernandā: quoniā ex duabus vna prouincia, duob⁹ tantum antea annis fuerat effecta. Idem Cordubam, & hoc ipſo anno haud dubie exædificauit. Cum enim manifeſtū ſit, hoc tempore ædificatam fuiſſe: ſiquidem crebrior iam hinc eius mentio. vt ſtatim apparebit, in hiſtoria Romana reperiatur. & Strabo Marcelli opus ipſam nominet, neq; vllus alius Marcellus, neq; ſuperioribus annis, neq; multis ſequentibus in Hiſpaniam venerit cum magiſtratu: planum fit, huic vrbis ſtructuram eſſe attribuendam. Et hoc procul dubio anno quicquid id operis fuit Marcellus perfecit: non quintodecimo poſtea, cum in tertio ſuo conſulatu in Hiſpaniā rediit. Tunc enim diuiſa iterum denuo in duas prouincias Hiſpania, Citeriorē tantum modo rexit: magnis videlicet bellis implicitam, & quæ conſulari duce, atq; exercitu indigeret. Habuitq; illo ipſo anno vlteriorem Hiſpaniam, hoc eſt Bætica cum Luſitania, proprium ſeorſum Prætorem, M. Accilium: vt eſt apud Appianum.

Sed quid illud tandem fuit, quod Marcellus fecit, vt Cordubam aut condidiſſe, aut ædificaſſe dicatur? Dicā quod ſentio, quodq; manifeſta penè ratione adducor, vt credam. Nouam vrbem in eo ſitu, qui nunc vetus dicitur, conſtruxit, & à fundamentis totam erexit. Cum oppidum antea eſſet non admodum magnum, transferre inde, & alio ſitu amplificare, cogitauit: noua forma, Romana, vtique denuo vrbem condens, ab ſe vt eſſet, & dici poſſet ædificata perfecit. Vrbem igitur, quę nunc vetus dicitur Corduba, ædificauit. Docet hoc profecto eius vrbis forma: & tota, quam ruinæ adhuc oſtendunt, ſtructura, Romanum plane opus, & Romanorum conſilio totum vndique fuiſſe fabrefactum declarat. Situs namq; totius quadrata forma eſt, ita vt filo protractus & circunciſignatus initio plane videatur. Duplo longior totus eſt quam latior ambitus. Ego enim probe funiculo dimenſus, cum pedes in fronte duo millia quadringentos inueniſſem, ab latere quatuor millia octingentos ad amuſſim comperi. Cum pedes dico, tertiam vlnæ noſtratis, qua pannum lintheum, ſericumq; metimur partem intelligo: quod ipſum cum pedis Hiſpani antiqui menſura probè congruit. Hæc autem tam exquiſita diligentia ſitum quadrandi & conduplicandi, tota planè Romanorum fuit, non noſtratium Hiſpanorum, qui vix dum hoc noſtro tempore politioris ędificationis formam didicere. Prominet præterea media vrbe, quadrata etiam forma planities, ſiue arcem illa habuit, ſiue forum, quam ſatis apparet ad perpendiculum fuiſſe productam. Tantundem enim ab vtraq; fronte diſtat, ſuperioti latere (nam accliui ſolo tota vrbs fuerat impoſita) aliquantiſper cum muro coniungitur. Eam curam, & ſubtilem formæ ſymmetryæq; diligentiam, quis non videt Romanorum eſſe, non priſcorū Hiſpanorum? Apparent inſuper quatuor magnarum turrium fundamenta, eiuſdem induſtriæ Romanæ & ſtudii in ædificando manifeſta teſtimonia: vt quæ quatuor angulis murorum adnectantur. Eiuſdem ſymmetriæ Romanæ ſimul eſt indicium, via quadrato lapide conſtrata, quæ ab inferiori vrbis latere, portæ, vt credi poteſt, coniuncta, in proximum collículum ducit, vbi magni cuiuſpiam ædificii veſtigia perſeuerant: ſa-

Cordubæ vetus ſitus.

numq;

numq; insigne inibi fuisse licet coniicere, cui nobile stramentum, & viæ maior commoditas deberetur. Locus enim ab vrbe diuulsus, & in plano modice admodum elatus vetat præsidium cogitare.

Hęc omnia hominis sunt studiosissimè ædificantis, & veluti ociosè ad fabricam cõsidentis. Multum autem ocii Marcellum toto penè eo anno habuisse, Hispaniæ pax, de qua Liuius & Appianus, declarat. Longum verò sit, si commemorare pergam, quanta ex situ eius vrbis monumenta Romana, superioribus, & nostro etiam hoc sæculo sint eruta: quæ planè testantur, Romanam eam vrbem fuisse, Marcellumq; perinde Romanum hominem eius fuisse conditorẽ. Cùm verò iam ex superioribus satis constet, ante hanc Marcelli ædificationem priscum oppidum, quod Corduba diceretur, in iis locis fuisse: intelligere plane non possumus, num antiquum situm Marcellus suo opere complexus fuerit, an nouum exquisierit. Nisi quod sequentia quædam indicabunt, contempto vetere oppido, ipsum in delectum ab se situm totum pẽnitus transtulisse.

Cordubæ incrementa.

Exædificata ad hunc modum denuo vrbe, magnificeq; amplificata: frequentiorem iam eius vrbis mentionem Romana habet historia. Creuerat nimirum oppidum antea non admodum celebre, & Romana planè vrbs cœpit iam ab Romanis nobilitari. Eo iam paulò post Prætores ad hybernandum exercitum reuocabant, & ad ius petendum populi conueniebant. Quæ omnia ex Romanis & Græcis scriptoribus collecta late nos in nostra historia prosequimur. Hinc Metellus Pius deuicto Sertorio, gregem poetarum indidem ciuium secum Romam reduxit; quod si, vt de eisdem Cicero dixit, pingue quiddam & peregrinum resonabant, temporum plane fuit vitium, non ingeniorum. Neq; enim Roma cultiores poetas hoc temporis habuit. Hic etiam nobile illud continentiæ frugalissimæ exemplum Prætor Piso, eodem Cicerone referente, edidit. Quod vtiq; præstiterit ipsismet summi oratoris verbis apponere. Nihil inquit, nimium vetus proferam: Sunt vestrum, iudices, quam multi, qui Lucium Pisonem cognouerunt, huius L. Pisonis, qui Prætor fuit, patrem. Is cùm esset in Hispania Prætor, qua in prouincia occisus est: nescio quo pacto dum armis exercetur, annulus aureus, quem habebat, fractus est, & comminutus. Cùm vellet sibi annulum facere, aurificem iussit vocari in foro, ad sellam, Cordubæ: & ei palam appendit aurum: hominem in foro sellam iubet ponere, & facere annulum omnibus præsentibus. Nimiũ fortasse dicet aliquis hunc diligentem. Hactenus reprehendat, si quis volet: nihil amplius. Verùm fuit ei concedendum: filius enim L. Pisonis erat eius, qui primus de pecuniis repetundis legem tulit. Ridiculum est nunc de Verre me dicere, cum de Pisone Frugi dixerim. Veruntamen quantum interfuit videte. Iste cum aliquorum abacorum faceret vasa aurea, non laborauit, quin non modo in Sicilia, verumetiam Romæ in iudicio audiret. Ille in auri semuncia totam Hispaniam scire voluit, vnde prætori annulus fieret. Nimirum vt hic nomen suum comprobauit, sic ille cognomen.

Metellus Pius. In oratione pro Archia poeta.

Piso Pisonis Frugi filius. In nona Verrina.

Superuenerunt non multo post bellorum ciuilium inter Cæsarem & Pompeiũ tempora, in quibus caput prouinciæ Bæticæ totius, Corduba, ab Aulo Hirtio, siue is Opius est, appellatur. Et ad hanc Cordubam, ab Marcello ædificatam, de qua nobis sermo nunc est, omnia illa gesta fuisse: multa sunt quæ apertè declarent. Illud in primis, quod per transito ponte prælium inter ipsum atq; vrbem non semel committitur. Sed non est hic locus de his pertractandi.

Bellorum ciuilium tempora.

Paulo post etiam Augusti Cæsaris temporibus, quibus Strabo & vixit, & scripsit, vere iam is author potuit insigni cum præconio affirmare, eo magnitudinis Cordubam creuisse, vt nominis potentia & celebritate polleret. Colonia enim paulò ante fuerat effecta: nec cuiusuis vulgaris Coloniæ dignitas eidem fuerat attributa, sed quę nomine & maiestate præcelleret, atq; COLONIA PATRICIA; & esset reuera, & vocaretur. Qua de re idem author, de Corduba adhuc verba faciens, his verbis scripsit. Eam sane initio habitauere & Romanorum & indigenarum viri delecti. Nam prima hæc ipsos ad locos à Romano populo est dimissa Colonia. En tibi & primam in Hispania, saltem in Bætica Coloniam Cordubam fuisse, & cum magna dignitatis præstantia, & veluti prærogatiua fuisse. Vtrumq; insigne quiddam est, & ad Cordubensem celebritatem & gloriam singulare. Neque vacat tamen hic quantum hoc sit fusius explicare. Illud vnum tantummodo non præteribo: tantam hanc dignitatem, vt non nisi viri Patritii ex Romanis & Hispanis deligerentur, qui in eam Coloniam immigrarent, & clarissimum vtriusq; nobilitatis domicilium ipsam redderent: eo maximè meritò Cordubam fuisse consequutam, quod fide & tolerantia singulari Iulii Cæsaris partes eo in bello semper fouerit, & ciues Romanos sæpe protexerit atq; seruarit. Id eius ciuitatis, ex quo primũ

Corduba Bætica colonia.

Corduba prima in Hispania Colonia.

Ciuica in maximis Cordubensibus.

Colonia facta est, nummi testantur, qui omnes cum COLONIA PATRICIA, in auersa parte habeant inscriptum, Ciuica Corona id ipsum præferunt inclusum. Ciuicam autē seruati ciuis & præmium, & insigne apud Romanos fuisse, quis ignorat? Vnde & ab Iulio Cæsare præmii causa Cordubæ, vt Colonia esset, tributum ercdiderim. Certè Seneca pater de bellis ciuibus loquens, Coloniam iam Cordūbam vocat: & in Cordubæ Coloniæ iam factæ nummis faciem & nomen Cæsaris Augusti cernimus. Et Carteiam quidem aliquanto vetustiorem in Bætica fuisse Coloniam, ex Liuio prorsus intelligo. Neq; obstare tamen hoc Strabonis dicto is plane intelliget, qui quo ex hominū genere, Partheniorum videlicet & Libertinorum, deducta fuerit, animaduerterit.

In prologo declamationum.

Lapides duo Cordubæ Augusti tempore inscripti. Tempus.

Illi verò duo insignes admodum lapides ex Augusti Cæsaris temporibus ad hæc nostra vsque Cordubæ perdurant, qui ipso eodem anno, quo Dominus noster Iesus Christus natus est, fuere inscripti. Habent enim hæc verba.

IMP. CAESAR. DI-
VI. F. AVGVSTVS.
COS. XIII. TRIB.
POTEST. XXI.
PONTIF. MAX.
A. BEATE. ET.
IANO. AVGST.
AD. OCE-
ANVM.
XLIII.

Lib. 2. de duabus Christi. Christi. cap. 28.

Est hic lapis in summo templo, alterq; persimilis in D. Ioannis Herediæ domo visitur. Amouent autem hæ columnæ omnem illam controuersiam, quam D. Augustinus inter quosdam ecclesiæ Christianæ scriptores narrat fuisse de anno Dominicæ natiuitatis. Ignorantes enim Romani consulatus seriem, vt idem inquit sanctus doctor, hic diuersa sensere. Sed de hoc non vno in loco historia nostra pertractat. Ibi etiam quod hoc Iani templum Cordubense fuerit prosequimur. Duæ enim aliæ columnæ Tiberii Cæsaris tempore erectæ eisdem etiam omnino verbis eiusdem meminerunt. Altera in ipso fano maiori: in D. Francisci altera conspicitur. Illud verò in antiquitatis studiosorum gratiam non prætermittam: in his omnibus columnis numeri primam notam hanc esse. L. quæ nimirum. L. geminatæ vim habeat, & bis quinquaginta, hoc est centum milliaria signet. Neq; enim pauciora milliaria ab Corduba ad Oceanum, qua magis est propinquus, quam centum quatuordecim reperies. Quod Francus Iurisconsultus antiquitatis studiosissimus primus, quod sciam, animaduerterit.

Francis Iurisconsultus.

Puteal Cordubæ fuit.

Habuit etiam Romanorum tempore ad Romanæ ciuitatis & aliarum magnificentissimarum ciuitatum imitationem puteal Corduba. Visitur namq; hodie quoque in marchionis Commarensis ædibus marmoreum puteal cum hac inscriptione.

PVTE-
AL.
THAD-
DAI.

Lib. 4. cap. 16.

Aristoteles porrò in politicis docet, non nisi magnas vrbes puteal, hoc est subterraneum carcerem ad putei similitudinem excauatum habere solitas fuisse. Et Libonis puteal Romæ tum ab Horatio celebratum non vno loco legimus, tum etiam in argenteis nummis depictum & inscriptum videmus. Et hæc omnia cum multis aliis inscriptis lapidibus Romanis, qui multis in locis vrbis visuntur, nemo vnquam dubitauit, ex veteris ruinis fuisse huc diuersis temporibus aduecta.

Æmilius Regul? Cordubensis.

In ea igitur Marcelli vrbe nati sunt, Senecæ duo pater & filius, Lucanus, Portius Latro, & alii insignes Cordubenses, quorum meminit Seneca pater. Illa eadem clarissimum & fortissimum ciuem Æmilium Regulum dedit, qui & ipse cum aliis, ipsum tanquam ducem insequentibus, in Caligulę Imperatoris necem coniurauit. Et cum alios, inquit Iosephus, priuata odia incitarent, hunc publica tantumodo mala permouebāt.

Libro antiquit. 19. c. 1.

Corduba noua translatio.

Quandiu verò vrbs illa vetus ab Marcello condita perdurauerit, quoue tempore mutatione oppidi, in hanc, quæ nunc est, sit traducta: & si maximè vellem, non possum tamen liquidò explicare. Quod coniecturis assequi possum, in medium adducam. Tempore Tyberii, & Caligulæ Imperatorum, vetus Marcelli ciuitas, non solum stabat, sed inclita admodum & celebris vigebat. Id nummi vetercs indicant ibidem reperti cum Germanici vultu & nomine, quorum auersa pars COLONIA PATRICIA habet in-

Germanici Cæsaris nummi.

bet intra ciuicam inscriptum. Neq; multi simul vnquam eiusmodi nummi sunt reperti, vt reconditi fuisse videantur: sed vnus atq; alter, vt casu prolapsi, & amissi appareāt. Sed neq; quisquam tamen sequentium Imperatorum nummos se ibi reperisse, vnquā dixit. Tanta præterea vrbis per illa tempora celebritas, repente vtiq; non potuit concidere, cum in summa pace & tranquillitate nobis Romani imperarent. Non nisi maturo per multos annos consilio, non nisi longi temporis spatio opus fuit, vt inde penitus fuerit immigrandum. Noua etiam vrbs fuit condenda, & magno molimine multa fuere comparanda. Migrationem namq; fuisse, & oppidi mutationem, res ipsa testatur, & paulò post fumus ostensuri. Sexaginta igitur aut eo amplius post Caligulam annos eam vrbem stetisse, possumus credere, & ad Traianum vsq; perdurasse. *Temporis ratio.*

Ducenti deinde ferme anni ad Diocletiani vsq; imperium præteriere, in quibus Cordubæ nullam mentionem apud authores inuenimus. Tantum illa basis marmorea, de qua iam diximus, cum fragmentis etiam muliebris statuæ in domo Garsiæ Medesii de Soto Mayor fuit eruta cum Corneliæ Saloninæ vxoris Gallieni Imperatoris inscriptione. Sed enim Diocletiani temporibus dubium esse non potest, quin vrbs vetus iam periisset, & noua, quæ nunc est, percelebris haberetur. Testimonio sunt sanctorum martyrum, qui eo tempore Cordubæ coronati sunt, monumenta, quæ supersunt. Ibi sanctorum Acisculi & Victoriæ domus in qua educati fuerint: ibi sepulchrū, quod ad portam fluminis fuisse, in eorum passione scribitur: ibi puteus, in quem pars viscerum sancti Zoyli martyris fuerit proiecta, monstrātur, atq; omnia & singula magna religione ab tota ciuitate coluntur. Ita fit, vt nemo pius ferre iam posset, si quis passos in veteri vrbe hos sanctos martyres crederet, Et de sanctis tribus martyribus Fausto Ianuario, & Martiale idem prorsus est statuendum. Et cum Gothos hanc nouam vrbem tenuisse constet: & Sisebuti regis temporibus Agapius Cordubensis Episcopus sanctum Zoyli corpus ibidem, ipso per somnium commonstrante, repererit, quod ab martyrii sui tempore delituerat: ibidem vtiq; fuerat excarnificatus, & occisus. Nam ab ethnicis inter peregrinorum sepulchra cadauer eius occultatum legimus, ne ab Christianis dignosceretur: & Agapio episcopo idem martyr (quemadmodum inuentionis habet historia) & locum vbi passus fuit, & vbi suum corpus occultatum iaceret, indicauit. Quæ omnia liquido possunt probare, hanc nouam vrbem Diocletiani & sociorum Imperatorum tempore, hoc est circa annos Dominicæ natiuitatis trecentos conditam iam, veteri diruta, fuisse. Ille itaque marmoreus lapis ad diui Nicolai, quod vocant in vrbe, templum effossus, ibidemq; parieti insertus, qui basim Constantii Cæsaris (vt eius indicat inscriptio) statuæ olim præbuit: in hac noua vrbe dedicatus, non ex veteri adductus videtur. Quod etiam de Saloninæ statua & basi quispiam posset etiam existimare.

Diocletiani imperante Cordubā iam fuerat translata.

Sancti Acisculus & Victoria.

Sanctus Zoylus.

Sancti Fausti, Ianuarius & Martialis.

Sisebutus rex.

Agapius Episcopus, Sancti Zoyli inuentio.

Tempus.

Constantii Cæsaris inscriptio.

Causa autem huius mutationis, & Cordubæ iterum renascentis occasio vulgo inter ciues affertur aquæ penuria, qua vetus Marcelli vrbs laborabat, longius à flumine quatuor penè milliaribus remota. Ego verè nihil minus in causa fuisse video. Nam & intra vrbis eius situm fontes non vno loco erumpunt: propè muros verò ad ortum fons est etiam bene magnus, cui ab lauerum copia nomen est: & vicini huic fonti fratrum diui Hieronymi horti ab fontiū copia nomen inuenere: & amplior ille canalis, quo ipsum idem diui Hieronymi cœnobiū nunc fruitur, per vallem ipsam dorsumq; promineus circunductus, in vrbem influebat. Durat adhuc ad ipsum fontis caput eius aquæductus portio, quadrato lapide constructa. Reliquum ipsa cœnobii structura, lapidum similium indiga, consumpsit. Quicunque etiam putei, inferioribus præsertim vrbis partibus, effoderentur, aquæ in omnem vsum commodissimæ copiam profecto subministrarent. Quæ cum ita sint, loci in salubritatem, adde etiam ad inhabitandum incommoditatem causas potissimas vrbis transferendæ fuisse, credendum est. Eum enim situm Marcellus delegerat, qui ponendæ vrbi esset multis modis importunus. A flumine primum tam longò remouit: cum fluminis eo tempore nauigabilis commoda essent quam plurima. Munita neq; situ, neq; opere vrbs esse potuit. Per eum enim cliuum est in planum demissa, cui montium iuga ita super immineant, vt lapidibus rupibusq; non admodum magnis, quarum est in sublimi ingens copia, tantum commotis, obrui mœnia possent, atq; prosterni. Sed loci insalubritas in primis est insignis. Idem præcelsi montes septentrionale vrbis latus ita protegunt, vt aquilonaribus ventis, qui salubriores existimantur, nullo modo possit afflari. Cumque ab ortu ad occasum in longum sit totus situs porrectus, ab Septentrione verò in Meridiem latitudine per cliuum in planum excurrente prorendatur: ad solis ardores, qui sunt in ea regione

Vrbis mutandæ causa.

La fuente de los berros.

Les fontaines.

Veteris situs incommoda.

feruentissimi, vrbs quanta erat, iacuit exposita. Neque inferiora ædificia tegere in eliuo superiora poterant, aut æstus mutua coniunctione impedire: cum interim si quo algore Aquilones possent subuenire, prærupta montium culmina arcerent. Inde est quod nunc etiam scorpionum multitudine totus is veteris vrbis situs abundat: ipsa venenatorum animantium fœcunditate loci pestilentis vitium prodẽte. Quod ipsum maximè facit vt credam, priscam illam Cordubam, quæ ante Marcellum fuerat, hoc situ, quo nunc est, extitisse, salubritatisque memoria & experimento eum ipsum iterum nunc repetisse.

Noua vrbis situs & forma.

Instaurata igitur, seu denuo condita noua vrbe, quadratam formam, quantum possum coniicere, retinuit. Duo enim muri latera ad amussim producta cum antiqui operis, atq; adeò Romani vestigiis perdurant. Ab arce ad solis, quam dicunt, portam lambente australe: inde ad eam portam, quæ anguli vocatur, orientale. Duo alia latera, Maurorum credo detrahentium, superaddentium & multis modis immutantiũ, substructiones confudere. Et præterquam quod quadrata ista forma, lapidesq; quadrati Romanã indicant structurã: ipsa quoq; portarum in illo ad Orientem latere cũ æquè distante interuallo dimensio tota prorsus Romana est. Quinq; enim portas cũ adaperirent, in medio vnam (quę Ferrea dicebatur, ipsaq; diruta, loco nomen manet) constituerũt: hinc inde binas equalibus interuallis superaddentes. Perdurant hę quatuor, solis & anguli, in ipsis angulis: relique mediæ quæ portulæ voce diminuta nuncupantur, altera ad Emporii vicũ altera ad Fontem siccum est posita: & vtraq; ab suis locis nomen accepit. Nec dubitant nostri Cordubenses, quin ex veteri Marcelli vrbe translata in nouam hanc fuerint publicorum & priuatorum ędificiorum omnia ornamenta. Hinc in vrbe statuę Romani operis non paucæ, inscripti lapides multi: hinc tot marmoreæ columnæ, multaq; alia huiusmodi, quæ passim visuntur. Quanquam nonnulla huius nouæ vrbis propria fuisse, superius probabamus.

Solis porta.
Anguli porta.
Porta ad Emporii vicum.
Fontis sicci porta.
Antiqua monumenta Corduba multa.

Hinc iam liquet, quantoopere vulgus nostræ ciuitatis aberret, qui Senecæ domum eam fuisse affirmat, quæ nunc publici Senatus ædibus ad Austrum coniuncta, ex aduerso penè diui Benedicti templum respicit. Emit eam olim vir clarissimus. D. Petrus à Corduba primus Plieguensis Marchio, ea fama commotus, & doctori Antonio Morali patri meo medico præstantissimo dono dedit, dicens: Sapientissimi viri Cordubensis domum, non nisi ab sapientissimo Cordubensi debere possideri. In his ædibus ego natus sum: sed Senecæ eas nunquam fuisse, quis iam non videt? Qua de re latius in historia nostra & Hispaniæ antiquitatibus diseruimus. Cum verò Senecam nomino, patrẽ Senecæ philosophi semper intelligo. Hic enim Neronis præceptor Cordubæ, nisi puer admodum, nunquam fuit: infans penè inde Romam ab patre abductus.

De Seneca domo.
Primus Plieguensis Marchio.
Doctor Antonius Morales.

Sed enim silentio hic præterire æquum non est: quamuis Senecæ ipsius nulla mẽtio perduret in antiquis Cordubæ monumentis, eius tamen familiæ cognomen in basi peruetusta reperiri. Eam nuper Hieronymus Morales filius meus patruelis, iuuenis ingenio & literis ornatiss. antiquitatisque studiosiss. in patris sui, fratris mei, doctoris Augustini Oliuæ, medici etiam præstantissimi domum transferre curauit. Habet autem inscriptum.

Hieronymus Morales.
Doctor Augustinus Oliua.
Lapis cum Seneca cuiuspiam nomine.

FABIÆ. GN. F.
PRISCÆ. ASIDO-
NENSI. FABIVS. SE-
NECA. ET. ////////E-
RIA. Q. F. PRISCA.

Habuit etiam hæc noua vrbs suam Romanorum temporibus magnificentiam: cum præceptorem etiam Græcarum literarum qui Grammatici nomen (quod erat eo tempore doctrinæ probatissimè insigne) tueri posset, quique præterea illud habuit admodum singulare, quod supra centesimum annum peruixit. Extat eius laspideus cippus in eiusdem fratris mei doctoris Augustini Oliuæ domo, cum his literis.

D. M. S.
DOMITIVS. ISQVI-
LINVS. MAGIS-
TER. GRAMM.
GRECVS. ANNOR.
CI.
H. S. EST. S. T. T. L.
LEVIS.

Huius

Huius autem posterioris temporis & rudioris esse hanc inscriptionem, tum characteres iam degenerantes, tum etiam verba ipsa & orthographiæ neglectus docent. Proinde nouæ vrbi hunc lapidem dedi.

Hæc igitur noua vrbs, insignis etiam ipsa olim & celebris, sed inde multo celebrior, quod clarissimorum martyrum sanguine diuino munere fuerat consecrata: ab Romanis ad Vandalos, inde ad Gothos tandem peruenit: apud quos in magno pretio semper est habita. Bellum videlicet aduersus Agilam regem potuit sola susci-pere, & ingenti prælio victum fugare. Eadem rebellandi aduersum Leouigildum patrem diuo Ermenegildo, principi tunc, postea martyri inclyto sese coniunxit, & fidei catholicæ causam pio bello complexa est. Ioannes enim Biclarensis Abbas, qui eo ipso tempore vixit, scriptum in suo chronico reliquit, sanctum principem peracto bello Cordubæ ab patre fuisse comprehensum. Ad amicam nimirum, & suarum partium ciuitatem confugerat. Nummum etiam aureum eiusdem principis habeo, & tanquam sanctissimi martyris egregium monimentum veneror, quem in hoc sacro bello constat esse percussum. Gratissimum autem lectoribus me facturū spero, si ipsum hic describsero. Altera parte faciem habet principis ipsius iuuenilem cum his literis ERMENEGILDI: altera alatam victoriam præfert, vt eius conspectu suorum animis validam eius potiundæ spem Deo duce & adiutore immitteret. Inscriptio autem, quæ victoriam circundat, cum sit cælestis prorsus & admirabilis, tum etiam sanctum principem in eo bello eadem pro militari tessera vsum fuisse, est admodum verisimile. Est enim hæc. REGEM DE VITA. Quam nemo vel leuiter in sacris literis versatus non confestim videt, ex illis D. Pauli ad Titum verbis fuisse desumptā. Hæreticū hominē post primā & secundā correptionē deuita. Et omnia tam acute, prudēter & pie excogitata sunt & adaptata, vt credi possit ab Leandro aut Isidoro fratre viris sanctissimis, literisque & ingenio præstantibus diui etiam Ermenegildi auunculis fuisse excogitata, & principi pie rebellanti ad Symbolum & tesseram tradita. Repertus vero fuit is nummus prope Cordubam tertio millario, in eo agro qui Casa Blanca, hoc est Domus Alba, nominatur. Et Cordubæ fuisse percussum possumus etiam existimare. Officinam enim nummariam in ea vrbe fuisse, tum ingens eius celebritas, tum nummi illi Recceſuinthi Regis, de quibus retro diximus, ostendunt. Nulla enim alia de causa Cordubę nomen in illis ad eum modum potuit apponi, nisi quod ibidem fuissent conflati, atque signati. Sed hæc omnia cum aliis nostræ ciuitatis fortunis in nostra de rebus Hispaniæ Historia late prosequimur.

Agila rex Gothorum.
Leouigildus rex.
Diuus Ermenegildus martyr.
Abbas Biclarensis.
Diui Ermenegildi nummus.
Cap. 3.

CHRONOLOGIÆ RATIO IN HIS ANNIS CONTINVATA, QVI IN DIVI EVlogii vita, historia & epistolis continentur: vnde ratio temporum rectior, apertior, & suis testimonijs asseuerata constabit.

ANTE annũ Dominicæ natiuitatis octingentesimum quinquagesimum, vnde chronologiam opportune ordimur: Adulphus & Ioannes Hispalensis originis Cordubæ iã fuerant martyrio coronati. Ex libri secũdi cap. VIII. Annum signare non possumus, nisi quod ante annum Domini octingentesimum trigesimum plane videntur occisi.

Ante hunc etiam annum, diuus Eulogius in Galliam profectus Pompelonensem Episcopum, & Nauarrę Abbates quam plurimos inuisit. In reditu Cæsaraugustanum, Segoncinum, Complutensem & Toletanum Episcopos, apud eos diuersatus, cognouit. Ex eius epistola ad Pompelonensem Episcopum, quo anno peregrinatus fuerit, non satis constat. Nos suo loco, quantum datum fuit, ratiocinabamur.

Annus Domini DCCCL.

Primus hic est annus, quem diuus Eulogius initio libri secundi notat. Fuit autẽ post triginta integras cycli solaris conuersiones in trigesima prima decimusnonus: secundus post bissextum sequutus literam dominicalem. E. habuit. Quæ omnia hic in primis signanda fuerunt: siquidem diuus Eulogius aliquando hebdomadę etiam dies nominat: vnde nos certam temporis rationem astruximus, & manifesta veritate confirmauimus.

Leonis quarti pontificis Maximi quartus fuit hic in annus: qui per quinq; etiam sequentes superuixit. Ex. F. Onuphrio Panuinio.

Hlotharius, Romanorum Imperator, qui adhuc viuebat ad eosdem quinq; annos præterea peruenit. Ex eodem, & multis aliis.

Michael Porhyrogenitus. Theophili successor Constantinopolitanus Imperator, cuius hic nonus erat annus, annum octingentesimum sexagesimum septimum attigit. Ex eisdem.

Initio huius anni Oueto & Legione in Hispania regnabat Ranimirus rex huius nominis primus Alfonsi Casti regis successor. Mortu⁹ vero ipso primo Februarii die, filio suo Ordonio primo regnum reliquit. Id aperte constat, ex eius tumulo, quem in regio Alfonsi Casti vocato templo Oueti vidimus, cum hoc epitaphio.

OBIIT DIVÆ MEMORIÆ RANIMIRVS REX, DIE KAL. FEBRVARII ERA DCCC. LXXXVIII. OBTESTOR VOS OMNES, QVI HÆC LECTVRI ESTIS, VT PRO REQVIE ILLIVS ORARE NON DESINATIS.

Et Sampyrus Astoricensis, Lucasq; Tudensis Episcopi hunc annũ mortis Ranimiri scripserũt. Vetustissimus etiam tumulus docet, non multa post regis mortem fuisse epitaphium insculptum.

Nauarræ & Aragonensium montium regnum Iunigus Ximenez cognomento Arista obtinebat: vt ex magis verisimili illorum temporum supputatione colligitur. Quanquam in magna autorum varietate nihil certi & indubitati potest hic affirmari.

Carolus cognomento Caluus Hludouici Imperatoris filius, Caroli Magni Imperatoris nepos in Gallia regnabat. Gallorum omnes Historici. Eratque hic regni eius annus vndecimus. Idem Carolus, quicquid pater atque auus ab Sarracenis in Catalunia, Aragonensium montibus, & apud Nauarros ademerant, retinuit. Aragonensium annales, Gallorum historici.

Regnabat

Regnabat late in Hiſpania, regni ſede Cordubæ conſtituta, Habdaraghman Sarracenus huius nominis tertius. Erarq; hic regni eius annus viceſimus nonus. Ex diuo Eulogio initio libri ſecũdi, & ex Raus Mauri hiſtoria, item ex Ruderici Toletani antiſtitis de Arabibus hiſtoria nondum excuſſa.

Hoc ipſõ anno primo menſis Maii die, qui in ſextam feriam inciderat Perfectus presbyter Cordubenſis martyrio coronatur. Lib. 2. cap primo.

Poſt hunc Ioãnes pro Chriſti fide pene ad mortẽ cæditur, & ludibrii publici cauſa aſino vectus per vrbem circũducitur, cõfeſſorisq; gloriã adipiſcitur. Lib. 1. Tẽpus liquere non poteſt, niſi quod hoc anno, potius quam ſequenti, factum apparet.

Annus Domini DCCCLI.

Litera hoc anno diem Dominicum ſignans. D. fuit.

Die Iunii tertio, qui quarta feria euenerat ſanctus Iſaac monachus Cordubẽſis iugulatur. capite. 2. libri ſecundi.

Sancius Laicus natione Gallus duos poſt dies martyrio coronatur, feria nimirũ ſexta inſequente eiuſdem Iunii menſis die quinto. Libri eiuſdem cap. 3.

Duobus tantũ interiectis diebus, die eiusdẽ mẽſis octauo, & hebdomadę ſequẽtis feria prima, ſex pariter ſancti martyres trucidantur: Petrus presbyter Aſtigitanus, Vualabonſius diaconus Ilibulenſis, Sabinianus monachus, vico Froniano prope Cordubam natus, Vuiſtremundus Aſtigitanus monachus, Habentius Cordubenſis monachus, Hieremias itidem Cordubenſis monachus. capite eiuſdem libri quarto.

Menſe Iulio, die decimoſexto, qui in quintã feriam inciderat, ſanctus Siſenand diaconus Pacenſis ex Luſitania martyrium iugulatus compleuit. capite ſequenti.

Veneris die, ſabbato & inſequenti Dominica tantummodo interiectis, ſecunda feria, quæ die Iulii viceſimum occupauit, Paulus Cordubenſis martyrii palmam adipiſcitur, capite truncatus. capite ſexto.

Sabbato inſequente & Iulii die viceſimo quinto Theodemirus monachus Carmonenſis patria martyrio laureatur. Ibidem.

Interea Reccaffredus epiſcopus iuſſu tyranni, Dei eccleſiam Cordubæ miſere cõturbat, diuũ Eulogiũ in carcerẽ conijcit. Ex eius vita per Aluarum ſcripta ex epiſtola ad Pompelonenſẽ Epiſcopum, & ex ſecũdo lib. pluribus locis: vbi nos hoc ipſũ annotauimus & tẽpus * quidẽ quo captus fuerit diuus Eulogius non poſſumus exquiſite ſignare. Tantum colligi alioũde poteſt, per hoſce menſes, quod ſuo loco videbimus, cõtigiſſe. Cauſam, cur in carcerem fuerit miſſus, ipſe in Documento martyriali & in epiſtolis reddit, Quia nimirum martyres adhortaretur, & ad martyrium ipſos incenderet.

Hic martyrium ſanctarũ virginũ Nunilonis & Alodiæ diuus Eulogius retulit, quę non Cordubæ paſſæ ſunt. Et tempus ſuo loco inueſtigabimus.

Flora Cordubenſis, Maria Ilipulenſis Vualaponſi martyris ſoror, virgines ambæ, martyrio ſimul coronantur, menſis nouembris die viceſimo quinto. capite ſequenti.

Poſt ſextũ diẽ diuus Eulogius carcere educitur. Ibidem, & in epiſtola ad Aluarũ.

Annus Domini DCCCLII.

Gumeſindus Toletanus presbyter, & Seruus Dei monachus, die Ianuari tertia decima mortem pro Chriſti nomine ſuſtinuerunt. capite. IX.

Sancti martyres Aurelius, Felix Cordubenſes, cum vxoribus Sabigothon & Liliosa, commitãte etiã Georgio monacho ex Syria, XXVII. Iulii, die occiſi ſunt, cap. ſequenti.

Chriſtophorus Cordubenſis, Leouigildus Ilibertianus monachi, pro Chriſtianę fidei confeſſione iugulantur, die menſis Auguſti viceſimo. cap. XI.

Emila & Hieremias Cordubenſes die Septembris quintodecimo martyrio coronantur. capite ſequenti.

Rogellus Iliberitanus monachus, Seruio Deo ex Syria monachus, varie excarnificati die ſequenti, Septembris videlicet ſextodecimo, capite truncantur.

Habdarraghman rex tot martyrum conſtantia territus, impedire martyrium cogitat, & congregari Epiſcoporũ atq; etiã Metropolitanorũ conciliũ Cordubæ imperat. Ex capitibus ſequentibus & hæc diuerſa omnino eſt Regis perturbatio, & Eccleſiæ perſequutio ab illa, quam iam ſuperius retulimus. Hoc manifeſte ex ipſa temporũ ſerie in diuo Eulogio, & ex eius verbis conſtat.

Annus Domini DCCCLIII.

Initio huius anni Habdarraghman rex ſubito moritur. Mahomat eius filius in regno ſuccedit. cap. libri ſecundi decimoſexto.

D. Eulogius in carcerem detruſus adhuc ibi Iohannem detentum inuenit. Detruſio vero illa anno ſubſequenti verisimilius fuit ex epiſtola ad Epiſc. Pompelonenſem: maxime cũ & ipſa detruſio poſt aliquorum martyrũ paſſionem ſit ſubſecuta, quos ipſe D. Eulogius ad martyrium inflammabat. Id etiam apertius conſtat ex B. Aurelii & Sabigetonis hiſtoria cap. 10. lib. 1. Mem. Sanct.

* *Certe ex Epiſtola ad Epiſc. Pompelonenſem perfectionem Chriſtiz annotauit, & perinde D. Eulogii in carcerem detruſionẽ hoc anno fuiſſe conſtat.*

Mahomat regni sui initio Christianos acerbissime persequitur, templa diruit, quatuor primis libri tertii capitibus. Hęc iam tertia est ecclesiæ Cordubēsis persequutio: & huius mentionem fieri credo in sanctorum Ruderici & Salomonis historia. Ex annis ibidem in Apologetico annotatis.

Arabum principū nonnulli in Hispania contra regem Mahomat rebellarunt. Ipse Christianos tributis grauat, suorūq; odiū in se suscitat. duobus sequentibus capitibus.

Fandila presbyter & monachus Accitanus die Iunii tertiodecimo martyrio coronatur. capite VIII.

Die sequenti, Iunii quartodecimo, Anastasius monachus presbyter, Felix monachus Cōplutensis; Digna virgo Deo dicata martyrii laureā accipiūt. capite sequēti.

Benildis matrona quintadecima eiusdem mensis pro Christi fide iugulatur. c. X.

Sancta Columba Cordubensis virgo Deo dicata decimo septimo Septembris die, capite truncata martyrio cōronatur. capite sequenti.

Pomposa virgo & martyr Cordubensis, Octobris die decimosexto gladio Sarracenorum occubuit. cap. XII.

Annus Domini DCCCLIIII.

Abundius presbyter ex vico Anhanellos prope Cordubam, die Iulii vndecimo martyrium subiit. Libri tertii cap. XIII.

Annus Domini DCCCLV

Amator Tuccitanus adolescens. Petrus monachus Cordubensis, Hludouicus item Cordubensis, die Aprilis vltimo omnes pariter martyrio coronantur. cap. XIIII.

Vuitesindus senex Egabrensis eodem anno martyr est factus. Diem diuus Eulogius non commemorat. cap. XV.

Annus Domini DCCCLVI.

Helias presbyter senex Lusitanus; Paulus & Isidorus monachi, Aprilis decimoseptimo die passi sunt. libri tertii. cap. XVI.

Argimirus Egrabensis monachus in Christi confessione vigesimooctauo Iunii die occiditur. cap. sequenti.

Aurea virgo Deo dicata, Adulphi & Ioannis martyrum soror, die Iulii decimonono martyrii palmam accepit. cap. vltimo.

Annus Domini DCCCLVII.

Rudericus Egabrensis & Salomon martyrium patiuntur Martii die tertiodecimo. Ex Apologetico sanctorum.

Annus Domini DCCCLVIII.

Nullum martyrem habuit hic annus, neq; vlla eius est apud diuū Eulogiū mētio.

Annus Domini DCCCLIX.

Diuus Eulogius Cordubensis, presbyter, & Doctor, & electus Archiepiscopus Toletanus, fit etiam hoc anno martyr, Martii mēnsis die vndecimo, qui eo anno Sabbatum occupauit. Aluarus in eius vita.

Leocritia virgo Cordubensis, cuius causa, & fidei Christianę prǽsertim ergo, diuus Eulogius mortem fuerat perpessus, quarto postea die, hoc est martii quintodecimo, ipsum doctorem suum sequitur martyrio coronata. Ex eodem ibidem.

Annus Domini DCCCLX.

Non video vnde id constet de basilica S. Genesii. Etenim ex codice Raissii translationem corporis D. Eulogii falsam testantur Era 907, qua cum anno Domini 869. conciderit, quo etiā ipse D. Eulogius passus est.

Hoc anno, die Iunii primo, sancti martyris Eulogii corpus ex basilica sancti Genesii in basilicam sancti Zoyli martyris translatum est. Ex altero exemplari, in quo vita sancti Eulogii solum fuit.

Hoc tantummodo decennium sancti Eulogii opera enumerant. Quæ deinceps ad sanctorum martyrum Eugeniæ, Pelagii, Dominici & sociorum tempora peruestiganda necessaria fuere, suis locis, quanta potuimus diligentia ratiocinati sumus.

Ordonius rex primus. Alfonsus Magnus. Crux Ouetti opulentissima.

Regnabat autem nunc etiam Ordonius primus, qui anno DCCCLXII. postea obiit. Neque enim antea regnum iniit filius eius Alfonsus cognomento Magnus. Id est manifestum ex aurea cruce ingentis magnitudinis operis pulchertimi, & pretii ex gemmarum multitudine immensi, quam Ouetī in sancta camera reliquit, cum hac a tergo, litteris aureis prominentibus, inscriptione.

SVSCEPTVM PLACIDE MANEAT HOC IN HONORE DEI,
QVOD OFFERVNT FAMVLVS CHRISTI ADEFONSVS PRINCEPS, ET SCEMENA REGINA.
QVISQVIS AVFERRE HAEC DONARIA NOSTRA PRAESVMPSERIT, FVLMINE DIVINO INTEREAT IPSE.

Hoc

HOC SIGNO TVETVR PIVS, HOC SIGNO VINCITVR INIMICVS, HOC OPVS PERFECTVM EST, CONCESSVM EST SANCTO SALVATORI OVETENSIS SEDIS: ET OPERATVM EST IN CASTELLO GAVZON, ANNO REGNI NOSTRI XVII. DISCVRRENTE ERA DCCCCXVI.

Annus hic fuit Christi natiuitatis DCCCLXXVIII. Vnde constat anno Domini DCCCLXII. Alfonsum hunc regnare cœpisse: cũ annº patris postremus, ei fuerit primº.

Cordubensium Christianorum dispersio.

Quæ autem consequuta postea sunt, in Ecclesia Cordubensi, ex vetustis monumentis collecta prosequemur. Constat enim post has duas sub duobus regibus patre & filio persequutiones, magnam Cordubæ Christiani cultus factam fuisse permutationem: cum omnia in peius ruerent, & retro admodũ sublapsa ferrentur. Pauidi monachi monasteria deserere, Abbates alio transfugere, Episcopi ferme nõ esse, sacta loca deserta cultoribus, Sarracenis in prædia cedere, & Cordubensis ecclesia, quę nondũ in captiuitate decº & amplitudinẽ penitº amiserat, nunc in miserã dispersionẽ & lugubrem ruinam ábire. Multa sunt quæ hoc ipsum plane doceant. Monasterium nanq; ordinis sancti Benedicti est admodum celebre, & opulentũ in ipso Galletiæ, qua Legionensi regno per Bergidum copulatur, introitu: Samanos olim, nunc corrupto nomine Samos dictum. Ibi monumentum publicæ attestationis Gothicis literis in membrana scriptum vidimus, in quo Offilo abbas, Vincentius presbyter & Maria Deo vota sua omnia eidem monasterio largiuntur. Narrantq; in primis; quẽadmodũ Corduba profugi tempore Ordonii regis, cũ Galletiã peruenissent: benigne ab Rege excepti fuere: qui illorũ calamitatibus cõmotus, id ipsum monasterium, dirutũ iã & pene desolatum, cũ prædiis, oppidulis & tota ipsa circumcirca ditione eisdem libenter concessit, vt priscã in eo religionis formam instaurarent. Eius autem donationis, quæ ab ipsis monasterio fit publice contestatæ dies fuit Augusti vigesimus quintus anni dominicæ natiuitatis octingentesimi septuagesimi secundi: mortuo nimirũ iam eodem Ordonio rege huius nominis primo, Alfonsi Magni patre, qui tunc, cum hæc publice agebãtur, imperiũ tenebat: vt vicinia admodũ diuo Eulogio tempora intelligas, hoc est annũ post ipsum interemptũ duodecimum. Quin etiam diploma eiusdem regis Ordonii primi ibidẽ vidimus, literis Gothicis & membrana peruetustum, in quo ea monasterii ditionis & oppidorũ donatio, quã Offilo Abbas cæteriq; sibi ab Rege factam cõmemorant, cõtinetur. Concessum autẽ id diploma fuerat die mensis Maii vigesimo, anni Dominici octingẽtesimi sexagesimi secundi: duobus nempe, nec pluribus, post diui Eulogii necem ãnis: vt manifestum sit paulo post ipsum martyrio coronatum, Offilonem Abbatem cum reliquis Corduba diffugisse. Alia posteriorum Regũ diplomata prætereo, quæ ibidẽ habentur: in quibus eadẽ ista de Offilonẽ Abbate cũ sociis Cordubensibus, patria diffugientibº repetuntur. Illud tacendũ non puto, dirutũ Samanos monasterium Offilonẽ inuenisse, quia centum pene annis antea sub Froyla regẽ huius nominis primo, Argericº Abbas Toletanº, patria & ipsus profugº cum aliis nonnullis, Regis benignitate subleuatus, ipsum primum ædificauerat. Id etiam eiusdem Froylæ regis diplomate testatum permanet, cum Ordonius etiam in suo eiusdem Argerici prioris Abbatis & regis Froylæ, qui ipsum exceperit, meminerit:

Samos monasterium. Bergidum. Offilo Abbas.

Annus 871.

Annus 863.

Argericus Abbas Toletanus.

Antiqua prætereà & iisdem hisce temporibus scripta Regii, celeberrimi, & amplissimi sanctorũ martyrũ Facundi & Primitiui ordinis sancti Benedicti cœnobii monumenta Regumq; diplomata, quæ nos ibi vidimus restantur; Abbatẽ Alfonsum cum suis monachis Corduba profugum, Sarracenorum gladios detrectantem, pusilloque suo gregi, quẽ imparem perferendo martyrio expetiterũt, sancte & prouide consulentẽ, ad eundẽ regem Alfonsum cognomento Magnum Legionem peruenisse. Cũq; regi iã antea cordi fuisset, sanctorum Facũdi & Primitiui sepulchra debito cultu venerari, delubrumq;, vbi inerant, Sarracenorũ impetu dirutum instaurare: quasi diuinitus sibi oblatũ Cordubense Abbatem monachosq; suos excepit. Substructo deinde miræ magnitudinis, vt idẽ Rex in diplomate inquit, templo, quod hodie etiam perdurat, eidẽ Abbati Alfonsi cũ suis monachis, addito insigni multorũ prædiorũ, oppidulorũ & ditionis integre patrimonio, tradidit incolendũ, & monasterii ædificiis augendũ. Hoc fuit instaurationis, atq; insignis illiº amplificationis principiũ. Vt inclitũ per totã Hispaniam cœnobium, duobus illustrissimorum martyrum corporibus augustissimum, multorumq; Regum magnificentia nobilitatum, Cordubensem primum habuerit Abbatem & instauratorem, testemq; huius, quã prosequimur, dispersionis. Diploma nã-

Sancti Facundi monasterium Cordubensibus primum inhabitatum. Abbas Alfonsus Cordubensis. Rex Alfonsus Magnus.

Annus 874.

que regis Alfonsi, in quo huius rei mentio est, annum Domini octingentesimum septuagesimum quartū prefert, hoc est post Diui Eulogii martyrium quartum decimum.

Sancti Michaelis de Escalada monasterium.

Non admodū longè ab hoc ipso sanctorū Facundi & Primitiui oppido & mōasterio illud alterū est, quod iacti Michaelis de Escalada appellant. In ei⁹ mirę vetustatis tēplo varii marmoris columnis exornato, lapidē esse inscriptū, venerādæ authoritatis monachi mihi retulerunt, in quo memoria Abbatis cuiusdā Cordubensis conseruatur, qui eo per hosce etiam annos, eadem nimirum calamitate exactus, pervenerit.

Cœnobium sancti Martini de Castanenda. Senabria oppidum.

Posterioris aliquanto temporis est item lapis bene magnus in Ecclesia monasterii sancti Martini de Castanenda ordinis nunc Cisterciensis, olim Benedicti ad oppidū Senabriam Galletiæ & Lusitaniæ finibus in Legionensi regno propinquum: cuius inscriptio hanc ipsā astruit Cordubensium Christianorum dispersionem. Cū enim in principio doceat, locū illum sanctū diuo Martino quondam fuisse consecratū: prosequitur deinceps, quo pacto ab Ioañe Abbate, qui Corduba cum monachis venerat, fuerit restitutus: temploq; & monasterio magno labore, breui tamen tempore, structis, instauratus. Factū id tandē refert regnante Ordonio principe, anno Domini nongētesimo quinquagesimo secundo. Hæc ibi. Ex cuius anni notatione facile colligimus, regē Ordonium huius nominis tertium, Ranimiri secundi filium ibi nominari. His autem omnib⁹ facile declaratur, quā misero tumultu ecclesia Cordubēsis hoc tempore fuerit conquassata, & crudeli ruina penè deiecta.

Ioannes Abbas Cordubensis. Annus 952.

Christiana religio Corduba perseuerauit. Concilium Cordubense. Annus 863.

Neque tanta tamen fuit eius hoc tempore dispersio, quin integra, templisq; & viris optime constituta perduraret. Docet hoc in primis concilium multorum Episcoporū Cordubæ paulò post diuū Eulogiū occisum congregatum, circa annum nimirū Domini octingentesimum sexagesimum tertium, cuius in Samsonis Abbatis, Cordubensis libro Apologetico secundo fit mentio. Docent hoc ipsum præterea alia multa, quæ idē author eo opere commemorat. Cū interim non deessent martyres, non Christi fideles, qui marmoreo tumulo & epitaphio martyris sepulchrū, quod suo loco apparuit, exornarent.

Samson Abbas. D. Andreæ templum.

Sed enim multū diuque etiā post ditium Eulogium Cordubæ templa, sacræ Deo virgines & magnus religionis cultus vigebat. In tēplo nanq; diui Andreę (quod semper ab sequentium temporum Christianis Mocarabibus retentum fuisse constat) introrsū in Septentrionali pariete lapis est centū viginti ferme post diuū Eulogiū annis sacræ virginis & Deo dicatæ tumulo impositus. Id hæ inscriptæ literæ indicant.

Lapis in eo templo. Speciosa Christiana femina. Tranquilla sacra virgo. Anno Domini 960.

HIC SPECIOSA CONDITA SIMVL CVBAT
CVM FILIA TRANQVILLA SACRA VIRGINE. QVÆ ////////////////////////////////TESIMA
QVINTA////////////////ERA SVBIVIT FVNERA.
POSTEA MATER MILLESIMA QVARTA
RECESSIT VLTIMA.

Cumque, me puero, infra eum lapidem parietem in cellulam audiendis sacris confessionibus suffodere fabri cœpissent: concauatū iā cū harū fœminarū ossibus inuenerunt: nec violare ausi, obstructum vt antea erat reliquerunt.

Lapis autem extrorsum in cimeterio eidem parieti insertus, satis aperte docet, idem templum, ducentis post has virgines annis, Christianorum, sub Arabibus semper fuisse. Habet namque huiusmodi vernaculo nostro sermone epitaphium: barbarum quidem, sed pro tempore cognitione opportunum.

Petrus de Villammar. Annus Domini 1164. Alfonsus Imperator. Abengamiæ.

Fino don Pero Perez de Villammar alcalde del Rey en Cordoua en dizesiete dias de Febrero E. M. cc. dois. feria sexta. Maestre Daniel me fecit. Deus lo bendiga Amen.

Dicā autē de hoc ipso tumulo quod sentio. Alfonsus Imperator Vrracæ filius, septendecim antea annis Cordubam cœperat, Regiq; Abengamiæ, cū se supplex Imperatori dedisset, ciuitatē tributo impositō, submissionis etiā facta cōtestatione, reliquerat. Vt igitur publicum imperii testimoniū Cordubæ Alfonsus relinqueret, Christianosq; liberos deinceps inibi & sui iuris esse ostenderet: præfectum Christianū iuri dicundo cū magistratu & titulo in vrbe esse voluit, qui Christianos iudicaret, tributa ab Mauris soluenda colligeret, Alfonsiq; ditionem modis omnibus tueretur. Is extinct⁹, in Christianorum templo sepelitur. Duo igitur hi lapides, situl & vetusta admodū eius templi quadā ex parte structura satis aperte demonstrant, quibusq; Maurorum temporib⁹ templū illud Christianos retinuisse, cultūq; religionis, atque adeo monasticum ordinem Cordubæ iugiter perseuerasse.

FINIS.

LVDOVICI NONII

HISPANIA, SIVE POPVLORVM, VRBIVM, INSVLARVM, AC FLVMINVM IN EA ACCVRATIOR descriptio.

Clarissimo viro D. FRANCISCO PAZ,

SER^morum. ALBERTI

ET

ISABELLÆ,

BELGICÆ PRINCIPVM ARCHIATRO:

Ludouicus Nonius Medicus Antuerp.

DVdum mihi in votis fuit, V. Cl. affectus in te mei arrhabonem offerre, vt amoris tui nexum, quo me arctè deuinctum scio, si non soluere, ex parte saltem laxare possem. Nunc occasio, nunc facultas defuit; nuperus hic apud me natus fetus, voto me exsoluet; HISPANIA, inquam, mea; quam nomini tuo inscribo: vel potiùs te illi patronum quæro. Nam vt tenellis infantibus, amuleta quædam; officiosæ nutrices appendunt, quo fascinantium oculos, linguasq; queant euadere: ita etiam nomen tuum lubuit Hispaniæ meæ præfigere, ne calumniæ noxios afflatus, aut sæuos inuidiæ morsus expauescat: sed vt sequestrato timore, ausit frontem comma sculare, & in publicum hunc famæ campum prodire. Nec decorum fuisset alium Patronum Hispaniæ, quàm te in ea honesto genere natum; & ad hoc doctrinæ & dignitatis culmen euectum ambire: neq; vsquam medici fetus honestiùs, quam ad Archiatrum, & ad ordinis nostri principem diuerter. Nec spernes hoc quamvis leuidense munus, vel Patriæ causa, quam à fugientis æui iniuria, conatus sum vindicare: & pristinum illi splendorem pro virili restituere. nam superioribus seculis, quàm miserè defœdata fuit, norunt omnes. acerbas, vt opinor, neglecti Lacedæmoniorum moris pœnas luit, qui inituri prælia Musis litabant; quo egregia sua facinora, Musarum ope posteris innotescerent. hinc nacti luculentos scriptores, qui res illorum gestas, patriamque ita exornarunt, vt pœnè nullum ibi fuerit sine nomine saxum. Secus Hispanis accidit, quibus fortia potius facere, quàm narrare, cura semper fuit. Quid? an non coegit illos necessitas, Marti potiùs vltori, quam Musis sacrificare? Per DCC. enim & plures annos, pro sartis tectis, cum Mauris multo mutuoq; certarunt sanguine. Qua de causa nec patriam satis illustrare illis integrum, nec domi forisque gesta, in memoriæ templo sacrare; quota enim facinorum pars ad posteros peruenit? aut

Aeternis famæ monumentis insita florent?

Sed desino hæc vulnera refricare. ad munus meum redeo; quod velim tali vultu suscipias, quali id ego animo, aperto nempe & candido tibi V. Cl. lubens, merito, dono consecroque. Vale. Antuerpiæ Kal. Mart. CIↃ. IↃC. VII.

LECTORI.

N tibi, quam Hiſpaniæ illuſtrandæ opellam impendi, benigne Lector, qua non tam leuis forſan, quàm ingloria eſt, &

— vnde laboris
Plus haurire mali eſt, quàm ex re decerpere fructus:

Pretium tamen operæ me feciſſe credo, nobiliſſimam hanc Europæ partem, ex altiſſimis, quibus nimis diu damnata fuerat, tenebris eripere. Nam per frequentes Barbarorum inundationes, continuaq; bella, ita afflicta fuit, vt nullum in ea veſtigium priſci decoris, nec ſincerus vllus antiquitatis color eluceret. Ita fabulæ omnia occupauerant, nec impunè ſolùm, ſed & cum laude paſſim perſultabant. Compoſitis tandem bellis, melioris aliquot ſcriptores notæ, patriæ deformatæ opem tulere: ſed patrio ſermone & ἐν ἄπαξ pleriq; vnius aut alter Latinè, ſed ſparſim & ſaltuatim, prout hiſtoriæ ratio poſtulabat. Quare continuata ſerie, Hiſpaniæ diuulſa membra, in vnum collegi, & antiqua nomina populorum, vrbium, fluminum, cum recentioribus compoſui, ex fide veterum & nobilium ſcriptorum. Nec omnia luburt perſequi, nec potui. Non mediocres enim, *dicebat Varro*, tenebræ in ſilua, vbi hæc captanda: neq; eò quò peruenire voluimus, ſemitæ tritæ: neq; non in tramitibus quædam obiecta, quæ euntem retinere poſſunt. *Scopus mihi fuit, illa præcipuè tangere, quorum apud priſcos ſcriptores fit mentio, illoſque eadem opera, illuſtrare vel emendare: quo legentium ex parte tædium leniri poſſet. nam genus hoc ſcriptionis impeditum, nec ingenii, aut eloquentiæ eſt capax.* Nec enim admittit exceſſus, aut Orationes, ſermoneſque aut caſus mirabiles, vel euentus varios, non aliâ iucundâ dictu, aut legentibus blanda. *Et cum ſæpè mutuis diſſidiis variant auctores, meliori parti accedo, vel Scepticorum more* ΟΥΔΕΝ ΟΡΙΖΩ *in multis, & dubiis, pendenti veſtigio, & tamquam ſuper oua & ariſtas incedo. Quid mirum in tanta ſcriptorum infrequentia & temporis incuria. Tu, Lector, cogita per ſalebras & inuia loca me ambulaſſe: quare ſime alicubi lapſū videris, non indignaberis, ſed ignoſces & eriges: memor Pliniani illius dicti*: Peculiarem in ſtudiis cauſſam eorum eſſe, qui difficultatibus victis, vtilitatem iuuandi prætulerunt gratiæ placendi. *Quod tibi in mente velim ſit, mi Lector. Vale.*

INDEX CAPITVM.

Cap. I.

DE Hiſpaniæ etymo. Plinius explicatus. Stephanus Byzantinus emendatus. Variè olim vocata.

Cap. II.

Hiſpaniæ ſitus & figura. Diuiſio ſæpe mutata.

Cap. III.

Fabula de priſcis Hiſpaniæ Regibus exploditur. Beroſus & Annius reiiciuntur.

Cap. IV.

Varii Hiſpaniæ incolæ. Romani variè illam rexerunt per Proconſules, Prætores, Legatos, Vicarios, Præſides.

Cap. V.

Hiſpaniæ laus à ſalubritate, fertilitate. Variæ hic metallorum ſecturæ. Immenſæ opes.

Cap. VI.

Incolæ bellicoſi. Diutiſſimè cum Romanis pugnarunt. Fideles. Hoſpitales. Litteris dediti.

Cap. VII.

Bætica etiam *Turdetania* dicta. Martianus Capella emendatus. Oleis abundat. Minio nobilis.

Cap. VIII.

Bæticæ nobiliores populi. *Turduli*, *Turdetani*, & τοῦτοι iidem. *Baſtuli Baſtitani* & *Baſtetani* dicti. Appianus emendatus. Cunei.

Cap. IX.

Gades vnde dictæ. Olim *Aphrodiſiæ*, *Erythia*, *Iunonis inſulæ*, *Cotinuſa*, & *Tarteſſus* dicta. Frequens nobilitas, magna potentia. Multa de templo Gaditano. Finis olim nauigationis.

Cap. X.

De Herculis columnis variæ opiniones. *Briarei* & *Saturni* dictæ. Abylæ, & Calpes varia nomina. Feſtus Auienus emendatur. Strabonis lectio ſtabilitur.

Cap. XI.

Carteiam non eſſe *Tariſſam* aut *Cartagenam*, ſed *Algezira*. *Colonia Libertinorum* vocata. Num eadem cum Tarteſſo. Dion & Pauſanias emendantur obiter.

Cap. XII.

De priſco Tarteſſi ſitu, non exſtare noſtro ævo. Regnum Tharſes hic fuiſſe.

Cap. XIII.

Xeres olim dicta *Aſta Regia*. Colonia Romanorum. num ξῆρα Stephani Byzantini fuit.

Cap. XIV.

Nebriſſa cognominata *Veneria*. A Bacchio & Satyris condita.

Cap. XV.

Oſſuna olim *Vrſo*, A. Hirtio *Vrſao*, Appiano *Orſona*. Situs eius ex A. Hirtio petitus.

Cap. XVI.

Hiſpalis cognominata *Romulenſis*. Iſidori opinio reiecta. Vnde dicta. Eius deſcriptio.

Cap. XVII.

De Italicæ ſitu diſquiſitio. A Scipione Africano condita. Hodie *Siuilla la veia*. Municipium Rom.

Cap. XVIII.

Aſtigi cognominata *Auguſta firma*, nunc *Eceia*. Conuentus Bæticæ. Inſcriptiones veteres.

Cap. XIX.

Corduba *Patricia* dicta. A quo condita. Prima Colonia in Hiſpaniam deducta. Vrbis deſcriptio.

Cap. XX.

Obulco. *Municipium Pontificenſe* dictum. Diuerſa ab Antonini Bucula. Simleti error. Cur *Porcunna* dicta. Inſcriptio vetus.

Cap. XXI.

Illiturgi etiam *Illurgis*, & *Illurgia* dicta. non esse *Iaen*, sed *Anduxar*.

Cap. XXII.

Granata nec *Illipula*, nec *Illiberis* olim dicta. Sed Maurorum opus. Vnde nomen habet. Diuisa in quatuor partes.

Cap. XXIII.

Abdera à Pœnis aut Phœnicibus condita. Refellitur Franciscus Tarapha.

Cap. XXVI.

Malaca aliquibus *Mænace*. Inscriptiones veteres.

Cap. XXV.

Cartima diuersa à T. Liuii *Certima*. Egregia inscriptio vetus.

Cap. XXVI.

Singylia nunc *Antiquera*. Ab Antonino *Anticaria*, dicta. Inscriptio vetus. Fons ibi medicatus.

Cap. XXVII.

Attigis *Iulienſis* cognominata. De eius thermis pauca.

Cap. XXVIII.

Munda antiquum nomen obtinet. Inscriptio vetus. Metropolis olim Turdetaniæ.

Cap. XXIX.

Lusitania dicta etiam *Lysitania*. Limites eius. Strabo diuersus à ceteris. Stephani Byzantini hallucinatio. Non propriè Lusitaniæ eadem cum *Portugalia* est. Diuersæ olim prouinciæ. Martiani Capellæ error.

Cap. XXX.

Lusitaniæ populi Duplices Turduli. Iidem cum *Turdetanis* Ptolemæi. Celtici vnde fluxere. Vettones nunc Lusitania inclusi, nunc exclusi. Prouincia Vertonia.

Cap. XXXI.

Augusta Emerita ab Augusto condita. Lusitaniæ quondam metropolis. Reliquiæ theatri & Naumachiæ.

Cap. XXXII.

Ebora dicta *Liberalitas Iulia*. Inscriptiones veteres. De situ eius pauca.

Cap. XXXIII

Pax Iulia hodie *Beiar* est. Iosephus Moletius & Tarapha refelluntur. Inscriptio vetus.

Cap. XXXIV.

Setubal à Cetobriga dicta, non à Tubale.

Cap. XXXV.

De Olisiponis nomine. Cognominata *Felicitas Iulia*. Equæ vento concipiunt. Varronis lectio stabilita. Triton hic visus. Vrbis descriptio.

Cap. XXXVI.

Scalabis dicta *Præsidium Iulium*. Cur vocata *Santarem*.

Cap. XXXVII.

Coymbra non esse *Lacobrigam*. Contra Oliuarium & Tarapham. Error Gerundensis Episcopi. Non esse *Aeminium* antiquorum. Academia nobilis.

Cap. XXXVIII.

Salmantica non à Teucro condita. *Elmantica*, *Hermandica*, *Salmatis* vocata. Academia quo an. instituta.

Cap. XXXIX.

An *Norba Cæsarea* sit Alcantara. Pœnorum opus creditur. Pons à Traiano exstructus. Inscriptio vetus. Quando Alcantaræ milites vocati.

Cap. XL.

Tarraconensis prouinciæ limites. Quando mutati. Martianus Capella emendatus.

Cap. XLI.

Tarraconenses populi. Grauii originem à Græcis trahunt. Plinius obiter emendatus.

Cap. XLII.

Gallæci dicti & *Gallaici*. Vnde nomen sumsere variæ opiniones. Gallæcia sexta prouincia effecta. Mores illorum.

Cap.

Cap. XLIII.

Astures vnde dicti. Bellaces. Asturcones. Aurifera est. Bifaram diuisa Asturia.

Cap. XLIV.

Cantabri à Laconibus orti. Mores illorum. Mons hic ferreus. Tamarici fontes.

Cap. XLV.

Carpetani vbi olim siti. A Polybio *Carpesii* vocati.

Cap. XLVI.

Vaccæi vbi olim habitarunt. Gentis mores. Bellicosi.

Cap. XLVII.

Oleades vbi olim siti.

Cap. XLVIII.

Celtiberi *Celtoscythæ*, & *Berones* dicti. Nominis etymon. Potentia illorum & opes. Mores. Simplices olim.

Cap. XLIX.

Illergetes non esse *Illurgauonenses* Cæsaris, contra Fluuium Vrsinum. Num *Eilotæ* Polybii sint.

Cap. L.

Cerretani dicti *Iuliani*. Cum Hercule in Hispaniam venerunt. Inscriptio vetus.

Cap. LI.

Bracara Augusta. A quibus condita. Inter quatuor præcipuas Hispaniæ vrbes. Sedes Regum Sueuorum & Gothorum. De primatu Hispaniæ cum Toleto certat.

Cap. LII.

Quonam modo olim vocata sit Compostella. D. Iacobi corpus quando detectum ibi. Quando in præliis nomen eius cœptum implorari.

Cap. LIII.

Aquæ calidæ *Amphilochia*, & *Aquæ Celinæ* dictæ. Vnde *Orense* hodie. Thermæ hic salubres.

Cap. LIV.

Flauium Brigantium esse *la Corunna*. Fabula explosa de speculo mirando. Pauli Iouii lapsus de Herculis Columnis.

Cap. LV.

Burgos non esse *Augustobrigam*, nec *Aucam* veterem *Brauum* esse Ptolemæi. Vnde nomen mutatum.

Cap. LVI.

Duplex Pintia. Pisoraca amnis. Inscriptio vetus. Vrbis descriptio.

Cap. LVII.

Legionensis vrbs ex Sublancię ruinis erecta. *Legio VII. gemina* vocata. Olim *Leyre* cognomen habuit. Quando *Leon* cœpta dici.

Cap. LVIII.

Zamorram non esse *Sisaponem* Ptolemæi, minus *Orcelim*, vel *Numantiam. Senticam* esse. Vnde illi nomen.

Cap. LIX.

De Toleti conditoribus reiecta opinio. Carpetaniæ caput. Quando Primatis Hispaniæ dignitas eò translata. *Vrbs Regia* vocata. Fatale hic palatium.

Cap. LX.

Segouia Plinio, eadem cum Secubia Ptolemæi. Etymon reiicitur. Aquæductus à Traiano exstructus.

Cap. LXI.

D. Virgo ad aquas Lupias. Quando sacra effigies huc delata, & miraculorum aliquot series.

Cap. LXII.

Oretum Germanorum num *Calatraua*. Taraphæ crassus error. Inscriptio vetus. Origo Calatrauæ Militum.

Cap. LXIII.

Talabricam non esse Talauera. Ptolemæi *Libora*; & T. Liuii *Ebora* eædem cum Talauera sunt.

Cap. LXIV.

Castulo Oretanorum vrbs. A Phocensibus condita. Appianus deprauatè *Castaca* vocat. Variè à Plutarcho & Strabone vocata. Res ibi gestæ.

Cap. LXV.

Murgim non esse *Murtiam* ostenditur. Num *Oreola* vocata. Fabula de eius origine explosa. *Menlaria* Protenæi est Murtia. Alphonso X. Regi fidissima.

Cap. LXVI.

Appiani error de Carthaginis nouæ auctore. Opinio Silii Italici reiecta. A Carthaginensibus condita. Cur *Spartaria* vocata. Vrbis situs ex Liuio. Argenti fodinæ celebres.

Cap. LXVII.

Dianium & *Hemeroscopium* dictum. Dianæ fano nobilitatum. A Phocensibus exstructum. Promontorium Ferrariæ, quod & *Tenebrium*.

Cap. LXVIII.

Setabis & *Augusta Valeria* dicta. Tenuissimum hic linum. Silius obiter correctus.

Cap. LXIX.

Valentia à D. Iunio Bruto condita. Cur *Veterani* & *Veteres* vocati. *Colonia Iulia* dicta.

Cap. LXX.

Saguntus olim vbi nunc *Morniedro*. A Zacynthiis & Ardeatibus condita. Dianæ hic templum vetustissimum.

Cap. LXXI.

Mantua Carpetanorum *Madritium* est. Escuriacum. Moles ibi regia.

Cap. LXXII.

Complutum hodie *Alcala de Henares*. Olim & *Alcala S. Iusti*. Academia hic illustris.

Cap. LXXIII.

Catraca eadem cum Antonini *Ariaca*. *Guadalaiara*, hodie. Tagonius amnis. Sertorii Stratagema.

Cap. LXXIV.

Seguntia hodie *Siguenza*. Variè olim vocata. Reiecta opinio, quæ à Sagunto ortum dicit.

Cap. LXXV.

Bilbilim non esse *Calatiaud*. Municipium fuit. Cognominata *Augusta*. Aquis Salonis clara & ferri temperie. Plinius emendatus.

Cap. LXXVI.

Turiasso hodie *Tarazona*. Ferri temperie clara. Mons Cautus. Martialis emendatus.

Cap. LXXVII.

Clunia hodie *Crunna del Conde*. Municipium olim. *Sulpitia* dicta. Plutarchus emendatus.

Cap. LXXVIII.

Numantia diutissimè Romanis restitit. Gerundensis Episc. duplex error. Ridicula opinio de etymo. Non esse *Zamorram*, sed *Soriam*. Pomponius Mela defensus.

Cap. LXXIX.

Flauiobriga nunc *Bilbao*. Olim hic Amanum portus. Situs eius & descriptio.

Cap. LXXX.

Pompelon à Pompeio exstructa. Diuersa à Pompeii trophæis. Vbi hæc exstant. Occupatur à Ferdinando Rege.

Cap. LXXXI.

Duplex Calaguris. Taraphæ error. Fidissima suis ducibus. Egregia inscriptio.

Cap. LXXXII.

Cæsarauguſta Colonia immunis. *Salduba* vocata. Variæ opiniones & fabulæ de prisco nomine refelluntur. Colonia huc ab Augusto deducta.

Cap. LXXXIII.

Osca *Victrix* cognominata. A Sertorio hic scholæ institutæ. Velleius Patereulus correctus.

Cap. LXXXIV.

Ilerda hodie *Lerida*. Sardones vbi. De origine Ilerdæ. Sicani nomen à Sicori amne traxerunt. Antiqua hic Academia.

Cap. LXXXV.

De Tarraconis origine. Scipionum opus. Dicta *Colonia Iulia Victrix Tyrrhenica.* Strabonis lapsus. Circi vestigia. Inscriptiones veteres. Vino linoque nobilis.

Cap. LXXXVI.

Emporiæ hodie *Ampurias.* A Phocensibus conditæ. Incolæ diuersi. Inscriptio vetus.

Cap. LXXXVII.

Montis Serrati descriptio. Quando D. Virgini hic exstructum templum.

Cap. LXXXVIII.

De Barcinonis origine reiectæ fabulæ. A Carthaginensibus condita. *Barcinus* & *Barcelona* dicta. *Faventia Iulia Augusta* cognominata. Vrbis descriptio.

Cap. LXXXIX.

De Gerundæ origine varia. Hodie *Girona* dicta. Situs eius & descriptio.

Cap. XC.

Pyrenæi montes. De etymo varia.

Cap. XCI.

Rhuscino olim Galliæ annexa. Perpinianum veteribus ignotum. Opinio Annii Viterbiensis explosa. Descriptio eius.

Cap. XCII.

Salsulæ hodie *Salsas.* Fontis ibi descriptio. De piscibus fossilibus multa.

Cap. XCIII.

Cassiterides stanno nobiles. De situ illarum disquisitio. Plinii lectio controuersa. *Oestrymnides* Festo, *Hesperides* Dionysio Alex. dictæ. Festus Auienus correctus. Vbinam hodie sint.

Cap. XCIV.

Pityusæ insulæ, *Ebusus* & *Ophiusa.* Serpentibus infesta *Ebusus.* Eiusdem nominis vrbs. Colonia Carthaginensium. Isidorus emendatus. Plinii lectio defensa contra Suritam.

Cap. XCV.

Baleares insulæ cur *Gymnesiæ* dictæ. Antonini lectio stabilita contra Simlerum. Vnde nomen. Funditores optimi. Laticlauo primi vsi. Mores & ritus.

NOBILIORES HISPANIÆ FLVVII.

Anas.	*Minius.*
Betis.	*Monda.*
Cinga.	*Salo.*
Cogedus.	*Sicoris.*
Durius.	*Sucro.*
Iberus.	*Turia.*
Lethæ.	*Tagus.*

LVDOVICI NONII.

HISPANIA.

CAPVT I.

DE HISPANIAE NOMINE, ET ETYMO. PLINIVS explicatus. Stephanus Byzantinius emendatus. Variè olim vocata.

CEntium primordia vrbiumque origines in obscuro esse, Scriptorum fœda adulatio, vanitasque plerumque facit. Dum enim gloriam ex vetustate auidi venantur, initia populorum augusta, splendidaque comminiscuntur, & Poetarum licentia, miscendo vera falsis ad inanes Deos & Heroes deducunt. Hinc fictæ vrbium origines, inauditæ Regum series nominaq; defluxere: ipsamq; antiquitatẽ dum anxie suis studẽt asserere, fabulis mendaciisque misere defœdant. Largiter hac in parte deliquere Hispani Scriptores: nam cum prouinciam antiquitati sacrare conantur, ab Hispano Herculis filio, vel ab Hispalo Rege, Hispaniæ nomen fluxisse, vno consensu contendunt omnes. Sed citra classici auctoris alicuius assensum. Ego vero veterũ scriptis insistens, à Pane Dionysii comite, non vnius aut proletarii scriptoris suffragio derivatum esse euincam. Agmen nihil ducat C. Plin. lib. 3. cap. 1. *Lusum*, inquit, *Liberi patris aut Lysam cum eo bacchantem nomẽ dedisse Lusitaniæ, Panà vero præfectum eius vniuersæ.* Vides clare duo hic dici, à Luso, vel Lysa Lusitaniã, à Pane vero vniuersam nominatã HISPANIAM; sed hoc vt fabulosũ eliminabit aliqs, nõ ego qui scitã Plinii subtexere: *At quæ de Hercule, ac Pyrene, vel Saturno traduntur fabulosa in primis arbitror.* Quid ni idẽ de Pane, aut Lysa dixisset, si cõmentitia iudicasset? Idem apertius longe docet Plutarchus libello de fluminibus & montib⁹ cap. XVI. *Mox cum Satyros & Panas in militiam delegisset, suo imperio Indos subiecit, atque de victa Iberia, Panà illis locis præfecit, qui Regionem de seipso* PANIAM *vocauit, at iuniores vocabulum inde deducentes* SPANIAM *dixerunt, vti voluit Sosthenes libro XIII. rerum Iberic.*

Clare hic ostendit, primo Paniam à Pane, deinde & *Spaniã* vocatã. In vsu etiã fuisse postremũ hoc nomẽ, teltis est vetus Iuuenalis Scholiastes ad Saty. 12. vbi *Spaniã Bæticã*, pro Hispania Bætica vocat. Idẽ docet multæ eruditionis Ambrosius Moralis, notis suis ad D. Eulogiũ Cordubensem. Facem hoc loco mihi præfert Plutarchus, ad illustrandũ Stephani Byzantini locum, libro de vrbibus. Vidit illum diligentissimus Abrahamus Ortelius, sed corruptum præteriit, cuius verba sunt in dictione ἱσπανίαι: ἱσπανίαι, δύο τῆς ἰταλικῆς ἐπαρχίαι, ἡ μὲν μεγάλη, ἡ δὲ μικρά. ἐκλήθη δὲ καὶ ἱβηρία καὶ παννωνία. Id est: *Hispaniæ, duæ sũt Italiæ præfecturæ, maior & minor, vocatur etiam Iberia, & Pannonia.* Sed quis vnquam quęso, HISPANIAM, *Pannoniam* dictam scripsit? quę tantum ab hac nostra,

Quantum Hypanis Veneto distat ab Eridano.

Apage ergo hanc vocem, quam nec per somnium quidem auctor scripsit, & eius loco substitue audacter παυίαν HISPANIAM scilicet, olim dictam Iberiam & Paniam. Quod cum imperitis non arrideret, litterarum, *Non*, intertectione *Pannoniam* effinxerunt. Ioannes etiam Goropius Becanus lib. IIII. rerum Hispanicarum luculente satis docet, HISPANIAM primo fuisse dictam *Panidm*, & postea syllabæ, *His*, adiectione *Hispaniam*: quod Cimmeria seu Teutonica lingua, *occidiam Paniam* significat, ad discrimen Orientalis Paniæ; quæ Hesychio teste, Peloponnesus erat. Et cum constat Italiam olim *Saturniam* dictam, in Saturni memoriam, & *Latium*, quod in illa latuerit, quis mirabitur HISPANIAM in Patris Dei honorem, *Paniam* olim dictam? præsertim cum & ipse Stephanus, Arcadiam παυίαν quondam vocatam referat. Dicta etiam *Hesperia*, vel ab Hespero Rege, Atlantis fratre, vel potius ab *Hespero* Stella, quæ ibi primo conspicitur. Sed non simpliciter *Hesperia* dicta, vt Italia; sed, vt docet Isidorus lib. XIV. cap. IIII. *Vltima Hesperia*. Vnde Horatius lib. I. carminum oda XXXVI.

Qui nunc Hesperia sospes ad vltima.

A Lucano tamen, citra vllam adiectionem, vocatur *Hesperia*:

Qui ferit Hesperiam post omnia flumina Bætis.

Diodoro vero Siculo lib. VI. Bibliothecæ, & Appiano Alexandrino *Celtiberia*, à præpotente Celtiberorum populo. A Græcis vero passim *Iberia* dicitur, ab *Ibero* fluuio, vt Ste-

vt Stephano Byzantino placet, vel ab *Ibero* Tubalis filio, vt Pseudo-beroso & nugatori Annio Viterbiensi; sed vero propius est, ad *Iberis* Asiæ populis, qui in Hispaniam venere (si Varroni apud Plinium fides habenda) amni & regioni nomen inditum esse: licet Dionysio Alexandrino aliter visũ sit, nempe Orientales Iberos, ab Hispanis ortum & nomen sumsisse, quod & Eustachio eius Cõmentatori, & Nicephoro Callisto Eccles. Historiæ Lib. VIII. Cap. XXIIII. persuasum video. Auctor est Strabo sub finẽ libri tertii olim Hispaniæ incolas, *Igletas* vocatos fuisse: qua de causa, me prorsus fugit, nisi cum Cl.mo Causabono placeat *Gletas* substituere. Teste enim Stephano. Γλῆτες ἔθνος ἱδρυμένον μετὰ τοὺς κυνήτας. Id est: *Populus Hispaniæ apud Cynitas*: qui, eodem teste, & *Cynesii* vocantur, erantque ad Oceanum circa Herculis Columnas, vnde & *Cyneticum promontorium*: quod Ortelius non procul à Sacro collocat. Non multum ab his diuersus Festus Auienus in Iambis, nisi quod Anam amnem per Cynetas dicat fluere:

Anna amnis illic per Cynetas effluit
Sulcatque glebam.

Vnde, vt in aperto est, hos populos in confinio Lusitaniæ & Bæticæ olim fuisse, ita etiã æque obscurum quinam illi fuerint.

Cap. II.

Hispaniæ *situs, & figura. Diuisio eius sæpe mutata.*

Extrema terrarum ad solis occasum est Hispania, quæ naturæ sollertis ingenio, vel vt alter orbis, partim Pyrenæis montibus, partim Oceani æstibus, & Tyrrheni maris littoribus coronata includitur. Corio bubulo humi protenso comparatur. Straboni lib. III. Iustino lib. XLIV. prope quadratę est figuræ: Paullo vero Orosio lib. I. cap. II. & Æthico in Cosmographia sua trigona est: cuius longitudo, auctore Strabone, sex millia stadiorum, latitudo quinq; millia complectitur, vt maximum. Appiano autem Alexandrino in Ibericis, tam longitudine quam latitudine sua decem millia stadiorum explet. Plinius non multum ab Appiani calculo discedit, nam mille & octuaginta duo M. P. habere in longitudine ostendit: latitudo inæqualis est.

In duas primum diuisa prouincias, *Citeriorem* & *Vlteriorem*, separante vtramque nobilissimo amne Ibero. Strabo in *Exteriorem* & *Interiorem* à Romanis diuisam dicit. Commodius tamen interpres poterat, seruasse Romanorum nomina, tam ex illorũ mente dicit Hispaniam diuisam in τὴν ἐκτὸς ὃν καὶ τὴν ἐντός, cui ad amussim quadrant *Citerioris* & *Vlterioris* appellatio.

Stephanus vero Byzantinus in *Maiorem* & *Minorem*, quarum hæc *Vlterior*, illa *Citerior* commode dicetur. Labente tamen æuo, & prouinciarũ terminis mutatis, tres effectæ sunt, *Vlteriore* in Bæticam, & Lusitaniam diuisa; *Citerior* vero etiam *Tarraconẽsis* nuncupata, à Tarracone vrbe primaria. *Bætica* quidem à septentrione claudit Anas fluuio; ab occasu Atlanticum; à meridie Baleaticum prospectat mare (quod est inter fretum Herculeum, & Charidami promontorium, vulgo *Cabo de Gata*;) ab oriente terminatur linea ducta ab hoc promontorio per Castulonem, ad Anam vsque flumen. Lusitaniam terminat à septentrione amnis Durius (qui eam à Tarraconensi diuidit;) à meridie Anas amnis à Bętica eam separat: ab occidente Atlantici Oceani ea parte, quę inter Anæ & Durii ostia est; ab oriente Tarraconensi prouincia distinguitur. *Tarraconensis* autem Prouincia à Septentrione in Oceanum Britannicum, ab Oeasone promontorio (quod Mario Aretico *Cabo Preton*, aliis *Fonterabia* est) ad Nerium promontorium vsque, vulgo *Finis terræ*; ab occasu in Oceanum Atlanticum, à dicto promontorio ad ostium Durii amnis excurrit; à Meridie Lusitania, & Baleatici maris ora; ab Oriente Pyrenæis montibus includitur. His tribus Hispaniæ prouinciis duæ sunt additæ, Cõstantini Magni tempore, vt cum Ioanne Magarino Gerundensi Episcopo, antiqua Hispaniæ testantur Concilia. Cathaginensis nempe, & Gallætia; sed non satis exacte. Nã è Sexto Aurelio Victore colligit recte Onufrius Panuinius, sub Hadriano Imperatore in VI. Prouincias diuisam, vt refert & Sextus Rufus, & Isidorus, in *Tarraconensem*, *Carthaginensem*, *Lusitaniam*, *Galleciam*, *Bæticam*, & trans freta Africæ *Tingitaniam*; liber etiã Notitiarum Imperii septimam addit, *Insularem*: quod demum sub magno Constantino accidisse, idem affert exactissimus Romanæ Historiæ scrutator Panuinius. Superiori vero æuo diuisa erat in XII. regna *Legiones*, *Castellæ antiquæ & nouæ*, *Aragoniæ*, *Portugalliæ*, *Nauarræ*, *Granatæ*, *Valentiæ*, *Toleti*, *Galleciæ*, *Algarbiorum*, *Murtiæ*, *Cordubæ*. Ex quibus priora quinq; maioris famæ nominisq; fuere; quæq; continuam Regum seriem habuerunt.

CAP. III.

Fabula de priſcis HISPANIÆ *Regibus exploditur. Beroſus, & Annius Viterbienſis reiiciuntur.*

CVM paſſim Hiſpanicarum rerum Scriptores de primis HISPANIÆ Regibus multa tradant, pretium operæ fore credidi παράεργον hoc adtexere, & ab quo hoc commentum refellere. Ferunt enim vnanimi conſenſu, Tubalem poſt cataclysmum vniuerſalem, in HISPANIAS traieciſſe, ſuique nominis vrbes condidiſſe *Setubalem, & Tudellam*, poſtea & Noëmum hiſce litoribus appulſum, *Noelam* in Gallæcia, & in Aſturia *Noegam* exſtruxiſſe: à Tubale longam Regum ſeriem fluxiſſe, nempe Iberum, Idubedam, Brigum, Tagum, Bætum, Sicorum, Sicanum, aliosq; quos recenſere moleſtum eſſet. Huius choreæ, & fabulæ præſultor fuit Ioannes Annius Viterbienſis, homo non religioſiſſimæ fidei: illum ſecuti ceteri.

—— ſicut grex totus in agris
Vnius ſcabie cadit & porrigine porci.

Is Beroſum Chaldæum primus in lucem dedit, & Commentario illuſtrauit, qui non ſolum de Chaldęorum, ſed totius pœne orbis primordiis, Regibusq; agit. Sed nihil hęc cum Beroſo illo, quem Athenienſes χρυσόγλωσσον vocarunt. Nam cum is ante Alexandri Magni ævum vixerit, quo non ſolum Chaldæis, ſed & Græcis Europæ res, & præcipuè HISPANIÆ, in occulto erant, multisq; demum poſt ſeculis latuerunt, donec victricibus Romanorum armis orbis paſſim detectus, & per commercia coniunctus fuit. Vnde ergo Beroſo tam immenſo terrarum ſpatio ab HISPANIA remoto, tanta illius Prouinciæ notitia contigit? ſed demus hæc illi diuinitùs fuiſſe cognita: cur poſteriorum nemo Scriptorum, ad quos Beroſi opera peruenerunt, horum meminit Regum? cur hoc ab Euſebio præteritum in Chronicis? Nihil agitis: putæ putæ nugæ ſunt, nec gentium ſolùm hoc eſſe Beroſi opus auſim inficiari, ſed Annii potius Viterbienſis, aut alicuius malè feriati commentum credo: cui ſub ſpecioſo hoc titulo poſteritati illudere lubido fuit, ratus poſteros omnes ita fungos fore, vt lupinos hos ab ere neſcirent diſcernere. Sed quis tam modeſti ſplenis eſt, dũ Hiſpanica nomina à Chaldæo homine audit è medio Latio peti, vt non riſu diffluat. nec Luciſianus ille Craſſus hoc ſibi imperabit. Anne aliquid ineptius, vel audaciùs dici poteſt, quam *Setubalem* à Tubale conditam, qui nunquam Hiſpaniæ pedem intulit, ſed apud Ponti accolas Iberos habitauit? Nec *Setubalis* nomen Latino cælo aut fido alicui Scriptori notũ, niſi ſub Cætoprigis nomine, vt fuſius ſuo loco patebit. An ideo dicemus *Noegam* aut *Noelam* à Noe fundatam, quia vocis aliqua affinitas interedit? Sic Iberum Tubalis filium fabulantur, à quo poſtea amni, & toti prouinciæ nomen impoſitum: cùm conſtet ab Aſiaticis Iberis hoc nomen emanaſſe. Sic Brigum Regem ſomniant, quia multæ in Hiſpania vrbes in Briga deſinũt, vt *Segobriga, Flauiobriga, Mirobriga*, quod idem ac Germanis *Burgum*, & Gallis *Dunum*, vt *Auguſtodunum, Nouiodunum*. Sed piget his diutius immorari ineptiis; quare

—— ne me Criſpini ſcrinia lippi
Compilaſſe putes, verbum non amplius addam.

Præſertim vero cũ Becanus noſter, & Caſpar Barreirius, duduũ perſonam huic Pſeudo-Beroſo detraxere, multaque vero Beroſo contraria habere oſtenderunt. Quare auctor ſim, vt cum interprete ſuo Annio

Aut Vticam fugiat, aut vnctus mittatur Ilerdam.

Sufficiant hæc de fabuloſis HISPANIÆ Regibus: de veris verò Regibus, mirum, quam altum vbique ſilentium, & paucorum admodum nomen vel fama ſupereſt. Refert Iuſtinus *Gargorim* quendam vetuſtiſſimum Tarteſſiorum Regem fuiſſe, qui mellis colligendi vſum primus inuenit, huic ex filiæ ſtupro nepos ſucceſſit *Habis*, per admirabiles caſus, & ſtupenda pericula diuinitus ſeruatus, non ſecus ac Romæ conditores. Hic populum legibus iunxit, & ex agreſti ciuilem effecit: quo mortuo, regnum per multa ſecula à ſucceſſoribus eius retentum eſt. Macrobius etiã *Theronis* meminit, Citerioris Hiſpaniæ regis. Mitto de Arganthonio & Geryone dicere: qui in Bæticæ angulo imperarunt, quia noti omnibus. Mandonius & Indibilis, etſi eos ſoquantur Hiſtoriæ, inter regulos potius & dynaſtas, quam inter Reges numerandi ſunt.

CAP.

CAP. IV.

Varii Hispaniæ incolæ: Romani variè illam rexerunt, per Procoss. Prætores, Legatos, Vicarios, Comites, Præsides.

VArios venisse in HISPANIAM populos, tamquam ad asylum aliquod, narrant historiæ: quorum nonnulli auitis sedibus pulsi, vt Phocenses, Rhodii, &

——*Teucer Salamina, patremque*
Cum fugeret.

Alii ob ingentem multitudinem, patriæ graues huc Colonias deduxêre, vt Celtæ. Aliqui verò prouinciæ opibus, & fertilitate allecti, & mercimonii caussa hic sedes fixêre: vt Phœnices, Tyrijq; Mirum est quod Annæus Seneca scribat Germanos in Hispaniam venisse consolatione ad Heluiam. *Pyrenæus Germanorum transitum non inhibuit, per inuia, per ignara versati se humana lenitas. liberos coniuges, & graues senio parentes traxerunt.* Sed quo tempore id acciderit, nemo est qui tradat, penes auctorem sit fides.

Imperii verò cupidine, primi Carthaginenses; postea & Romani in illam traiecere; & tamquam pro Helena aliqua pugnantes mutuis illam cladibus nobilitarunt. Causssam, cur primùm in H. SPANIAM Carthaginenses venerint, aperit Iustinus. lib. XLIV. *Gaditani*, inquit, *cum à Tyro, vnde & Carthaginensium origo est, sacra Herculis per quietem iussi in* HISPANIAM *transtulissent, vrbemq; ibi condidissent, inuidentibus incrementis nouæ vrbis finitimis* HISPANÆ *populis; ac propterea Gaditanos bello lacessentibus, auxilium consanguineis Carthaginenses miserunt: ibi felici expeditione; & Gaditanos ab iniuria vindicauerunt, & maiorem partem prouinciæ imperio suo adiecerunt. Posteà quoque, hortantibus primæ expeditionis auspicijs, Amilcarem Imperatorem cum magna manu ad occupandam prouinciam miserunt: qui magnis rebus gestis, dum fortunam inconsultius sequitur in insidias deductus occiditur.* Occasione verò Saguntini excidii, traiecêre in HISPANIAM Romani, qui variè & inæqualiter illam administrarunt (nam de Carthaginensium imperio nihil, quod sciam, posteris transmissum.) Primus autem P. Scipio deuictis Carthaginensibus, in Prouinciam redegit HISPANIAM, vt ex T. Liuio, & Appiano in Ibericis est colligere. Per Procoss. administrata primùm à primis Scipionibus, ad Cornelium Lentulum, & L. Stertinium, qui anno ab V. C. IↃLV. Procoss. creati sunt. postea verò Prætores Prouinciam obtinuerunt: C. Sempronius Tuditanus Citeriorem: M. Heluius Vlteriorem, anno ab V. C. IↃLVII. quo tempore primùm VI. Prætores creatos, crescentibus Prouinciis, & latè diffuso imperio Rom. testis est T. Liuius lib. XXXII. Anno verò IↃLIX. gliscente bello, præter duos Prætores consulari duce & exercitu opus fuit, missusq; M. Porcius Cato Cos. Pro mole verò belli nunc Prætores, nunc Proconsules, nunc Consules prouinciam administrarunt, vt cuiq; obuium erit legenti Romanas Historias: vnum sit multorum instar exemplum. Bello, quod aduersus Sertorium gestum est, Q. Metellus Procos. & Cn. Pompeius Quæstor cum potestate consulari missi sunt, vt refert Liuii Epitome lib. XCI. Ipse etiam Pompeius HISPANIAM per Afranium, & Petreium legatos administrauit. Augusti verò Cæsaris imperio, *Batica* S. P. Q. R. commissa fuit: *Tarraconensis* & *Lusitania* Cæsari seruatæ sunt, teste Dione lib. 43. Tiberii verò Cæsaris æuo, teste Strabone lib. 3. plebis nomine, in *Baticam* Prætor mittebatur, qui Legatum & Quæstorem habebat, in reliquam verò prouinciam Cæsar duos mittebat legatos, Prætorium, & Consularem. Prætorius quidem ius dicebat *Lusitaniæ*: Consularis verò vniuersæ *Tarraconensi* imperabat, qui secum tres legatos habebat; quo commodiùs vastæ illi prouinciæ ius diceret. Appianus de bello Hispaniensi, à Dione & Strabone diuersus abit. Ab eo tempore, inquit, (quo Cantabros Augustus vicit) Romani Iberiam quæ hodie Hispania dicitur, in tres partes diuidere cœpisse mihi videntur, in quarum duas, annuos magistratus Senatus mittit, in tertiam verò Præsidem Imperator. Mutatum tamen & hunc morem sub ipso Tiberio refert Tacitus lib. IV. Annalium, cùm dicat Vibium Serenum Procos. vlterioris Hispaniæ fuisse, quæ dignitas ad Gratiani Imperatoris tempora duravit, eiusq; demum æuo desisse videtur, vt apud Sulpitium Seuerum lib. 2. Sacræ historiæ videre est. Vltimumq; fuisse Proconsulem Voluentium notat: in cuius locum vicarius substitutus fuit, *nam iam Proconsulem habere desierat*, vt ait. Postmodùm verò nunc Præsidum, nunc Comitũ, nunc Vicariorum nomen viguit. Sextus verò Rufus suo æuo dicit *Baticam* & *Lusitaniam* Consulares fuisse prouincias, *Tarraconensem* verò Præsidialem.

CAP. V.

HISPANIÆ *laus à salubritate, fertilitate. Variæ metallorum sectura. Immensæ opes.*

DE nomine, situ, & diuisione HISPANIÆ hactenus: æquum nunc est de natiuis eius bonis, & largitricis naturæ opibus dicere, ne, vt Amyclæ olim, silentio pereant. C. Plinius, vltimis verbis vasti sui operis, Italiâ exceptâ, totius orbis primam laudem HISPANIÆ defert. Decumanum hoc testimonium, & præiudicatæ auctoritatis sit ad instar. Sed lubet singula inquirere, ne à fauore potius, quàm merito emanasse hoc quis putet. An cæli temperiem quæris? tota ea vitalis, ac perennis salubritatis est, adeò vt bearorum hîc felices sedes, & Elysios campos Homerus statuerit, Strabone teste. Quippe nec violento æstu excoquitur, aut nimio frigore tellus aduritur, non ventorum procellis, aut graui paludum nebulæ obnoxia; sed aura est suda serenaque fontium copia, nemorum frequentia, montium articulis, & portuosis litoribus egregiè ornata. At de soli forsan felicitate dubitas? *In omnia*, inquit Iustinus *frugum genera fecunda est adeo, vt non ipsis tantùm incolis verùm etiam Italiæ vbique Romanæ, cunctarum rerum abundantia sufficiat.* Olei verò mellisque, & vini non abundans modo sed & prodiga. Lina, & nobilia pecoris vellera; vbi gentium meliora?

Nec varios discit mentiri hic lana colores
Ipse sed in pratis aries iam suaue rubenti
Murice, iam croceo commutat vellera luto.

Martialis hoc disserte libro IX. Epigr. LXII.

Vellera natiuo pallent vbi flaua metallo,
Et linit Hesperium bractea viua pecus.

Equorum verò tam pernices alit greges, vt non frustra vento conceptos antiquitùs creditum sit. *Nihil denig in ea otiosum*, ait I. Solinus, *nihil sterile quidquid cuiuscumque modi negat messem, viget pabulis, etiam quæ arida sunt ac sterilia, rudentum materiam nauticis subministrant.* Dicam cum Marone, sed dicam verè:

Hæc loca, non tauri spirantes naribus ignem
Inuertere, satis immanis dentibus Hydri:
Nec galeis, densisq; virum seges horruit hastis:
Sed grauidæ fruges, & Bacchi Massicus humor
Implêuere: tenent oleæ armentaque læta.
Hinc bellator equus campo sese arduus infert.

Summæ hæc tellutis bona & in aperto sunt; sed & operta eius viscera recludere, & scrutari lubet. Mirabere tam variis, & multiiugis passim diuitiis fetam. Strabo lib. IIII. Aurum, argentum, æs, ac ferrum nullibi terrarum, neq; tantum, neq; tam probatum generari est auctor. vnde vt lepidè ita, & verè Posidonius refert, loca subterranea hîc non à Plutone, sed ab opulentiæ Deo Pluto incoli. Plinius etiam lib. III. cap. III. *Metallis*, inquit, *plumbi, ferri, æris, argenti, auri tota fermè* HISPANIA *scatet. Citerior & specularibus lapidibus. Bætica & minio. sunt & marmorum lapicidinæ.* Magna hæc sunt, sed maius multo, quod præter Diodorum Siculum lib. VI. Bibliothecæ, refert Aristoteles, lib. de mirandis auditionibus: Phœnices tantam auri, argentique copiam ex HISPANIA asportasse, vt, cùm onustis nauibus argentum superaret, ex ipso anchoras conflauerint. Sed tam inexhausta erat argenti copia, vt asserat Strabo, Carthaginenses duce Barca (*Amilcare* forsan) in Turdetania Hispanos inuenisse vrentes præsepibus & doliis argenteis. Scio V. CL. Isac. Casaubonum per vocem *φάτνη laquearia domus* accipere, & non *præsepia*: vtrumque tamen immensam, & pœnè fastiditam argenti copiam ostendit. Sed de fide dubitabit non nemo, & diluræ auctoritatis hæc quæretur: videat quid Plinius dicat lib. XXXIII. cap. IV. *Vicena millia pondo [auri] ad hunc modum singulis annis Asturiam, atq; Gallæciam, & Lusitaniam præstare quidam tradiderunt, ita vt plurimum Asturia gignat, neq; in vlla parte terrarum, tot seculis hæc fertilitas.* Sed quota hæc HISPANIÆ pars? quid vniuersam præstitisse dices? & ne videar, instar rorarii militis, eminus tantùm tela spargere, lubet collato pede rem gerere, & per ipsas Romanorum triumphales prædas ire, vel ipso T. Liuio ductore. Iuuabit vidisse tot Iasones ad auratam hanc prædam confluxisse, & tot spoliis auctos rediisse. P. Corn. Scipio, primus quod sciam, argenti pondo quatuordecim millia, trecenta quadraginta duo, & signati magnum numerum ærario intulit. L. Lentulus quadraginta quatuor millia argenti, auri

auri verò bis mille quinquaginta pondo, præter pecuniam militibus diuisam. Corn. Lentulus, & L. Stertinius eodem pœne tempore, argenti septuaginta millia, auri mille quingenta pondo. M. verò Heluius argenti infecti quatuordecim millia, septingenta triginta duo pondo, signati pigatoti septemdecim millia, viginti tria, Oscensis argenti centum viginti millia; quadringenta triginta octo, ex vlteriore Hispania asportauit. C. Minuci ex citeriore, triginta quatuor millia octingenta argenti, bigatorum septuaginta octo millia, argenti Oscensis ducenta septuaginta octo millia ærario intulit. Et cui cupido singulos triumphos colligere, ipsum Liuium consulat, & in aceruum contrahat triumphales has manubias, videbit exiguo annorum spatio populum Rom. deprædatum fuisse supra sexcenta millia argenti infecti pondo, argenti verò Oscensis quadringenta millia, auri verò circiter decē millia, signati verò infinitam copiam. Mitto nunc ducum militumque rapinas, donatiua, stipendia, quæ dubio procul summam hanc multo superant. Et ex hostica hæc. Quid ex pacata prouincia opum illis venisse censebimus? vel vnus Plinii locus sufficiet, qui lib. XXXIII. refert suo adhuc æuo per Hispanias durasse ab Hannibale inchoatos puteos, ex quib. qui *Bebelo* vocatur, CCC. Annibali pondo in diem subministrauit, quæ Budæi calculo tria aureorum millia efficiunt. Potiori certe iure Auream messem quis HISPANIAM, quam cum Stratocle aut Dromoclida tribunal vocabit: vbi pace, belloq; tanta opum segeś indies succrescerent, adeo vt iure de illa animosus Poeta Claudianus cecinerit, lib. de laudibus Serenæ:

Quid dignum memorare tuis HISPANIA *terris*
Vox humana valet? primo lauat æquore solem
India: tu fessos excipis hinc iugales
Prolue, inque tuo respirant sidera fluctu.
Diues equis, frugum facilis, pretiosa metallis,
Principibus fœcunda pijs.

Sed hoc laudis agmen mihi claudant, Latini Pacati Drepani, Panegyrico suo ad Theodosium Augustum, verba: *Sint vt scribitur, Gargara prouentu læta tritico, Mœuania memoretur armento, Campania censeatur monte Gaurano, Lydia prædicetur amne Pactolo, dum Hispaniæ vni, quidquid vbique laudatur, assurgat: hæc durissimos milites, hæc experti ssimos duces, hæc facundissimos oratores; hæc clarissimos vates parit: hæc Iudicum mater, hæc Principum est.* Prisca etiam numismata luculente HISPANIÆ dotes loquuntur. in Hadriani enim Imp. nummo depingitur fœmina sedens cum oleæ ramo, & cuniculo ad pedes, olei vbertatem & cuniculorum frequentiam denotans: vel, vt suspicor, non absurde, ob metallorum vberes fecturas, quæ cuniculis sub terram aguntur. Vnde Catullus vocat *Celtiberiam cuniculosam*. Galbæ verò Imp. nummus refert fœminam militariter ornatam: quæ clypeum & bina iacula sinistra, dextera verò spicas frumenti gestat, vt bellacem, fertilemq; simul designet prouinciam. Sed vnde tantum à prisca fertilitate degenerauit? an occulti aliqui & noxii siderum positus genialem telluris vim infecere? an effeta & lassa terra inani spe agricolas lactat? neutrum ego in causa putem. Æque enim ac prisci seculis, in omnia frugum genera fœcunda est. Sed deest industria. nam cum natiua in arma magis, quam aratra propensi sint Hispani; per longinquas in vtramq; [illegible] expeditiones, & continuata bella, exhauritur iuuentus. Hinc agricolarum in[illegible]cia; hinc agri neglecti potius quam steriles cernuntur. Nec desierunt hic metal[illegible] Regum interdicto, HISPANIÆ parci nunc iubetur, donec India thesauros suos [illegible]ppeditet.

CAP. VI.

INCOLAE BELLICOSI. DIVTISSIME ROMANIS resiterunt. Fideles. Hospitales. Literisediti.

SVfficiat modo, folia hæc aut vmbras potius laudis, pendente manu attigisse. Sed quibus se vere iactat Hispania, nunc dicenda. Incolarum virtutes & ingenia, quæ domi forisque egregie conspicua, in bellum tamen & arma magis propensa: adeo vt plurimis, Iustino auctore, *militares equi & arma sanguine ipsorum cariora sint.* Ideo assueti

Nec vitam sine Marte pati: quippe omnis in armis
Lucis caussa sita; & damnatum viuere pacī.

Verissimū hoc Silii dictum memorabili exemplo confirmarunt, dum M. Portius Cato quorundam rebellione ictus, arma omnibus cis Iberum Hispanis ademit, quod adeo ægre passos scribit Liuius, vt multi morte sibimet ipsi consciuerint, *nullam vitam sine armis rati.* L. Florus ideo *Bellatricem, virisque armisque nobilem, seminarium hostilis exercitus, & Hannibalis eruditricē* appellat. Thucydides oratione, quā Alcibiades ad Lacedæmonios

habuit, Iberos purpuraciſſimos barbarorum vocat; nec de Pontiacolis ibi ſermo (vt non nemo forſan ſuſpicatur) ſed de Hiſpanis noſtris. Indicio eſt Siciliæ, & Carthaginenſium cũ HISPANIA vicinitas, à qua altera Iberia nimis quam remota. Imp. vero Claudius, apud Trebellium Pollionem, HISPANIAM vna cum Gallia *Romani imperii vires* eſſe dicit: T. vero Liuius, *non quã Italia modo, ſed quã vlla pars terrarũ bello reparando aptiorẽ locorum hominumque ingeniis* eſſe ait: quod non ſine ſuo periculo & clade ſenſere Romani. Nuſquã enim diutius & maiori mole certatum eſt, nec vlla prouincia tantum Romani cruoris hauſit. *Per ducentos enim annos*, inquit Velleius Paterculus, *in hac multo mutuoque ita certatum eſt ſanguine, vt amiſſis P. R. Imperatoribus, exercitibuſque, ſæpe contumelia, nonnunquã etiam periculum Romano inferretur imperio. Illa enim prouincia Scipiones conſumſerunt; illa contumelioſo viginti annorum bello, ſub duce Viriato maiores noſtros exercuerunt; illa terrore Numantini belli P. R. concuſſerunt; in illis turpe Q. Pompeii fœdus, turpiusque Mancini Senatus, cum ignominia dediti imperatoris reſcidit; illa tot Conſulares, tot Prætorios abſumſit duces, patrumque ætate, in tantum Sertorium armis extulit, vt per quinquennium, diiudicari non potuerit, Hiſpanis, Romanine in armis plus eſſet roboris, & vter populus alteri pariturus eſſet.* Sed HISPANIÆ nunquam animus fuit, ait Florus, aduerſus Romanos conſurgere, nunquam conferre vires ſuas lubuit, neque aut impetare, aut tueri libertatem publice: alioquin ita vndiq; mari, Pyrenæoque vallata, vt ingenio ſitus nec adiri quidem potuerit; ſed antea à Romanis obſeſſa eſt, quam ſe ipſam cognoſceret, & ſola omnium prouinciarum vires ſuas, poſtquam victa eſt, cognouit. Bellaces hos egregie fuiſſe, quis mirabitur? cum corpora hominum ad inediam, & laborem, animi ad mortem parati erant. ideoque in acie exultabant, tanquam gloriosè vitã exceſſuri: lamentabantur in morbo, tanquam turpiter & miſerabiliter perituri. Nec defuere inuicto illi robori, & pugnaci animo, egregiæ pacis artes, & togæ decora. An fidem in Socios vel Principes quæres? nuſpiam pœne ſanctius culta. Teſtis ipſa Saguntus, vel maxime fidei infelix monumentũ: quæ, potius quam à ſocietate P. R. deficiſceret, publico & cõmuni rogo ſe concremauit. Celtiberi nefas eſſe ducebant ſuperesſe, cum is occidiſſet, pro cuius ſalute ſpiritum deuouerant. Hinc C. Iulius Cæſar, teſte Suetonio, ſtipatores ſibi elegit Hiſpanos, & Auguſtus Cæſar Calaguritanorum cohortem habuit. In aduenas vero quam hoſpitales fuerint, luculente reſtatur Diodorus Siculus: *Aduenientes externos benigne hoſpitiõ excipiunt, adeo vt quadam æmulatione inuicem pro illorum honore certent: quos vero aduenæ ſequuntur, hos laudant, amicoſque Deorum eſſe putant.* Literarum verò ſtudiis & ſapientia omni ævo claruerunt. Auctor eſt Strabo Turdetanos Bæticæ populos ſapientia excelluiſſe, & memorandę vetuſtatis volumina habuiſſe, & poemata ac leges à ſex annorum millibus conſcriptas verſibus. Sed vetus hoc exemplum non nemo ſpernet. An & illud, ab vltimis Gadibus T. Liuii fama excitos Romam veniſſe Hiſpanos, vt illius aſpectu fruerentur, cuius eloquentiam tantopere admirabantur? Auſim dicere Italia excepta, nullam prouinciam clariſ ingeniis magis fœcundam fuiſſe, nec plura doctrinæ lumina genuiſſe. Loquantur duo Senecæ, Columella, Lucanus, Martialis, Iulius Hyginus, Pomponius Mela, Auerroes, aliiq; ſexcenti:

Quos aget penna metuente ſolui
Fama ſuperſtes.

Nec inter poſtrema eius ornamenta cenſendum puto, Veſpaſianum Auguſtum, teſte Plinio, procellis reip. iactatum, vniuerſæ HISPANIÆ ius Latii tribuiſſe, præſagus forſan, orituros hinc quandoque Imperatores: quorum auſpicio & virtute, eneruatum luxu, & inteſtinis diſcordiis Imperium, priſtinas vires reſumeret, & lacertos iterum moueret. Teſtes Traianus, Hadrianus & Theodoſius, nullis Principibus virtute vel fortitudine inferiores. Vnde merito Claudianus:

Sola nouum Latiis vectigal Iberia rebus
Contulit, Auguſtos. fruges, æraria, miles
Vndique conueniunt, totoque ex orbe leguntur:
Hæc generat, qui cuncta regant.

De religione quid attinet dicere? cum nuſpiã pœne terrarũ plus ſanguinis pro Chriſto ſit effuſum, nec purius alibi ſeruata, aut felicius in remotiſſimas orbis plagas propagata ſit. Sed vberiori hæc dicenda eſſent ſtilo, mihi ſufficiat leui hæc penicillo tantũ adumbraſſe. Nunc inſtitutum vrgeamus, ducto à Bætica initio.

CAP. VII.

CAP. VII

BÆTICA

TVRDETANIA *DICTA. MARTIANVS CAPELLA emendatus. Oleis abundat. Minio nobilis.*

VT cæteras prouinciarum amœno cultu, & fertili nitore præcedit Bætica, ita etiam non immeritò ab illa mihi auspicandum duxi. Nomen habet à fluuio eam mediam secante Bæti. Plinio etiam *vlterior* vocata, Straboni verò lib. 3. *Turdetania* etiam: *Regio ipsa, à flumine Bætica, ab incolis Turdetania vocatur*, à præpotenti scilicet Turdetanorum populo. Hodie verò potior eius pars *Andaluzia* vocatur, corrupto nomine, à Vandalis olim incolis. A septemtrione, clauditur Ana fluuio; ab occasu, Atlantico Oceano; à meridie, mare Balearicum; ab oriente, linea ducta per Castulonem ad Anam vsque terminat. Aliter Strabo diuidit. Anas ad septentrionem & occasum terminat: ad ortum autem nonnulli Carpetanorum & Oretani; ad Meridiem verò ex Basteranis qui intrà Calpen & Gades littus angustũ incolũt. Eius longitudo, à Castulone Gades vsq; teste Plinio, ex sententia M. Agrippæ, in CCCCLXXV. M. P. erat porrecta, latitudo verò eius à Carteiana ora CCXXIV. M. P. Diuersus à Plinio est Martianus Capella, qui lib. VI. *Eadem verò [Bætica] longitudinis dimensione distenditur, à Castulonis oppidi fine, in Gaditanum oppidum*, CCL. *M. P. amplior æstimatur, Latitudo quoque in* CCXXIV. *M. P. excurrit.* Sed crassior hic error est, quàm vt excusari possit. paulò enim inferiùs tefellit perperam M. Aprippam: qui citerioris Hispaniæ longitudinem patere in CCCCLXXV. M. P. dicit, quod de Bætica Agrippam dicere ex Plinio præter Iuridicos in ea quatuor conuentus, *Gaditanum, Cordubensem, Hispalensem, & Astigitanum* recenset Plinius. Fœdè hic iterum depranatus Martiani Capellæ codex, qui duos tantùm agnoscit *Gaditanum & Cordubensem.* Malim certè codicem vtrobique accusare, quàm docto Afro inscitiæ notam inurere. Regio ipsa omnigena frugum copia mire luxuriat, siue vinearum prouentus, siue arborarios fructus requiras. Oliuetis verò vnicè dives est, quod Plinius testatum reliquit lib. XVII. cap. XII. *Bætica*, inquit, *vberrimas messes inter oleas mittit*: & lib. XV. cap. II. post Italiam, inter Istriam & Bæticam, dicit par certamen de olei laude. vnde & Statius Papinius Silu. lib. II.

Quæ Tritonide fertiles Athenas
Vnctis Bætica prouocas trapetis.

Cumque omnium ferax sit, tum vel præcipuè inexhausta, & diuiti metallorum vena scatet. Sed minio inter cetera felix, maximæ olim apud Romanos auctoritatis: indicio est cura diligentiaque, qua illud seruabant. vnde Plinius lib. XXXIII. cap. VII. *Celeberrimum [minium] ex Sisaponensi regione in Bætica miniarij metallo, vectigalibus populi Romani, nullius rei diligentiore custodia, non licet id ibi perficere excoquique: Romam perferturvena signata, ad dena millia ferè pondo annua.*

Vrbium etiam frequentia regionis felicitatẽ pandit. nam, teste Plinio, CLXXV. Strabone verò CC. memorabantur: quarum fama celebriores, quæ super amnes exstructæ aut æstuariis adiacent: ad hæc litora vndique portuosa, oraque habet patentibus gremiis commercio aptissimas. Auræ hic ita lenes, annique tempestates adeo mites, vt non frustra antiquitas hac potissimum Hispaniæ in parte elysios campos esse crediderit. Sed Bæticæ illa pars, quæ Anam inter & Bætim amnes porrigitur, vt soli felicitate & vbertate a Bætica superatur, ita etiam mutato nomine *Bæturia* vocatur, in duas olim diuisa partes totidemque gentes, teste Plinio, *Celticos*, qui Lusitaniam attingunt, Hispalensis conuentus, & *Turdulos*, qui Lusitaniam & Tarraconensem accolunt, iura Cordubam petebant. Hodie plerisque *Estremadura* dicta. Ioannes verò Genesio Sepulvedæ doctissimo viro, *Petroche*, à petratum, quæ ibi visuntur, frequentia, vocatur. Strabo macræ esse tellutis regionem hanc, & immensæ ficcitatis tradit.

CAP. VIII.

BAETICAE NOBILIORES POPVLI. TVRDVLI. Turdetani, & Γηρυες iidem. Bastuli, Bastitani & Basetani dicti. Appianus emendatus. Cunei.

TVRDVLI.

PRiusquam ad Bæticæ vrbes se flectat oratio, non inutile erit, nobiliores olim prouinciæ populos in medium producere, vt, quorum sparsim mentio incidet, iuuet illos semel & vno obtutu cognoscere. Primi & magis illustres occurrũt *Turdetani* (qui & Bæticæ Turdetaniæ nomen dedere) iidem & *Turduli* vocantur: licet Polybius apud Strabonem, eos diuersos faciat & Turdulos finitimos esse Turdetanis ad septemtrionem dicat: T. autem Liuius lib. XXXIV. & Strabo nullum inter eos discrimen statuunt. Stephanus vero Byzantinus ex Artemidori sententia Turdetaniæ incolas τουρτας, καὶ τουρτανους vocat. Ptolemæus inter Turdulos & Turdetanos discrimen ponit & confinia. nam Turdetanos dicit Lusitaniam attingere, Turdulos vero Tarraconensem. Plinius vero vtrosque *Turdulos* vocat his verbis: *Turduli, qui Lusitaniam & Tarraconensem accolunt, iura Cordubam petunt.* Liuius vero citato loco ait: *Omnium Hispanorum, maxime imbelles habentur Turdetani; freti tamen multitudine sua, obuiam ierunt agmini Romano.* & subdit statim: *Nec tamen ea pugna debellatum est: decem millia Celtiberum mercede Turduli conducunt, alieneque armis parabant bellum.* Vbi clarum est vtrumque nomen pro vno vsurpari. Auctor est Strabo, hos inter HISPANIÆ populos sapientia olim excelluisse, & litterarum studiis, leges quoque versibus à sex annorum millibus conscriptas habuisse. Incolebant olim potissima & mediterranea Bæticæ, & quasi totam Andalusiam, demtis maritimis.

BASTVLI.

MAritimam Bæticæ oram accolunt *Bastuli*, qui & *Bastitani*, seu *Basetani* vocantur. Strabo illos in ora illa, quæ Atlantico Oceano obuersa est, ad Anæ & Bæti ostia statuit: Plinius vero, non solam esse Bastulorum, sed & Turdulorum dicit. Cl. Ptolemæus eos *Pœnos* cognominat, ad discrimen forsan Bastitanorum, qui Tarraconensem inhabitant: an quia ora ea vniuersa originis Pœnorum est? vt Plinius ex sententia M. Agrippæ tradidit, & vt Pomponius Mela lib. II. cap. VI. *Transvecti ex Africa Phœnices habitant.* Hos ego *Bastulos* Pœnos esse opinor, qui mendose ab Appiano in Ibericis vocãtur βλαστοφοινικες, cum potius βαστοφοινικες, vel βαστυλοφοινικες deberent dici: quod vt asseram facit ipse Appianus. nam illorum originem ad Annabilem refert his verbis: οὗς, φασιν, Ἀννίβου τὴν καρχηδονιων ἐπικρατειαν ἐκ λιβυης καὶ αὐτοῦ τουτου κληθῆναι βλαστοφοινικας. Ita vt ex Bastulis indigenis & Phœnicibus, seu Pœnis aduenis nomen sit efformatum: ad quam forsan originem videtur Poeta Horatius alludisse lib. II. carm. oda II. vt bene obseruauit Abrahamus Ortelius

——quam si Libyam remotis
Gadibus iungas, & vterque Pœnus
Seruiat vni.

Vterque enim Pœnus est, qui & Africæ & Hispaniæ maritimam oram colunt. Et cum hi Pœnorum essent originis, mirum est, quod Strabo referat illos conitugia more Græcorum contrahere: ægrotos vero Ægyptiorũ ritu in plateis deponere, vt qui eo morbi genere tentati fuerint, illis simili remedio subuenire possint.

CVNEI.

INtra Herculis columnas dogunt *Cunei*, teste Polybio lib. X. vbi refert Magonem hyemasse, quo tempore P. Corn. Scipionem in HISPANIAM traiecisse constat. Vocantur autẽ *Cunei* à vicino Lusitaniæ promontorio quod *Cuneus* Plinio, Straboni vero in limine lib. 3. *ager Cuneus*, Græcis σφὴν dicitur. Mela vero lib. 3. c. 1. manifesto promontoriũ hoc etiã *Cuneũ agrũ* vocat: *Anæ proximũ [promontoriũ] quia lata sede procurrens, paulatim*

paulatim se ac sua latera fastigiat, Cuneus ager dicitur. Appianus in Ibericis magnæ vrbis, quam *Conistorgim* vocat, meminit inter *Cuneos* sitæ, quam refert à Cauceno Lusitano vi captam. Strabo verò in Celticis hanc vrbem recenset, & *Conistorsim* vocat. vnde colligere licet *Cuneos* illos olim fuisse circa Bæturiam, vbi postea Celtici populi ex Lusitania aduenæ sedes fixerunt. Ambrosius Morales credit illos eum tractum coluisse, vbi nunc *Niebla* comitatus est, cum adiacenti territorio.

CAP. IX.

GADES.

GADES VNDE DICTAE. OLIM APHRODISIÆ; Erythia, Cotinusa, Iunonis insulæ, & Tarteſſus dicta. Frequens nobilitas; magna potentia. Multa de templo Gaditano. Finis olim nauigationis.

INsula est ad Bętis ostia, qua Europa ab Africa dirimitur, & vnde Tyrrheni maris fauces; Oceani æstus immittitur, angusto spatio à cotinenti, & veluti flumine abscissa; *Gades* vel *Gadira* dicta, eo quod videatur τῆς γῆς ὅριον, id est, *Terræ collum*, vt refert Eustathius in Dionysium Alexandrinum: sed melius Hesychius, quod Phœnices *Gadira* περιφραγμα vocant, id est, *Septimentum*; vnde & Plinius lib. IIII. cap. XXII. *Pœni Gadira suâ linguâ sepem vocant*; eo quod mari vndique sit circumsepta. Plato vero in Atlantico, seu Critia dialogo, aliam nominis originem adducit: Neptunum ex Clitone, Euenoris & Leusippes filia, refert quinque geminos masculorum partus suscepisse; primogenitum vocasse *Atlantem*, vnde & pelagus *Atlanticũ*; alterum vero eodem partu editum *Gadirum* vocasse, qui Græcis εὐμηλος, id est, *Dines ouium*, dicitur, sortitum extremas Atlanticæ insulæ partes, ad columnas Herculis; suo nomine *Gadiricum* locũ nuncupasse. Duæ olim erant insulæ, nunc vnica tantum: variis olim nominibus dicta. ab Ephoro, & Philistide, referente Plinio, *Erythia*; à Timæo & Sileno *Aphrodisias*; ab indigenis vero *Iunonis* dicta. Dionysius Alexandrinus ante Tyriorum aduentum *Cotinusam* dictam ait, ἀπὸ τῶν κοτίνων, quod oleastris abundaret; Plinius vero à Timæo maiorem *Cotinusam* dictam refert; à Romanis vero *Tarteſſon*: cui adstipulatur Isacius Tzetzes; in Lycophronis Cassandram, qui scribit Tarteſſon insulam esse, & ciuitatem prope Herculis columnas: in qua Arganthonius regnauit. Ex Sallustio refert etiam Priscianus *Tarteſſum* esse, quæ Punica lingua *Gadir* vocatur. Idem Festus Auienus in descriptione oræ maritimæ:

Hic Gadir vrbs est, dicta Tarteſſus prius.

Duæ in hac Insula olim erant vrbes, præter *Gaditanam*; teste Strabone: siquidem L. Cornelius Balbus, vir triumphalis, alteram exstruxit: quam *Neapolim* vocarunt, & ex ambabus tertia deducta, διόμη dicta; Plinius vero Strabone posterior, vnius tantũ meminit oppidi his verbis: *Oppidum habet ciuium Romanorum, quod appellatur Augusta vrbs Iulia Gaditana.* Sed cur *Ciuium Romanorum* vocet oppidum, caussam refert Dion Cassius lib. XLI. C. Iulium Cæsarem, pacata Hispania Gaditanos ciuitate Romana donasse, quam donationem deinde populus ratam esse iussit, atque ita eos somnii ergò remuneratsse; quòd quæstor ibi habuit. Visus enim sibi cum matre rem habuisse, atque inde rerum potiundi spem hausisse. Municipium vero olim fuisse ostendit vetusta inscriptio, quæ Medinæ Sidoniæ visitur:

M. ANTONIO. M. F. GARISIACO.
II. VIRI. MVN. AVG. GAD. D. D.

Eo vero incrementi paulatim, Romanorum amicitia, vrbs hęc peruenit, vt inter quatuor Bæticæ conuentus annumeraretur. Tiberii vero Cæsaris tempore ad tantæ potentiæ culmen euaserat, vt Strabo scribat lib. III. vno suo ætatis censu, equestris ordinis, Gaditanos viros, quingentos esse censos: quod in nulla Italicarum vrbium, præterquã Patauii, reperti sunt. Nobilissimam certe olim fuisse, vel ex eo liquet, quod Iuba Mauritaniæ Rex magni fecerit, huius vrbis se esse Duum virum, teste Festo Auieno: cuius versus ex ora maritima lubet hic adtexere: loquitur de Gadibus:

At vis in illis tanta, vel tantum decus
Ætate prisca, sub fide rerum fuit:
Rex vt superbus omniumque prepotens
Quos gens habebat forte tum Mauruſia,
Octauiano Principi acceptiſſimus,
Et litteram ſemper in ſtudio luba
Interfluoque ſeparatus aquore,
Illuſtriorem ſemet, vrbis iſtius
Duumviratu crederet.

Fidem vero potentiæ facit, quod Macrobius Saturnaliorum lib. I. cap. XX. refert: *Theron*, inquit, *Rex Hiſpaniæ citerioris, cùm ad expugnandum Herculis templum ageretur furore, inſtructo exercitu nauium, Gaditani ex aduerſo venerunt prouecti nauibus longis; commiſſoque prælio, adhuc æquo Marte conſiſtente pugna, ſubito in fugam verſæ ſunt regiæ naues, ſimulque improuiſo igne correptæ conflagrauerunt. Pauciſſimi, qui ſuperfuerant hoſtium, capti, indicauerunt apparuiſſe ſibi leones, proris Gaditanæ claſſis ſuperſtantes: ac ſubitò ſuas naues immiſſis radiis, quales in ſolis capite pinguntur, exuſtas.* Cicero etiam oratione pro L. Cornelio Balbo, refert Gaditanos, Romanorum Imperatores commeatu, pecuniaque ſæpe iuuiſſe, & populum Romanum in annonæ caritate, ſuppeditato frumento leuaſſe. Quod permagni faciet, qui ſciuerit quanto frumento Romana vrbs olim indigebat.

Inter celeberrima verò huius Inſulæ opera templum erat Herculis, quo plures Romanorum duces, magnis rebus geſtis vota ſoluturi ventitabant, vt auctor eſt Diodorus Siculus lib. VI. Hannibalem etiam refert Silius Italicus, priuſquam in Italiam exercitum moueret, Gadibus vota exſoluiſſe. Hoc verò templum Herculi Ægyptio ſacrum fuiſſe, teſtatur Pomponius Mela lib. III. cap. VI. Philoſtratus verò lib. V. De vita Apollonii Tyanæi ſcribit, duos ibi Hercules cultos fuiſſe, *Ægyptium*, & *Thebanum*, nullo prorſus intus ſimulacro, cæterum *Ægyptio* duas aras æneas, *Thebano* vnam tantùm erectam, iuxta quam duodecim Herculis labores conſpicerentur, quod & Silius Italicus lib. III.

Sed nullæ effigies, ſimulacraue nota Deorum
Maieſtate locum, & ſacro impleuere timore.
In foribus labor Alcidæ.

Cur verò ſanctum ſit refert Mela Pomponius, *Templum*, inquit, *Ægyptii Herculis, conditoribus, religione, vetuſtate, opibus illuſtre, Tyrii condidere: cur ſanctum ſit, oſſa eius ibi ſita efficiunt: annorum, quæ manet numerus, ab Iliaca tempeſtate, principia ſunt: opes temporum auxit.* Euſtathius refert in Dionyſium Alexandrinum, ex Æliani ſententia, Gadibus altare, *Annō* & *Menſi* dicatum, vnum videlicet breuiori tempori, alterum longiori: templumque *Senectutis* eſſe, quò reuereamur ætatem, quæ multa ſcit & docet: & aliud *Mortis*, ad honorem communis omnium otii, vel eorum qui præter naturæ legem obierunt. Eſt etiam altare *Penuriæ* & *Artis*. Ars enim Penuriam profligat. Eadem ferè Philoſtratus, additque, illos ſolos hominum, feſtis cantibus mortem collaudare. In Herculis quoque templo, auream *Pygmalionis oliuam* fuiſſe, idem auctor eſt; cuius præcipua pulcritudo in fructuum opere erat, qui ex ſmaragdo erant, veris oliuis ſimilimi. Perſuaſum etiam antiquis, Gades πὶν ἔχαπιν πλοῦν eſſe, ſeu finem nauigationis, & ab ipſo quidem Hercule conſtitutum refert Suidas in dictione Γάδειρα. *Hactenus*, inquit, *progreſſus Hercules, cum ob ſonitum & tenebras vlterius tendere non poſſet, columnas ab indigenis ſumitas erexit, quibus ſignificaret eo vſque peruiam eſſe terram & mare.* Vnde & Pindarus in Nemæis dicit Herculem columnas ſuas nauigationis terminum poſuiſſe ode. III.

Ἦ ῥως θεὸς ἃς ἔθηκεν
Ναυπλίας ἐχάπιος
Μαρτύρας κλυτὰς·

id eſt, *Quas diuinus heros poſuit nauigationis vltimæ teſtes claras.* Et clariùs ode IV.

Γαδει[illegible] πὸς ξόφου πὼ
Πέρατ[illegible]
Λῦσις ἐυρώπιαν αὐτὶ
Χέρσον ἐντεα ναός·

Non eſſe

Non esse scilicet vltra Gadiram nauigandum, sed ad Europam esse reflectendam nauem. Sic & Silius Italicus lib. I.

Atque hominum finem Gades, Calpemque secutus.

Hac in Insula Geryones vixisse, multorum fuit opinio, vt referunt Plinius & Solinus: nec iniuria. nam, Strabone teste, tanta hic pabuli est lætitia, vt pascentium pecorum lac non fereſcat, caseumque nisi multa affusa aqua non efficiant, &, ni menstruo quoque tempore vena illis tundatur, ne nimio abdomine suffocentur, periculum est. Hæc de Insula dicta sint: nunc de Incolis videamus.

L. Cornelius Balbus hac vrbe natus, ob res fortiter in HISPANIA gestas, à Cn. Pompeio, ciuitate non solum donatus est (vt videre est in oratione pro eodem à Cicerone habita) sed etiam *de Garamantibus triumphauit, primus omnium externo curru*, teste Plinio, lib. V. cap. V. Hunc & Cos. fuisse, & suæ ætatis homines tantùm diuitiis & magnificentia superasse, auctor est Dion lib. XLVIII. vt populo Rom. moriens, in singula capita vicenos quinos denarios legauerit.

L. etiam Iunius Moderatus Columella, qui de re rustica eleganter & accuratè admodùm scripsit, hinc oriundus fuit, vt de seipso hoc versu testatum reliquit:

Et mea quam genetrix Tarteſſi litorea Gades.

Martialis etiam Gaditanum dicit σύγγονον suum Poetam Canium, hoc Hendecasyllabo:

Gaudent iocosæ Canio suo Gades.

Hodierno die Insula hæc nauigationis beneficio & salinis fouetur, tum ex thynnorum piscatura multum emolumenti capit: omnis generis frugum & generosi vini feracissima. Non procul ab oppido collapsi Theatri ruinæ complures, aliaque non spernenda vetustatis vestigia spectantur. Et cùm Insula hæc olim à continente septingentis passibus, qua proximè distabat, diuulsa esset, nunc, quæ rerum est vicissitudo, ponte cum continente coniungitur.

CAP. X.

COLVMNÆ HERCVLIS.

DE HERCVLIS COLVMNIS VARIÆ OPINIONES.

Saturni & Briarei *dicta*. Abylæ & Calpes *varia nomina*. *Festus Auienius emendatur*: *Strabonis lectio stabilitur*.

HOc loco vicinas Gadibus vrbes recensere ordo postularet, nisi Herculis tantoperè decantatæ columnæ me retraherent. Præsertim cùm & Pindaro πάδειγδαι πύλαι vocentur, plurimisque persuasum sit, Gadibus illas fuisse: sed obtinuit vsus, Gaditano freto vtrimque impositos montes, Herculis columnas vocari, de quibus Martianus Capella eleganter lib. VI. *Europa*, inquit, *Calpe; Africa Abyla mons despicitur; qui vtrimque prominentes, dici columnæ Herculis meruerunt, quòd testimonio vetustatis, laboris Herculei limes in illis sit consecratus: siquidem vltra eum progredi, consumtæ telluris inuia prohibebant. Denique etiam hoc de eius sacræ virtutis possibilitate persuasum, quòd cum antea natura terris maria dispararet, ac tanto cingi circuitu firmaret Oceani, montium prædictorum effossis radicibus, diuisoque confinio temporum, denexis lacunisque terrarum, improuisum pelagus in vsum mortalitatis admisit, permutans orbis faciem naturæque discrimina.* Idem referunt C. Plinius in proœmio lib. III. & Pompon. Mela lib. I. Africæ enim hæsisse olim HISPANIAM innuit, & Ann. Seneca Quæst. Nat. lib. VI. cap. XXIX. *Hispanias*, inquit, *à contextu Africæ mare eripuit.*

Diuersam longè ab hac opinionem refert Diodorus Siculus lib. V. cap. II. non perfodisse Herculem hos montes, sed vtrumque congesta humo adeo ampliasse: vt eum longè lateque antea, inter vtrumque continentem se Oceanus effun-

deret, his, quaſi clauſtris, vtrimque arctarit, ne grandia cete in noſtra maria poſſent penetrare: & ad nominis ſui æternam famam, vtrique monti columnam impoſuiſſe. Varia autem nomina his montibus indita, præſertim à Græcis. Iſacius Tzetzes in σκοτεινὸν *Lycophronis* poema, has columnas vocat *Alybam* & *Abennam*; Paulus verò Oroſius lib. I. cap. II. *Abennam*, & *Calpem* vocat; Euſtathius in Dionyſium Alex. ait altetam, quæ Europam definit, à barbaris *Calpem*, à Græcis verò, *Alybam* vocari: illam verò, quæ Africæ imminet, ab illis *Abennam*, ab iis *Cynegeticam*. ſed contra omnium Geographorum mentem, *Alybam*, vel *Abylam* (vel, vt vocat Suidas, *Abylica*, vt vero Æthicus, *Abylenam*) cum *Calpe* confundit, cum palam ſit diuerſos eſſe montes. Ælianus lib. V. Var. hiſt. ex Ariſtotelis mente, refert columnas has primo *Briarei*, poſtea vero cum Hercules terrarum orbem monſtris tyrannisque expiaſſet, tamquam de humano genere bene meritus, *Herculis* vocatas fuiſſe. Idem Pindari Scholiaſt. Nem. od. III. & Iſacius Tzetzes, ex ſententia Cleatchi; Euſtathius vero primo *Saturni*; poſtea & *Briarei* tandem *Herculis* fuiſſe dictas auctor eſt. Cur vero *Saturni* aut *Briarei* appellatæ fuerint, ſolerti Lectori indagandum relinquo, niſi placeat cum Zenodoto ex ſententia Clearchi ſentire, *Briarei* nomine etiam Herculem vocatum. Feſtus Auienus in deſcriptione oræ maritimæ *Abylæ* & *Calpes* etymon explicat, ita vt Mauruſiis *Abyla* idem ſit, quod *Mons altus* Latinis; *Calpe* vero Græcis, quod nobis *Caui vaſis & teretis* ſpecies, cuius verſus non pigebit in medium producere:

Sunt parua porrò ſaxa prominentia
Abyla atque Calpe: Calpe in Hiſpano ſolo,
Mauruſiorum eſt Abylæ. namque Abyla vocant
Gens Punicorum, mons quod altus barbaro eſt,
Id eſt Latino, dici vt auctor Plautius eſt.
Calpeque rurſum in Græcia, ſpecies cauæ
Teretiſque viſu, nuncupatur, & iugi.

Sed obſcurum hoc eſſe *Calpes* etymon cuiuis manifeſtum, quamobrem ita legendum puto:

——— ſpecies cauæ
Teretiſque vaſis nuncupatur, & iugi.

Notum enim eſt hydriam, vrnam, & quod cauum protuberat, Græcis κάλπην dici. Ab hoc vaſis genere Græci montem hunc *Calpem* dixere, quia teſte Pomp. Mela lib. II. cap. VI. *Calpe mirum in modum concauus, & pene totus in mare prominet.* Strabo lib. III. refert ex multorum ſententia haſce Herculis columnas, Gadibus in templo fuiſſe ex ære cubitorum octo, in quibus conſtruendi templi ſummus inſcriptus erat; communi tamen opinioni ſubſcribit, montes hos eſſe *Abylam*; & *Calpem*. Philoſtratus autem refert has ex auro, argentoque ſimul fuſo conflatas eſſe, litteris inſcriptis, quæ à nemine legi poſſent, illaſque eſſe terrarum, Oceaniique vinculum, ab Hercule in domo Parcarum inſcriptas, ne qua elementis contentio accederet, neque amicitiam diſiungerent, qua inuicē tenentur. Credidere nonnulli, referente Strabone & Euſtathio, *Errantes ſcopulos, vel Symplegadas*, Herculei laboris metas, & celebres columnas fuiſſe. Hæc ideo adduxi, vt ſciant quam vatie de iis ſenſerit vetuſtas.

Ad radices autem montis *Calpes*, eiuſdem nominis ſita eſt vrbs, olim, vt ex Timoſthene refert Strabo, *Heraclea* vocata; in Herculis memoriam exſtructa, vbi & Hiſpanorum armamentarium fuit: cuius adhuc ſuo æuo veſtigia exſtitiſſe refert. Scio Cl^mum. virum Caſaubonum lectionem hanc Strabonis non recipere, & loco κάλπη, legere, κάβηλα, quia nemo veterum *Calpes* vrbis meminit, præter Antonini Itinerarium; quod vt deprauatum etiam reiicit; ſed quam vere, viderit Lector. mihi parum firmæ eius rationes, vt à codicum omnium conſenſu recedam, videntur: præſertim, cum eo loci hodierno æuo vrbs ſita eſt, *Gibraltar* dicta, qua Pœni primū in HISPANIAM irrupere, acciti à Iuliano Comite, nomenq; illius priſcum in Ducis *Tarif* memoriā mutatū. Coniecturę meæ fauet Amb. Morales lib. 12. c. 68. & P. Io. Mariana Rerū Hiſp. lib. 6. c. 22. vocat *Gibraltar*, *Heracleā*. Eodē prorſus modo oppoſita columna, & montis & vrbis nomen præbet *Abila*, hodie *Ceuta*, vt Caſtaldo placet, adde Antonini itinerariū *Calpē & Carteiā* (licet corrupte *Tarteiam* habeat) vt diuerſa oppida recēſere. Sed ne longius abeā, multorum inſtar ſit Heſychius in Lexico, qui dum varios, in dictione κάλαι, de Herculis columnis recenſet opiniones, dicit aliquos, vrbes ſic vocatas, credidiſſe: verba eius lubet apponere: ἔνιοι αὐτῶν νήσους εἶναί φασιν, οἱ δὲ προσχώσματα, οἱ δὲ τῶν ἠπείρων ἄκρας, οἱ δὲ πόλεις, καὶ οἱ μὲν δύο, οἱ δὲ τρεῖς, οἱ δὲ πέντε, οἱ δὲ τέσσαρας. Id eſt: *Aliqui ipſas inſulas eſſe dicūt, alii aggeres,*

geres, alii continentis promontoria, alii vrbes, alii duas, alii tres, alii vnam, alii quatuor. Circa has Herculis columnas, auctor est Aristot. lib. De mirandis auscultationibus, incendia erumpere, alia quidem iugi flamma, alia vero per interualla, & tantùm noctu. Sed solus hoc, quod sciam; præterquam quòd hoc æuo nulla ibi eructari incendia omnium ore constat. Non absimile est, quod refert Festus Auienus columnas has Herculis,

——horrere siluis vndique
Inhospitasque semper esse nauticis:
Inesse quippe dicit ollis Herculis
Et templa & aras: inuehi aduenas rates
Deo litare; abire festino pede,
Nefas putatum demorari in insulis.

CAP. XI.

CARTEIAM *NON ESSE* TARIFAM, *VT* CARthagenam, *sed* Algerizam. Colonia libertinorum *dicta. Num eadem cum Tarteſſo. Dion & Pauſanias emendati obiter.*

QVia superiori capite, in *Carteiæ* mentionem incidimus, opportunè hic mihi videor de illa acturus. Cl. Ptolemæus inter *Bastulos*, qui & *Pœni* cognominantur, ad fretum Gaditanum collocat. quænam hodierna die vrbs sit, fluctuant recentiores. Franciscus Tarapha, & Io. Goropius Becanus *Tariffam* esse; Carolus Clusius, & Iosephus Moletius; *Carthagenam*, opinantur; Ioannes Oliuarius in Pomponium Melam, *Cartaiam* credit, quæ non procul ab Ana fluuio est; sed à vero omnes deuiare paucis ostendam. Sita erat *Carteia* teste T. Liuio lib. XXVIII. illa in ora Oceani, vbi primum è faucibus angustis panditur mare, &, vt ait Pomp. Mela lib. II. cap. VI. illo in sinu, quem Calpe efficit. *Tariffa* verò nec in primis illis freti angustiis, nec in Calpes sinu sita est. Adde si lubet *Tariffæ* oram importuosam esse, & infidam nauibus stationem; *Carteia* verò portum habet commodum. Hic enim Cn. Pompeius post sinistrum ad Mundam prælium, fugiens, conscendit naues, vt præter A. Hirtium testantur Appianus Alex. & Strabo. C. etiam Lælius pugnaturus aduersus Hannonē *Carteiæ* naues soluit; & victor huc classe reuectus. Proinde luce clarius est, non esse *Tariffa*: sed potius, vt auctor est Ambro. Morales, vir de Hispaniæ antiquitate optimè meritus, *Algeriza*. Hæc enim & commodum habet portum, & in sinu ipso, quem Calpe efficit, sita est. Non esse *Carthagenam* clarius est, quam vt probatione indigeat, sola ipsa distantia redarguit: cum hæc in *Tarraconensi*; illa verò in *Bætica* sit. Non esse *Cartaiam*, licet nominis similitudo suadere posset, situs differentia conuincit: siquidem *Cartaia* ad Anam flumen est. Alterius etiam *Carteiæ* T. Liuius lib. XXI. meminit, quam Olcadum caput; & ab Annibale expugnatam dicit. Carolo Sigonio tamen hoc loci ex Polybio & Stephano placet *Alteiam* legere, licet aliquis dubitaret, quia apud eundem Liuium, *Carteia ad Oceanum* vocatur hæc nostra. Cur vero adiectio hæc, si huius nominis vnica tantum vrbs? Sed nihil ad Bacchum hæc.

Latinam hanc coloniam esse factam, & *Libertinorum* appellatam, auctor est T. Liuius lib XLIII. quod eo noui coloni deducti essent: *Et alia*, inquit, *noui generis hominū ex* HISPANIA *legatio venit, ex militibus Romanis, & ex Hispanis mulieribus, cum quibus connubium non esset, natos se memorantes, super quatuor millia hominum. Orabant vt sibi oppidum, in quo habitarent, daretur. Senatus decreuit, vt nomina sua apud L. Cannuleium profiterentur, earumque si quos manumisisset, eos Carteiam ad Oceanum deduci placere.*

Neoterici nonnulli ab Arganthonio Rege conditam credunt hanc vrbem: ego illum regnasse hic ex Silio Italico lib. 3. adducor, vt credam:

Arganthoniacos armat Carteia nepotes,
Rex prouidus fuit humani ditissimus æui,
Ter denos decies emensus belliger annos:

Anacreon verò (vt obiter hoc tangam) hunc CL. annis vixisse; Plinius verò lib. VII cap. XLVIII. octuaginta regnasse, & quadragesimo incœpisse auctor est, qui tantùm CXX. anni sunt. Vrbem hanc eandem esse cum *Tarteſſo* Græcorum, idem Plinius

asserit lib. III. cap. I. Strabo dubitat: *Nonnulli*, inquit, *huius ætatis Tartessον appellant Carteiam.* Pomponius etiam Mela lib. II. ambigit: *In eoque [sinu] Carteia, vt quidam putant, aliquando Tartessus.* Illud tamen miror, cum Silius Arganthonium *Carteiæ* regnasse dicat, illam tamē à *Tartesso* diuersam eum facere, cum Græcis omnibus dicatur Tartessi regnasse, vt Anacreon testatur, aliique. Vnde & *campos Argantonineos* Sidonio dictos vocat Cl. Scaliger *Tartessiacum* hunc tractum Notis in Ausonium. Diuersam autem à *Carteia* esse *Tartessum* his versibus Silius declarat, cum de Carteia locutus esset:

Armat Tartessus stabulanti conscia Phœbo,
Et Munda.

Sed cum & Gades ostensum est, ex Plinii, Salustii & Tzetzæ sententia *Tartessū* dici, non absurde quæri posset, an plures fuerint *Tartessi*, vel an totus ille tractus à Gadib⁹ columnas ad vsque *Tartessi* nomen obtinuerit, quod curioso Lectori anquirendum relinquo. Vicinam vero Algerizę vrbem *Tariffam*, multi credunt olim *Tartessum* fuisse: quæ anno à Christo nato D. CCXIII. à Pœnorum duce *Tarif* (qui eo loci ex Africa ad occupandam Hispaniam traiecit) nomen sumsit, priori oblitterato de quo inferius. Agnouit ergo Silius Italicus, pro diuersis vrbibus *Carteiā* & *Tartessum*, Strabo & Mela dubitarunt. *Algerizæ* hodierno die copiosus admodum est piscatus, ex quo incolis lucrum ingens, quo etiam superioribus seculis non caruisse crediderim. Auctor enim est Strabo, *Carteiæ* præter thynnorum frequentiam, murices & purpuras librarum X. esse. Quod ne cui mirum sit, iubet referre, quid Plinius de mirandæ magnitudinis Polypo, obtinente L. Lucullo Procos. Bæticam, lib. IX. cap. XXX. dicat: *Carteiæ, in cetariis assuetus [Polypus] exire è mari in lacus eorum apertos, atque ibi salsamenta populari, conuertit in se custodum indignationem, assiduitate furti immodici. Sepes erant obiectæ; sed has transeendebat per arberem, nec deprehendi potuit, nisi tanum sagacitate: hi redeuntem circumuiasere nocti, concitique custodes, expauere nouitatem. Primum omnium magnitudo inaudita erat, deinde color muria obliti odore diro. Quis ibi polypum exspectasset, aut ita cognosceret? cum monstrosibi dimicare videbantur, namque & afflatu terribili canes abigebat, nunc extremis crinibus flagellatos, nunc robustioribus brachijs, clauarum modo incussos, egregq; multis tridentibus confixi potuit. Ostendere Lucullo caput eius, dolii magnitudine, amphorarum quindecim capax, atque (vt ipsius Trebii verbis vtar) barbas; quas vix vtroque brachio complecti esset, clauarum modo thoraxas, longas pedum XXX. acetabulis siue caliculis vrnalibus peluium modo, dentes magnitudini respondentes, reliquiæ asseruatæ miraculo, pependere pondo DCC.* Sepias quoque & lolligines eiusdem magnitudinis expulsas in litus illud, idem auctor est. Antiqua etiam nummismata, geminis thynnis insignita, hic reperta fidem faciunt, vt refert, Ambrosius Morales, & Antonius Augustinus Dialogis antiquitatum. Plinius vero lib. XXXI. cap. VIII. scombros hic incolas refert piscari, ad confitiendum garum. Monendum mihi hoc loco apud Dionem lib. XLIII. deprauate legi *Crantiam* pro *Carteia*: Οὗαρος δὲ ὁ τοῦ Διδίου πρεσβύτου ἐναυλογήσῃ, καὶ εἰς μὲν τὴν Κραντίαν φυγὼν ἐς τὴν γῆν. Id est: *Varus vero à Didio apud Cranciam nauali prælio superatus in terram euasit.* Substituendum vero esse *Carteiam*, vel ex Flora colligi potest, lib. III. cap. II. *Primum in ostio Oceani Varus Didiusque legati conflixere*; quo loco nusquam *Crantiæ* mentio ab assiduo aliquo proditur auctore, sed *Carteiæ*, vt ex Liuio patet. Similiter & apud Pausaniam lib. II. Eliacorum pro Καρτήια, legendum puto Καρτήια. nisi quis & ita dictam fuisse asserat.

CAP.

CAP. XII.

DE PRISCO TARTESSI SITV, NON EXSTARE nostro aevo. Regnum Tharsis hic fuisse.

TArtessus vrbs, & Græcis, & Latinis Scriptoribus nobilissima, sed, vt rerum est omnium orbis, ignorantiæ caligine nostro ævo latet, quare vt viatores, ipsissa nocte deprehensi, dubia spe, huc illuc lapsanti vestigio errantes, si procul gratæ lucis indicium affulget, eo votis, pedibusque contendunt: ita ego ad veterum Scriptorum facem, conabor accedere, vt *Tartessi* situm, locumque detegam. Varie autem *Tartessi* nomen acceptum. nam & *Gades* ita dictas, & *Carteiam* ostendimus; sed præter hæc vrbem ab his diuersam fuisse *Tartessum* nunc docebo. Strabo lib. III. refert inter gemina *Tartessi* amnis (qui nunc Bætis est) ostia, situm quondã fuisse oppidum eiusdem nominis: quod & Pausanias in Eliacis asserit. Idem Steph. Byzantinus: *Ταρτησσὸς πόλις ἰβηρίας ἀπὸ Ταρτησσοῦ τοῦ ἀργυροῦ ὄρους ῥέοντος.* Id est: *Tartessus Iberiæ vrbs est dicta a flumine, qui ex argentea monte fluit*: qui ipse *Bætis* vel *Tartessius* est. Vnde cum palam fit *Tartessum* esse situm ad Bætim, nequit eadem cum *Carteia* esse: siquidem multis ab hoc amne passibus remota est, in sinu illo scilicet sita, quem Calpe efficit. Quod vero non nemo credat *Tariffam* esse priscam *Tartessum*, procul eos a vero aberrare in confesso est: cum *Tariffa* etiam nimium a *Bæti* dissita sit. quod vt indubitatum credo, ita maxime mihi dubium priscum ipsius *Tartessi* situm demonstrare. Nam cum *Bætis* olim geminis se ostiis mari mergeret temporis decursu alterum illi oblimatum est, & aliquantulum ab antiquo se torsit itinere, vt alii plerique amnes. Quo fit, vt quæ circa illa loca erant vrbes, nunc in obscuro sint. Sed quid Suidam mouerit, quod *Tartessum* prope Auernum lacum fuisse dicat, nulla mihi ratio occurrit. Nobilem vero & opulentam fuisse vrbem, vt Poeta ille apud Stephanum innuit, dum illam vocat Ταρτησσὸν ὀλβίαν ἄστυ. Vnde & Anacreon, inter opimas felicitates, quas despuit, *nolle se*, ait, *Tartessi centum & quinquaginta annis imperare*; Argantonium significans. Cum vero *Tartessus*, inter vltima occidentis loca esset, ansam Poetis fabulandi dedit, vt Tartarum circa *Tartessum* fingerent, quod ex Homero ostendit Strabo. Latinis etiam Poetis frequens est dicere, Tartesso solem se mergere, Ouidius Metamorph. XV.

Perfert occiduus Tartessia litora Phœbus.

Ausonius etiam cum stridore mergi dicit.

Condiderat iam lassis equos Tartessia Calpe
Stridebatque freto Titan insignis Ibero.

Vnde & Statius Papinius Siluarum lib. II. de Bætica loquens:

Felix heu nimis & beata tellus:
Quæ primos Hyperionis meatus,
Summis Oceani vides in vndis.
Stridoremque rotæ cadentis audis.

Hausere id ex Posidonio Philosopho Poetæ, qui solem circa hæc littora multo maiorem occidere affirmabat, & cum strepitu, perinde atque in profundum ibi incideret, pelagusque ad eius contactum efferuesceret. Sed mitto has tellenas nugas, vbi ne scindilla veri appareat. Io. Goropius Becanus lib. V. rerum Hispanicorum, non obscure docet, *Tartessum* vocari in sacris litteris, regnum *Tharsis*. quo rex Salomon simul & in *Ophir* classem mittebat, ad aurum argentumque aduehendum. Nam quod hactenus plurimis persuasum fuit, *Tharsis* vel mare vel Carthaginem denotare, viris rationibus refellit, quas hic prætereo libens, ne actum agam. Sane regionis circumiacentis felicitas, auri, argentique perennis fecunditas, & scriptorum ea de re vnanimis sententia facit, vt non inuitus illi assentiar: præsertim vero, cum ipsos Tyrios & Phœnices (qui cũ Salomonis classe mittebantur) immensam argenti vim ex vicina hac regione asportasse dicat Strabo & Aristoteles.

CAP. XIII.

Xeres olim dicta Asta regia. *Colonia Romanorum. Num* Ξηρὰ *Stephani Byzantini fuit.*

DE prisca *Xeres de la frontera*, appellatione dissentiunt auctores. Ioan. Magarinus Episcopus Gerundensis *Sisaponem* fuisse; Clusius *Assidonam*; Lucius Marineus celebrem illam funesto prælio *Mundam*: quæ sigillatim refellere, esset Lectorum opera abuti. Ego verò *Astam* puto, quæ à Plinio *Regia* cognominatur, Colonia Romanorum, inter Bætis æstuaria sita. Quod vt asseram multa faciunt. Strabo lib. 3. portum *Mnesthei* non procul ab *Asta* collocat: qui hoc æuo *portus B. Mariæ* indigetatur, capaci tutaq; nauium statione celebris; duabus tantùm leucis à *Xeres* distat. Licet Ambrosius Morales credat locum esse inter *Xeres de la frontera*, & *Puerto B. Mariæ*, qui hoc æuo, *la Mesa de Asta* vocatur. Ptolemæus etiam ad *Astam* æstuarium collocat, quod Moletio aliisq; *Salucar* est; non procul à *Xeres*; & vt Straboni, Plinio, & Ptolemæo, *Nebrissa* & *Asta* vicinæ vrbes sunt, & inter Bætis æstuaria sitæ, ita etiam *Xeres* à Nebrissa non totis quinque leucis dissita. Stephanus Byzantinus Ξηρὰς oppidi ad Herculis columnas meminit, quod an *Xeres* nostrum sit, nominis situsq; vicinitas facit vt credam, suoq; forsan tempore relicto antiquo nomine *Astæ*, nouum assumserit, vt multis aliis vrbibus accidit. A. Hirtius hanc vrbem *Hastam* vocat, cùm ceteri sine aspiratione legant: iuxta quã refert duces Cn. Pompeii, qui funesto Mundensi prælio superfuerant, omnes à Cæsare extra vallum concisos, cùm coniurassent castrorum cædem. Strabo refert conuentum Turdetanorum fuisse. Hoc æuo vrbs est murorum ambitu conspicua: ager est, veteris, aruisque lætissimus: nulla eius portio inculta, aut otiosa; sed vel viribus, aut frugiferis arboribus egregiè consitus, aut oleo, segeteque ornatus. generosissima vina fundit, quæ non solùm Europæi nostri, sed alio sub sole calentes Indi expetunt. Equorum greges alit mira pernicitate laudabiles, quos incolæ *Ginettes* vocant. Moris hac in vrbe est ditioribus, immensæ altitudinis puteos defodere, quibus annonam multos in annos conseruant; quos lapidum mole contectos, sine peculiari Senatorum consensu aperire vetitum: vnde cùm an. 1561. arcta re frumentaria Germania premeretur, incredibili copia ab hac vrbe prouisum fuit. Auctor est T. Liuius lib. 39. C. Catinium post fusos Lusitanos in agro Astensi, vrbem Astam expugnasse; sed dum incautiùs muros subit, ictum, post paucos dies obiisse. Refert Morales aliiq; Historici, non procul à *Xeres*, luctuosum illud prælium, inter Arabes & vltimum Gothorum Regem Rodericum, commissum fuisse, vbi Gothi ad internecionem cæsi, & HISPANIA in Arabum potestatem & prædam cessit.

CAP. XIV.

NEBRISSA

Nebrissa cognominata Veneria. *A Baccho & Satyris condita.*

TVrdetaniæ vrbs est *Nebrissa*, teste Ptolemæo Romanorum colonia, cognomine *Veneria*, vt ait Plinius, hodie *Lebrixa* dicta, sita inter Bætis æstuaria; sed nunc à Bęti octo M. P. distat, oblimato altero illius ostio meridionali, vnà cum alueo. Conditam ferunt

Tempore quo Bacchus populos domitabat Iberos

ducentis prope annis, ante Troianum excidium, vt colligit Antonius Nebrissensis in Historiæ suæ præfatione; à quo & vrbem conditam putat. Silius verò Italicus ad Satyros Dionysii, seu Bacchi comites, originem velle videtur referre, non abludente etymo. Nebris enim pellem hinnuli significat, qua Bacchantes induti sacrificare solebãt. Sed luber Poëtam audire lib. 3:

Ac Nebrissa Dionysęis conscia Thyrsis,
Quam Satyri coluere leues, redimitaque sacra
Nebride, & hortano Mænas nocturna Lyæo.

Oppidum

Oppidum eſt peramœnum, cum veruſta arce, agro vndique beatiſſimo cinctum. Hoc enim præcipue Bæticæ tractu lætiſſimas fruges, vina lectiſſima, mella optima, ſapidiſſimos arborum fructus, tellus producit: vt non immerito tam luxurioſus ager à Baccho, aut à petulca Saryrorū manu, ad condendā vrbem delectus videatur. Sed non tantum ſe iactat hæc vrbs, quod conditorē habuit madidū & laſciuum illum Deū, quā quod ciuem produxerit *Ælium Antonium*, qui Vandalicis, Punicisque armis pulſas tota Hiſpania, Latinas Muſas, primus reduxit, & exſtirpata paſſim barbarie, priſtino illas nitori reſtituit. Rerum à Ferdinando & Iſabella Regibus geſtarum binas decades cum laude conſcripſit: tantumque HISPANIÆ Ælio Antonio, ob reſtitutas poſtliminio litteras, quantum Ferdinando Regi ob fuſos fugatoſque Mauros, ſe debere fatetur.

CAP. XV.

OSSVNA OLIM VRSO. *A HIRTIO* VRSAO. *APPIANO* Orſona. *Situs eius ex Hirtio petitus.*

NOn procul à Nebriſſa ſpectatur *Oſſuna*, quæ Straboni & Plinio *Vrſo*, & *Genua vrbanorum* vocata: Antonius Auguſt. legit, *Geminam vrbanorum* pro *Genua*, teſte Ortelio. Ab A. Hirtio, *Vrſaonem*, ab Appiano in Ibericis *Orſonam*, à Ptolemæo *Oleaſtrum* dici auctor eſt Ioſ. Moletius. Conuentus olim Aſtigitani, diſtans à Singilia, quæ nunc *Antiquera*, circiter M. P. XXX: ab Aſtigi plus minuſue. Sed lubet A. Hirtii verba adducere, qui graphicè vrbem nobis eiuſque ſitum ob oculos ponit: *Ad oppidum*, inquit, *recuperandum occaſionem non prætermittunt; & reliquos viuos capiunt, ac deinde Vrſaonem proficiſcuntur, quod oppidum magna munitione continebatur, ſic vt ipſe locus non ſolum opere, ſed etiam natura editus ad oppugnandum hoſtem appeteret. Hoc acciderat, quòd aqua, præterquam in ipſo oppido non erat, nam circum circa riuus nuſquam reperiebatur, propius M. P. octo quæres magno erat adiumento oppidanis. Tum præterea accedebat, vt agger materieſque, vnde ſolitæ ſunt turres agi, propius M. P. VI. non reperiebantur.* Ex quibus non ſolùm patet vrbem fuiſſe egregiè munitam & magni momenti, ſed etiam deſcriptionem quadrare optimè *Oſſunæ*. Oppidum enim aqua caret contermina; arborum genus nullum præter oleam profert ager: quam etiam à Pœnis agriculturæ ſtudioſis illatam fuiſſe crediderim. Quibus fidem etiam faciunt fragmenta quædam, & cippi cum veteribus inſcriptionibus, in ipſo oppido reperta, quæ nomen *Vrſonis* oſtendunt. Noſtro æuo Illuſtriſſimæ Gironum familiæ eſt, quæ relicto titulo Comitum *Vreniæ*, Ducum *Oſſunæ*, anno M. D. LXII. annuente Philippo II. nomen ſibi vindicauit. Academia hic exſtructa, anno M. D. XLIX. inſignis, à Ferdinando Mattamoro. Ager eſt pecoris, meſſiumque vbertimus: olei etiam fœcundus, aër ſaluberrimus.

CAP. XVI.

HISPALIS.

HISPALIS COGNOMINATA ROMVLENSIS. *ISIDORI opinio reiecta. Vnde dicta. Eius deſcriptio.*

VT ceteras HISPANIÆ prouincias Bætica, & ita Bæticæ vniuerſas vrbes *Hiſpalis*, nobilitate, opibuſque longè antecedit: Colonia fuit olim Romanorum, cognomine *Romulenſis*, & ex quatuor eiuſdem prouinciæ conuentibus, teſte Plinio. De origine eius ambigunt Scriptores: Franciſcus Tarapha, aliique ſubleſtæ fidei Scriptores, ad Hiſpalum Herculis Libyci filium, ex Beroſi mente, referunt; Iſidorus verò lib. XV. Originum, Iulium Cæſarem refert *Hiſpalim* condidiſſe, eamque ex ſuo & vrbis Romæ nomine, *Iuliam Romuleam* nuncupaſſe. Sed cum veritate hoc pugnare, in aperto eſt. Nam apud Hirtium aliosque, frequens *Hiſpalis* mentio, eaque poſt Mundenſe prælium recuperata, dum beneficiorum memoriam Hiſpalenſibus Cæſar refricat, non præteriiſſet vrbis ſe conditorem. nec *Iuliæ Romuleæ* illi cognomen, ſed *Romulenſis*. Ego in re tam veruſta, & inter fluctuantes Scriptorum opiniones nihil certi auſim ſtatuere. Sufficiat coloniam fuiſſe Romanorum, quæ à Philoſtrato in vita Apollonii Tyanæi lib. V. cap. I. *Iſpula*; à Silio verò Italico *Hiſpal* vocatur, vnde ait:

Et celebre Oceano, atque alternis æstibus Hispal.

In antiqua verò inscriptione (quam Hispali repertam Ambrosius Morales) *Romulea* vocatur, nullo alio addito nomine:

M. AVRELIO. VERO. CÆS. IMP.
CÆSARIS. TITI. ÆLII. HADR.
AVG. PII. P. P. F. ANTONINO.
COS. II. SCAPHARI. QVI.
ROMVLEÆ. NEGOTIANTVR.
D. S. P. D. D.

Vocatam autem *Hispalim*, vult Isidorus à situ, eò quòd in solo paluſtri, ſuffixis profundo palis locata, ne lubrico & inſtabili fundamento caderet. Arias verò Montanus apud Ortelium ait *Hiſpalim*, Phœnicum nomen eſſe, à *Spila* vel *Spala* deflexum, quod planiciem ſiue virentem regionem ſignificat, quam ſuburbanus eius ager egregiè refert.

Vrbs certè eſt amœniſſima, & in primis, non Hiſpaniæ modò, ſed & Europæ, nobilis & opulenta, ad Bætim amnem appoſita, murorum ambitu, ædificiorum ſtructura & cultu conſpicua. ſuburbium habet amœnum & amplum, cui *Triana* nomen, Bæti amne diſcretum, ſed ponte ſublicio vrbi coniunctum. Ager vicinus planus eſt, & lætiſſimus, ſummumq; hic Liberi Patris cum Cerere certamen, ſed præcipuus oleæ prouentus: nec vſpiam generoſior eius liquor. oliuas muria maceratas (quas Græci κολυμβάδας, Romani *Drupas*, aut *Natantes* vocant) inſigni tum magnitudine tum ſuauitate ſuppeditat. frugiferis arboribus, ſed præcipuè vario citriorum genere felix: &, ne in ſingula me effundã, naturæ gaudẽtis & laſciuiẽtis opus eſt: vt nihil ſit hic quod cultura præterierit. Ferunt Scriptores, quo tempore D. Ferdinandus Maurorum illam ingò eripuit, circa annum M. CCXVII. plus quàm centum millia pagorum, Hiſpalenſis territorii numerata fuiſſe: quod immenſam agri vbertatem arguit, licet incolarum infrequentia, ad magnam raritatẽ delapſi ſint. Iam à Strabonis quo emporium fuit non incelebre, ita & hac tempeſtate, longè opulentiſſimum euaſit. huc enim ex vniuerſi orbis plagis, maximè verò ex occidua India, & Peruuiano orbe, incredibiles opes aduehuntur. Binæ quotannis claſſes auro, argento, gemmiſque onuſtæ, nouiorbis diuitias hic exponunt: vnde liberali manu in vniuerſum orbem diſpenſantur. Ita vt non queratur HISPANIA deſiiſſe ſibi nobiles ſuas metallorum ſecturas, ſed præbente India opes ſuas, gaudet viſceribus ab auaris manibus parci. Hic iterum omnigenis mercibus ornatæ, milite & commeatu inſtructæ Indiam petunt. Vnde opibus ita polleſ, vt Regi ſuo ferant, annuo ſeſquimillionem aureorum obſequii & vectigalium ergo pendere, quantum vix integra alibi regna. Templum habet celebertimum, & mole ſua maximum, turremque egregiæ altitudinis illi adnexam: D. Virgini id ſacrum, in cuius impenſas annuas, triginta millia aureorum deſtinata ferunt. Archiepiſcopatum habet opimum, ſplendidumque, & qui, Toletano excepto, nulli opibus & dignitate cedat; centum & amplius illi aureorum millia in annuos prouentus ſuppetunt; qui tantæ erat olim auctoritatis, vt tempore Hormiſdæ Papæ, tota vlterior Hiſpania Bætica ſcilicet, & Luſitania illius obſequium agnoſceret. Imò auctor eſt D. Illefonſus, ſupplemento ad D. Iſidori Chronicon, primatis HISPANIÆ dignitatem, Hiſpalenſis primò Præſulis fuiſſe: donec Theodiſclus, D. Iſidori ſucceſſor, regnante Chintilane Gothorum Rege, hæreſi infectus, Archiepiſcopatus honore deiectus fuit. Toletum ſic dignitas tranſlata, ibique in hoc ævum permanſit. Mirum eſt quod Plinius refert, lib. II. cap. XCVII. *Hiſpali* puteum fuiſſe, qui creſcente maris æſtu minueretur, augeretur verò decente, ceteris natura vulgaris.

Et licet vrbs hæc Mercurio magis, quàm Phœbo ſemper dedita, & commerciis quàm litteris notior fuerit, ſumma tamen ingeniorum faſtigia edidit. Quem enim *D. Iſidoro* præferas? vitæ enim ſanctitate, litteris tum ſacris, tum profanis paucis æqualis, inferior nemini. Satis eum ſuperque doctum illud Originum opus poſteris commendat. Noſtra etiam memoria eloquenti philoſophia, & philoſophica eloquentia inſignem virum *Sebaſtianum Foxium Morzillum*, & *Benedictum Ariam Montanum* Theologum, Poëtam, linguarum peritia (Hebraicæ præſertim) nemini ſecundum protulit.

CAP. XXVII

ITALICA.

DE ITALICAE SITV DISQVISITIO. A SCIPIONE Africano condita. Hodie Siuilla la vaia. *Municipium Romanorum.*

QVamvis *Italica*, nihil præter deformes ruinas, & diuulsa rudera ostendat; optimorum tamen Imperatorum manibus pauca hæc dentur, vt natale illorum solum cunctis innotescat: multis enim situs eius priscus ignoratur. Auctor est Appianus Alexandrinus in Ibericis, à Scipione Africano conditam, peracto bello Hispanico, vbi emeritos, & mutilatos membro aliquo milites reliquit, quo tamen loco illam condiderit, non exprimit. Ptolemæus illam in Bætica collocat, ex Plinio verò, *Ilipam* prius vocatam colligunt aliqui: ait enim: *Ilipa cognomine Italica*; collocat autem illam prope Hispalim. Eodem modo apud Strabonem legendum esse asserit doctiss. Is. Casaubonus: cuius verba sunt: *Post has Italica & Ilipa super Bæti*, emendat autem, *quæ & Ilipa*; sed quàm exactè, viderit Lector. *Italica* enim non est cognominata *Ilipa*, vt hæc præ se fert lectio; sed *Ilipa*, *Italica* postea dicta. Auctor est Vasæus ignorari à plurimis antiquum situm, aliqui *Niebla* esse putant; Ambrosius Morales *Siuilla la vieja* ostendit esse, & Hieronymus Surita. Multa etiam hic indicia antiquæ vrbis, & Romanæ magnificentiæ impressa vestigia. Inter cetera non præterit de Amphitheatri ruinæ visuntur. Antoninus in Itinerario, Hispali Italicam nullum passuum apponit numerum, indicio exiguam fuisse distantiam, & cunctis notam; & hodierno die vix quarto lapide abest. Referunt Ioan. Vasæus, & Ambrosius Morales, bello, quod excitatum fuit inter Regē Leuuigildum patrem, sed Ariana hæresi infectū, & Ermenegildū filium Catholicæ fidei assertorem, qui Hispali obsessus erat, anno Domini D. LXXXIV. vt Bætis commercia obsessis auferrentur, iussisse Leuuigildum, mœnia *Italicæ* vetustæ vrbis restaurari, atque ita Hispalenses ad deditionem compulisse; quæ certè omnia *Siuilla la Vieja* quadrant: Bæti enim apposita; & leuca tantùm ab Hispali distat. De qua Lucas Tudensis: *Inueni*, inquit, *in Chronicis, quod Italica est Hispalis antiqua, vnde populata fuit hæc Hispalis quæ nunc est*; sed postremum hoc prorsus à veritate alienum est. Addè quòd hodie circumiacentes campi; *los campos de Talca*, ab indigenis vocantur, mutilata voce, tamquam *Campi Italicæ*. Iuxta hanc vrbem refert Paulus Orosius lib. V. cap. XXIII. Herculeium Q. Sertorii legatum cum Metello congressum, viginti millia peditum perdidisse. Fuisse *Italicam* Coloniam olim, videre est in fragmento basis Vulsiniis in Italia reperto: ITEM COLON. ITALICENSIVM IN PROV. BÆTICA. qui reliquam inscriptionem voler, consulat Smetii Antiquitates.

Municipium tamen fuisse auctor est Agellius lib. XVI. cap. XIII. ex oratione D. Hadriani, quam de Italicensibus habuit. Miratur enim Imperator, cur Italicenses & quædam alia municipia antiqua, cùm suis moribus, legibusq; viuere possint, in ius Coloniarum mutari gestiuerint.

Hac vrbe orti Imperatores *Traianus* & *Hadrianus*, vt testantur Appianus, Ælius Spartianus, Eutropius; Magnum etiam *Theodosium* hæc vrbs tulit, vt plurimorum fert opinio, & ne quid deesset, *Silium* etiam *Italicum* Poetam egregium, teste Petro Crinito: tametsi dissentiant Ioan. Camers Scholiis ad L. Florum; & Hieronymus Surita. Felicem *Italicam*, quæ virtutum, & doctrinæ hæc fastigia edidit. iactent sese aliæ vrbes, murorum structura, situs opportunitate, agri cæliquè benignitate, illa vero (quamvis nihil horum illi defuisse olim crediderim) maximorum Heroum natalibus, qui nunquam ignorantiæ tenebris illam patientur latere, se attollat. Episcopalis vrbs fuit elapsis seculis, primum Episcopum D. Geruntium Confessorem habuit.

CAP. XXVIII.

ASTIGI COGNOMINATA AVGVSTA FIRMA, *NVNC* Eceia. *Conuentus Bæticæ. Inscriptiones veteres.*

VRbs olim clarissima, nec hodie obscura *Astigi*, hoc tempore consentientibus Hispaniæ Scriptoribus, *Eceia* dicitur, Romanorum quondam Colonia, cognomine *Augusta firma*, vt auctor est Plinius. Inter Turdetanos à Ptolemæo reponitur, à qua quartus Bæticæ conuentus Astigitanus vocatus. Pomponius Mela vrbem hanc inter præcipuas totius Bæticæ recenset, his verbis: *Vrbium de mediterraneis in Tarraconensi clarissimæ fuerunt Pallentia & Numantia, nunc est Cæsaraugusta: in Lusitania Emerita, in Bætica Astigi, Hispalis, Corduba.* Conditam dicit Franciscus Tarapha ab *Astyre*, Memnonis auriga, qui amisso ad Troiam hero, in HISPANIAM venit, vbi & Asturibus nomen dedit: de quo Silius lib. III.

Venit & auroræ lacrymis perfusus in orbem
Diuersum, patrias fugit cum deuius oras,
Armiger Eoi non felix Memnonis Astyr.

Monendum hic obiter, quo loco apud Strabonem lib. III. *Astenas* repetitur, legendum *Astyga*, vt auctor mihi est V. Cl. Is. Casaubonus. In antiquis inscriptionibus nunc *Astigis*, nunc *Augustæ formæ* fit mentio. vtriusque exemplum ipsa vrbs nobis suppeditat:

P. NVMERIVS. MARTIALIS.
ASTIGITANVS. SEVIRALIS.
SIGNVM. PANTHEI.
TESTAMENTO. FIERI. PONIQ.
EX. ARGENTI. LIBRIS. C.
SINE. VLLA. DEDVCTIONE. IVSSIT.

In hac verò Coloniæ etiam fit mentio:

BONI. EVENTVS.
APONIA. C. F. MONTANA.
SACERD. DIVAR. AVGVSTAR.
COL. AVG. FIR.
EDITIS. OB. HON. SAC. CIRCENSIB.
ET. OB. DEDICAT. ALIIS.
EX. ARG. LIBRIS. CL.
D. S. P. D. D.

Vrbis solum vndique fœcundum, & compascuum, & pecori maximè pascendo idoneum: vnde incolæ lanificio maximam operam impendunt, hincque illis quæstus luculentus, cui maximè fauet Singylis fluuius, vulgò *Chenil*, vrbem alluens, è niuosis prope Granatam montibus erumpens, cuius aqua perpurgandæ lanæ mirum in modum efficax. Olim Episcopalis vrbs erat, nunc Archidiaconatus Hispalensis est Ecclesiæ.

CAP. XIX.

CORDVBA.

CORDVBA PATRICIA *DICTA. A QVO CONDITA.* *Prima colonia in Hispaniam deducta. Vrbis descriptio.*

AD Bætis ripas apposita est *Corduba*, dicta *Colonia patricia*, teste Plinio, ceteris Bæticæ vrbibus, excepta Hispali, præferenda. Ioan. Gerundensis Episc. dictam putat, tanquam *Cor Bætis*: sed tam ineptum hoc etymon est, vt huic peponem pro corde fuisse quis posset credere. Priscis temporibus fuit vrbs celeberrima, in qua & iuridicus conuentus agebatur. Strabo Marcelli opus esse asserit; sed cuius Marcelli dubitatur hactenus. Vasæus illius putat esse, qui tempore ciuilis belli, inter Cæsarem & Pompeium, res in HISPANIA gessit: cui coniecturæ suffragatur quòd nusquam ante illud tempus,

tempus, *Cordubæ* mentio fit. Nam & T. Liuius cùm multas Bæticæ vrbes commemoret, hanc silentio transmittit, sed cùm, eodem Strabone teste, prima hæc colonia sit, in HISPANIAM à pop. Rom. deducta, non potest illius Marcelli opus fuisse, tum quia mentio aliqua illius rei facta fuisset ab A. Hirtio, præcipuè seditione illa orta inter Marcellum, & Cæsarem Cæsaris duces prope *Cordubam*. Scio Casaubonum eius esse opinionis, vt dicat ideo *Cordubam* opus esse Marcelli, eò quòd Colonia eius tempore, aut ductu huc missa sit; sed cum ipso Strabone pugnat, vt ostendi. Non enim illo tempore prima potuit Colonia deducta esse, cùm Scipionum tempestate nonnullæ fundatæ fuerint. Sed cur à Plinio *Patricia Colonia* vocatur. Strabo videtur causam aperire. ὅτι πάντα ἐξαρχῆς ῥωμαίων τε καὶ τῶν ἐπιχωρίων ἐπίλεκτοι ἄνδρες. *I. quod ab initio habitarunt eam & Romanorum & indigenarum viri selecti.* Cum enim promiscuè solebant mitti in alias colonias, in hanc forsan honestiores tantum, aut plurimi missi sunt.

Vrbs est agri nitore, & soli felicitate conspicua, vt non immeritò à Silio Italico, *aureum solum* vocetur:

Nec decus auriferæ cessauit Corduba terræ.

Strabo etiam asserit, agri virtute, & magnitudine, fauente amne Bæti, primùm ibi nauigabili, vt ait Plinius, *Cordubam*, suo æuo, & nominis claritate & potentia polluisse. Huc facit, quod idem Plinius lib. XIX. cap. VIII. asserat carduos apud Carthaginiem nouam, & Cordubam præcipuè, sestertia sena millia vt parcius reddere. Quid censebis cetera holera, horarios, ceteroque fructus, segetemque reddidisse, si carduorum prouentus centum quinquaginta millibus circiter aureorum æstimatus fuit.

Nobili etiam platano ornata olim fuit, ob vmbras tantùm expetita arbore, & quòd æstate solem arceat, hyeme admittat: in quam Martialis peculiari lusit epigrammate, lib. IX. epigr. LVII;

In Tarteſſiacis domus eſt notiſſima terris,
Qua dives placidum Corduba Bætin amat:
Vellera nativo pallent vbi flava metallo,
Et linit Heſperium bractea viua pecus.
Aedibus in mediis totos amplexa penates,
Stat platanus, denſis Cæſariana comis.
Hoſpitis inuicti poſuit quam dextera felix,
Cæpit & ex illa creſcere virga manu.

Nec æris metalla Cordubensi agro defuerunt. Plinii siquidem tempestate maximo in honore erat: ait enim lib. XXXIV. cap. II. *Summa nunc gloria* (loquitur de ære) *in Marianum conuerſa, quod & Cordubenſe dicitur.* Vocabatur autem *Marianum*, quod in Marianis montibus, non procul ab hac vrbe reperiebatur.

Sed ingeniorum præcipuè fœcunditate se iactet *Corduba*, quæ cunctis HISPANIÆ vrbibus, non modò venit præferenda, sed paucissimis totius Europæ comparanda. At præcipuorum solùm memintero, inter quos *Senecæ* duo familiam facile ducunt, *Rhetor* pater, & filius *Stoicus Philoſophus*, idemque Tragicus; vnà cum affine suo, *Annæo Lucano* Poeta heroici spiritus: inuidia omni maiores, & quorum opera

——fama loquetur anus:

De quibus Martialis:

Duoſque Senecas, vnicumque Lucanum
Facunda loquitur Corduba.

Porcius etiam *Latro*, cuius solum in Catilinam declamatio exstat, hac vrbe putatur oriundus, vti & *Sextilius Hena* Poeta, cuius Seneca Rhetor lib. I. Suasoriarum meminit: *Sextilius Hena fuit homo ingenioſus magis, quàm eruditus: inæqualis poeta, & pœnè quibuſdam locis talis, quales eſſe Cicero Cordubenſes Poetas ait, pingue quiddam ſonantes, & peregrinii.* Quin occupata iam a Pœnis HISPANIA, proculcatis passim studiis, non defuere præclarissima ingenia huic vrbi, *Auenzoar*, *Auicenna*, *Auerroes*: quorum hic Philosophus acutissimus & Græcorum cuilibet comparandus; ille verò (licèt multi pro Cordubensi *Auicennam* non agnoscant) Medicus præstantissimus, vt monumenta testantur. Patrum etiam memoria hac vrbe prodiere. *Ioannes Mena*, Poeta vernaculi sermonis, magni ingenii, & *Ambroſius Morales* regius Historiographus: cuius diligentiæ & acri iudicio in Antiquitate indaganda, plurimum perpetuò debebit Hispania, qui & prolixè patriæ laudes descripsit. Hac vrbe etiam ortus *Gonzalius Ferdinandus d' Aguilar*: qui florentissimum illud Neapolitanum regnum, è Gallorum manibus, summa virtute eripuit, & magna cum laude Hispanis stabiliuit, vir maximis antiquorum ducibus compara-

dus: vt non immeritò *Magni ducis* cognomen obtineat. Et ne solidæ laudis cumulo quidquam deesset, sola hæc vrbs tot Martyres constantissimos, tot Virgines castissimas tulit, quot vix alibi integræ prouinciæ. Quæ certamina B. Eulogius Cordubensis Episcopus descripsit accuratè, nostraque memoria latinè quoque *P. Martinus de Roa*, Cordubensis & ipse, & Societatis IESV presbyter disertus.

Ambrosius Morales ex antiquâ inscriptione ostendit etiam Cordubam, aliquando *Patriciam* tantùm vocatam, quam lubet hic apponere.

L. LVCRETIO. SEVERO.
PATRICIENSI.
ET. IN MVNICIPIO. FLAVIO. AXATITANO.
EX. INCOLATV. DECVRIONI.
STATVAM. QVAM. TESTAMENTO.
S. PONI. SIBI. IVSSIT.
DATIS. SPORTVLIS. DECVRION.
.....M. F. AXATITANI.....

CAP. XX.

OBVLCO MVNICIPIVM PONTIFICENSE *DICTVM.*

Diuersa ab Antonini Bucula. Simleri error. Cur Porcunna dicta. *Inscriptio vetus.*

TVrdetanorum in Bætica oppidum est *Obulco*, teste Ptolemæo, quod à Plinio etiam *Pontificense* cognominatur. A. Hirtio lib. IV. de bello Alexandrino *Obulcula*, Stephano verò ὁ Βόλκων vocatur, nulla pœnè olim de caussa notius, quàm festino C. Cæsaris in Hispaniam aduentu, qui aduersus Pompeii liberos properans, XXVII. die quàm Roma discessit, Obulconem peruenit, teste Strabone lib. III. Hoc æuo esse *Vbedam* credit Moletius; Marius verò Niger *Sigeram*; sed Ant. Augustinus, Dialogo VIII. & Ambrosius Morales, esse *Porcunna* firmiter asserunt, quibus & ego lubens assentior. Adde quod Plinius *Obulconem* ab amne Bæti XIV. M. P. in mediterranea distare dicit, cui situs Porcunnæ ad amussim respondet, siquidem tribus, sed magnis admodum leucis, à Bæti distare Porcunnam in confesso est. An verò hæc eadem cum Antonini *Bucula* sit, credit Simlerus, & *Obulculam* restituit: sed à calore, non à iudicio hæc est emendatio. nam cùm Strabo *Obulconem*, XXX. circiter stadiis à *Corduba* distare dicat, quæ non explent IIII. M. P. non video, qui cum Antonini *Bucula* cõuenire posset. Nam LII. M. P. à Bucula Cordubam numerat. Sed vnde *Obulconis* in *Porcunnæ* nomen mutatum, quæret aliquis? licet arduum sit in tanto ætatis decursu causam indagare; placet tamen Moralis opinio (quam & ab Ant. Augustino confirmatam video) à celebri & antiqua Scrofæ statua fluxisse, quæ triginta fœtus enixa fuerat, in cuius memoriam, misso priori nomine *Porcunna* dicta fuit, non secus ac *Sarabris* à Tauri effigie, hodie *Toro* vocatur. Statuæ verò hæc ἐπιγραφὴ inscripta est, vt hodie in D. Benedicti ædè visitur.

C. CORNELIVS. C. F.
C. N. GAL. CÆSO.
ÆD. FLAMEN. II. VIR.
MVNICIPII. PONTIF.
C. CORNEL. CÆSO F.
SACERDOS. GENT. MVNICIPII.
SCROFAM. CVM. PORCIS. XXX.
IMPENSA. IPSORVM.
D. D.

Ex quâ etiam inscriptione paret, vocatum fuisse hoc oppidum *Municipium Pontificense*, prætermisso *Obulconis* nomine. Exstat & ibidem alia inscriptio, in qua non solum proprium vrbis nomen, sed & cognomen inscriptum est:

L. POR-

L. PORTIVS. L. F. GALERIA. STILO.
OBVLCONENSIS. ANN. LXV.
ÆDILIS. II. VIR. DESIGNATVS.
P. I. S. H. S. E. S. T. T. L.
HVIC. ORDO. PONTIFICENSIS.
OBVLCONENSIS.
LOCVM. SEPVLTVRÆ:
IMPENSAM. FVNERIS:
LAVDATIONEM:
STATVAM. EQVESTREM:
DECREVERE.

Vrbem hanc frugũ gloria & fertilitate fuiſſe quondã clarã, oſtendũt priſca ab Ant. Auguſtino producta numiſmata: quorũ quædam *Obulconis* nomen, vnà cum tritici & hordei ſpicis ferebant, alia verò aratrum cum ſpicis, & ſerpente in Cereris memoriam.

CAP. XXI.

ILLITVRGI ETIAM ILLVRGIS *ET* ILLVRGIA *dicta. Non eſſe* Iaen, *ſed* Anduxar.

PVnicis bellis nobilem validamque vrbem fuiſſe *Illiturgim*, in confeſſo eſt: & licet hodierno die à priſca nobilitate declinauit, res tamen circa ipſam geſtæ vetant illam ſilentio præteriri. Ptolomæus *Illurgim* nominat, & inter *Turdulos* collocat; Stephanus verò Byzantinus, & Polybius *Illurgiam*; T. Liuius & Plinius *Illiturgim* vocant. *Forum Iulium* cognominabatur, conuentus olim Cordubenſis. Ant. Beuterus credit; *Iaen* vrbem *Illiturgim* fuiſſe, ſed rectius multo Amb. Moral. colligit fuiſſe, vbi nunc vicus *Anduxar el vcio* vix leuca ab vrbe diſtans: quod confirmat tum cippus marmoreus, ibidem refoſſus; cum hac inſcriptione:

ORDO. ILLITVRGITANORVM.
IMPENSAM. FVNERIS. DECREVIT.

Tum etiam Itinerarium Antonini, vbi enim Corduba Caſtulonem iter proſequitur, Illiturgi Caſtulonem. M. P. numerat, qui pœnè ipſas V. Leucas ab *Anduxar el vcio Caſlonem* vſque (vbi Caſtulo ſita fuit) conficiunt. T. etiam Liuius *Illiturgis & Caſtulonis* ſimul ſemper mentionem facit, ſiue defectionem, ſeu excidia earum recenſet. Cùm enim ad Romanos primum defeciſſent ducibus Magone, & Amilcare, à Pœnis obſeſſum fuit, à Scipionibus tamen magna cum hoſtium clade obſidione exemti fuere: poſtmodùm iterum à Pœnis obſeſſis Cn. Scipio opem tulit, & cæſis XII. millibus hoſtium, receſſum eſt ab obſidione, vt refert Liuius lib. XXIII. & XXIV. Poſt cladem verò Scipionum, non ſolùm ad Pœnos defecerunt, beneficiorum immemores; ſed defectionem ſcelere cumularunt: dum ex reſidua clade profugos Romanos hoſti prodiderunt; qua de cauſſa Africano Scipioni meritas perfidiæ pœnas dedere, capta per vim vrbe, auctore Liuio lib. XXVIII

Oppidum ipſum hac tempeſtate, amplum, & opulentum, templis, cœnobiiſque egregiè ornatum, abundat vino, oleo, tritico, ferina carne, melle, fructibuſq; omnis generis: copioſum ibi ſericum, nobilitas frequens, & illuſtris. Conſentiunt Hiſpani ſcriptores hac in vrbe floruiſſe, & nunc ſepultum eſſe Sanctum *Euphraſiam*, ex ſeptem primis Epiſcopis, qui Apoſtolorum iuſſu in HISPANIA Euangelium propagarunt.

CAP. XXII.

GRANATÆ REGNVM.

GRANATA NEC ILLIPVLA, *NEC* ILLIBERIS *OLIM dicta. Sed Maurorum opus. Vnde nomen habet. Diuiſa in quatuor partes.*

NObiliſſimi regni caput *Granata*, & omnium totius HISPANIÆ vrbium maxima, teſte L. Marinæo. *Illipulam magnam* Ptolemæi credit fuiſſe Gerundenſis Epiſcopus;

ſed toto cælo eum errare Strabo oſtendit: qui auctor eſt ad Bætim appoſitam fuiſſe, inter Hiſpalim & Cordubam, qui *Iliberim* eam vocat: *Granata* vero, à Bæti procùl diſtat. Ambroſius Morales oſtendit *Illipulam* eſſe *Pennaflor*, exiguum oppidum inter Hiſpalim & Cordubam. Tarapha vero, aliique non pauci, *Illiberim* olim vocatam fuiſſe, quam Stephanus *Elibrigem* dicit. Sed probatur Vaſæo aut Ambroſio Morali, qui monent *Illiberim* non procùl à Granata fuiſſe eo in colle, qui nunc *Eluire* vocatur, vnde & vrbis porta nomen ſumſit, & non à fœmina, vt quidam ſomniant. Vrbs autem noua eſt Pœnorum colonia, quam ita dictam volunt nonnulli à Cocco, quem Hiſpani *Granam* vocant, qui inſigni copia in hoc regno legitur; alii vero à mali punici ſimilitudine, quod & *Granata* dicitur. Nam vt illud eſt granoſũ, & denſiſſimis acinis refertum, ſic & vrbs hæc, dehiſcentis granati in modum, confertiſſimas ædes habet: adde, incolas pro antiquis inſignibus mala punica geſtare, quo nominis etymon referrent.

Vniuerſa vrbs multis collibus diſtincta, inter quos gemini ceteris altiores conſurgunt, quos amnis Darrus per mediam vallem fluens interſecat, in quatuor primarias vrbis regiones, ſitu quaſi ſeparatas, diuiditur. Ea vrbis regio, quæ maximo decoratur templo, *Granatæ* nomine gaudet, vicos habet plurimos, & arctos ob inſignem ædium frequentiam, licet à Chriſtianis laxiores ſint redditi. templum habet anguſtiſſimum, ea pœne forma, qua Pantheon Romæ: ſacrarium continet ſumtuoſum, in quo Rex Ferdinandus cum Iſabella coniuge (qui hanc vrbem à Pœnorum tyrannide anno Domini M. CCCC. XCII. vindicauit) ſepulti ſunt. Secunda regio *Alhambra* vocata, in qua regium eſt palatium vetus, vermiculato opere, & immenſis ſumtibus exſtructum: tantæ quidẽ magnitudinis, vt ciuitas potius quam domus dici poſſet, tota mœnibus, turribuſque cincta. Nouum hic Palatium Hiſpaniarum Reges exſtruxere, cui ad magnificentiam nec architecturæ concinnitas, nec materiæ nobilitas, nec hortorũ amœnus nitor, aut fontium vndique erumpentium iucundum murmur deeſt: quacumque enim proſpexeris, multa ſunt quibus oculos animumq; paſcas. Ab vno enim latere, vndique luxuriantis agri feliciſſima amœnitas; ab altero vero inacceſſi montes, perpetua niue canentes, vel flagrante Sirio, ſeſe offerunt. Quantũ vero in Septemtrionem ſe oculorum acies extendere poteſt, porrecta camporum æquora, floridis & irriguis diſtincta pratis occurrunt: hic paſſim conſiti xyſti, & ſiluulæ frugiferarum arborum: hic leporaria frequentibus feris, in regium oblectamentum conſpiciuntur: hic in ipſa Alhambra antiqua viſitur inſcriptio, quæ *Illiberis* nomen profert:

IMP. CÆS. M. AVRELIO.
PROBO. PIO. FELICI. INVICTO.
AVG. NVM. MAIESTATIQ.
DEVOTVS. ORDO. ILIBER.
DEDICAT. P. P.

Tertia vrbis regio, *el Alueſim* dicta, duobus collibus ornata. Magna hic ædium frequentia, ſolis olim Mauris incolebatur, agricultura & ſerici textrinis hic victitant. Vltima regio eſt *Antiquerula* dicta, ædium frequentia & ſtructura ceteris non inferior ſitu eſt plano. Paſſim hic bombycinus pannus elaboratur, veſtis item ſerica, & holobera præſtantiſſima. Opificum frequentia, qui ſerico texendo victitant, quanta ſit, vel ex eo colligi poteſt, q; ex ſolis mori arboris foliis, quibus bombyces veſcuntur, præter multas ſerici libras, Regib⁹ triginta millia quotannis pœne aureorũ in vectigal cedant. Ambitu ſuo vrbs circiter M. P. XII. complectitur: tota vndique muris cincta, & propugnaculis mille triginta ornata, aeris hic temperies ſaluberrima, nec nimiis auſtrinis obnoxia æſtibus, aut arctois frigoribus obiecta; ſed media axis vtriuſque, vernantẽq; gaudet temperie. vnde & fructuum præſtantia, bonitaſque, & aquæ ſaluberrimæ inſignis copia. Eſt præterea Epiſcopali dignitate inſignita, Iliberitana vicina ſede, vt multorum fert opinio, huc translata: iuridicus etiam hic celebertimus conuentus habetur. Ludum hic parentum memoria aperuit (quis credat?) *Ioannes* Æthiops genere, *Latinus* hinc dictus, at præſtanti forma, & Muſicæ ac Poeticæ in paucis peritus. Luſit enim carmen gratulatorium in Ioannis Auſtriaci victoriam ad Echinadas inſulas, de Turcis anno cIↃ. IC. LXXI. nauali prælio partam.

CAP.

CAP. XXIII.

ABDERA A POENIS, AVT PHOENICIBVS CONDITA. Franciscus Tarapha refellitur. Vnde Almeria *dicta.*

MAritimum Bæticæ oppidum, non procul à Charidami Promontorio, est *Abdera*: Gerundensis Episcopus hoc æuo credit *Veram* esse; potiori tamen Scriptorum pars *Almeriam* dicit: cui & ego subscribo. Inter Bastulos, seu Bastitanos populos à Ptolemæo recensetur, & *Abdara* illi vocatur. Franciscus Tarapha à Thracibus conditam putat, nominis similitudine motus, quam habet cum Democriti patria: sed vnde id Tarapha? quod neque fictum, neq; pictum, neq; scriptum vspiam est. Melius Stabonis, aut Plinii vestigiis institisset, quorum ille à Phœnicibus, hic vero ex opinione M. Agrippæ à Pœnis originem trahere, vt & oram illam vniuersam, dicit. *Almeria* vero cur postea vocata sit, dicit Tarapha ab Almarico Gothorum Rege: qui anno Domini Io. XV. vel, vt alii, Io. XXX. HISPANIS præfuit, nomen habuisse: qui cum à Childeberto Francorum Rege bello peteretur, propriis diffisus viribus, fuga salutem quærens, hic interfectus fuit. Vrbs hæc an. cIↃ. C. XLVII. memorabili illa expeditione ab Alphonso VIII. Aragonum Rege, S. P. Q. Genuensi, & Raymondo Comite Barcinonensi suscepta, Mauris erepta fuit. Occupata vero vrbe, Genuensibus in præmium nauatæ operæ, catinus ex solido smaragdo, immensi pretii, oblatus fuit, vt auctor est Rodericus Ximenius, Toletanus Archiepiscopus, Rerum Hispa. lib VII. cap. XI. Ligurum tamen Annales, non Almeriæ, sed Cæsareæ in palæstina, Guilielmo illorum Duci, qui primus muros ascenderat, obtigisse illum referunt. Antiquissimum hic fuisse Episcopatum, docent Concilia in Hispania celebrata: cuius primus Episcopus S. Ctesipho, B. Iacobi Apostoli discipulus fuit, vt auctor est Ioannes Vasæus.

CAP. XXIV.

MALACA ALIQVIBVS MÆNACE. *Veteres inscriptiones.*

QVA mediterraneum mare prospectat Bætica, fœcunda est vrbs *Malaca*, hodie vix mutato nomine *Malaga* appellatur; licet Mario Aretio aliter visum sit qui *Malacam* olim fuisse, vbi nunc *Caput Maduce*; *Salaubam* vero fuisse, quæ nunc *Malaga*. Sed hoc est ex meridie tenebras facere: nam & situs, nomen, ceteriq; Scriptores contra asserunt; inter Bastulos à Ptolemæo memoratur. Primarium fuisse oppidum auctor est Strabo, qui nonnullos credidisse refert, olim Mænacem dictam: quam Stephanus videtur *Μάινην* vocare, nisi *κλιμακὴν* illam esse scriberet; sed perperam, cum hæc Phœcensium vrbium vltima, quæ ad occasum vergunt; & longius à Calpe distat, quam *Malaca*; quę Phœnicum ciuitatis propiorem retinet formam. Licet Festus Auienus, in descriptione suâ oræ maritimæ, vnam eandemque vrbem esse dicat, his versibus:

Hos propter autem mox iugum Barberium est
Malacheque flumen, vrbe cum cognomine,
Mænace prior quæ vocata est seculo.

Fluuius vero hic *Malaca*, de quo Poeta, idem est cum Ptolemæi *Sadaca*, qui hodierno æuo ab accolis *Guadalqueuireio* indigetatur, teste Floriano lib. I. c. II. licet perperam Marius Aretius *Salaubam* hunc vocet, Dialogo suo, cui *Calipho* nomen, cum nemo Cosmographorum illius meminerit.

Plinius à Pœnis originem trahere asserit; Franciscus Tarapha à Phœnicibus ante Christi aduentum annis IↃ. III. exstructam putat, quo auctore, nescio. Hoc tempore vrbs est non obscura nam emporium est satis frequens, agro vndique felici, & amœnissimo cinctum: huc statis temporibus, vndiq; mercatores magna copia confluunt, præcipue Belgæ, vt sapidissimos & passos autumnales fructus, ad Septemtrionales plagas auehant. Vini & olei copia fœcunda, vnde luculentum incolis lucrum. turribus, propugnaculisque egregie instructa, vt facile omnes hostiles minas contemnat. Indicio

est, longa obsidione à Ferdinando & Isabella Regibus vexatam, nec nisi vrgente fame captam fuisse. Armamentarium omni telorum, & machinarum bellicarum genere, longe instructissimum habet, vnde limitaneis Africæ locis, vt Madauro (quod vulgo *Oran* appellatur) necessarii commeatus telaq; suppeditantur. Episcopalis vrbs à multis annis fuit, Martyresque habuit SS. Cyriacum & Paulam, sub Diocletiano passos. Non possum hoc loco preterire inscriptionem, quam Malacæ in honorem Imp. Septimii Seu. Pert. exstare refert Morales:

IMP. CES. L. SEPT. SEVERO.
PIO. PERTINACI. AVG.
PARTH. ARAB. ADIAB.
PACATORI ORBIS.
ET. FVNDATORI. IMP. ROM.
IN. EIVS. HONOREM. RESP. MALAC.
TEMPLVM. MARTI. D.D.

Non procul à Malaca vicus est *Canneté*, olim *Sabora* dictus, vbi superioribus annis, ænea tabula vna cum insigni inscriptione reperta, quæ quia Imperatoriam breuitatem refert, & scire operæ pretium erat, religiosum putaui hic omittere:

IMP. CÆS. VESPASIANVS. AVG.
PONTIFEX. MAXIMVS.
TRIBVNICIÆ. POTESTATIS. VIIII.
IMP. XIIX. CONSVL. VIII. P.P.
SALVTEM. DICIT. IIII VIRIS.
ET DECVRIONIBVS.
SABORENTIVM.

CVM. MVLTIS. DIFFICVLTATIBVS.
INFIRMITATEM. VESTRAM. PREMI. INDICETIS.
PERMITTO VOBIS. OPIDVM. SVB. NOMINE. MEO.
VT. VOLTIS. IN. PLANVM. EXSTRVERE.
VECTIGALIA. QVÆ. AB DIVO. AVG.
ACCEPISSE. DICITIS. CVSTODIO.
SI. QVA. NOVA. ADIICERE. VOLTIS.
DE. HIS. PROCONSVLEM. ADIRE. DEBEBITIS.
EGO. ENIM. NVLLO. RESPONDENTE.
CONSTITVERE NIL. POSSVM.
DECRETVM. VESTR ACCEPI. VIII. KAL. AVG.
LEGATOS. DIMISI. IIII. KAL. EASDEM.
VALETE.

II VIRI. C. CORNELIVS. SEVERVS.
ET. M. SEPTIMIVS. SEVERVS.
PVBLICA. PECVNIA. IN. ÆRE. INCIDERVNT.

CAP. XXV.

CARTIMA. DIVERSA A T. LIVII CERTIMA.
Egregia vetus inscriptio.

NOn procul à Malaca, amœnũ est oppidum *Cartamà*, olim vero *Cartima*, vel *Municipium Cartimitanum* vocatum, vt ex antiqua mox patebit inscriptione: quæ multum diuersa est à T. Liuii *Certima*, cuius lib. XL. meminit, nam in vltima illam Celtiberia statuit, à Tib. Sempronio Graccho obsessam, ad deditionemque compulsam: nostra vero hæc *Cartima* ad maximi montis radices sita (qui num Ptolemæo *Lipula* vocetur, aliis investigandum mando) qui quantum in aquilonem patet sterilis est, & asperis siluisque horridus, sed aduersa parte culturæ patiens & passim vinetis consitus,

Græcas nuces, seu amygdala, ficusque sapidissimas magna copia producit, quæ in Boreales regiones magno emolumento incolarũ asportantur. Adiacent frequentes siluæ glandiferæ, & gallæ feraces, quarum tum ad atramentum conficiendum, tum ad dealbanda hircorum caprarumq; coria (vulgo *Cordouana*) magnus est vsus. Pulcerrimam hoc loco exstare inscriptionem refert Ambrosius Morales, qua Lectorem defraudandum non putaui.

IVNIA. D. F. RVSTICA.
SACERDOS. PERPETVA. ET. PRIMA.
IN. MVNICIPIO. CARTIMITANORVM.
PORTICVS. PVBLICAS.
VETVSTATE. CORRVPTAS.
REFECIT.
SOLVM. BALINEI. DEDIT.
VECTIGALIA. PVBLICA. VINDICAVIT.
SIGNVM. ÆREVM. MARTIS.
IN. FORO. POSVIT.
AD. BALINEVM. SOLO. SVO.
CVM. PISCINA. ET. SIGNO. CVPID.
EPVLO. DATO. ET. SPECT. EDITIS.
D. S. P. D. D.
STATVAS. SIBI.
ET. C. FABIO. IVNIANO. F. SVO.
AB. ORDINE.
CARTIMITANORVM. DECRETAS.
REMISSA. IMPENSA.
AVIÆ. STATVAM. ET. C. FABIO.
FABIANO. VIRO.
D. P. S. F. D.

CAP. XXVI.

SINGYLIA NVNC ANTIQVERA. *AB ANTONINO* Anticaria *dicta. Inscriptio vetus. Fons ibi medicatus.*

GRanatensis regni venustum est oppidum *Antiquera*, Plinio olim *Singylia* dictum, vt ex antiquis probant inscriptionib⁹ Amb. Morales, & Car. Clusius. Nomen illi forsan, à vicino amne *Singyli*, qui Bæti infunditur, hodie *Xenil* dictus: num vero eadem sit cum Antonini *Anticaria*, quam itinere à Gadibus Cordubam statuit, incertus sum. Sed nominis vicinitas, parum discrepante situ, suadet vt idem, cum Ortelio, credam esse oppidum cum *Singylia*. Quid enim miri à Plinii ætate in Antonini ævum nomen muratum esse? cum plerisque id euenisse palam est: hinc vix duo Scriptores idem nomen efferunt. Situm est oppidum in colle leuiter vndique aspero, & inæquali, sed amœno, & fecundo, firmum satis & munitũ. Castrum habet in vertice cum portis ferreis, vbi Granatensium Regum frequens, & tutus olim erat secessus. Iucundius in subiectos agros prospect⁹; hinc per proiectos agros latissimè vagatur, hinc cæduis montibus coercetur: adest fontium perennium, & egelidorũ frequentia, quorum inter cõfragosa loca ebullientium suauissimũ murmur aures demulcet: & limpidæ vndæ visui gratę. Salinas habet copiolas, vnde ingens quæstus exiguo labore venit. non enim, sicut in Germania & Zelandia, ignis adminiculo coquitur, sed æstiuis mensibus, fontana vel cælesti aqua in stagnum collecta, multo sole concrescit. Vnde & vicini montes candidissimi salis grumos præbent: habet etiam non contemnendas latumias, ad incolarum ædificia. Egregia hic inscriptio seruatur, quæ ptisci nominis, & vetustatis memoriam refert:

GALLO. MAXVMIANO. PROCOS. AVG.
ORDO. SINGILIENSIVM.
OB. MVNICIP. DIVTINA. BARBAR. OBSID. LIB.
PATRONO.
EVRANTIBVS. C. FAB. RVSTICO.
ET. L. ÆMILIO. PONTIANO.

Secundo ab vrbe milliari medicatus est fons, ad multa morborum genera, sed præcipue ad calculorum vitia celeberrimus, indigenis dictus *Fuente de Antequera*. Superiori etiam ævo in honorem fuisse prisca inscriptio ab Amb. Morales producta testatur, quam hodieque Singylæ dicit conspici:

FONTI. DIVINO. ARAM.
L. POSTVMIVS. STATVLIVS.
EX. VOTO. D. D. D.

CAP. XXVII.

ARTIGIS IVLIENSIS COGNOMINATA. DE EIVS *Thermis pauca.*

SIngyliæ fontis salubritas in memoriam mihi reducit *Alhamæ* nobiles, & vicinas thermas, quarum occasione de ipsa vrbe pauca dicenda erunt. Credit Iosepus Mortius, *Alhamam* esse *Artigim* Ptolemæi, quam Plinius *Iulienſem* dicit cognominari. Turdulorum oppidum quondam, sed quibus coniecturis fultus hoc asserat, incertus sum: quare neq; confirmare argumentis, nec reiicere mihi in animo est. Distat nunc à Granata septem milliaribus: immensis vndique præcipitiis, & asperrimis rupibus ambitur, agro tamen lætissimo fruitur: in pratis, hortis, aruisque mira passim luxuries Granatensibus olim Regibus amœnissimum otium, & delicias præbebat. Sed salubres, & vberrimi hic ebullientes fontes, locum præcipue commendabant: qui secreto quodam naturæ miraculo ex intimis terræ visceribus, secum calorem benefícum ferunt, nullius exteræ flammæ indigi, vt calefiant. Cum enim multis in locis terra operros ignes tegat, quibus fuge pabulum aluminis, sulphuris, aut bituminis vena præbet, fit vt eorum ardore incalescens tellus, ferdum vaporem in superiora emittat loca, quo offensi vicini fontes efferuescunt inter venas suas, atq; ita profluunt calidi; incorrupto interdum sapore, si remotiores ab ignis pabulo fontium ortus. Quod si vero per ipsa loca sulphure, aliave materia plena fluant aquæ, calorem non solum illius contactu, sed & saporem, & odorem trahere in confesso est. Sed cum studio hæc inquirant, qui naturæ arcanis nobiles curas intulerunt: instituti enim mei minime est exactè hæc persequi. Temperatum adeo huius fontis calorem prædicant, vt nudo corpori nulla inde noxa. ipsa vero aqua pacata adeo, & limpida fluit, vt numerare iniectas stipes, & relucentes calculos facile quivis possit. Epotam variis ægritudinibus, & neruorum præcipue ferunt conferre; Martio præsertim & Septembri vtilis mensibus. Adauget etiam structuræ elegantia natiuam loci amœnitatem. Regum enim cura, & liberalitate, thermæ hic excitatæ magnis impensis, adeo vt inter Hispaniæ balnea nobilissimæ habeantur; & cum Statio Papinio I. Sylu. libere dicam.

Nec si Baianis veniat nouus hospes arboris,
Talis despiciat (fas sit componere magnis
Parua) Neronea nec qui modò lotus in vndâ,
Hic iterum sudare neget.

CAP. XXVIII.

MVNDA ANTIQVVM NOMEN RETINET. INscriptio vetus. *Metropolis olim Turdetaniæ.*

AEtatis iniuria, & posterorum incuria effecit, vt, quo loco quondam fuerit *Munda*, pene ignoretur. alii enim *Rondam*, alii *Mundecaram* hodie vocari credunt. Sed P. Ioan. Mariana, & Amb. Morales, ostendunt incorruptum nomen, post tot secula seruatum, & *Mundam* esse, quę viginti millibus à Malaca distat. Suffragatur vetus inscriptio templi foribus præfixa:

IVLIVS.

IVLIVS. NEMESIVS. NOMENT.
VICE. M. AVRELII. IMP.
SACR. BÆTICAM. GVBERNANS.
PRÆTORIVM. IN. VRBE. MVNDA.
QVO. PATRES. ET. POPVLVS.
OB. REMP. RITE. ADMINISTRAND.
CONVENIANT. F. MAND.

Erat autem *Munda*, teste Plinio, Colonia immunis, sita editiori in grumo, modico præterfluente amne, palustri & voraginoso solo, ad dextram partem (vt refert A. Hirtius) quem lata planicies excipit, vbertate & amœnitate conspicua, & in vniuersa frugum genera facilis, vt nihil sit quod natura negauerit, nihil quod cultura præterierit. Sed nulla re notior, quàm cruento, & ancipiti circa illam commisso prælio, inter Pompeii liberos, & Dictatorem Cæsarem: vbi tantâ Pompeianorum strage bellatum fuit, vt, cùm se Mundæ profugi recepissent, & Cæsar obsideri victos imperasset, aggeriq; exstruendo deesset materia, congerie hostilium cadauerum, pilis tragulisque confixa (quia roboreæ sudes deerant) vrbem vallarent. Auctor est Dion lib. XLIII. hoc loco statim à victoria palmæ germen enatum esse. Sed magis mirandum quod & Plin. lib. 36. c. 18. refert, palmatos circa *Mundam* lapides reperiri, idq; quoties fregeris. Strabo lib. III. refert *Mundam* quasi metropolim fuisse vniuersæ Turdetaniæ.

CAP. XXIX.

LVSITANIÆ REGNVM.

LVSITANIA. DICTA ETIAM LYSITANIA. *LIMITES eius. Strabo diuersus à ceteris. Stephani Byzantini hallucinatio. Lusitania & Portugalia diuersæ olim prouinciæ. Martiani Capellæ error.*

HISpaniæ vlterioris altera prouincia est *Lusitania*, cui *Lusum* Liberi patris, aut *Lyssam*, cum eo bacchantem nomen dedisse auctor est Plinius lib. III. cap. I. vnde & promiscuè apud veteres nunc *Lusitania*, nunc *Lysitania* scriptum est. Terminatur secundùm Ptolemæum, à Septentrione amne Durio (qui illam à Tarraconensi diuidit;) à Meridie flumine Ana (qui illam à Bætica;) ab Occidente Oceano Atlantico; ab Oriente à Tarraconensi separatur, linea ducta ab Oretania veteri vsque ad pontem Durii, è regione *Septimancæ*. Strabo verò lib. III. diuersus à Ptolemæo, cæterisque Geographis, Lusitaniæ limites describit: *Huius regionis Australe latus Tagus cingit; ab Occasu verò, & Septentrione Oceanus; ab Aurora Carpetani, Vettones, Vaccæi, & Callaici, famæ maioris populi.*

Ex quibus patet, Strabonem *Lusitaniam* à Tago inchoare, regionem verò, quæ inter Tagum & Anam est, *Lusitania* excludere; ab alterâ verò parte vltra Durium illam extendere: siquidem & Minium amnem; & Artabros *Lusitaniæ* comprehendit, qui à Ptolemæo in Tarraconensi statuuntur; sed cùm Plinius etiam Ptolemæo suffragetur, & Durio Anaque fluminibus *Lusitaniam* includat, missâ Straboni descriptione, Ptolemæi vt veriori magisque receptæ adhærendum. Quid Stephanum Byzantinum lib. de vrbibus mouerit, quòd *Lusitaniam* Bæticæ partem asserat, me latet: quemadmodum etiam, quod dicit ex Artemidori sententia, *Belitanos* eosdem esse cum *Lusitanis*. Nam Plinius lib. III. cap. III. prope Cæsaraugustam *Belitanos* Ciuium Romanorum collocat, & Ptolemæus eodem penè loco vrbem *Celiam* recenset, satis procul à *Lusitania*: nisi forsan dicamus *Belitanos* à Lusitanis originem trahere, & ideò eosdem esse cum Lusitanis. Martianus Capella *Lusitaniam* dicit permeari sui cognominis fluuio, sed vbi gentium hic fluuius, mihi prorsus ignotum, nisi Anam quis suspicetur esse. Sed terminat amnis hic *Lusitaniam*; non transit. Quare mittamus Sybillina hæc folia. Hodierna die *Portugalia* dicitur, non tamen satis propriè: siquidem nec tota *Portugalia Lusitaniæ* finibus circumscripta est; nec etiam totam *Lusitaniam* complectitur; licet potissima eius pars *Portugaliæ* subiaceat. Nam tota interamnis prouincia, vulgò *entre Douro & Minho*, extra Lusitaniam erat, secundùm Plinium; & Ptolemæum: nisi Straboni accedamus, qui ait maximam Callaicorum partem *Lusitanos* appellari; & alibi dicit, Minium omnes Lusitaniæ amnes magnitudine superare. Eadem etiam ra-

tionae Lusitaniæ pars, quæ Tarraconensem spectat, *Portugalia* non comprehenditur, vt *Castra Cæcilia, Castra Iulia, Placentia, Abila, Salmantica*; tum non paucæ vrbes, quæ circa Anam sunt, & inter illas *Augusta Emerita*, olim conuentus Lusitaniæ. Nomen verò *Portugalliæ*, teste Andrea Resendio, à *portu Calis* circa Durii ostia deducitur, & non à *porta Gallorum*, vt insulsè L. Marineus Siculus, aliique: vnde leuiter inflexo nomine *Portugale*. Paulatim ad Braccarios Gallecíæ partem diffusum, vt auctor est Rodericus Ximenius Archiepisc. Tolet. lib. V. cap. XII. *Interea Alcorexi Rex Agarenorum eam partem Gallecíæ, quæ nunc Portugalia dicitur, & vsque ad S. Iacobum, non veritus Apostolum, deuastauit.* Et lib. VI. cap. XI. *Lusitaniæ, & Portugaliæ*, vt diuersarum prouinciarum, simul meminit, vbi de Ferdinando I. agit: *Cumque in tranquillitate secura gauderet, congregato exercitu processit, vt Lusitaniam & Portugaliam occuparet, quas tunc temporis Arabes detinebant.*

Lusitania autem omnis in tres iuridicos conuentus, auctore Plinio, distincta erat, in *Pacensem, Scalabitanum, & Emeritensem*: tota vndique magnis nobilibusque fluuiis irrigua, Durio, Munda, Callipode, Minio, & ab omnibus ob auriferas arenas celebrato Tago: fontium perennium tanta copia, vt, testæ Vasæo, vltra viginti quinque millia, in ea numerentur, inter quos mirandi aliquot. Refert enim Plinius lib. II. cap. III. *In Carinensi* (seu vt Resendius emendat, *Cetinensi*) *Hispaniæ agro, duos fontes iuxta fluere, alterum omnia respuentem, alterum absorbentem.* postremum hunc fontem, non procul à Tentugalensi municipio, loco dicto *Cadima*, conspici ait Vasæus, & coram Rege Ioanne III. periculum factum, non solùm in arborum truncis, ramisque, sed etiam in iumento, quod fonti admoto pede paulatim absorberi cœptum, ægrè tandem à famulis extractum est. octo leucis à *Conimbrica* abest hic fons, & indigenis nunc *Feruentia* vocatur

Præter auriferum verò Tagum, tellus etiam auri ferax, ita vt Lusitaniam, Galleciam, & Asturiam, vicena millia pondo annis singulis præstitisse dicat Plin. lib. XXXIII. cap. IV. plumbi, & crystalli etiam fœcundam esse, aliis locis idem est auctor. Huius prouinciæ vberratem, cultum, amœnitatem quid opus est multis efferre? multorum instar erit Athenæi VIII. Dipnosoph. de illa encomium; qui ex sententia Polybii Megalopolitani post multa: *Sus*, inquit, *qui ad centum librarum pondus accedit, quinque drachmis in cœnas emitur, ouis duabus, ficuum talentum tribus obolis, vitulus drachmis quinque, bos iugo aptus decem: siluestrium verò animalium carnes neque pretio vllo dignæ putantur; sed has inter se conferunt, benigneque admodum vicissim largiuntur, ac mutant.*

De incolarum verò virtute, ingenio, & bellica gloria quid attinet multa dicere? Diodorus Siculus fortissimos omnium Celtiberorum *Lusitanos* ait. Strabo etiam lib. 3. *Lusitaniam* ait plurimis annis Romanorum armis oppugnatam. Abunde etiam Florus Lusitanorum virtutem ostendit lib. II. cap. XVII: *Totam certaminum molem cum Lusitanis fuisse, & Numantinis: nec immerito, quippe solis gentium duces contigerunt.* Vnus Viriatus sufficiet, qui annos quatuordecim, varia victoria Romanos fatigauit, & si fortuna fauisset, meritus, qui Hispaniæ Romulus fuisset.

Nec emarcuit nostra tempestate Martius ille vigor. nam patrum memoria, felici ausu, & audaci felicitate, superato Bonæ spei promontorio, ignotum antea vastissimũ illud Atlanticum mare primi nobis aperuere Lusitani, detexere latentes Africæ immensas oras, & secunda nauigatione penitissima Indiæ penetrarunt: vbi non cum inermi, aut fugaci Mauro, sed cum potentissimis Indiæ penetrarunt: vbi non cum potentissimis Indiæ Regibus, vniuersi orientis robore, cum Persis, inquam, & Turcis maxima bella felicissimè, terra, marique gesserunt.

CAP. XXX.

LVSITANIÆ POPVLI. DVPLICES TVRDVLI. IIDEM cum Turdetanis Ptolemæi. Celtici vnde fluxere. Vettones nunc Lusitania exclusi, nunc inclusi. Prouincia Vettonia.

TVRDVLI

INter Lusitaniæ incolas, numero famaque notissimi fuere *Turduli*. Diuisio olim in *Turdolos veteres*, & *Turdulos* citra adiectionem dictos: celeberrimi erant *veteres*, & quasi ceterorum parentes, tam eorum qui Lusitaniam, quàm qui Bæticam incolebãt. Pomponius Mela eos habitasse à Tagi ostio ad Durium vsque lib. II. cap. I. refert; Plinius

nius verò circa Durium amnem eos collocat, his verbis, lib. IV. cap. XXI. *A Durio Lusitania incipit, Turduli veteres. Præsuri. flumen Vacca.* Vnde parum exacte Abrahamus Ortelius in veteris suæ Hispaniæ descriptione, circa promontorium sacrum *Turdulos veteres* ponit, cum multis hinc millibus Durius amnis remotus sit. Ceteros verò Turdulos circa Anam flumen degere testatur Plinius lib. IX. cap. XXII. *Ab Ana*, inquit, *quo Lusitaniam à Bætica discreuimus, C. XXI. M. P. à Gadibus CI. M P. additis gentes Celtici, Turduli & circa Tagum Vettones.* Ita enim legit Andreas Resendius, cum prius legeretur *Varduli*, qui citerioris prouinciæ circa Vascones sunt populi.

Hos ego *Turdulos* eosdem crediderim, cum *Turdetanis*, quos Ptolemæus in Lusitania recenset, ab Anæ ostiis ad promontorium Barbarium, vulgò *Cabo de Pixeles*, vbi nunc Regnum Algarbii est: & cum ceteri Scriptores de Turdetanis in Lusitania fileant, & Turdulorum situs cum Ptolemæi Turdetanis idem prorsus sit, eosdem ausim asserere. Præter verò hos Turdulos meminit Plinius citato cap. XXII. Turdulorum, qui *Partuli & Tapori* vocantur, de quibus quid dicam plane anceps sum, cum nemo hos præter illum agnoscat.

CELTICI.

PRæpotens in Lusitania *Celticorum* populus, à Gallis Celtis, vt fama est, originem ducens: iuxta Anam, teste Plinio, habitabant, ad Turdulos & Vettones longe lateque diffusi, eo pene loci qui hodie *Alemteyo* vocatur, multas plæclarasque vrbes occupantes, quas inter auitum pene & gentilitium nomen seruarunt *Heluæ*, nostro æuo non obscura vrbs, ab Heluiis Galliis conditoribus sic vocata.

Varii ab his Celticis fluxere populi; inter ceteros verò, qui Beturiæ partem incolebant, Celtici, teste Plinio lib. III. cap. I. *Celticos, à Celticis ex Lusitania aduenisse manifestum est, sacris, lingua, oppidorum vocabulis, quæ cognominibus in Bætica distinguuntur.* ita enim legendum, & non à *Celtiberi*, vt vulgati codices, monet Resendius: nulli enim Celtiberi in Lusitania. Sed etiam in citeriori prouincia *Celtici* cognomine *Neriæ*, & *Celtici Pæsamarici* qui omnes circa promontorium Nerium, aut Celticum dictum habitant: quorum Strabo luculente meminit lib. III. loquitur verò de promontorio Nerio: *Circum habitabant Celtici, qui colentes Anam fluuium cognatione contingunt. Nam cum ij pariter atque Turduli, sociis eo armis perueniissent, seditionem egisse ferunt, postquam Limiam fluuium trajecerunt: ceterum post seditionem, eorum amisso duce, palantes ac dissipati ea in regione desederunt: hac de caussa flumen λήθης, id est, Obliuionis appellatum.*

VETTONES.

FRequentem maxime fuisse; & diffusam *Vettonum* nationem, nemo vel obiter in Geographis, & prisca Historia versatus inficiabitur: hinc pugnantia inter sese mutuo Scriptorum sunt testimonia. Nunc enim illos inter Lusitanos recensent, nunc excludunt. Ptolemæus illos Lusitaniæ adscribit, & maxime orientales facit (licet antiqua exemplaria οὐφγωνις habeant;) Plinius autem lib. IV. cap. XXII. circa Tagum statuit *Vettones*; Cæsar vero primo belli Ciuilis Commentario, illos Lusitania videtur excludere: vbi enim Afranii, Petreii, & Varronis, Pompeii legatorum præfecturas diuisit subdidit. *Vt Petreius ex Lusitania per Vettones cum omnibus copiis ad Afranium proficiscatur.* Strabo etiam lib. III. Lusitania illos videtur excludere: *Huius regionis (Lusitaniæ) latus australe Tagus cingit; ab occasu vero & septemtrione Oceanus; ab ortu Carpetani, Vettones Vaccæi, & Gallaici famæ maioris populi.* Idem tamen statim subdit Strabo: *Contrà vero nonnulli & hos Lusitanos nominant.* Vnde alterutrum sequi necessum est, vel duos diuersos populos fuisse; aut, vt exordio dixeram, frequentem admodum fuisse gentem, quę angustis suæ prouinciæ terminis non cõtenta in citerioris prouinciæ partem, aggrauante copia, se diffuderat. Quod & Andreæ Resendio probari video, q̃ addit, separatã illos etiã prouinciã effecisse, occupatis vicinorũ agris, cui⁹ caput *Augusta Emerita* à Prudentio statuitur. Confirmat hoc vetusta inscriptio, ab eode producta, quæ Emeritæ visitur:

D. M.
P. ÆLIO. VITALI. AVG. LIB. TABVL.
PROVINC. LVSITANIÆ. ET. VETTONIÆ.
STEPHANVS. LIB.
ET. HERES. PATRONO. FECIT.

Vnde verum esse comperimus, quod Plinius iam suo æuo conquerebatur: *Aliunde aliis exordium mensuræ est, & alia metatus, ita fit, vt nulli duo concinant.*

Ab his populis *Vettonicam* laudatam, & nunc notissimam herbam nomen sumsisse refert Plinius lib. XXV. cap. VIII. auctor est Strabo lib. III. Vettones, cum primum

Romanorũ castra intuentes quosdam centuriones, deambulationis causa deflectere viam cernerent, insanire homines sunt suspicati: itaque eis præcedentes, viam ad tabernacula commonstrabant, perinde ac, aut fixos per quietem manere, aut pugnare necessarium arbitrarentur.

CAP. XXXI.

EMERITA.

AVGVSTA EMERITA AB AVGVSTO CONDITA. LVSITANIÆ quondam metropolis. Reliquiæ hic Theatri, & Naumachiæ.

POst deuictos Cantabros, pacatamque Hispaniam ab Augusto Cæsare, ab emeritis militibus, *Augustam Emeritam* conditam vrbem, præter Dionem lib. LIII. & D. Isidorum, sentiunt Scriptores, inter quinque Lusitaniæ colonias Plinio recensetur: celebremque eius ætate fuisse, vel ex eo patet quod inter tres conuentus Lusitaniæ ab eo reponitur. Pomponius etiam Mela suo æuo celiberrimam Lusitaniæ vrbem fuisse ostendit. Non defuere inter recentiores, qui nugis suis omnia inuoluentes, dicant, vel à *Myrmidonibus*, vel in Herculis memoriam tamquam *Memoridam* dictam. quis non ridebit tam inficetas etymologias? Ptolemæus inter Celticos; Strabo verò illam inter Turdulos collocat; poeta verò Prudentius, hymno in S. Eulaliam Emeritensem, inter Vettones recenset:

Nunc locus Emerita est tumulo,
Clara Colonia Vettonia,
Quam memorabilis amnis Anas
Præterit, & viridante rapax
Gurgite, mœnia pulcra alluit.

Et licet auctores hi dissentire videantur, facile lis hæc componi poterit, si temporũ decursu variè mutatas prouincias reputauerimus, de quo & Plinius suo æuo conquerebatur lib. III. cap. I. *Quæ causa*, inquit, *magnos errores computatione mensuræ sæpius parit, alibi mutato prouinciarum modo, alibi itinerum auctis & deminutis passibus; incubuere maria tam longo æuo, alibi processere littora, torsere se & fluminum aut correxere flexus.* Proinde non erit mirum, Strabonis tempestate, qui sub Tiberio Cæsare floruit, Turdulos viribus opibusque claruisse; Prudentii verò æuo, qui sub Theodosio, Arcadio & Honorio viguit, Vettones superiores fuisse, partemq; Turdulorum agri occupasse, atque ita *Emeritam* inter Vettones annumeratam, cum prius inter Turdulos esset:

Vrbem hanc Lusitaniæ caput fuisse, non solum reliquiæ antiquorum ædificiorum, sed & Poeta Ausonius testatur.

Iure mihi post has memorabere nomen Iberum,
Emerita, æquoreus quam præterlabitur amnis,
Submittit cui tota suos Hispania fasces.

Prudentius etiam dicto hymno luculentè id testatur:

Lusitanorum caput oppidorum Vrbs.

Sita est *Emerita* loco campestri, iuxta flumen Anam, vulgò *Guadiana*: qui pulcerrimo stratus ponte, vt ex architecturæ concinnitate coniicerere licet, Romanã magnificentiam refert. Hac in vrbe olim duo erant aquæductus, quorum adhuc hinc inde sparsi arcus visuntur, qui operis splendorem præ se ferunt. Vrbi etiam contigua moles est, quam incolæ *Septisolium* vocant, quòd referant statò tempore, septem Pœnorum Reges hac in vrbe conuenire solitos fuisse, & his sedibus sedisse. sed germanæ nugæ sunt, cùm sedilium ne vmbram quidem hæc moles referat; sed theatrum fuisse, ait Gasparus Barrerius, quod arcus planè habet collapsos, parietes verò diuersis in locis integros, ruderum adgestione planè deformatum. Arcus etiam hic prope D. Iacobi ædem spectatur, quem incolæ plurimique Scriptores triumphalem fuisse putant: sed præterquam quod falsum sit, triumphales arcus alibi quàm Romæ fuisse, structuræ quoq; sunt magis illustris & operosæ: res gestas, fusos hostes, victoriasq; insculptas habent, vnà cum titulo Imperatoris, vt Romæ videre est in arcu Imp. Septimii Seueri, & Titi Vespasiani. Emeritensis verò arcus nihil horum præ se fert, ideoq; non absre Barrerius suspicatur, fuisse tropæum aliquod. insigne præterea antiquitatis opus conspicitur hic, Naumachia. Figura campi est oualis, M. CCCC. pedes in longitudinem

porrecta,

porrecta, latitudo verò longitudini respondet: circumdata est magno muro in arcus fornices deducto, vt nonnullis in locis adhuc vestigia monstrant. Vrbs hæc olim nobilissima ad magnam incolarum infrequentiam delapsa est, & præter priscæ claritatis ruinas nihil ostendit.

Auctor est Plinius lib. IX. cap. XLI. circa Emeritam coccum esse maxima in laude. Idem lib. XV. cap. III. prædulces olivas per se tantùm siccatas vuisque passis dulciores, admodùm ratas circa Emeritam Lusitaniæ esse refert. Gothorum tempestate Episcopalis vrbs erat, postea & Archiepiscoparum obtinuit, nunc vtroque spoliata. Metropolitana verò dignitas à Callisto II. Pont. Max. translata fuit Compostellam, vt refert Vasæus Brugensis. Hac vrbe orta est *D. Eulalia*, vt supra citatis versibus meminit Prudentius, eadem oriundus Poeta *Decianus*, vt testatur Martialis:

Gaudent iocosæ Canio suo Gades,
Emeritâ Deciano meo.

CAP. XXXII.

EBORA.

EBORA DICTA LIBERALITAS IVLIA. INscriptiones veteres. De situ eius pauca.

PEr antiquam fuisse Lusitaniæ vrbem Eboram, vt nemo dubitat, ita de primo eius conditore, cuncti pœnè ambigunt: quod in tanta vetustatis caligine mirum non est. Iacobus Mœnetius Vasconcellus IC. Lusitanus, non ineptè suspicatur, hanc vrbem nominatam fuisse, ab *Eburonibus*, seu *Eburonicibus* Galliæ Celticæ populis, cùm compertum sit tractum hunc Celtas incoluisse: vnde forsan & *Eburobritium*, & in Bætica *Ebura* ad sinum Gaditanum, & in Carpetania T. Liuio *Ebora* nomen sumsere. Viriati certè magni illius Lusitani Ducis tempore floruisse, constat ex antiqua inscriptione, quam ab Andrea Resendio libello, de antiquitate Eboræ desumtam, Lectori hic propono.

L. SILO. SABINVS.
BELLO. CONTRA. VIRIATVM.
IN. EBOR. PROV. LVSIT. AGRO.
MVLTITVDINE. TELORVM
CONFOSSVS.
AD. C. PLAVT. PRÆT.
DELATVS. HVMERIS. MIL.
H. SEP. E. PEC. M. M. F. I.
IN. QVO. NEMINI. VELIM. MECVM.
NEC. SERV. NEC. LIB. INFERRI.
SI. SECVS. FIET.
VELIM. OSSVA. QVORVMCVMQ.
SEPVLCRO. MEO. ERVI.
SI. PATRIA. LIBERA. ERIT.

A Q. Sertorio habitatam & peculiariter dilectam, muris cinctam, & aquæ ductu ornatã fuisse, testatur vetus hæc inscriptio, quàm, licèt mutilã, non pigebit adducere.

Q. SERTOR. .....
HONOREM. NOMINIS. SVI.
ET. COHOR. FORT. EBOR. MVNIC.
VET. EMER. VIRTVTIS. ERGO.
DON. DON. BELLO. CELTIBER.
DEQVE. MANVBIIS.
IN. PVBLIC. MVNIC. EIVS.
VTILITATEM.
VRBEM. MOENIVIT.
EOQVE. AQVAM.
DIVERSIS. IN. DVCT. VNVM.
CONLECTEIS. FONTIBVS.
PERDVCENDAM. CVRAVIT.

Cognominata postea hæc vrbs *Liberalitas Iulia* datumq; illi ius veteris Latii, vt testatur Plinius lib. IIII. cap. XXII. *Oppida*, inquit, *veteris Latii Ebora, quod Liberalitas Iulia, & Myrtilis, ac Salacia*: quis verò veteris Latii ius primùm *Eboræ* concesserit incertum. Non absurdum erit suspicari, id C. Iulii Cæsaris beneficio obtinuisse, ideoque etiam cognominata *Liberalitas Iulia*, cui fauet antiqua hæc inscriptio, à Resendio producta:

DIVO. IVLIO.
LIB. IVLIA. EBORA.
OB. ILLIVS. IN. MVN.
ET. MVNIC. LIBERALITATEM.
EX. D. D. D.
QVOIVS. DEDICATIONE.
VENERI. GENETRICI. CÆSTVM.
MATRONÆ. DONVM. TVLERVNT.

Sita autem est *Ebora* loco campestri, situ planè amœno. Finge tibi amphitheatrum aliquod immensum, quale rerum natura sola opifex possit effingere: lata & porrecta est planicies, quæ impendētibus vndiq; montibus clauditur: ipsi montes non inuestes aut steriles, sed densis vetustisque nemoribus ornati: campi subiacentes fertilissimi, & opimæ messis feraces. at tantæ felicitati solus amnis deficit. Fidem Christi amplexa est in ipsis nascentis Ecclesiæ primordiis, auctore D. Mancino, Domini nostri Discipulo, qui sub Traiano, aut, vt alii, sub Nerone martyrio affectus fuit. Hac vrbe oriundi *D. Vincentius, Sabina, & Christetis* sorores ipsius, qui Abulæ sub Daciano Præside martyrio affecti fuere.

Vrbs hæc ab Arabibus circiter CCCC. annis possessa fuit; & tandem regnante Alphonso Henrico primo Lusitaniæ rege, à Christianis occupata fuit, opera & virtute fortissimi viri Giraldi cognomine *Intrepidi*. Episcopalis vrbs fuit, sub Paulo verò III. Pont. Max. Archiepiscopali dignitate ornata, vt & Academia omnium disciplinarum illustrata. viros habuit doctrina conspicuos, *L. Andream Resendium*, diligentissimum antiquitatis indagatorem: cui quantum, non solùm patria *Ebora*, sed & vniuersa debeat Lusitania, testantur eius opera. habuit etiam *Thomam Rodericum à Veiga*, Medicum doctissimum, qui pauca, sed erudita, sed elaborata in lucem edidit.

CAP. XXXIII.

PAX IVLIA HODIE BEIA. IOSEPHVS MOlatius & Taraphareiecti. Inscriptio vetus.

INter celebertimas Lusitaniæ ciuitates, numerata est *Pax Iulia*, vna ex quinque Coloniis, in qua & Iuridicus olim conuentus, vt auctor est Plinius lib. IV. cap. XXII. à Iosepho Moletio, & Francisco Taraphą, censetur *Badaioz* esse; sed longè hos errare vel Antonini docet Itinerarium, qui numerat ab Esuri per compendium Pacem Iuliam M. P. LXXVI. hoc modo: *Myrtilim M. P. XL. Pacem Iuliam XXXVI.* Esuris verò, vt hoc obiter moneam, oppidum est, non procul à Marianis montibus, hodie dictum *Xeres*, vt docet Resendius: *Xeres* verò à *Badaioz* tantùm XV. M. P. abest, & non LXXVI. vt ostendit Antoninus. quamobrem melius cum L. Andrea Resendio, & Gaspare Barrerio sentiendum, *Pacem Iuliam*, esse *Beiam* hodie dictam. Primò enim competit passuum numerus Antonini, à Myrtili Pacem Iuliam vsque M. P. XXXVI. cum nouem leucis, quæ *Mertolam Beiam* numerantur. Hac in vrbe non pauci antiqui cippi marmorei eruuntur, qui Pacis Iuliæ nomen ostendunt, inter ceteros cippus hic integer & non inelegans:

L. ÆLIO. AVREL. COMMODO.
IMP. CÆS. ÆLII.
HADR. ANTONINI. AVG.
PII. P. P. FILIO.
COL. PAX. IVLIA. D. D.
C. PETRONIO. MATERNO.
C. IVLIO. IVLIANO. II. VIR.

Apud

Apud historiographos etiam superioris ævi, & barbaros passim legitur *Pacca*, i. *Beia*, vt latiùs videre est apud Resendium. nam quod obiiciunt, *Badiozæ* Episcopum, *Pacensem* nuncupari, leuius est, quàm vt quempiam mouere debeat. cui enim ignotum post funestam illam HISPANIÆ illatam à Pœnis cladem, magnam circa sedes Episcopales mutationem accidisse? Emerita enim Augusta, olim Lusitaniæ metropolis, omni nunc honore spoliata iacet. Egeditanorum Episcopatus, in vrbem Gardiam translatus, veterem retinet appellationem, sic *Badiozi*, quæ priùs forsan se ex illa clade collegit, *Pacensis* pontificatus titulo ornata fuit: quorum exempla in Hispaniæ Annalibus

——adeò sunt multa loquacem vt
Delassare queant Fabium.

Hac in vrbe aquæductus Romani operis multa vestigia, nec paucæ veteres inscriptiones extant, pristinæ claritatis indicia. Floruit hic olim *Isidorus* cognomine *Pacensis*, cuius opera mendis referta circumferuntur. *Apringius* etiam Episcopus, non incruditus, cuius in Apocalypsim explicationes ceteris omnium præfert Isidorus, & *Sisebandus Iunior*, qui Cordubæ martyrio affectus fuit, hic vigere.

CAP. XXXIV.

SETVBAL A CETOBRIGA, NON à Tubale dicta.

OPpidum est Turdetanorum, teste Ptolemæo, *Cetobrix*, vel *Cetobrica*, vt Antonini habet Itinerarium, ad ostia fluminis Callipodis (qui hodie, vt auctor est Resendius, *Iadan*; Beeano verò in Hispanicis, *Palma* dicitur:) *Setubal* nunc vocatur, vt Gaspari Barrerio, & And. Resendio visum. Florianus verò Occampo, Antonius Beuterus, aliique Annalium Hispaniæ consarcinatores, ex Annio Viterbiensi asserunt *Setubal*, non corruptum adulteratumque esse nomen, sed antiquum & purum putum putant esse, à conditore suo *Tubal* inditum, dictumque *Setubal*, quasi *cætum Tubalis*, quòd ibi sedes fixerit in Hispaniam veniens: sed ridiculum est nimis ad *Tubalem* etymon referre ob nominis exiguam affinitatem; cùm constet facilius multò à *Cetobriga* defluxisse corruptum vocabulum *Cetobala*, & inde *Setubal*. *Cetobriga* enim dicta à *cetis* & *briga*; veteri namque Hispanorum sermone *Briga* vrbem designat: vt in *Lacobriga*, *Medobriga*, *Talabriga*, videre est. magna autem cetaceorum, vtpote thynnorum, & ceterorum magnorum piscium hic luculenta piscatura, ita vt nomen designare videatur, *vrbem cetaceorum*. Iosephus verò Moletius, & Carolus Clusius, putant *Setubal* esse *Salaciam*, quæ Plinio *Imperatoria vrbs* cognominatur, sed diligentissimus Barrerius ostendit *Salaciam*, esse vrbem vicinam *Alcazer do sal* dictam, corruptè admodùm, cùm primùm *Alcazer de Salacia* vocata fuerit à Pœnis, quasi *Castellum Salaciæ*: insequenti verò ævo *Alcazer do sal* vocari cœpit (ex qua magnus ille Mathematicus *Petrus Nonius* oriundus fuit, quo illustriorem non vidit HISPANIA.) Hodierna die vrbs est non incelebris. portu enim gaudet commodo, & nobilium piscium piscatura abundat: qua de causa mercatores ex penitiori Hispania gregatim huc confluunt. Accedit ingens candidissimi salis inexhausta copia, ob insignem toto illo sinu salinarum frequentiam: cuius gratia ab vsque Septemtrione magnus huc nauium numerus confluit, ita vt oppidum breui redditum sit opulentissimum, nec magnarum vrbium inuideat claritati. Accedit ager vini, triticique feracissimus. Laudatus hic etiam Iaspis, & Porphyrites effoditur. Arbusti hic etiam genus est, ex quo coccus colligitur, ad tingendam purpuram, Emeritensi, quam Plinius adeò extollit, vix inferior.

CAP. XXXV.

OLISIPO.

DE OLISIPONIS NOMINE. FELICITAS IVLIA *cognominata. Equæ vento concipiunt. Varronis lectio firmata. Vbi mons Tagrus. Triton hic visus. Vrbis descriptio.*

OLisiponis prima incunabula, post tot annorum decursa spatia, anxiè nimis velle inquirere, vt operosum duco, ita etiam ex vetustissimis Lusitaniæ vrbibus esse, facilè est asserere. Melior Scriptorum pars ab Vlysse conditam dicit, hinc Straboni ὁ Ὀυασσεία; Stephano vero Byzantino ὁ Ὀυασσεύς; dicitur; Solino verò *Vlyssippo*; Plinio & Varroni *Olyssippo*; apud Ptolemæum autem corrupte ὄλι@ ἵππων, pro ὁ Λισσιππών legitur; vt verò ex antiquis inscriptionibus licet colligere, *Olisipo* est scribendum, testis illa quæ hac in vrbe visitur:

IMP. CÆS. M. IVLIO.
PHILIPPO. FEL. AVG.
PONTIF. MAX.
TRIB. POT. II.
P. P. COS. III.
FEL. IVL. OLISIPO.

Municipium autem erat olim ciuium Romanorum *Olisipo*, cognominata *Felicitas Iulia*, teste Plinio. Miror ego Iosephum Moletium, Franciscum Tarapham aliosque, tam fluxo, & supino animo fuisse, in Plinii lectione, vt ausint asserere, ab illo *Olisponẽ* cognominatam esse *Salaciam*: cum puncto interiecto legendus sit textus, alias in latinitatem peccaret nimis crasse. subiungam eius verba ex lib. IV. cap. XXII. *Oppida memorabilia à Tago, in ora Olisipo, equorum è vento Fauonio conceptu nobile; Salacia, cognominata vrbs Imperatoria.* Adde Plinium eodem capite, *Salaciæ* seorsum mentionem facere: *Oppida*, inquit, *veteris Latii, Ebora, quod item Liberalitas Iulia, & Myrtylis ac Salacia, quæ diximus.*

Sita autem est hæc vrbs in promontorio Magno, quod & *Olisiponẽse* vocatur, ad Tagi amnis ripas, vbi Sociennis stipatus aquis, latissimo aluco Oceano se immiscet; cuius beneficio quotannis maximas classes in Atlanticum & Inditum mare emittit, quibus immensæ vndique opes ab Indis, Afris & Americis aduehuntur, quas deinde magno emolumento, per vniuersam Europam, liberali manu dispensat, quibus non immerito videtur Tagus iacturam auriferæ arenæ resarciisse: *licet hanc potius incolarum inertiæ, quam fluminis sterilitati tribuendam puto.* Vrbs tota quinque collibus distincta iacet, ita vt pars eius in cliuos amœnos blande assurgat, pars vero in valles pendula porrigatur, quæ varietas intuentium animos mire recreat. Vniuersus vrbis ambitus VII. M. P. complectitur. Soli, cœliquæ mira felicitas: ager suburbanus in omnia frugum genera mira luxuria se effundit, quæ magna copia, & rara bonitate profert. Interioris vrbis magnificentia & amplitudo tanta est, vt vix vlli Europæ vrbium cedat, sed cum præcipuis contendat: ædificia tam publica quam priuata pleraque elegantis; & iuncuolæ structuræ: fontes habet complures, & rara aquarum præstantia conspicuos: cœnobia habet plurima, & ornatissima. Et ne singula huius vrbis recenseam, vnum tantum adducam, ex quo & munificentiam, & pietatem incolarum quivis colligere potest. Templum est *Misericordiæ* vocatum, saxo quadrato, nobilique exstructum, quod non copioso prædiorum censu, aut numerosis prouentibus instructum est, sed sola piorum hominum liberalitate fouetur, fidem tamen pene superat, quantum in singulos annos, ex gratuita hac & collatitia stipe, in egenos erogetur. à fide dignis accepi, superare sæpius expensi summam, quadraginta & quinquaginta millia aureorum. Huic præsunt viri electi, nominis claritate, & vitæ integritate conspicui, qui *Sodales* seu *Fratres Misericordiæ* vocantur: horum opera omnium inopiæ consulitur, nefasque ducunt, vltra annum quidpiam pecuniarum in hoc ærario seruari. Nosocomium etiam est pauperum, quod est structura, diuitiis, amœnitate loci, nulli totius HISPANIÆ valetudinario secundum. Tanta vero hic mundities, diligentiaque curantur ægri; vt optimates plurimi eo curandi se gratia conferant.

Armamentarium habet vrbs, omnium armorum telorumq; genere instructissimum,

simum, qualia pauca Europa: ita vt hinc quadraginta millia peditum, equitum vero tria millia armati olim potuerint, teste Damiano a Goes. Mitto de nautico apparatu, immensæque magnitudinis nauibus dicere, pictores enim imitari cogor, qui dum exigua tabella plurima volunt exprimere, reluctantibus loci angustiis, rerum tantum apices ob oculos ponunt.

Constans inter veteres est opinio, circa huius vrbis confinia, equarum fœturam ventis maritantibus inolescere. Vnde Silius Italicus lib. III.

Hic adeo, cum ver placidum, flatusque tepescit,
Concubitus seruans tacitos grex prostat equarum,
Et Venerem occultam genitali concipit aura.
Sed non multa dies generi, properatque senectus,
Septimaque his fabulis longissima ducitur ætas.

Luculente idem confirmat Plinius, lib. VIII. cap. XLII. sed de ætate multum à Poeta diuersus: *Constat in Lusitania, circa Olisiponem oppidum & Tagum amnem, equas fauonio flante obuersas, animalem concepere spiritum, idque partum fieri & gigni pernicissimũ ita, sed triennium vitæ non excedere.* Sed suspectæ fidei apud nonnullos erit Plinius: qui tamen ex M. Varrone hæc hausit, lib. II. De re rustica, cap. I. *In fœtura*, inquit, *incredibilis est in Hispania, sed est vera, quod in Lusitania ad Oceanum, in ea regione, vbi est oppidum Olisipo, monte Tagro, quadam è vento certo tempore concipiunt equæ, vt hic Gallinæ quoque solent, quarum ova Ventolia appellant: sed ex his equis, qui nati palle, non plus triennium viuunt.* Sed vbi gentium mons hic Tagrus? V. Cl. Ios. Scaliger coniectaneis suis in Varronem, asserit legendum *Monte sacro*, ex Columellæ verbis lib. VI. cap. XXVII. sed, pace tanti viri dixerim, Columella potius ex Varrone emendandus, vnde locus desumptus est. nam cum sacer mons Iustino in Gallecia sit, quem incolæ ferro violare nefas habent, clarum est de illo neque Varronem, neque Columellam loqui: procul enim ab Olisipone, & extra Lusitaniæ terminos est. Quod verò quidam per sacrum montẽ, *Promontoriũ sacrũ* intelligunt, hodie *Cabo de san Vincente* dictum, magis ab Olisipone remotũ est, quam vt Varronis verbis quadret. Quare Varronis lectionẽ retinendã putem: præsertim cum Damianus à Goes, & And. Resendius Lusitani doctissimi, dicant montẽ Tagrum esse, incolis dictũ *Sintrã*, à quo Lunæ promontoriũ in mare prorũpit; vbi pernicitatis miradæ, equorũ greges aluntur, vt idem refert Resendius. Circa Olisiponis littora cõspectos non semel, tantopere Poetis decantatos Tritones & Nereides, refert Plinius lib. IX. cap. V. *Tiberio Principi nunciasse Olisiponensium legationem ob id missam, visum auditumque in quodam specu, concha canentem Tritonem, qua noscitur forma.* Hic in cathedrali templo corpus D. Vincentii Leuitæ & Martyris, ex sacro promontorio allatum, summa cum reuerentia asseruatur. D. etiam Antonius (vulgo *de Padua* dictus) hic natus, cuius natalibus iure merito se hæc vrbs iactat. Episcopalis olim tantum vrbs, nunc Emeritensi, postea & Braccarensi Ecclesiæ parebat, donec Ioannis primi Portugaliæ Regis tempore in metropolitanam Ecclesiam euecta fuit. Lubet hic Cl. V. Iulii Cæs. Scaligeri nobile hac de vrbe prætonium adtexere:

Ergo grauis grumus quo pallidus emicet auri,
Insomni tellus scissa ligone gemit.
Cernis, vbi aductus peregrinis flatibus orbis?
Cernis, vbi in paruo est India tota sinu?
Pressa maris facies, domita est violentia cæli:
Quid reliqui est, nisi te carpere sceptra poli?
Haud potis esse Deus, non vis homo viuere, fors te
Ex homine egressum tertia quando capit?

CAP. XXXVI.

SCALABIS DICTA PRÆSIDIVM IVLIVM.

Cur vocata Santaren.

OPpidum peruetustum, Tagi ripis appositum, quinquagesimo ab Olisipone lapide, aduerso flumine distans. Colonia fuit Romanorum, dicta *Scalabis* Plinio, Ptolemæo vero *Scalabiscus*: sed perperam, vt primus monuit Hier. Surita. natum cum forsan scriptum esset, σκαλαβις κολ. ieu *Scalabis Colonia*, legerunt coniunctim *Scalabiscus*; postea

Præsidium Iulium vocatum, hodie *Santarenum*. Scio Tarapham ea in opinione esse, vt *Scalabim* credat dictam vrbem *Trugilho*; sed conuincitur à Barrerio, qui *Castra Iulia* esse *Trugilho* ostendit, vnam ex contributis Coloniis.

Vrbs priscis temporibus non ingloria, siquidem teste Plinio inter tres Lusitaniæ conuentus annumerata. Mutationis nominis causſam refert Vasæus in Chronico suo. Nam cum anno Domini D C. LIII. D. Irene in oppido *Tomar*, procorum libidini pudicitiam Deo votam prostituere nollet, ab iisdem interfecta, & in Nabanis fluenta corpus proiectum à sicariis, per Tagum Scalabim secundo flumine delatum fuit, ibique magno cum honore sepultum: vrbs relicto prisco nomine, cœpta dici S. *Irenes*, & labente æuo in *Santaren* corruptum fuit. Vrbs ipsa editiori in colle sita, præterlabentem aureum Tagum despicit: ager olei vinique maxime fœcundus, tritici feraciſſimus: & licet arctis limitibus concluſum sit territorium, ingentes tamen tritici aceruos fundit. Testis est luculentus Damianus à Goes, in Oliſiponensis vrbis descriptione, tantam esse soli vberatem, vt sexagesimo à sementè iacta die, segetes momento fere temporis adultæ & præmaturæ demetantur. Admiretur nunc quis felices Africæ messes: extollant beatam Campaniæ oram: iactitet se Cereris dono Sicilia; nihil video cur *Santareno* præferantur. hinc vrbis incrementum, hinc sanctæ & innoxiæ incolarum diuitiæ.

CAP. XXXVII.

CONIMBRICA.

COYMBRA NON ESSE LACOBRIGAM. CONTRA *Oliuariam & Tarapham. Error Gerundensis Episc. Non esse Æminium antiquorum. Academia nobilis.*

DE antiquo *Coymbræ* nomine variant scriptorum sententiæ. Ioannes Oliuarius Scholiis suis in III. Melæ, & Tarapha *Lacobrigam* olim fuisse autumant; sed toto cœlo eos errare certum est: siquidem Mela *Lacobrigam*, & *Portum Hannibalis* in promontorio sacro numerat, quod hodie *Cabo de S. Vincente* dicitur, à quo multis millibus distat *Coymbra*. Addè perinſimo Lusitanicarum antiquitatum Resendio *Lacobrigam*, esse *Lagos* nonnihil deflexo nomine, oppidum nostro æuo non infrequens, quòd eo in promontorio situm est, & pharo à Ioanne III. Lusitaniæ Rege ornatum. Gerundensis verò Episc. non semel dicit *Colimbricam* olim dictam fuisse *Mundam*, illam celebrem funesto prælio, inter Iulium Cæsarem, & Pompeii filios: inductus, vt videtur, quod *Colimbricam* flumen *Munda* præterfluat, à quo *Munda*, oppido nomen inditum putat: sed mirandum, hominem Hispanum, & non indoctum, tam turpiter lapsum; cum *Munda* in Bætica sit, non procul à Corduba; *Colimbrica* verò, in extima pene Lusitania. Plurimi verò putant Plinii *Conimbricam* nostram esse *Coymbram*, non abludente nomine: sed illa fuit, vbi hodie *Condexa vetus*, eodem teste Resendio, Vasæo, aliisque tersæ auris scriptoribus, quæ nihil præter miserandas antiquitatis ruinas ostendit: ab Alanis (quibus Lusitania in barbarorum illa illuuie obtigit) diruta, ex cuius ruinis vicinam *Coymbram* etiatam ferunt, vt & plurimis HISPANIÆ vrbibus euenisse palam est. Non defuere, qui *Coymbram* olim *Æminium* dictam crediderint, cuius Plinius; & Ptolemæus meminere. Sed cum Plinio pugnat hæc coniectura, ait enim lib. IV. cap. XXXII: *Oppidum & flumen AEminium* (non vt vulgata lectio, *Minium*:) *Coymbræ* verò flumen *Munda* est: nec poterat *Munda* & *AEminium* idem flumen esse. subiungit enim Plinius: *A Durio Tagus CC. M. P. interueniente Munda*: At *Aeminium* Vasæo, & Iac. Mœnetio Vasconcello est oppidum vulgo dictum *Agada* vel *Aguida*, quod eiusdem nominis fluuio alluitur. Sit igitur pro rato, *Coymbram* ex antiquę *Conimbricæ* cineribus excitatam, quæ, vt multis placet, *Colimbria* aut *Golibria* vocanda: de nomine enim solo parum anxius sum.

Vrbs est loco sita amœniſſimo, in rupe vndique oliuarum siluis, vineticque cincta, ad *Mundam* amnem Ptolomæo & Plinio: *Muliadem* vero Straboni, vulgo *Mondego* dicto posita: qui duas vrbis partes ditissas pulcerrimi operis ponte coniungit. Distat autem à fluuii ostio VIII. leucis. vicina arua omnis generis fructus magna copia proferunt: multis & limpidiſſimis fontibus rigatur, præcipue vero aquæductu celebri, à Rege Sebastiano

hastiano an. cIↃ. IↃ. LXXII. maximo sumtu perfecto. Hinc enim ad editiorem vrbis collem, qui pone Regiam est, vbi studiosorum forum est, tanta optimæ aquæ copia in marmoreum stagnum erumpit, vt per omnes plateas, torrentis instar, in varios incolarum vsus deriuetur.

Sed præcipuum illi decus & ornamentum, ex vniuersali disciplinarum Academia, cuius prima fundamenta ferunt anno M. CC. XC. à Dionysio Rege inchoata; Olisiponem postea translata, tandem vero circa annum M. D. L. à Ioanne eius nominis III. luxuriante nimis per Indica commercia Olisipone, ne teneros iuuentutis animos contages hæc vitiorum arroderet, iterum Conimbricam, tanquam ad natiuum solum, deducta fuit. Vbi incredibile dictu, & Regum profusa liberalitate, & genio loci adiuta vberrimos ingeniorum fructus effudit quibus breui, non modo Lusitaniam, sed & Hispaniam vniuersam ditauit. iuuentus hic studiosa & frequens, & prisco more togata.

CAP. XXXVIII.

SALMANTICA.

SALMANTICA NON Á TEVCRO CONDITA.

Elmantica, Hermandica, & Salmatis *vocata. Academia quo anno instituta.*

Salmantica Lusitaniæ vrbs; Academia toto orbe illustris, licet extra Portugaliæ terminos hodie sita, & Castellæ veteris sit; tamen, quia Ptolemæus illam inter Vettones Lusitaniæ populos recenset, non erit mihi hic prætereunda. Io. Marrinus Episc. Gerundensis, aliique non pauci, à Teucro conditam volunt; in Salaminis memoriam: sed exigui apud me ponderis est hæc opinio. Iustinus enim lib. XLIV. auctor est Teucrum ea loca occupasse, vbi nunc Carthago noua est, inde Galleciam transisse, nusquam *Salmanticæ* mentionem faciens. Adde solitos fuisse Græcos relictis mediterraneis maritima occupare, commertii causa, vt videre est Olisipone, Emporiis, aliisque mille locis, vbi sedem fixere.

Dubitant non pauci, num hæc eadem sit vrbs cum *Elmantica* Stephani, & T. Liuii *Hermandica*. Ego eandem ausim asserere: nec me mouet quod Stephanus dicat citra Iberum esse, cum *Salmantica* non longe à Durio amne sit; sed error hic cum aliis pluscullis, Græco homini & Hispanicarum rerum imperito condonandus. Sed vnde colligam easdem esse vrbes, quæres? Liuius lib. XXI. refert post vastatas Hermandicam & Arcabalam Carteiorum vrbes (seu, vt Sigonius ex Polybio emendat, *Vaccæorum*) Carpetanos, Vacceosq; incitatos ab exulibus Hermandicę & Olcadum, adortos Hannibalē non procul à Tago. Vnde colligere licet, Hermanticā non procul à Carpetanis, & Vaccæis fuisse. Vettones autē, inter quos sita est Salmantica, his populis vicinos fuisse testis est prēter Strabonē, Plin. lib. 3. c. 3. his verbis: *Primi in ora sunt Bæsituli, post eos, quæ dicetur ordine, intus recedētes, Mētesani, Oretani, & ad Tagum Carpetani, iuxta eos Vaccæi, Vettones, & Celtiberi.* Cōiecturę nostrę fauet Plutarchus, qui lib. De mulierū virtutibus vrbē hanc *Salmanticā* nominat: *Cum Hannibal*, inquit, *priusquā in Romanos moueret, Salmanticā obsideret, & promissis CCC. obsidibus & totidē talentis, obsidionē soluit, quæ cum incolæ soluere recusassent, reuersus Hannibal militibus vrbē diripiendā dedit. perterriti Salmanticenses vrbem liberis corporibus saluis tradiderunt, cumque vrbem exirent, coniuges arma clam asportarunt, quibus postea opportunē viris traditis, non solum libertatis eorum, sed & recuperādæ patriæ causa exstitere.* Polyænus Stratagematum lib. VII. idem narrans, vocat vrbem *Salmatidem*, quam Plutarchus *Salmanticam* appellat. Non imerito itaque dicemus, *Elmanticam* Stephani *Hermanticam* Liuii, & Polyæni *Salmatidem* esse Salmanticam nostram, cum res circa illas gestæ eandem ostendant esse.

Vrbs est fluuio *Tormis* appositа, qui se in Durium amnem exonerat, non solum læto agrorum prouentu felix, sed & Episcopali dignitate, & Equitum frequentia conspicua: quibus accedit Academia, omnium disciplinarum genere instructissima, iurisprudentiæ potissimum sacrata. quæ cum primam esset Pallentiæ, tandem à Ferdinando tertio Castellæ Rege, anno Domini cIↃ. CC. XL. huc translata fuit, quod aptior hic Musarum locus videretur. nec opinione sua frustratus Rex: siquidem vrbs hæc nunc totius HISPANIÆ ornamentum, & alteræ Athenæ. Hinc enim tanquam ex Oceano,

in vniuersam HISPANIAM; ingeniorum & virtutum riuuli deducuntur, hinc populi iura & leges petunt; hinc ad Regis curiam Senatores, Doctores, & cuiuscumque scientiæ lumina mittuntur. ad hoc etiam Gymnasiũ magna frequentia, non solum Hispani, sed & exteri, tamquam ad celeberrimum Mineruæ emporium indies confluunt, quæ vrbem præclaram & nobilem alioquin, opulentiorem & clariorem efficiunt. In D. Pelagii templo non inelegans marmoreus cippus visitur cum hac inscriptione, quę quod vrbis nomen referat, hic adducitur:

D. M. S.

L. IVLIO. CAPITONI.
SALMANTIC.
ANN. LXX.
IVLIA. RVSTICELLA.
SOROR. PIENTISSIMA.
H. S. E. S. T. T. L.

CAP. XXXIX.

ALCANTARA.

AN NORBA CÆSARIENA SIT ALCANTARA.

Pœnorum opus creditur. Pons à Traiano exstructus. Inscriptio vetus. Quando Alcantaræ milites vocati.

AD Tagi ripas sita est *Alcantara*, mirandi operis ponte præcipue spectanda. hanc priscis seculis *Norbam Cæsarianam* (vnam ex quinque Lusitaniæ Coloniis, teste Plinio) dictam asserunt Gaspar Barrerius, Iosephus Moletius, aliique non obscuri nominis scriptores. Scio Episc. Gerundensem credere *Norbam Cæsarianam* bello ciuili à Pompeianis ducibus solo æquatam fuisse, quod Cæsari impensius faueret, cuius locum Augustum Cæsarem, postea vicinam Emeritam condidisse; sed non est, quod hęc figmenta quispiam admittat, præsertim cum Ptolemæus, nec Plinius de illa vt euersa loquantur. And. vero Resendius, & Ambr. Morales negant *Norbam* fuisse, vbi nunc est *Alcantara*: at hic ingenue profitetur se ignorare, vbi olim illa sita fuerit, creditque nullam fuisse vrbem olim, vbi nunc est *Alcantara*, sed nomen hoc illi Pœnis inditum fuisse quod pontem significat. quia cum pons hic militari viæ esset appositꝰ, illius commoditatibꝰ & pulcritudine inuitatos vicinos, paulatim hic domos exstruxisse, atq; ita in vrbẽ excreuisse. nam si hoc loco fuisset vrbs aliqua, iniquũ fuisset illã præteriri; in tabula illa, vbi recẽsentur Municipiorũ nomina, quę collata stipe pontẽ hunc perfecerũt: imo in ipso frontispicio memorantur *Igæditani*, quorum vrbs hodie vocatur *Idanha la veia*, quæ non procul admodum Alcantara distat. Nobilitatur præcipue vrbs hæc magnifico & imperatoria maiestate digno ponte, quem plerique Traiano asscribunt, non secus ac Segobiensem aquæductum: licet proletarii scriptores, ad Hispanum, vel Herculem vanissime referant. longitudine suã D C. LXX. pedes, latitudine circiter XXVIII. pedes complectitur: altitudo vero aqua tenus C C. pedum est, totus autem pons sex concamerati operis pilis subnititur. Traiani vero Imperatoris opus esse confirmant inscriptiones antiquæ, quæ inibi visuntur, quas non pigebit recensere, vt nauseãtem forte Lectorem hoc nouo ferculo recream, vt in cubitum iterum se reportat. Ex vtraq; arcus parte:

IMP. CÆSARI. D. NERVÆ. F.
NERVÆ. TRAIANO. AVG.
GERM. DACICO.
PONT. MAX. TRIB. POTEST. VIII.
IMP. VI. COS. V. P. P.

In ipso ponte quatuor erant magnę & marmoreæ tabulæ, in quibus Municipiorum erant inscripta nomina, quorum ope & pecunia opus hoc erat perfectum, trium vacuæ apparent sedes: quarta vero cum hac inscriptione visitur:

MVNI-

MVNICIPIA.
PROVINCIÆ. LVSITAN.
STIPE. CONLATA.
QVÆ. OPVS.
PONTIS. PERFECERVNT.
IGÆDITANI.
LANCIENSES. OPIDANI.
TALORI.
INTERAMNIENSES.
COLARNI.
LAOCIENSES. TRANSCVDANI.
ARAVI.
MEIDVBRIGENSES.
ARABRIGENSES.
BANIENSES.
PÆSVRES.

In ipso pontis limine, exiguum est sacellum, D. Iuliano sacrum, ex ipsa rupe excisum, in cuius frontispicio, vnà cum his versibus, hæc visitur inscriptio:

IMP. NERVÆ. TRAIANO.
CÆSARI. AVG.
GERM. DACICO. SACRVM.

Templum in rupe Tagi superis, & Cæsare plenum,
Ars vbi materia vincitur ipsa sua.
Quis, quali dederit voto, fortasse requiret
Cura viatorum, quos nouà fama iuuat.
Ingentem vasta pontem quòd mole peregit,
Sacrâ litaturo fecit honore Lacer.
Qui pontem fecit Lacer, & nouà templa dicauit,
Illic se sola..... vota litant.
Pontem perpetui mansuram in secula mundi
Fecit diuina nobilis arte Lacer.
Idem Romulcis templum cum Cæsare diuis
Constituit, felix vtraque causa sacri.

C. IVLIVS. LACER. H. S. E.
ET. DEDICAVIT. AMICO.
CVRIO. LACONE. IGÆDITANO.

Vrbs hæc ab Alphonso VIII. Mauris erepta, anno circiter cIↃ. XIII. & *Calatrauæ* militibus donò data; vnde tanquam ex munitissima arce in hostium fines incurrerent, & in posterum propugnaculum esset ad hostiles impetus eludendos: anno demum cIↃ. CCCC. XL. à *Calatrauæ* militibus auctoritate Benedicti XIII. Pont. Max. cruce viridi se distinxere: cùm antea cucullo & rubra fascia tantùm distincti essent, & nunc milites *Alcantaræ* vocantur.

CAP. XL.

TARRACO.

TARRACONENSIS PROVINCIAE LIMITES QVANDO mutati. Martianus Capella emendatus.

TArraconensis prouincia angustis magis limitibus olim erat arctata: Pyrenæis enim montibus, & Ibero amne claudebatur, vnde & *Citerior* olim dicta quòd eis Iberũ esset, licet Isidorus Orig. lib. XIV. cap. IV. *Citeriorem* dictam putet, quasi *circa terras*. Florenti enim Pœnorum imperio quidquid à freto Gaditano Iberum vsq; terrarum erat, Vlteriori Hispaniæ ascribebatur, cetera Citeriori; sed postquam vniuersa Hispania pulsis Carthaginensibus, populi Rom. victoriis cessit, longè latiores terminos habuit, adeò vt, qui olim Citerioris Hispaniæ limes & finis erat Iberus, vmbilicus penè

effectus fuerit. vnde & Plinius in limine capitis tertii lib. III. ait Citerioris Hiſpaniæ, vt & complurium prouinciarum, veterem formam mutatam eſſe. A Meridie enim Luſitaniæ, & Balearici maris ora terminata fuit; à Septentrione Oceanum Britannicum, ab Occaſone (ſeu *Olariſone* vt Plinius, non, vt Martianus Capella lib. VI. *Iarſone* aut *Gerſone*) ad promontorium Nerium; ab Occaſu Oceanum Atlanticum, à dicto promontorio ad oſtium amnis Durii; ab Oriente Pyrenæos montes pro limitibus habuit.

Longitudo eius, teſte Plinio, à Pyrenæo ad finem Caſtulonis DC. VII. extenſa; M. P. latitudo verò à Tarracone, ad Olarſonis litus CCC. VIII. M. P. Diuiſa fuit, pro eius magnitudine, in iuridicos conuentus ſeptem, quot Bætica, & Luſitania ſimul habent, *Carthaginenſem, Tarraconenſem, Cæſarauguſtanum, Clunienſem, Aſturum, Lucenſem, Bracarum.* Non prætereundum puto, apud Martianum Capellam, vbi de Hiſpania agit, lib. VI. lacunam eſſe ſupplendam. Ita enim ait: *At vniuerſa prouincia, habet conuentus ſeptem, Carthaginenſem, Tarraconenſem, &c.* quæ enim vniuerſa prouincia habet ſeptem conuentus? an Hiſpania? ſed ſuperius dixerat Bæticam duos habere conuentus, atque ita erunt nouem. quare ita legendum puto: *At vniuerſa citerior prouincia conuentus habet ſeptem.* nam de Bætica & Luſitania egerat, reſtabat de Tarraconenſi dicere.

Vniuerſa hæc prouincia omnis generis metallis abundat, marmorum latumiis, & ſpeculari lapide, meſſibus, oleo, vinoque fœcunda admodum, ſed bellaci præcipuè populo nobilis. Teſtes Celtiberi, Cantabri, Vaſcones & exitio ſuo clari Numantini. hoc æuo in multa regna diuiſa eſt: ſiquidem complectitur *Murciæ regnum, Valentiæ, Arragoniæ, Catalauniam, Caſtellam veterem, Gallæciam, Nauarram, Biſcaiam.*

CAP. XLI.

TARRACONENSES POPVLI. GRAVII ORIGINEM A Græcis trahunt. Plinius obiter emendatus.

VArii Tarraconenſem prouinciam incolunt populi, ſed immenſi operis & laboris eſſet, ſingulos è vetuſtatis latebris protrahere: nobiliores tantùm & memoratu digni dicentur, ceteri verò, vt ignobiles, ſilentio inuoluentur. nam verbis indulgere, in rerum inopia quid attinet? citra faſtidium verò nominentur primo loco *Grauii*, nam Luſitaniæ collimitanei ſunt, ad flexum enim Durii amnis eos Pomp. Mela ſtatuit. A Græcis illos originem trahere auctor eſt Plin. lib. IV. cap. XX. *Heleni, Crauii, Caſtellum Tydæ, Græcorum ſobolis omnia*: quo tamen loco mallem geminato L. *Helleni* legere, vt originem ſuam exprimerent. præit mihi Strabo lib. III. *In Callaicis*, inquit, *quoſdam ex Teucri commilitonibus habitaſſe, ibique oppida fuiſſe, quorum* Ἕλληνες, *alterum* Ἀμφίλοχα *nominatum eſt.* Vocantur verò hi *Grauii*, à Mela *Gronii*, à Ptolemæo autem γρῶνοι, corruptè vt credo vtrobique. Fama eſt Diomedem ab Ægiale vxore adultera, patria domoque prohibitum, Hiſpaniæ littoribus, ſupra Luſitaniam appuliſſe, inibique vrbem in patris memoriam *Tydem* condidiſſe, quæ à Ptolemæo *Tude* vocatur, & hodie *Tuy* dicta (vnde Lucas Tudenſis Epiſcopus, non vltimus rerum Hiſpanicarum Scriptor originem habet.) confirmat hoc Silius Italicus lib III.

Et quos nunc Grauios violato nomine Graium,
Oeneæ miſere domus Aetolaque Tydæ.

CAP. XLII.

GALLÆCIA.

GALLAECI DICTI ET CALLAICI. VNDE NOMEN ſumſere. Gallæcia ſexta prouincia effecta. Mores illorum.

GRauios attingunt *Gallæci*, frequens nec ignobilis populus, amne Durio à Luſitania diuiſi, qui etiam *Callaici* vocantur, hodie verò *Gallegos.* Antonius Beuterus à Gallis & Græcis, in vnum commixtis populis, nomen & originem illos trahere comminiſcitur; Frãciſcus Tarapha à Galathe Herculis filio dictos putat; Iuſtin⁹ verò l. 44. *Gallaci*, inquit, *Græcam ſibi originẽ aſſerũt: ſiquidẽ poſt finẽ Troiani belli, Teucrũ morte Aiacis fratris, inuiſum patri Telamoni, cũm non reciperetur in regnũ, Cyprũ conceſsiſſe, atq; ibi vrbẽ nomine*

antiquæ

antiquæ patriæ, Salaminam condidisse, inde accepta opinione paternæ mortis patriam repetisse: sed cum ab Eurisace Aiacis filio accessu prohiberetur, Hispaniæ litoribus appulsum, loca, vbi nunc est Carthago nova, occupasse, inde Gallæciam transisse, positisque sedibus genti nomen dedisse.

Isidorus Orig. lib. IX. cap. II. *Gallæci* à candore dictos putat, vt & *Gallos*, quia ceteris Hispaniæ populis candidiores sunt. Ptolemæus hos in binos populos diuidit, nempe in *Callaicos Bracc arios*, & *Lucenses*: illi inter Minium & Durium amnes ad mare habitabant, hodie tractus ille *entre Douro & Minho* nuncupatur, quorum primaria vrbs, *Augusta Braccara*: *Lucenses* verò prope Artabrum promontorium erant, vnde & conuentus Lucensis, teste Plinio, quò XVI. populi conueniebant, qui hodie soli *Gallæci* vocantur. Lapsu verò ætatis diffusum fuisse, & numerosum populum constat, vtpote cùm tempore Imp. Hadriani, quo veteris Hispaniæ termini mutati sunt, vni è sex prouinciis nomen dedit *Gallæcia*; imò Pauli Orosii tempestate (qui sub Honorio & Arcadio floruit) *Gallæciæ* termini Numantiam vsque, quæ Pelendonum vrbs erat, extensi erant. Strabo etiam refert sua ætate maximam Lusitanorum partem *Callaicos* vocatos esse. Incolæ bello dediti, pacis verò munia vxoribus committebant, vnde Iustinus: *Feminæ res domesticas, agrorumque culturam administrant, ipsi rapinis & armis seruiunt.* Strabo illos bellacissimos vocat, & subiugatu difficiles, quos tandem D. Iunius Brutus magno prælio vicit, vnde & *Callaicus* dici meruit, vt refert L. Florus lib. II. cap. XVII. Silius verò Italicus lib. III. graphicè illorum mores & viuendi normam his versibus depingit:

Fibrarum, & pennæ, diuinarumque sagacem
Flammarum, misit diues Gallæcia pubem:
Barbara nunc patriis vlulantem carmina linguis,
Nunc pedis alterno percussa verbere terra,
Ad numerum resonas gaudentẽ plaudere cetras:
Hæc requies, ludusque viris, ea sæua voluptas.
Cetera femineus peragit labor, addere sulco
Semina, & impresso tellurem vertere aratro
Segne viris, quidquid durum sine Marte gerundũ
Callaici coniux obit irrequieta mariti.

Strabo ab aliquibus *Gallaicos ἀθέους* vocari refert, quod miror; cùm Poeta illos auguriis & extispiciis deditos dicat.

Regio ipsa, olim auri & plumbi feraciss ima, vt non semel ostendit Plinius. Iustinus verò lib. XLIV. Auro quoque ditissimam dicit, *adeò vt etiam aratro frequenter glebas aureas exscindant. In huius gentis finibus Sacer mons est, quem ferro violare nefas habetur. sed si quando fulgure terra procissa est (quæ in his locis assidua res est) detectum aurum velut Dei munus colligere permittitur.* Nobilis etiam hic Poetarum fabulis est amnis Limia, qui & *Obliuionis* & *Lethes* vocatur, de quo & Silius Italicus lib. III.

Quique super Grauios lucentes voluit arenas,
Infernæ referens populis obliuia Lethes.

Romanis hic militibus adeò formidatus erat, vt bellante D. Iunio Bruto in Gallæcos, milites eius nollent fluuium transire, donec raptum à signifero signum ipse Brutus transtulit, & sic vt transgederentur persuasit, vt refert Liuii epitome lib. LV.

CAP. XLIII.

ASTVRIÆ REGNVM.

ASTVRES VNDE DICTI. BELLACES ASTVRCONES. Asturia bifariam diuisa. Aurifera est.

QVa Pyrenæi iugum, haud procul secundo Oceano, sub Septentrionem deducitur, habitant *Astures* Gallæciæ portio, vt auctor est Paulus Orosius lib. VI. cap. XXI. ita dicti ab Astura fluuio, qui regionem illam alluit, teste Isidoro lib. IX. cap. II. Silius verò Italicus ab Astyre Memnonis auriga dictos credit, lib. III.

Venit & Auroræ lacrymis perfusus in orbem
Diuersum, patrias fugeret cùm deuius oras,
Armiger Eoi non felix Memnonis Astyr.

Diuisi erant olim, in *Transmontanos* & *Augustanos*: teste Plinio lib. 3. cap. 3. in duo-

decim populos distincti. caput gentis erat *Asturica*, vrbs magnifica, quam Ptolemæus *Asturicam Augustam* vocat; hodie verò *Astorga* dicta.

Regio vniuersa aspera, montibus siluisque horrida, incolæ bellaces, & libertatis, apprimè tenaces, qua de causa non semel à Romanis defecere, & Augusti Cæsaris præsentia necessaria visa, vt arma ponerent. Vnde L. Florus sub calcem operis, periculum illius belli his verbis exaggerat: *Astures per idem tempus, ingenti agmine à montibus suis descenderant, nec timuere subitus, vt barbaris impares; & positis castris apud Asturam flumen trifariò diuiso agmine, tria simul Romanorum castra aggredi pararunt: fuisset & anceps, & cruentum, & vtinam mutua clade certamen, tunc tam fortibus etiam subitò, tam cum consilio venientibus.* In plana ab Augusto deducti, quo fera illa ingenia non secus ac siluestres plantæ mutatione soli mitescerent. Regio ipsa, minii, chrysocollæ, & auri præcipuè fecunda. Plinius auctor est lib. XXXIII. cap. IV. *Asturiam, Lusitaniam, & Galleciam singulis annis vicena millia pondo auri præstare, ita vt plurimum Asturia gignat.* Vnde & Silius lib. I.

——Astur auarus,
Visceribus lacera telluris mergitur imis,
Et redit infelix, effosso concolor auro.

Asturcones equos laudatos etiam admodùm gignit *Asturia*, quibus non vulgaris in cursu gradus, sed mollis alterno crurum explicatu glomeratio, de quib⁹ Silius lib. 3.

His paruus sonipes, nec Marti notus, at idem
Aut inconcusso glomerat vestigia dorso,
Aut molli pacata celer trahit esseda collo.

Martialis verò epig. lib. XIV. *Asturum equum*:

Hic breuis ad numerum rapidos qui colligit vngues
Venit ab auriferis gentibus Astur equus.

Hoc æuo diuisa est *Asturia* in duas partes, in *Asturiam de Ouiego*, & *de Santillana* dictas: nomen illis vrbes hæ duæ præcipuæ dederunt.

Asturiæ verò debet vniuersa HISPANIA, & Christianam religionem, & auitam nobilitatem conseruatam: nam post fatalem illam à Pœnis Hispaniæ illatam cladem, quæ supererat nobilitas, & Gothici sanguinis reliquiæ vnà cum clero, in Asturiam profugere, vbi naturæ loci fisi, Maurorum impetus primum hebetarunt: demum ductu Pelagii, excusso Maurorum iugo, continuis bellis vniuersam Hispaniam recuperarunt.

CAP. XLIV.
CANTABRIA.

CANTABRI A LACONIBVS ORTI. MORES ILLORUM. Mons hic ferreus. Tamarici fontes.

VIcini Asturibus sunt *Cantabri*, ita dicti ab vrbis vocabulo, & Ibero Amne, cui insident, teste Isidoro lib. IX. cap. II. prope Iuliobrigam enim in Cantabris oriri Iberum testatur Plinius; sed vbi gentium vrbs illa sit, vnde nomen deducitur, est qui referat nemo. Incolas à Laconibus originem ducere, auctor est Asclepiades Myrlianus apud Strabonem lib. III. partem enim Cantabriæ illos quondam habuisse, fortitudo egregia, & innata illis in laboribus patientia, & pertinax libertatis defendendæ animus indicio sunt. hinc verè & egregiè Silius Italicus lib. III.

Cantaber ante omnes, hyemisque, æstusque, famisque
Inuictus, palmamque ex omni ferre labore,
Mirus amor populo, cum pigra incanuit ætas
Imbelles iam dudum annos peruertere saxo,
Nec vitam sine Marte pati; quippe omnis in armis
Lucis causa sita est, & damnatum viuere paci.

Quum Augustus Cæsar magno tandem labore illos debellasset, ne seruitutem seruirent, potior pars igne, ferro, aut veneno se à captiuitate vindicauit, vt refert L. Florus lib. IV. cap. vltimo. Strabo verò lib. III. refert matres bello hoc Cantabrico, priusquam in hostium potestatem venirent, proles suas necasse: & puerum quendam, accepto à patre ferro, parentes, & fratres captiuos interemisse: nonnullos verò in crucem ab hostibus suffixos, lætitiæ Pæana cecinisse, quasi nihil iuris in illorum libertatem haberent.

Regio

Regio vbique montuosa & aspera, & Hispaniæ penè dissimilis, Baccho prorsus inimica, Martiverò, & Vulcano adeò amica; vt non immeritò quis illius Dei officinam vocet, ex qua plena manu natura Martio huic populo arma largiatur. Nam præter plumbū, & magnetem lapidē, (quem nonnulli *ferrum viuum* vocant) copiosas adeò ferri venas fundit, vt auctor sit Plinius lib. XXXIV. cap. XIV. *Cantabriæ maritima parte, quam Oceanus alluit, montem esse præruptè altum, incredibile dictu, totum ex ea materia* [*ferro.*] Inexhausta hæc ferri copia & in nostram vsque ætatem durat, quam per Hispanias, Galliasque incolæ magno quæstu distribuunt. Mirum est, quod de *Tamaricis* fontibus in Cantabria prodit Plinius lib. XXXI. cap. II. his verbis: *In Cantabria fontes Tamarici in augurio habentur, tres sunt, octonis pedibus distantes, in vnum alueum coeunt, vasto amne, singulis diebus siccantur duodecies, aliquando vicies, citra suspicionem vllam aquæ, cùm sit vicinus illis fons, sine intermissione largus: dirum est non profluere eos aspicere volentibus, sicut proximè Lartio Licinio legato post præturam, post septem dies accidit.*

Vniuersa hæc regio hodie in *Biscaiam* & *Guipuscoa* diuisa est, immunitatibus gaudet maximis, quas & acerrimè incolæ propugnant.

CAP. XLV.

CARPETANIA.

CARPETANI VBI OLIM SITI. A Polybio Carpesii *vocati.*

NOn ignobiles in Citeriori Hispania olim fuere *Carpetani*, qui teste Cl. Ptolemæo; à Septentrione confines erant Vaccæis; ab Oriente Celtiberis; à Meridie Oretanos attingebant; ab Occidente verò Vettonies. Polybius libro III. auctor est, illos ferocia & hominum multitudine, ceteros eius prouinciæ antecellere. vnde magna pugna deuictis ab Hannibale circa Tagum Carpetanis, nulli vltra Iberum Carthaginensium armis restitere populi, vt fusè narrant T. Liuius lib. XXI. & Polyb. lib. III. At circa illorum nomen aliquantulum dissentiunt Scriptores. Plutarch. in Hannibale & Strabo lib. III. *Carpentanos* vocant; Lidius verò passim *Carpetanos*; sed tenue est discrimen: maius verò Polybii, qui Καρπησίους hos vocat, solus quod sciam. Nam quos Liuius lib XXIII. *Carpesios* vocat, diuersi sunt à *Carpetanis*, quos tamē Henr. Glareanus *Tartessios* credit esse. attamen si Stephano credimus, circa Iberum amnem siti sunt, vnde diuersi erunt, non solum à *Carpetanis*, sed etiam à *Tartessiis*. Mihi incertum, quo loco olim fuerint. C. Plinius lib XIX. cap. VIII. refert in Carpetania laudatissimum cuminum prouenire, vnde & *Vicus cuminarius* Antonino in Itinerario dictus, itinere quodam Emerita Cæsaraugustam vsque, quem Ambrosius Morales credit esse, *Santa Cruz de la carza*; eò quòd toto illo tractu nullus cumini prouentus, quàm in hoc vico. *Carpetaniæ* autem hoc æuo *regnum Toletanum* vocatur; cuius caput, vel Plinii tempore, erat Toletum.

CAP. XLVI.

VACCAEI VBI OLIM HABITARINT. Gentis mores. Bellicosi.

INter Carpetanos, & Celtiberos siti sunt *Vaccæi*, quos Stephanus Byzantinus vocat Βαϊκάσιους, eo olim tractu, quem nunc *Castellam veterem* appellant, bellica virtute quondam clari. Moris inter illos erat olim, teste Diodoro Siculo lib. VI. Biblioth. singulis annis, sortitos inter se agros colere, fructusque cum ceteris communicare, cuiq; sua portione assignatâ, qua de causa & agricolis illatæ iniuriæ morte multabantur. Auctor est Appianus Alexandrinus in Ibericis, Licinium Lucullum, quem Liuiana Epitome *L. Licinium Lucullum* nominat, inconsulto senatu, & iniusto bello *Vaccæos* lacessiuisse: qui cum illorum vrbem Cauciam in deditionem recepisset, militibus diripiendam dedisse, incolasque omnes trucidasse, nullâ habitâ ætatis sexusue ratione.

Quare ceteræ eius regionis vrbes ad bellum se pararunt, & ab Intercatia, & Pallentia cum damno & ignominia cum repulerunt: iidem etiam Metellum Nepotem, obsidentem Cluniam Arcuacorum vrbem prælio fuderunt, & vrbem obsidione soluerũt, teste Dione lib. XXXIX. Insigni etiam clade Lepidum affeciſſe eos, testatur Paulus Orosius lib. V. cap. V. nam cùm prohibente etiam Senatu Romano innoxios oppugnare pergeret, ad sex millia militum à Vaccæis cæsa sunt, ceteri castris exuti euaserunt. Appianus *Aemilium* vocat, non *Lepidum*.

CAP. XLVII.

OLCADES VBI OLIM SITI.

NOn procul à Vaccæis erant *olcades*, vt apud T. Liuium & Polybium videre est. Stephanus Byzantinus Carthagini nouæ finitimos facit. Auctor vitæ Hannibalis post Plutarchum, & Liuius vltra Iberum illos statuunt. P. Io. Mariana non malè suspicatur illos olim fuisse, vbi nunc est *Occanna*, regni Toletani vrbs, non multum abludente vocabulo, nec situ repugnante. Illorum vrbem *Carteiam* refert ab Hannibale Liuius expugnatam, quam tamen Polybius, & Stephanus *Altheiam* vocant. Quare & Car. Sigonio magis placet pro *Carteia*, *Altheiam* substituere.

CAP. XLVIII.

ARAGONIÆ REGNVM.

CELTIBERI CELTOSCYTHÆ, *ET* BERONES *DICTI. Nominis etymon. Potentia illorum, opes, mores. Simplices olim.*

DIffusum & potens olim, per HISPANIAM *Celtiberorum* nomen. Nam cùm, teste Strabone lib. III. plurimam fortunæ ac dignitatis accessionem Celtiberi sibi vindicassent, finitimam omnem regionem eodem nominatam vocabulo reddiderunt, adeò vt tota Hispania *Celtiberia* vocata fuerit, vt supra dictum. Vocati etiam olim *Celtoscythæ* rudi sæculo, eodem Strabone auctore lib. I. *Berones* etiam dictos idem refert lib. III. Postea verò, quia teste Isidoro lib. IX. cap. II. ex Gallis Celticis defluxerunt, & circa Iberum fluuium confederunt, mixto vtroque vocabulo *Celtiberi* vocati sunt. Diod. autem Siculus lib. VI. diuersus est ab hoc etymo. ait enim *Iberos* quondam *Celtasque* pro agris bello certasse, pace demum firmata, communicasse inuicem patriam, & mutua sanxisse connubia: vnde & commixtum nomen, & cùm essent duæ validæ nationes, in vberi regione coniunctæ, effecere vt magnum esset *Celtiberorum* nomen, vnde & Lucanus Pharsaliæ lib. IV.

——profugique à gente vetusta
Gallorum Celtæ miscentes nomen Iberis.

Martialis etiam lib. IV. Epigr. LV.

Nos Celtis geniti & ex Iberis.

In quatuor olim populos diuisi fuere, testibus Plinio, & Strabone, qui tamen populorum nomina prætereunt, nisi quòd ille *Pelendones* recenseat. Prouinciæ verò caput *Segobrigam* Plinius: at Strabo nobilissimam ciuitatem *Numantiam* dicit fuisse. Constat frequentem & vsque eò populosam olim fuisse, vt Polybius scribat apud Strabonem CCC. illorum vrbes à Tib. Graccho subuersas fuisse, quod tamen Strabo, ritu comico, in Gracchi gratiam dictum putat; quod agri natura tantæ vrbium frequentiæ capax non sit: moderatiùs certè L. Florus, qui lib. II. cap. XVII. CL. vrbium subuersione illos à Graccho multatos scribit. Bellica inprimis gloria clari fuere, vt Florus citato loco *Celtiberos Hispaniæ robur* nominet. In acie exultabant, vt ait Val. Maximus lib. II. cap. VI. tanquam glorioſè & feliciter vita excessuri; lamentabantur in morbo, quasi turpiter & miserabiliter perituri. addit & Silius Italicus lib. III.

His pugna cecidisse decus, corpusque cremari
Tale nefas; cælo credunt superisque referri,
Impastus carpat si membra iacentia vultur.

Iidem

Iidem nefas esse ducebant, vt idem refert Val. Maximus, prælio superesse, cùm is occidisset pro cuius salute spiritum deuouerant. opibus verò etiam adeo abundasse illos constat, vt referat Strabo ex Posidonii sententia, M. Marcellum ex Celtiberia talentum DC. tributi nomine exigisse. Nam licet ager illorum sterilis esset, auri, argentique tamen egregiè fœcundus erat. Armis verè ferroque abundabant raræ bonitatis. Nam præter Salonis ad Bilbilem aquas, quibus inuictam armorum temperiem parabant, peculiaris ipsis erat ratio ferri temperandi: siquidem, teste Diod. Siculo lib. VI. cap. IX. ferreas laminas in terram abscondentes, ibi tam diu esse sinunt, quoad infirmioti parte ferrugine exesa, validior superstit, ex eo tum enses fortissimos, tum cetera ad belli vsus arma necessaria componunt: hoc pacto fabricatis cedunt omnia, vt neq; scutum, neque galea, neque aliud vim eorum remoretur. Idem refert præter Strabonem lib. III. circa victus munditiem illos esse elegantes, nisi egregia illos spurcities fœdaret, quòd corpus vniuersum lauant vrina, & dentes fricant: vnde eleganter Catullus Epig. XL.

Nunc Celtiber in Celtiberia terra
Quod quisque minxit, hoc sibi solet mane
Dentem, atque russam defricare gingiuam:
Vt quò iste vester expolitior dens est,
Hoc te amplius bibisse prædicet loti.

Et rursus Epigrammate XXXVIII.

Et dens Ibera defricatus vrina.

Tangit hoc & Appuleius in Apol. *Quem*, inquit, *multo æquius erat spurcissimo ritu Iberorum, vt aut Catullus sua sibi vrina dentem atque russam pumicare gingiuam.*

Gentem hanc olim, non vt pleriq; Hispanorum, pro callida & vafra non esse habitam, ostendit T. Liuius lib. XXX. agens de Graccho obsidente Certimam: *Vbi*, inquit, *cùm iam opera admoueret, veniunt legati ex oppido, quorum sermo antiquæ simplicitatis fuit, non dissimulantium bellaturos, si vires essent. Petierunt enim, vt sibi in castra Celtiberorum ire liceret, ad auxilia accipienda, si non impetrassent, tum separatim eos ab illis se consulturos: permittente Graccho ierunt, & post paucis diebus alios legatos decem secum adduxerunt. Meridianum tempus erat, nihil prius petierunt à Prætore, quàm vt bibere sibi iuberet dari, epotis primis poculis, iterum poposcerunt, magno risu circumstantium, in tam rudibus & moris omnis ignaris.*

Cap. XLIX.

ILLERGETES NON ESSE ILLVRGAVONENSES

Cæsaris, contra Fulvium Vrsinum. Num Eilotæ *Polybii.*

CIs Iberum sunt *Illergetes*, frequenti olim à populo Rom. defectione celebres ducibus Indibili & Mandonio, donec Indibilis à L. Lentulo, & Manlio Acidino in acie cæsus, & Mandonius illis traditus, vt refert T. Liuius lib XXIX. Fulvius Vrsinus apud Ortelium credit *Illurgauonenses* Cæsaris hos esse *Illergetes*, sed cùm Plinius præter *Illergetes*, etiam *Illurgauonensium* meminerit, non facilè illi assentior, nec quadrant verba Cæsaris cum Fulvii opinione. Siquidem *Illurgauonenses* ad Iberum statuit, à quo *Illergetes* remoti sunt. Credo hos Cæsaris & Plinii *Illurgauonenses*, vocati ad T. Liuio *Ilercaonenses* lib. XXII. *Castra Punica in agro Ilercaonensium, Castra Romanorum ad classem notum erant.* Num vero *Eilotæ* Polybii sint, non immeritò quæri potest. nam lib. X. refert P. Scipionem cùm primum in Hispaniam venisset in *Eilotis* hyemasse: T. vero Liuius lib. XXVI. Tarracone hyemem transegisse refert, vnde certum est *Eilotas* non procul à Tarracone fuisse, vt nec *Illergetes*; sed cùm idem Polybius lib. III. *Illergetum* meminerit, non potest idem esse populus, nisi mendum subesse dicamus. nullus enim Scriptor horum meminit, præter vnum Polybium. Festus Auienus in ora maritima recenset *Ileates* populos, qui non multùm à Polybii *Eilotis* videntur discrepare, sed æquè mihi obscuri. Credo etiam mendum subesse apud Polybium, citato loco, vbi vocat, Andobalum τῶν λεργητῶν βασιλέα. Cum luce clarius sit substituendum esse ἰλεργητῶν. Siquidem *Indibilis*, quem depravatè vocat *Andobalum*, Ilergetum erat regulus, vt & Mandonius. vepatet apud Liuium. Refert Hieronymus Paulus Barcinonensis, Illergetes eum olim tractum coluisse, qui nunc *Vrgellensis* nuncupatur.

CAP. L.

CERRETANI DICTI IVLIANI. CVM HERCVLE IN Hiſpaniam venerunt. Inſcriptio vetus.

ILlergetibus eſſe conterminos *Cerretanos*, auctor eſt Ptolemæus. Incolebant autem Pyrenæi conualles. Plinius illos *Iulianos* appellat, an forſan ab vrbe *Iulia Libyca*, quam Ptolemæus ibi ſtatuit? ſuſpicari licet præſertim cum nulla manifeſtior occurrat ratio. Cum Hercule illos olim in Hiſpaniam veniſſe innuit Silius Italicus lib. III.

Nec Cerretani quondam Tyrinthia caſtra
Aut Vaſco inſuetus galeæ, ferre arma morati.

Dion. lib. XLVIII. refert *Cerretanos* cum à Pop. Rom. defeciſſent, à Domitii Caluini legato ſuperatos, poſtea tamen ab illis circumventum fuiſſe, & deſertum à propriis militibus; ſed decumato prius milite, iterum à Domitio Caluino debellatos. Strabo lib. III. apud *Cerretanos* pernas optime, & variis modis condiri refert, vnde & Val. Martialis lib. XIII.

Cerretana mihi fiet, vel maſſa licebit
De Menapis: lauti de petaſone vorent.

Eodem etiam libro Poeta Cerretana vina commendat;

Cerretana nepos ponet, Setina probabis
Non ponit turbæ, cum tribus illa bibit.

Incolebant autem loca illa Cathaloniæ, Galliam verſus, vbi hodie Comitatus Certaniæ eſt, vt notat Ambr. Morales lib. VIII. cap. II. qui etiam hanc inſcriptionem in Pyrenæis alibi exſtare; ſcribiturque tantum vnico R. nomen Ceretanorum:

AVGVSTO.
TERRA. MARIQ. VICTORI.
ELIMINATIS. SACERDOTIBVS.
BONÆ. DEÆ.
ET. COLLEGIO.
VII. EPVLONVM.
COMMVNI. POP. SENTENTIA.
EXCLVSO.
CERETANI. TEMPLVM.
VICTORIÆ. AVG. D. D.

CAP. LI.

BRACCARA.

BRACCARA AVGVSTA A QVIBVS CONDITA. INTER quatuor præcipuas Hiſpaniæ vrbes. Sedes Regum Sueuorum & Gothorum. De primatu Hiſpaniæ cum Toleto certat.

CVm *Bractara* ea in Portugaliæ parte, quæ *Interamnis* dicitur, hoc ævo ſita ſit, cuius tamen à me nulla eſt facta mentio inter Luſitanicas vrbes; eo quod Luſitaniæ limitibus antiquis excluſa eſſet; ideo non abs re me facturum puto, ſi vbi Luſitania deſiit, Tarraconenſem prouinciam auſpicatus fuero. Ptolemæus *Braccaram Auguſtam* vocat, & inter *Gallaicos Bræcarios* recenſet; Antonini Itinerarium *Bragaram* vocat: hinc forſan hodiernum nomen *Braga* manſit. ex vetuſtiſſimis Hiſpaniæ vrbibus eſſe vt nemo ambigit, ita omnes pene de conditore eius dubii. Epiſcopus Gerundenſis lib. III. à Pœnis conditam ait; & in memoriam amnis *Bragadæ* (apud quem M. Regulus portentoſæ magnitudinis ſerpentem confecit) nomen *Braccaræ* inditum alii probabilius forſan, ad Gallos Braccatos originem referunt. Conſtans enim eſt auctorum opinio, Gallos totam illam oram occupaſſe, vnde *Celtici* populi, & *Gallæci*. Iuridicum ibi fuiſſe conuentum teſtis eſt Plinius, à quo XXIV. ciuitates iura petebant. In antiquis inſcriptionibus *Bracaraugueſta* vnica voce, non ſemel legitur Tarracone: M. VL-

LVDOVICI. NONII.
M. VLPIO. C. F.
QVIR. REBVRRO.
LX. BRACARAVG.
OMNIBVS. H.
IN. RE. P. SVA. FVNG.
FLAM. P. H. C.
P. H. C.

In ipsa vero Bracaraugusta hanc exstare ferunt:

ISIDI. AVG. SACRVM.
LVCRETIA. FIDA.
SACERDOS. PERP.
ROM. ET. AVG.
CONVENTVS. BACARAVG.
V. D.

Ausonius Poeta, suo æuo inter quatuor præcipuas Hispaniæ vrbes, in Catalogo illustrium vrbium recenset hoc versu:

Quæque maris sinu iactat se Braccara dines.

Priscis etiam Annalibus constat, Regum Suevorum sedem fuisse circiter CLXX. annis, sub Gothicis verò Regibus CLXX. annis floruisse. Sita autem est ad Alestem amnem quinque leucis à mari, insigni agri cælique clementia prædita: Archiepiscopatu nobilissimo claret. De primatu Hispaniæ cum Toletana Ecclesia dudum certat, & indecisa lis in hodiernum æuum pendet. Cum enim præcipuæ Hispaniæ vrbes & metropoles in Maurorum essent potestate, ab Alphonso I. cognomine Catholico, anno DCCC. XL. prima omnium in libertatem vindicata est, omnesque Hispaniæ Episcopi Braccarensem, pro Metropolitano agnoscebant. Hac in vrbe Lusitaniæ Regum primus sator Henricus Comes, pater Alphonsi Henriquez I. Lusitaniæ Regis, in summo templo est sepultus. Christi fidem, edocta ab D. Petro Martyre S. Iacobi discipulo amplexa est, multo cum sanguine constantissime conseruauit. Varia hic Patrum Concilia celebrata.

CAP. LII.

COMPOSTELLA.

QVONAM MODO OLIM VOCATA SIT COMPOSTELla. D. Iacobi corpus quando detectum. Quando in prælijs nomen eius captum implorari.

NVnc sese offert *Compostella*, non fluxæ antiquitatis vestigiis, aut rerum gestarum titulis tumens, sed Hispaniæ Tutelaris D. Iacobi reliquiis ornata: quibus ceteris vrbibus merito præferenda. de antiquo nomine variant scriptores. Episcopus Gerundensis *Compostellam* dictam putat: cum enim prisci Hispaniæ cultores hijs in locis Hesperum oriri vidissent, quam regioni illi salubrem stellam credebant, *Compotem stellam* nominarunt; vnde & *Compostellam* vrbem dictam. Insulsa hercule & inepta etymologia, quæ caesam nucem non meretur. Franc. vero Tarapha & Ios. Moletius *Flauium Brigantium* Ptolemæi credunt, quod inter Callaicos Lucenses, in magno portu statuit. Guilielmus Soonus libello, de orbis terrarum nouis incolis, putat *Flauium Brigantium* idem esse oppidum cum *Flauionauia*, sed egregie hallucinatur: siquidem *Flauionauia* à Ptolemæo inter Pelicos collocatur; *Flauium* vero *Brigantium* inter Gallaicos Lucenses. Non absurde suspicatur Tarapha in honorem Vespasiani esse exstructum, aut certe prænomen assumsisse. Paulus Orosius lib. I. cap. II. solum *Brigantium* nominat, ibique altissimam esse pharum asserit; Io. Oliuarius Valent. Schol. in Melam, credit *Iamasium* oppidum inter Artabros esse *Compostellam*: sed in re tam dubia quid certi statuere meum non est; nisi *Flauium Brigantium* non esse, vt suo loco dicetur. D. verò Iacobi corpus anno pacto primum à discipulis *Iriam Flauiam*, postmodum verò *Compostellam* allatum fuisse referunt historiæ. Cum vero multis seculis latuisset, non solum Pœnorum tempestate, sed & ante Gothorum aduentum, anno demum DCCC. XCVIII. regnante Alphonso Casto, cœlesti indicio, Theodomiro Iriensi Episc. detectum fuit; quo tempore Imp. Carolus Magnus eo, religionis ergo, iter suscepit: qui à

Leone III. Pont. Max. obtinuit, vt Episcopali dignitate ornaretur, ita tamen vt Iriensis Episcopi titulum nre. ineret, quod & obseruatum fuit vsque ad annum circiter D.CCC LXXVII. quo tempore Ioannes VIII. Pont. Max. Compostellanam Ecclesiam, ab Archiepiscopatu Bracarensi exemit. An. vero clo. CXXIV. referente Cęsare Baronio Ecclesiast. Annalium tomo IX. Callistus Pont. Max. Emeritensis Ecclesię Metropoliticū ius, efflagitante Hispaniæ Rege, Compostellam transtulit, tum quia Emerita Sarracenorum iugo premebatur: tum quia peregrinorum concursu & religione Compostella in melius semper crescebat. nam ad illa vsque tempora exiguum tantum sacellum fuerat. Increbrescente vero fama, D. Iacobi hic latere corpus non solum Hispani, sed omnes pœne nationes excitæ frequentes cum votis, donisque venere. Templum donariis variorum Regum splendide ornatum. Aucta religio, cum paulo post anno D.CCC. XLVI. Ramiro Regi ad Clauigium, intercedente Apostolo, de innumera barbarorum multitudine, victoria concessa. vnde cœptum est in præliis nomen eius patrociniumque implorari, victorque exercitus vniuersam Hispaniam voto astrinxit, vt ex singulis agri vineæque iugeris, Compostellano templo frumenti modium, aut vini amphoram quotanis omnes penderent.

CAP. LIII.

AQVAE CALIDAE AMPHILOCHIA, ET AQVÆ Celinæ *dictæ. Vnde* Orense *hodie. Thermæ hic salubres.*

INter Cilenos populos in Gallæcia, Ptolemæus *Aquas calidas* oppidum recensет, incolis hodie *Orense*: quod & *Amphilochiam* dictum prius credunt Aluarus Gomezius, & Beuerus, ab Amphilocho Teucri Comite, qui hic, Strabone teste, diem clausit: ab Antonino vero in itinerario, *Aque Gallinæ* vocatur. Declinante autem imperio Romano & irrumpentibus in Hispanias Gothorum populis, Gallæcia Sueuis in sortem & sedem obtigit, & patrio idiomate vrbem hanc *VVarmsee*, quod *lacum calidum* denotat, appellarunt: postmodum vero *Orense* (quasi *VVarense:*) corrupte nimis dictum est. Sed inscii etymologiæ vocarunt Latine *Auriam*, quasi ab auro nomen illi esset.

Sita autem est ad amnis Minii ripas vrbs, agro fruitur non amœno solum, sed & felici: sapidissimis vndique fructibus egregie ornatur, præter generosi & nobilissimi vini copiam: templa habet, structura, & Religione exculta, Cathedrale præsertim: ornatur id signo Christi crucifixi, mira arte & vetusta incolarum pietate venerabili, & miraculis crebris claro. Sed præcipue vrbem nobilitant non vno loco erumpentes calidi, & salubres fontes: vnde & vrbi nomen: quorum nonnulli ita moderati sunt caloris, vt innoxie corpus eum queat perferre. alii vero tam intense feruent, vt tactus calorem aspernetur, & oua in illis facile coqui possint. tantus vero circa hos fontes æstus erumpit, vt vel rigente bruma, & operta tellure niuibus, vicinæ fontibus ædes nunquam niue vel pruina albere conspectæ sint: diceres vna in vrbis regione hyemalem, altera vero vernalem & tepidam auram regnare. Mira etiam hic naturæ prouidentia eluceſcit. nam cum suburbanus ager raras siluas ferat, nec ceduæ materiæ multum sit ferax, quantū vrbi ad focum opus esset, calidarum hanc copiam diuite vena effudit, qua incolæ ignis beneficio sine igne fruerentur. Cum vero calidi omnes fontes, à latebris sub terram aluminis, sulfuris & bituminis venis originem trahunt, vt refert Vitruuius lib. VIII. cap. III. Vnde Poeta de illis.

Siue bitumineæ rapiunt incendia vires
Luceaue exiguis ardescunt sulfura fumis.

Discriminat naturam arcani metalli sapor, vel odor aquæ impressus: huius tamen fontis aqua nulla peregrina qualitate adulterata, ex terra erumpit calida, quod mirum est.

Siues pares flammas vndarum lance rependens
Arbiter in fœdus mons elementa vocat.
Ne cedant superata sibi, sed legibus æquis
Alterius vires possit vtrumque pati.

Vt Claudianus elegans Poeta. Pro compertо enim habent incolæ à sulphuris venis vires sumere, vnde & multis medetur malis. quæ sulfurea curant balnea. Sed remotum esse caloris fomitem extra dubium est. vnde nullum eius vestigium secum vehunt aquæ.

CAP.

CAP. LIV.

FLAVIVM BRIGANTIVM ESSE LA CORVNNA.

Fabula explosa de speculo mirando. Pauli Iouii lapsus de Herculis Columnis.

RElicto celebri illo promontorio *Artabro*, vel *Celtico*, vt Plinius, vt vero Ptolemæus vocat *Nereio*, hoc æuo *Cabo definis terræ*, inter Gallaicos Lucenses, in magno portu *Flauiũ Brigantium* à Ptolemæo recensetur: Dion etiam lib. XXXVII. vocat *Brigantiam*; ab Æthico vero & Paulo Orosio *Brigantia* vocatur: altissima pharo memorandi operis ornata. Antonius Beuterus *Betancos* esse; Florianus vero Occampo, & diligentissimus Gaspar Barrerius, *la Corunna* vocari asserunt. Magnæ cuiusvis classis capaci portu ornata: in honorem gentis Flauiæ olim exstructam nomen ipsum ostendit, Domitiani forsan æuo. Nam à Plinio nulla eius mentio, qui sub Vespasiano vixit. Incolæ ab Hercule conditam referunt, turrimque hic esse ab eodem exstructam, in qua speculum arcana arte fabricatum erat, vnde naues vel longissimo spatio distantes contemplari liceret. In tam ridiculam opinionem vocum ignorantia, & antiquitatis imperitia lapsi sunt: nam cum turris illa specula dicatur, speculum illud mirandum, sine opifice vllo confinxere, &, vt ex inscriptione licet videre in Augusti honorem exstructa fuit, à Lusitano architecto; sed lubet illam apponere.

MARTI. AVG. SACR.
C. SÆVIVS. LVPVS.
ARCHITECTVS.
A. F. DANIENSIS.
LVSITANVS. EXVL.

Ab hac fabula persuasi nonnulli, credidere arcem Herculis fuisse, & alteras columnas ab illo hic fixas, non secus ac circa Gades, dictamque vrbem hanc *Corunna* tanquam *columnam*: quod egregium etymon apud Paulum Iouium virum alias grauem & doctum, tantum valuit, vt ab imperito aliquo Hispaniæ antiquitatis persuasus, huic opinioni etiam subscriberet, cum in vita Gonsalui Ferdinandi d' Aguilar, agens de aduentu Regis Philippi I. in Hispaniam, ita scriberet: *Nec diu Philippus amicorum suorum studia, votaque frustratus, vt sua regna ex arbitrio administranda susciperet, in Cantabriam Oceano deuectus, peruenit in portum, qui vocatur ad Columnas, fortasse quod ibi quoque altera Herculis Columnæ, sicuti Gadibus positæ fuerunt, quum eo externo littore terræ Hispanicæ finis.* Sed opinio hæc infirmiori tibicine fulta, quam vt rationibus conuelli mereatur. Non procul ab hoc oppido præstantissimi laspidis sunt fodinæ.

CAP. LV.

BVRGOS. NON ESSE AVGVSTROBRIGAM, *NEC* Aucam *veterem*. Brauum *esse Ptolemæi. Vnde nomen mutatum.*

CElebris admodum, & Castellæ veteris Metropolis *Burgos*, quam Florianus olim *Augustobrigam* dictam putat; quamque Ptolemæus in Vettonibus collocat; sed cum Geographis pugnat hæc opinio: siquidem, teste Plinio, *Durius lapsus per Arenacos Vaccæosque, disterminatis ab Asturia Vettonibus, à Lusitania Gallæcis, ibi quoque Turdulos à Bracaris arcet.* At *Burgos* Asturiæ terminis contineri luce clarius est, atque ita Vettonum Augustobriga esse nequit. Lucio vero Marinæo & Francisco Taraphæ *Auca* olim dicta. Displicet tamen non immerito Ioan. Vasæo. nam XX. circiter M. P. supra *Burgos* fuit *Auca*, in monte *Iubeda*, qui & hodie saltus est Aucensis, in loco qui hodie *Neustra Sennora de Oca* vocatur, & in Hispaniæ Conciliis, non semel *Auxitanus* Episcopus legitur. Iidem tamen & *Brauum Murbogorum* Ptolemæi aiunt esse, & olim *Masburgi* dictam; sed auctores vellem protulissent. *Brauum* etiam fuisse Ios. Moletius, & Villanouanus asserunt, à Germanis obliterato priori nomine *Burgam* fuisse vocatam, auctor est Tarapha, & anno D. CCC. XLVI. regnante Castellæ Comite Didaco Porcelli, nouis incolis habitari cœptam. Licet Rodericus Ximenius Archiepisc. Toletanus lib. V. cap. XXV. dicat Comitem Castellæ Didacum Porcellum, ex multis pagis castrisque, vulgo *Burgi*, ciuitatem Burgensem frequentasse, atque inde nomen *Burgos* inditum.

Vrbs est magnis concinnisque ædibus ornata, incolæ summa cum fide mercaturæ student, templa, & cœnobia habet frequentia. Inter cetera D. Augustini est monasterium, vbi asseruatur magno honore imago Domini nostri Iesu Christi crucifixi, quam à Nicodemo factam perhibent, & à mercatore quodam, tempestate iactato in mari repertam. Multis certe miraculis claret. Extra vrbem alterum est monasterium Virginum monialium, vulgo dicunt *de las huelgas*: cuius auctor Alphonsus VIII. Castellæ Rex perhibetur, nullis accessus patet, nisi Principum patriciorumque filiabus. Huic monasterio XIV. non ignobilia oppida, & XVII. monasteria, præter alia obscuriora XL. oppidula parent. Hanc in vrbem etiam anno clɔ. XCVII. Episcopalis sedes, quæ Aucæ erat, translata fuit auctoritate Vrbani XI. quo tempore Alphonsus VI. Christianis Toletum restituit.

CAP. LVI.

DVPLEX PINTIA PISORACA AMNIS. INSCRIPTIO vetus. Vrbis descriptio.

DVplicis *Pintiæ* memiuit Ptolemæus, quarum vnam inter Callaicos Lucenses statuit, quam Villanouanus *Chirogam*, Moletius vero *Puerto magno* vocant: alteram in Vaccæis collocat, quæ hodie ab omnibus *Valladolid* dicitur, nobilissimum Hispaniæ oppidum, situm ad ripas Pisurgæ fluuii, quem ex antiquis inscriptionibus *Pisoracam* vocari constat, vt indicio est illa, quam ab Amb. Morale desumsi:

NERO. CLAVDIVS.
D. CLAVD. AVG. F.
GERMANICI. CÆS. AVG. N.
TI. CÆS. AVG. PRON.
DIVI. AVG. ABN.
CAES. AVG. GERM.
PONT. MAX.
TRIB. POT. IMP. COS.
A. PISORACA. M. I.

Quod est, *à Pisoràca milliare vnum*, vel *mille passibus à Pisoràca* viam stauit.

Hieronymus vero Surita Notis ad Antonini Itinerarium negat *Pintiam* esse *Vallisoletum*, Sed cum passim opinionem priorem inualuisse videam, non est quod citra efficaces rationes illam relinquam. ædificiis tam sacris quam profanis, publicis ac priuatis ornatissimum: omnium scientiarum nobilissimo Lyceo honestatur, ex quo præclarissimi ingeniorum riuuli in vniuersam Hispaniam deducuntur: mercatorum commerciis; & mechanicis artibus egregie excultum: aere item salubertimo; nisi interdum obscuris Pisurgæ amnis nebulis fœdaretur. Et cum in vniuersa Hispania tantum quatuor sint Iuridici Conuentus, quos *Cancellarias* indigetant, Pintiæ vnus est; qua de caussa magna hic hominum frequentia. siquidem hinc iura petunt populi omnes, qui à Tagi ripa, Castellam vsque comprehenduntur: vnde vrbem alioqui claram aduenarum concursus clariorem multo efficit. hortis fontibusque amœnissima est, rerum omnium copia ditissima: ita vt vna hæc contineat, quidquid præcipuæ aliæ vrbes singulæ, Reges tamquam placidissimum domicilium illam libenter frequentant, & plurimi Hispaniæ Principes ædes hic habent propias. inter cetera vero forum habet rerum venalium amplissimum & pulcerrimũ, quod ambitu suo septingentos passus complectitur: tanta hic rerum copia varietasque venalis, vt non imerito quis Amaltheæ hic cornu copiæ esse diceret. Non exiguum splendorem Philippi II. potentissimi Monarchę incunabula huic vrbi dedere. Natus & hic *Ferdinandus Nonius*, vulgo *Pintianus* à patria cognominatus: qui vt Melam, ac Senecam Scriptores Hispanos egregie illustrauit, sic & C. Plinii Naturalem Historiam integre post Hermolaum Barbarum (bone Deus, quem & qualem virũ!) emendauit.

CAP. LVII.

LEGIONENSE REGNVM.

LEGIONENSIS VRBS EX SVBLANCIAE RVINIS CREVIT.
Legio VII. gemina *vocata. Olim* Floris *cognomen habuit. Quando* Leon *cœpta dici.*

LEgionenſem vrbem eo tempore exſtructam ferunt, Franciſcus Tarapha, & Petrus Medina, qua Imperator Nerua Cocceius conſcriptis XIV. legionibus ad prouincialium motus compeſcendos, duas in Hiſpaniam miſit, vt in arduis & montuoſis ſitas locis vrbes diruerent, & in planitiem deducerent, quò facilius Hiſpanorum ſeditionibus in poſterum proſpicerent, quos & ſuopte ingenio, & natura loci ad ſeditiones paratos nouerat: atq; inter ceteras Sublantiam ſolo æquatam fuiſſe, cuius adhuc veſtigia exſtant, ſeſquileuca ab vrbe, loco incolis *Sollanco* vocato, ex cuius ruinis Legionenſem vrbem creuiſſe fama eſt. Sita eſt inter Aſtures. A Ptolemæo *Legio Germanica ſeptima* vocatur; Ioannes verò Vaſæus in Chronico ſuo, non *Legionem ſeptimam Germanicam*, ſed *Geminam* legendum putat: quòd nuſquam tota Hiſpania in veteribus inſcriptionib⁹ *Legionis ſeptimæ Germanicæ* mentio occurrat, *Geminæ* verò frequentiſſimè. Vna hæc inſcriptio multarū erit inſtar Aquiflauiæ in Luſitania (vulgò *Chaues*) reperta:

IMP. CÆS. VESP. AVG.
PONT. MAX. TRIB. POT. X.
IMP. XX. P. P. COS. IX.
IMP. VESP. CÆS. AVG. F.
PONT. TRIB. POT. VIII.
IMP. XIII. COS. VI.
.....
.....
C. CALPETANO. RANTIO.
QVIRINALI.
VAL. FESTO. LEG. AVG. PR. PR.
D. CORN. MÆCIANO. LEG. AVG.
L. ARRVNTIO. MAX. PROC. AVG.
LEG. VII. GEM. FEL.
CIVITATES. X.
AQVILAVIENSES.
AOBRIGENSES.
BIBALI.
COELERNI.
EQVÆSI.
INTERAMICI.
LIMICI.
ÆBISOCI.
QVARQVERNI.
TAMAGANI.

Cui adſtipulatur Ambr. Morales, P. Ioan. Mariana, aliique non imi ſubſellii viri. Illud mirari ſubit, quid Franciſcum Tarapham mouerit, quòd hanc vrbem dicat à XIV. Germanorum legionibus exſtructam, quæ non vrbem aliquam, ſed orbem poſſent exſtruere: idem ait olim *Regiam legiam* vocatam fuiſſe. Refert & Hieronymus Surita, auctores eſſe, qui ante CCCC. annos prodiderunt Legionem VII. geminam, *Floris* cognomen habuiſſe. Gerundenſis verò Epiſcopus lib. III. vrbem hanc primo à Pœnis ait conditam fuiſſe, & *Eleonam* dictam, à prouincia Eleona, Libyæ propinqua; in qua leonum magna copia: quam opinionem vnde hauſerit, me prorſus fugit; ſed ἀπόφθεγμα hæc mittamus.

Annorum verò decurſu in Leouigildi Gothorum Regis honorem *Leon* vocari cœpta eſt, vt refert Iſidorus libro II. Chronicorum his verbis: *Leouigildus Rex Romanos*

milites apud Legionem vrbem bello exstinxit, & ipsam eorum vrbem cepit, quam ex suo nomine Leonem vocauit. A qua postea vniuersi regni Legionensis nomen manauit. Anno 722. Pelagius Rex, à Mauris illam sibi vindicauit.

Vrbs est hoc æuo nobilissima, & inter cetera templo pulcerrimo conspicua, teste Lucio Marineo; qui, ne Hispalense templum quidem magnitudine sua, nec Toletanum, diuitiis ornamentisque illud superare affirmat. Nam artificio, & concinna architectura illa longè vincit. Augustum sacrarium habet, in quo XXXVII. Reges, & vnus Hispaniæ Imperator sepulti sunt. Nullius pœnè rei indiga, sed incolis suis liberaliter omnia suppeditat. Præcipuè autem Sanctorum meritis, & reliquiis opulenta, inter ceteras verò D. Isidori Hispalensis Episcopi, qui anno Christi 656. obiit, Hispali verò in Legionensem vrbem à Ferdinando Magno translatus est. Dignitate Episcopali ornata vrbs, & singulari priuilegio, iam à Gothorum temporibus sedi tantùm Apostolicæ obnoxia: nec Metropolitanum agnoscit. Auctor est Isidorus hac vrbe natos esse *S. Marcellum* Centurionem & *Nonam* vxorem eius, qui XII. filios Christi Martyres habuerunt.

CAP. LVIII.

ZAMORA.

ZAMORAM NON ESSE SISAPONEM PTOLEMÆI. Minus Orcelim *vel* Numantiam. Senticam *esse. Vnde illi nomen.*

NOn obscurum hoc æuo oppidum est *Zamorra*, Maurorum verò tempestate celeberrimum fuit. de cuius prisco nomine discrepant auctores: conabor succinctè variantes opiniones recensere, vt illis euentilatis, probabiliori subscribam. Villanouanus credit esse Ptolemæi *Sisaponem*, sed cùm illa inter Oretanos collocetur, *Zamorra* inter Vaccæos potiùs sita videatur, non quadrabit *Sisapanes* situs, immò si Plinio, & Straboni fides, in Beturia *Sisapone* locanda erit (nisi aliam à Ptolemæi *Sisaponem* esse dixeris;) Antonius verò Nebrissensis *Orcelim* credit esse, sed & hæc vrbs inter Oretanos refertur, quam multi *Oriolam* putant, nec potest cum Zamorrensi situ conuenire. Non defuere, qui *Numantiam* illam celebrem fuisse suspicantur; sed nimis frigidè. Carolus verò Clusius, & Iosephus Moletius *Sarabrim* Ptolemæi dicunt; Ioannes Mariana, aliique *Senticam* Ptolemæi aiunt esse, in Vaccæis, non procul à Pintia, at cùm *Sarabrim* & *Senticam* Ptolemæus, vt vicinas recenset, non secus ac *Toro* & *Zamorra*, non facilè erit asserere, quænã illarũ sit *Zamorra*. Ego pluriũ & doctiorũ opinioni accedã, vt si falli cõtingat, erroris patronos habeã. *Sentica* itaq; Ptolemæi esse cum Resendio aliisq; asserã: *Zamorræ* autẽ etymon refert Vasæus in Chronico ex Floriano Occampo, ab Arabibus olim *Medinã Zamorathi* appellatã, atq; ea voce significasse ciuitatem *Turquesarum*. nam *Zamorathi* Pœnis lapis cyaneus, vulgò *Turquesa* dicitur. totus enim *Zamorrensis* tractus scatet diuite vena lapidis cyanei, quæ passim in vicinis rupibus se frequentẽ ostendit. Postquàm ab Almanzore Rege funditus diruta fuit, ab Alphonso Magno, vel eius patre Ferdinando instauratam ferunt, & propugnaculis ita egregiè munitam, vt ominem ferè hostilem impetum eluderet, nec nisi fame ad deditionem compelli posset. Vnde Hispani patriis rythmis, epithetum illi *la bien cercada*, seu egregiè munitam addunt. Episcopo hæc vrbs circa annum clo. C. XIX. donata fuit, à Calisto II. Pont. Max. vt refert Vasæus. Vetusta hic inscriptio visitur, nec extriuio, quam lubuit hic adtexere:

DEO. MENIVM.
VIACO.
M. ATTILIVS.
SILONIS. F.
QVIR. SILO.
EX. VOTO.

CAP. LIX.

TOLETANVM REGNVM.

DE TOLETI CONDITORIBVS REIECTA OPINIO. Carpetaniæ caput quando. Primatis Hispaniæ dignitas eò translata. Vrbs Regia *vocata. Fatale hic palatium.*

VT Romanorum ævo *Toletum*, neque magna admodum, neque clara vrbs fuit, ita Gothorum seculo, ad summum incrementum peruenit, vt nulli Hispaniarum vrbi inferior sit. Liuius certè lib. XXXV. parvam vrbem fuisse dicit, anno ab Vrbe Condita D. LVI. quando M. Fuluius Proconsul illam expugnauit, his verbis: *Ad Tagum ire pergit. Toletum ibi parua vrbs erat, sed loco munita. Eam cùm oppugnaret, Vettonum magnus exercitus Toletanis subsidio venit, cum his signis collatis prosperè pugnauit, & fusis Vettonibus, operibus Toletum cepit.* Plinii verò tempore clarior fuit, nam & Carpetaniæ caput erat. Quo tempore condita fuit, non constat inter auctores: Rodericus enim Ximenius Toletanus Archiepiscopus lib. I.C. III. & ex eo Tarapha, aliiq; aiunt C. VIII. annis, priusquam C. Iulius Cæsar rerum potiretur, Coss. Tolemone & Bruto exstructam fuisse: quorum nomina cùm nusquam in Fastis reperiantur, meritò prætereunda hæc est opinio. Episcopus Gerundensis lib. V. dicit à D. Iunio Bruto, qui ex deuicta Gallæcia, *Gallaici* nomen meruit, conditam esse; sed ex T. Liuii verbis constat, ante Bruti ætatem multo tempore conditam fuisse, proinde hæc vt incerta mittamus.

Sita est autem in *Carpetanis*, in totius penè Hispaniæ vmbilico, loco aspero & cliuoso, maiorique ex parte nobilissimo amne Tago ambitur, à reliqua vero parte muris validissimis, & CL. propugnaculis egregiè munita: cœli, agrique insigni felicitate fruitur: lanificii, sericique commercio opulenta admodùm: equitum nobiliumque virorum insignis frequentia, sacerdotum magna opulentia. Aquæductus hic est mirandi operis. nam cum vrbs editiori sit loco sita, quam vt Tagi aquis commode frui posset, qui humiliorem vrbis partem alluit, ingenio & arte Ianelli Turiani Cremonensis, celeberrimi Mathematici, facta est hydraulica machina, quæ magna versatili rota aquam magno impetu per tubos ductiles & fillanos in editissimam vrbis partem pertrahit, vnde in multos riuulos vrbis commodo deriuatur.

Augustissimo & splendidissimo templo nobilitatur, quod reliquas Hispaniæ sacras ædes longè superat: Archiepiscopo paret, qui dignitate opibusque omnes Hispaniæ proceres antecedit, quem Vrbanus II. totius Hispaniæ Primatem constituit, XVII. illi oppida stipendiaria, præter alia minoris famæ, quæ annuo plusquam ducenta millia coronatorum pendent. Anno D. LXXXIX. tempore Regis Flauii Recaredi, III. Toletano Concilio vocata fuit *Vrbs Regia*, quia sub Leouigildo Reccaredi patre, Gothorũ aula & Regia sedes Toletum migrauit. qua de caussa insequentes Reges variis operibus exornarunt. Primus vero Rex Wamba pomœrium eius dilatauit, ampliorique muro cinxit, variisq; ędificiis illustrauit, quod testatur epigraphe vrbis portis inscripta:

Erexit fautore Deo rex inclytus vrbem
VVamba, suæ celebrem protendens gentis honorem.

Extra muros septemtrionem versus, vestigia magni olim theatri sparsa visuntur. Auctor est Rodericus Toletanus Archiepiscopus, ante Arabum in Hispanias irruptionem, hic fatale palatium fuisse, quod inuicti vectes, æterna ferri robora claudebant: ne reseratum Hispaniæ excidium adferret, quod in fatis non vulgus solum, sed & prudentissimi quique credebant: sed Roderici vltimi Gothorum Regis animum infelix curiositas subiit, sciendi quid sub tot vetitis claustris obseruaretur: ingentes ibi superiorum Regum opes & arcanos thesauros seruari ratus. seras & pessulos perfringi curat, inuitis omnibus: nihil præter aculam repertum, & in ea linteum, quo explicato nouæ & insolentes hominũ facies habitusq; apparuere, cum inscriptione Latina, *Hispaniæ excidium ab illa gente imminere*, vultus habitusque Maurorũ erant. Quamorbem ex Africa tantam cladem instare regi ceteriſque persuasum; nec falso, vt Hispaniæ Annales etiamnum querũtur. Venit autem in Maurorum potestatem anno DXV. Iudæorum proditione, dum Christiani Dominica Palmarum, pro veteri more securi extra muros ad D. Leocadię ędes supplicãt. Ab Alphonso verò VI. Iugi obsidione, in Christianorum potestatem redactum Euangelica luce donatum fuit à D. Eugenio martyre,

B. Dionysii Areopagitæ socio, qui & primus vrbis Episcopus fuit. habuit & Archiepiscopos vitæ sanctimonia, & eruditione conspicuos *S. Iulianum*, & *S. Illephonsum*, quorum hic à B. Virgine ipso Annuntiationis festo, ornamentis ad sarificandum donatus fuit: hodiernoque die altare in rei gestæ memoriam ostenditur. D. etiam Leocadiæ, martyrio sub Deciano affectæ, magnus hic cultus, cui tria diuersa templa dicata sunt. Illud certè memorabile XVII. hic Concilia Toletana celebrata fuisse, quot alibi nusquam. Non pigebit referre *Aloysiam Sigeam* virginem Toletanam, quæ cum sui ævi doctissimis viris conferri posset, fuisseque quinque linguarum adeò peritam, vt non immeritò Paulus III. Pont. Max. litteras illius ad se scriptas videns Latinè, Græcè, Hebraicè, Syriacè & Arabicè, admiratus fuerit in tenella hac & mustea virgine tam multiplicem ingenii fructum, in viris etiam rarum. Mitto nunc Toletanos insigniter doctos, linguarumque in primis peritos, bina fratrum paria, *Ioannem* & *Franciscum Vergaras*; *Didacum* & *Antonium Couarruuias*, Iureconsultos egregios. Duos item taceo *Aluaros Gomezios*, Poetam alterum domi nobilem, alterum Historicum. Eleganti in marmore insculpta hæc inscriptio visitur, quæ, quia refert antiquum nomen, non pigebit hic adponere:

IMP. CÆS.
M. IVLIO. PHILIPPO.
PIO. FEL. AVG.
PARTHICO.
PONT. MAX. TRIB. POT.
P. P. CONSVLI.
TOLETANI. DEVOTISS.
NVMINI. MAIEST. QVE. EIVS.
D. D.

CAP. LX.

SEGOBIA.

SEGOVIA PLINIO, EADEM CVM PTOLEMAEI Secubia. *Etymon reiicitur. Aquæductus à Traiano exstructus.*

QVod paucissimis Hispaniæ vrbibus, id *Segobiæ* accidit, vt incorruptum nomen inter tot barbaras gentes posteritati transmitteret. Plinius in Areuacis, cum Vxamâ, & Seguntia collocat, Ptolemæus *Secubiam* vocat; Iosephus Moletius eandem putat esse cum *Segortia Lactea* Ptolemæi, eodem in populo; sed Villanouanus dicit esse *Sepulueda*; Ant. Augustinus ex vetusto numismate, *Coloniam Latinam* cognominatam fuisse docet; Rodericus Archiepisc. Toletanus lib. I. cap. VII. ab Hispano Rege exstructam putat, iuxto promontorium, quod *Cobiam* vocat, ideoque vocasse *Secobiam* tanquam *secus Cobiam* sita. Sed ridiculũ hoc etymon, & ἀγέλαστος ille Crassus rideret. Ioan. Vasæus auctor est, à Celtiberis, dum in Lusitaniam pars eorum patriæ grauis transiret, conditam esse, & in Segobrigæ memoriam vocatam esse *Segouiam*.

Est & *Segouia* in Bætica ad Silicense flumen A. Hirtio auctore, non procul ab Astigi, quam hoc ævo vocari *Segouia la menor*, testatur Vasæus inter Hispalim & Cordubã.

Vrbs est nostro ævo non ignobilis, editiori in loco sita, turribus vndique & propugnaculis munita, lanificio præcipuè clara. nec nobilior tota Hispania pannus, quam Segouiæ texitur, vnde incolis magnæ opes. Quodque mirandum magis, refert Vasæus vix tota hac vrbe mendicum inueniri, nisi quem ætas aut morbꝰ ab opere excusant. Atrium hic est visendum in quo omnium pene Hispaniæ Regum effigies conspiciuntur. Præcipuum verò vrbis ornamentum, aquæductus est mirandi operis, quem Rodericus idem, & Alphonsus de Carthagena, ab Hispano Rege exstructum somniant: sed eruditioribus & antiquitatis peritis, Traiani Imp. opus perhibetur, in quo facilè, Romanæ architecturæ mãiestatem, & magnificentiam intueri licet: tantæque firmitatis est moles, vt, cùm sæpè particula aliqua reficiatur, vix ad decennium illa perduret, cùm prisca structura in hodiernum ævum illæsa seruetur: vrbi hinc de aquarũ copia prospicitur, non publicè solum, sed & priuatim. Nostra hic memoria Germanorũ ope, & aquarum, inuenta ratio est cudendæ moneta, non malleis collisa, sed fuso

fuso ac liquato, demumque impresso ductili æte, auro & argento. Prisci ea res inusa seculis atque inaudita. Solum habet fœcundum admodùm, nihil vt incolis desit, quo commode laute que viuant: templa habet & cœnobia pie & egregie instructa: quibus accedit Episcopatus splendidus & opimus, vtpote qui in annuos reditus plusquam quatuordecim ducatorum millia numeret. Patronum agnoscit *S. Fructuosum* Confessorem.

CAP. LXI.

D. VIRGO AD AQVAS LVPINAS. QVANDO SACRA effigies huc delata. Miraculorum aliquot series.

CVm hæc vrbs ob imaginem D. Virginis toto orbe celeberrimam excitata sit, operæ pretium me facturum arbitror, si paucis retulero, vnde primum imago hæc allata, vbi postmodum reperta, quando coli cæpta. Sæuiente per vniuersam Europam circa annum Domini DC. grauissima peste, regnante Riccaredo Hispaniarum Rege, Gregorius Magnus Pont. creatus, priùs quàm inaugurandus esset, solemni indicta supplicatione, frequentem iussit clerum populumque adesse, vt Dei iram, patrocinante D. Virgine, (cuius peculiarẽ effigiem manu gestabat) deprecaretur: nec mora; piissimi Pontificis precibus pestis elanguit, & sedata fuit. Hanc postmodũ effigiem D. Leandro Hispalensi Præsuli, vnà cum Moralibus in Iob libris, aliisq; reliquis dono misit. In Cathedrali templo summõ cum honore seruata fuit, donec luxu libidineq; eneruatã HISPANIAM, Pœni impunè vastarẽt, Christianis vndiq; fugiẽtib⁹. Hispalenses aliquot sacerdotes, infidelium manibus elapsi Toletũ fugerunt, ablatis aliquot Sanctorũ reliquiis, vnà cum sacra hac effigie, qui cuncta hæc prope amnem *Guadalupe*, barbarorũ metu, in marmoreo sepulcro, adiunctis literis in rei gestę memoriã, ingesta tellure cõdidere. Multis demum elapsis seculis, tempore Alphonsi XI. accidit, vt bubulcus amissum bouem aduerso amne *Guadalupe* inuestigaret, quem mortuum reperiens, dum parat corio nudare, reuixisse videt attonitus: cùm se illi D. Virgo augusta specie de repente obtulit, imperans vt clero significaret, vt eò loci occultam sacram effigiem effoderent, ibique dedicata æde collocarent. Pastor hic domum rediens, inusitata in Deum flamma, & D. Virginem religione accensus; vt cælestibus mandatis obtemperaret; ecce tibi familiam omnem luctu & mœrore obsitam, ob filii mortem, sed ipse insolita quadam in D. Virginem spe, preces tanto animi feruore fudit, vt iterum cunctis stupentibus vitalis cerneretur. Statimque vniuerso clero rei gestæ seriem omnem retulit, recenti miraculo confirmatam. omnes ilicò ad indicatum locum conuolant, repertamque imaginem, tumultuaria excitata ædicula reponunt. Miraculi huius fama vniuersam momento Hispaniam peruasit: magnus eò statim cõcursus fieri, frequentes se D. Virgini commendare, vniuersi opem auxiliumque ærumnis suis experiri. Rex ipse Alphons. XI. fama rei excitus huc venit, multumque agri, Castri Iulii & Talabricæ, templo & cœnobio assignauit, vt Deo commodius obsequium præstarent: templum etiam maiori ambitu exstruxit, variisque ornamentis decorauit. nec in cassum. Nam vix elapso triennio D. Virginis præsens numẽ sensit. Memorabile enim aduersus quinque potentissimos Pœnorum Reges, prælium commisit, prope Amnem Salsum, non procul à Tariffa, & adiuuante Alphonso Lusitaniæ Rege, socero suo, victor euasit. Circa annum clo CCC. XL. ipse Rex hostium spolia Deo obtulit, inter quæ adhuc magni ex ære tripodes templi parieti affixi visuntur.

Templum vndique variis donariis, & frequenti anathemate septum est, columnæ votiuis tabellis tectæ. hæc inter conspicuus est cereus immensæ magnitudinis ex cera alba, quem Olisiponensis populus, sæua pestilentiæ lue D. Virginis ope liberatus, anno clo. CCCC. XC. offerendum curauit: nam vasa sacra, tam aurea quam argentea recensere immensum foret. Argenteæ lampades XXX. perpetuo lumine visuntur, inter quas aliquæ opere & magnitudine conspicuæ. Inter multa Regum Principumque donaria videre est maioris tormenti bellici ferreum globum, quem Alphonsus Albuquercius, auorum memoria, Indiæ Prorex, in monumentum miraculi, quo cum D. Virgo in Goensi obsidione tutata est, misit: nam cum scapha flumen subiret, comes quidam eius ita tormenti globo discerptus fuit, vt illius cerebro fœdatus fuerit: quo ille periculo commotus, in D. Virginis Guadalupiæ se tutelam com-

mendat. Vix orationem finierat, cum tormento excussus globus pectus illi percussit, sed innoxie & ad pedes eius delapsus fuit, licet vix a XL. passibus excussus fuisset, nunc argenteis incrustratus bracteis hic seruatur. cum quo monile misit, multis gemmis & adamantibus ornatum. Effigies hæc D. Virginis ex ligno est, quod cum carici obnoxium admodū est, mira tamen Dei prouidentia, per DC. annos sub terra incoruptū durauit. Fusci vero coloris est, & vultui maiestas inest tanta, vt referant æditui, se fixis oculis non posse illam intueri. reuerentia enim sentiunt sibi oculorum aciem præstingui. Multa essent hoc loco de sacra hac æde dicenda, quæ spatiis exclusus iniquis, præterire cogor.

Oppidum est exiguum, amœnum, fontiumque frequentia irriguum admodum. Flumen *Guadalupe* (nam *Guada* Mauris aquā notat) muros eius præterfluit, cuius vtramque ripam, bicolores vndique & proceræ populi obumbrant, alicubi in tantam altitudinem enatæ, vt nauium malis inseruiant; nonnullis in locis luci instar ita densæ, vt vel flagrantissimi solis radios non admittant. Ager suburbanus vini, mellisque, & cuiusque generis fructuum ferax, cetera copiose à vicinis suppeditantur.

CAP. LXII.

ORETVM GERMANORVM. NVM CALATRAVA. TARAPHÆ crassus error. Inscriptio vetus. Origo Calatrauæ militum.

Calatraua non obscuri nominis oppidum, ad flumen Anam situm, & sacræ militiæ nomine præcipue clarum. Ptolemæo *Oretum Germanorum* dictum, teste Car. Clusio, Ios. Moletio & Tarapha, inter Oretanos situm, Stephano vero Byzant. ὠρήτια, quam cum Castulone inter Oretanos etiam recenset. num Strabonis *Oria* sit inter Oretanos, non abhorret animus: præcipue cum & Casaubonus & Ortelius eo inclinent. Addit Tarapha nominis etymon: Imp. Valeriani inquit, *temporibus, superiores Germani, abrasa potiti Hispania, à quibus, Oretum Germanorum, Estremaduræ oppidum hodie vero Calatraua, conditum.* Sed ô Lucumonis acumen!

Bœotum in crasso iurares aere natum.

Cum videat à Cl. Ptolemæo *Oreti Germanici* mentionem factam, qui teste Suida, M. Antonini temporibus scripsit: Plinius etiam, qui sub Vespasiano vixit, *Oretanos* hos cognomine *Germanos* vocat, vnde constat Tarapham nimis supino animo hæc scripto mandasse; cum Valerianus multis post sæculis rerum potitus sit. Ambr. Morales *Calatrauam* negat *Oretum Germanorum* fuisse; sed non procul ab vrbe ædiculam esse quam incolæ *Nuestra Sennorum de Oreto* vocant, atque hic antiquum Oretum fuisse. nam & templum illud Romanam architecturam præ se fert, pontemque habet vicinum eiusdem operis. Indicat hoc vetus inscriptio, quę ab hoc ponte in vicinam vrbem *Almargo* translata fuit:

P. BÆBIVS. VENVSTVS.
P. BÆBII. VENETI. F.
P. BÆSILSCERIS. NEPOS.
ORETANVS.
PRETENTE. ORDINE. ET. POP.
IN. HON. DOMVS. DIVINÆ.
PONTEM. FECIT.
EX. HS. XXC. CIRCENS. EDITIS. D. D.

Vrbs hæc *Calatraue* militibus à Rege Sancio III. cognomine *Desiderato*, data fuit circa annū clo. CLVIII. cuius militiæ primordia non pigebit ab ouo, quod aiunt, breuibus enarrare. Quo tempore Mauris erepta fuit *Calatraua*, Templariis militibus (quorum magna tunc temporis erat virtutis opinio) munienda data est, vt firmum aduersus barbarorum insultus propugnaculum esset: illi, quod Mauros magnis copiis eo venturos fama erat, oppido diffisi, Regi id restituere; nec erat inter proceres, qui se periculo exponeret. Aderant forte Toleti, duo Cistercienses monachi, Raimundus Fiterii ad Pisoracam Abbas, & Didacus Velascus, spectatæ olim virtutis miles (nunc Christo militabat) qui monendo, suadendoque Abbatem tandem impulit, vt oppidi muniendi in se curam susciperet, gloriosum id illi, reip. vero Christianæ vtilissimum futurum: consilium specie erat temerarium, annuit tamen. Regi Sancio id gratissimum fuit,

Præsuli-

Præsulique Toletano: qui quoniam eius ditionis esset, pecuniam de suo suppeditauit, & auctoritate sua oratioque, multos tum nobiles, tum populares excitit, vt vna cum Abbate pro Christiana rep. discrimini se obiicerent. Multi vndique eo mortales confluxere, omnes lubenter difficultates subituri. diligẽtia hac oppidum aduersus omnes hostiũ iniurias egregie munitum fuit. Mauri spe deiecti, an aliis difficultatibus implicati, obsidionem non tentarunt. id faustum militiæ eius omen fuit. Rex in laboris præmium, oppidum Abbati cum subiecto agro & ordini Cistercienſi dono dedit. Is militibus suis vestem rubra cruce insignitam attribuit. Equitum Magistro quadraginta millia aureorum quotannis cedunt. his initiis sacram hanc militiam in hoc, quod videre est, fastigium excretam Alexander III. pont. Max. suo diplomate confirmauit.

CAP. LXIII.

TALABRICA.

TALABRICAM NON ESSE TALAVERA. *PTOLEmæi* Libora, *& T. Liuii* Ebura *eadem cum* Talauera *sunt.*

NOn obscurum *Talauera* municipium, nisi priscum nomen in obscuro esset. Cl. Marius Aretius, & Ant. Nebrissensis, nuda nominis similitudine allecti *Talabricam* olim dictam credidere; sed cum Antonino Aug. in Itinerario *Talabrica* à Conimbrica distet L. M. P. qui sunt paulo plus XII. leucis, quæ Conimbrica Caciam vsque numerantur, vnde diligentissimus Barrerius *Talabricam* Caciam esse non male colligit. Plinius etiam lib. IV. cap. XXI. clare *Talabricam* in Lusitania collocet: *A Durio*, inquit, *Lusitania incipit, Turduli veteres, Pæsures, flumen Vacca, oppidum Vacca, oppidum Talabrica.* Cum autem *Talauera* sit ad Tagum sita in Tarraconensi prouincia, non poterit *Talabrica* esse, quæ in Lusitania est. Rod. Ximenius Toletanus antiquitus *Aquis* nomen illi fuisse dicit; sed cum apud classicum scriptorem hoc non constet, non potest probari eius opinio. Ioannes Mariana Societatis IESV Theologus Hist. De rebus Hispaniæ lib. IV. cap. XIII. *Liboram* Ptolemæi & *T. Liuii Eburam* esse cõtendit. Qua in re suffragatur illi Ant. Beuterus, quæ tam Ptolemæo, quam Liuio in *Carpetania* non procul à *Toleto* sita est, non secus atque *Talauera*. Quod vero idem Mariana, *Elboram* vocat, & Diuorum Vincentii, Sabinæ & Christetidis Martyrum patriam asserit, omnique ope adnitatur probare, parum efficit. Nam doctissimus Andr. Resendius, tamquam pro aris & focis, in Epistola ad Bartholomæum Kebedium, omnia eius argumenta refellit, aque *Eboræ* in Lusitaniæ hæc quadrare, & non *Talaueræ* docet. T. Liuii *Eburam* credamus esse, quæ cum Ptolemæi *Libora* eadem est. Auctor est Liuius, lib. 30. anno ab Vrbe Condita 573. Fuluium Flaccum Prætorem Celtiberos memorabili prælio ad *Eburam* Carpetaniæ vrbem fudisse. Diligentiores Hispani prælii locum à Liuio explicatum, cum suburbano *Talaueræ* conuenire affirmant.

Vrbs sita est loco plano, in valle, IV. M. P. ea in parte lata, ad amnem Tagum: mœnia sunt opere firmissimo, altitudine & latitudine paucis cedunt. Pœnorum tempore aut Gothorum restaurata videntur, quod indicant lapides, Romanis inscripti litteris, nullo ordine dispositi. turribus egregie & propugnaculis distincta. Contributus oppido ager egregiè felix, vini mellis pecorisque admodum ferax: cœnobiis & templis ornatur: nobilitas ibi frequens. Vocatur autem *Talauera de la Reyna*, quia vna erat vrbium, quas Reginæ in quotidianos sumtus obtinebant: qua postea Gomesius Toletanus Archiepiscopus, ob egregiam nauatam operam Reginæ vxori Henrici II. Castellæ Regis, donatus est. & deinceps Toletano Præsuli attributa fuit.

CAP. LXIV.

CASTVLO ORETANORVM VRBS A PHOCENSIBVS condita. Appianus deprauate Castaca *vocat. Varie à Plutarcho & Strabone vocata. Res ibi gestæ.*

COnstans est Scriptorum opinio, *Castulonem* olim fuisse, vbi nunc *Caslona*: nec multum ab antiqua appellatione, licet à splendore, & nobilitate, multum deflexit. Ptolemæus illam inter *Oretanos* collocat. Stephanus Byzantinus deprauatus hoc loco, vt aliis multis, ait enim: Καστάλων μεγάλη πόλις βρεττανίας: cum ex Ptolemæo legendum sit ὠρεττανίας, vt bene notauit Hieronymus Surita. Conuentus vero erat Carthaginensis, teste Plinio, qui addit Castulonenses populos, ex Colonia Salariensi, Latii veteris esse, qui Cæsari *Venales* appellantur. Olim valida vrbs erat & nobilis. condita fuit à Phocensibus non quidem ab illis qui Ioniam incolebant, sed qui Bæotiam, vnde & in fontis Castalii memoriam *Castulonis* nomen impositum. Hinc Silius Italicus lib. III:

Fulget præcipuis Parnassia Castulo signis.

Nec immerito, nam quo monte sita est, non obscuram Parnassi imaginem præfert. Siquidem & duplici vertice erat, quem vallis angusta intersecabat, ab vno latere fons tenuiscaturigine manabat, vt licet hac in re Castalio fonti dispar. Sed liceat.

——magnis componere parua.

Originem hanc probant plurima argentea numismata, ante paucos annos hic reperta; vt luculentus auctor est Ambr. Morales, quæ alatum Pegasum ab vna parte ostendebant; litteris iniuria temporis prorsus deletis. Olim etiam Municipium fuisse antiqua inscriptio ostendit, quam Ambr. Morales non procul ab vrbe, loco dicto *Linares* conspici auctor est; notatq; aspiratione præter omnium Scriptorum mentē habere:

VALERIÆ. CIPATINÆ.
TVCCITANÆ. SACRVM.
COL. PATRICIÆ.
CORDVBENSIS. FLAMINICÆ.
COL. AVG. GEMELLÆ.
TVCCITANÆ. FLAMINICÆ.
SIVE. SACERDOTI.
MVNICIPII. CHASTVLONENSIS.

Vrbs ipsa ingenio, & natura loci egregie munita, siquidem & monte & conuallibus profundis ambitur, ita vt tantum ab occidua parte commodus in vrbem ingressus pateret; sed angustus admodum, &, si ex priscis vestigiis coniicere licet muro, turribusque egregie tutus Appianus Alex. deprauate admodum in Ibericis vocat hanc vrbem Καζανα: nec me mouet patrocinium Stephani Byzantini, qui Καστέλλονα, & Κάζανα, vt diuersas vrbes enumerat. nam quæ circa Castacem Appianus refert accidisse. T. Liuius Castuloni adscribit. vt liquido apparebit conferenti vtrumque locum. Plutarchus vero in Sertorio *Caslonem*, Græcorum more, qui vocalem ante à sæpe elidunt, vt videre est in dictione Τσαστλὸν & Αστλὸν, Strabo vero sæpe voce *Clastonis*, & *Castaonis* vtitur, sed mendose, vt monet Is. Casaubonus, & Surita. Agrum habet non fecundum modo sed & diuitem: cum prope hanc vrbem, teste Polybio, Plinio, T. Liuio & Strabone, argenti fodinæ erant, quarum adhuc vestigium exstat; plumbi etiam fodinas habet in hodiernum ævum. Vestigia hic aquæductus exstant, Romanæ munificentiæ. Auctor est T. Liuius lib. XXVIII. hanc vrbem post cæsos Scipiones in Hispania, à Romanis ad Carthaginenses defeciisse, & ex prælio profugis portas vrbis occlusisse, motus tamen vicinæ Illiturgis excidio, ad priores dominos rediisse, tradito etiam Punico præsidio.

Hac etiam vrbe oriunda erat *Imilce* Hannibalis vxor, auctore T. Liuio lib. XXIV. *Castulo*, inquit, *vrbi Hispaniæ, nobilis & valida, & adeo coniuncta societate Pœnis, vt vxor inde Hannibalis esset.* Et Silio Italico his versibus.

—— at contra Cyrrhæi sanguis Imilce
Castalii, cui materno de nomine dicta
Castulo Phœbei seruat cognomina vatis.

Hoc oppido citerioris Hispaniæ longitudinem finiri auctor est Plinius, quam à Pyrenæis montibus huc vsque dicit comprehendere DCC. VII. M. P. Episcopatu olim

ornata

ornata fuit, qui tamen Toletano subiectus erat, vt ostendunt Annales Regis Alphonsi Prudentis, nunc, quæ rerum sunt vicissitudines, Episcopo caret.

CAP. LXV.

MVRTIÆ REGNVM.

MVRGIM *NON ESSE MVRTIAM OSTENDITVR. NVM* Oreola *vocata. Fabula de eius origine explosa.* Menlaria *Ptolemæi est Murcia. Regi Alphonso X. fidissima.*

OBscurum olim oppidum, nunc regni caput *Murtia*, & magni nominis: quam Clusius, aliique *Murgim* esse opinati sunt, quamque Ptolemæus inter Turdulos interTurdulos in Bætica statuit, Plinius vero Bæticæ finem esse dicit, ita vt vel hac sola ratione *Murtia* esse nequeat, vtpote quæ inter Carthaginem nouam & Valentiam, procul à Bæticæ limitibus sita. Rodericus Archiepisc. Toletanus lib. III. cap. XXIII. qua tempestate Mauri vniuersam Hispaniam deuastabant, dictam fuisse *Oreolam*, postmodum vero *Murtiam* affirmat; quod vnde hauserit, me quidem fugit. Scio Ptolemæum *Orcelis* in Bastetanis meminisse, quam hodie *Horiguela* vocant, non procul à *Murtia*: Antonius vero Beuterus, ceterique fabularum patroni, à *Morgetibus* populis deriuant, quos aiunt cum Atlantis filio Morgero in Italiam primo traiecisse, dein reduces *Murtiam*, aliasque eius nominis vrbes condidisse. Ego vero Ioan. Marietæ Dominicani, & Iosephi Moletii potiorem opinionem duco, qui *Menlariam* Ptolemæi hodiernam esse *Murtiam* asserunt. siquidem inter mediterraneas Contestanorum vrbes recensetur, non procul à Valentia, quo in loco Murtiæ Valentiæque regna sunt: & si Abrahami Ortelii Hispaniæ veteris descriptioni fides aliqua danda, nemini erit dubium eodem prorsus loco *Murtiam* nostram, quo *Menlaria* olim, sitam esse.

Alphonsus X. cognomento *Sapiens* hanc è Pœnorum manibus eripuit; qua de caussa illi obnoxia admodum & fidelissima, vel in maximo illo Hispaniæ æstu, quo vrbes omnes, Hispali vna cum excepta, ad Sanctium Filium desciuerant; qua de caussa illam septem coronarum insignibus, in fidei memoriam honestauit. Sita est in planicie, amœnissima regione, quam *Straberum* amnis interfluit (alii *Setabim* vocant) & deriuatis hinc inde riuulis, agros irriguos facit: malis citreis consiti campi: sed bombycum præcipuus prouentus, & sericæ vestis copia.

CAP. LXVI.

APPIANI ERROR DE CARTHAGINIS NOVAE AVctore. Opinio Silii Italici reiecta. A Carthaginensibus condita. Cur Spartaria *dicta. Vrbis situs. Argenti fodinæ celebres.*

INter principes olim Hispaniæ vrbes, *Carthago noua* locum tenuit, quæ & prouinciæ vni nomen dedit. nunc tenue tantum clarissimæ vrbis vestigium superest; proinde conabor illam ex cinere & ruinis excitare. Appianus Alex. in Ibericis putat ab Hannibale, ex Saguntinæ vrbis reliquiis exstructam esse. Sed mirum non est, Græcum in Hispanicis lapsum esse, cum & Romanis, quibus notior erat Hispania, non semel id acciderit. Silius Italicus ad Teucrum eius originem refert:

Dat Carthagò viros Teucro fundata vetustò.

Sed cum historica veritate pugnat. Nam vetus Carthago, à qua noua nomen sumsit, teste Velleio Paterculo, annis tantum 65. prius quã Roma cõderetur ab Elissa Tyria, quã & Didonẽ nominant, cõdita est: ita vt à capta Troia an. 361. exstructa fuerit. Nulla ergo erat Carthagõ, cum Teucer Hispaniæ littorib⁹ appulit. Iustinus certe non dicit Teucrum condidisse Carthaginem, sed Hispaniæ littorib⁹, vbi nunc *Carthago noua* est, appulisse, indeq; in Galliæciam transiisse. Polybius, Strabo, & Pomp. Mela ab Hasdrubale Hamilcaris genero, cui Hannibal in imperio successit, exstructam dicunt. Isidorus lib. XV. Orig. cap. I. ab Hannibale conditam auctor est. Plinius vero Pœnorum opus esse, vt & Tarraconem Scipionum: à Polybio libro Secundo. καινὴ πόλις. i. *Noua vrbs*, similiter & à Stephano Byzantino. non secus ac Libyca Carthago vocatur;

ab aliis vero χαρχηδωνία; ab Antonino Augusto & Appiano, & Plinio lib. XXXI. *Spartaria* nominatur, ob insignem, quem habet, sparti copiam: inter Contestanos à Ptolemæo recensetur. Iuridicum olim conuentum habebat, quo LXII. populi iura petebant, exceptis Insularum incolis, auctore Plinio. nam teste Strabone lib. III. cum murorum munitione, structura, & pulchritudine, tum portus commoditate, & lacus amœnitate ornatissima. Huius vrbis situm cum T. Liuius lib. XXVI. graphicè admodum describat, non pigebit hic adducere, vt hanc purpurâ lacinię meę adnectâ: *Sita*, inquit, *Carthago sic est. Sinus est maris media ferme Hispaniæ ora, maxime Africo vèro oppositus, & quingentos passus introrsus reductus, paululo plus passuum in latitudinem patens. huius in ostio sinus, parua insula obiecta ab alto, portum ab omnibus ventis, præterquam Africo tutum facit, ab intimo sinu peninsula excurrit: tumulus is ipse in quo condita vrbs est, ab ortu solis, & meridie, cinctus mari; ab occasu claudit stagnum, paulum etiam ad septemtrionem fusum, incertæ altitudinis vtcumque exæstuat aut deficit mare, continenti vrbem iugum ducentos ferè & quinquaginta passus patens coniungit.* Polybius lib. X. tumulum illum, in quo vrbs condita est, *Cherronesicum* vocat, totamque ciuitatem in quinque tumulos ait diuisam: è quibus maximus ab oriente adiacet prominens in mare, in quo structum est templum Æsclepii. E regione huius ab occidente alius est situ similis, cui imposita est regia, magno sumtu ab Hasdrubale exstructa. Ceteri tres minores colles septemtrionale latus claudunt, quorum qui magis orienti obuersus est ἡφαίστου, seu *Vulcani* dicitur: huic vicinus *Æsculapii*, qui argenti fodinas detexisse videtur, quare diuinos honores illi decreuere: vltimus vero χρόνου, seu *Saturni* vocatur. T. vero Liuius lib. XXVI. refert extra vrbem fuisse tumulum quendam, quem *Mercurium Theutatem* vocabant. Vbi forsan ad imitationem magnæ Carthaginis humanis hostiis litabant, non secus ac illi Saturno. vnde Lucanus:

Et quibus immitis placatur sanguine diro
Theutates, horrensque feris altaribus Esus.

Sed quam graphicè vrbis situm exprimat Silius Italicus lib. XV. nunc videamus:

Carthago impenso naturæ adiuta fauore
Excelsos tollit pelago circumflua muros,
Arctatas ponti fauces modica insula claudit,
Qua Titan ortu terras aspergit Eoo.
Et qua prospectat Phœbi iuga sera cadentis.
Pigram in planitiem stagnantes egerit vndas,
Quas auget veniens, refluusque reciprocat æstus.
Sed gelidas à fronte sedet sublimis ad Arctos
Vrbs imposita iugo, pronumque excurrit in æquor,
Et tuta æterno defendit mœnia fluctu.

Portus vrbis quantæuis classis capax; nec tota quidem Hispania tutiorem inuenias, & ex Liuii descriptione eundem patet esse, quem Virgilius Maro I. Æneidos expressit:

Est in secessu longo locus, insula portum
Efficit obiectu laterum; quibus omnis ab alto
Frangitur, inque sinus scindit sese vnda reductos.
Hinc atque hinc vastæ rupes, geminique minantur
In cælum scopuli.

Hanc vrbem cùm Carthaginenses in belli sedem & armamentarium elegissent, atque huc vniuersæ Hispaniæ obsides pecunias, & quidquid ad vsus bellicos necessarium erat contulissent, vno die à P. Scipione per vim capta fuit, vt latius apud Polybium & Liuium legas licet.

Circa hanc vrbem plurimas argenti fodinas fuisse refert Strabo, quibus erant occupatæ quatuor hominum myriades, qui P.R. indies XXV. drachmarum millia referebant, seu secundum Budæum lib. IV. De asse 2500. coronatos. Sed per barbarorum in Hispaniam inundationes, à Vandalis primo, mox vero à Gothis, solo æquata fuit, non totis sexcentis annis decursis, postquam exstructa fuit, atque inter miserandas ruinas, multis seculis sepulta iacuit. Donec eam Philippus II. Hispaniarum Rex potentissimus, parentum memoria, instaurandam curauit, ne Turcæ & Africani piratæ portus præstantia allecti eundem occuparent. Quod à Vespasiano Gonzaga summa diligentia & industria curatum fuit, ita vt nunc egregiè munita sit.

Episcopalis vrbis in hodiernum diem vsque primum autem Episcopum habuit San-

Sanctum *Eſcium* martyrem: habuit & Epiſcopos *D. Eugenium*, & *Fulgentium*, qui DD. Leandri & Iſidori, frater fuit. Etſi verò hæc vrbs totius Carthaginenſis prouinciæ caput erat, cui etiam Toletum parebat, ipſe tamen Epiſcopus Toletano ſubditus fuit: quæ res non paucos induxit, vt crederent Toletanum Archiepiſcopatum primò Carthagine fuiſſe, poſt verò Toletum translatam eſſe ſedem. Inter quos Ioannes Vaſæus; ſed errare eos crediderim, cùm nuſquam apud probatæ fidei Scriptorem hoc reperias. Illud tantum, Iuridicum conuentum, poſt euerſam Carthaginem, Toletum migraſſe: qua de re plura apud Ambr. Moralem lib. XI. Annalium Hiſpaniæ cap. XIX. videbit curioſus Lector.

Hic in vrbe ladatiſſimum olim garum parari ſolitum fuiſſe, refert Plinius lib. 31. cap. 8. *Nunc*, inquit, *laudatiſſimum ex ſcombro piſce in Carthaginis Spartariæ cetariis: ſociorum id appellatur, ſingulis millibus nummum permutantibus congios penè binos.* Auctor eſt & Strabo circa Carthaginem nouam arborem eſſe, quæ de ſpina corticem emittat, ex quo telæ pulcerrimæ conficiantur.

CAP. LXVII.

DIANIVM ET HEMEROSCOPIVM DICTVM. DIANÆ fano nobile. A Phocenſibus exſtructum. Promontorium Ferrariæ, quod & Tenebrium.

OPpidum eſt *Denia*, priſcis temporibus Dianæ fano celebrrimum, à quo *Dianium* vocatum. Plinius ſtipendiarium eſſe dicit, & conuentus Carthaginenſis, Ptolemæus inter Edetanos recenſet. ad Balearicum mare ſitum, inter Carthaginem nouam, & Sucronem amnem. Strabo lib. III. ἡμεροσκοπεῖον. i. *diurnam ſpeculam* dicit vocari. in extremitate habebat Dianæ Epheſiæ templum, frequenti religione cultum, vnde & *Artemiſium* dictum; & adhuc, teſte Antonino Beutero, promontorium vrbis huius, tribus leucis diſtans, *Artemus* vulgo dicitur. Stephanus Byzant. ex Artemidori ſententia Phocenſium Coloniam eſſe dicitat; Strabo verò à Maſſilienſibus conditam, qua in re exigua eſt diuerſitas. Nam & Maſſilienſes à Phocenſibus originem duxere, vt Phocenſes primò Maſſiliam appulerint: deinde verò aggrauante multitudine, in Hiſpaniam colonias deduxerint (quæ tamen ad Phocenſes etiam referri poſſunt) vt Emporias, Hemeroſcopium: vbiq; tamen auitæ religionis memores, Dianæ Epheſinæ templa erexere.

Oppidum eſt ad rem maritimam peropportunum. Cùm enim in colle exſtructum ſit, ſpeculam etiam habet mari imminentem; quæ longinquum nauigantibus proſpectum præbet, qua de cauſa Q. Sertorius hoc oppido ad res maritimas, vt receptaculo vſus eſt, teſte Strabone, qui locus & ante pauca luſtra, vulgò *Artalaia de Sertorio* dicebatur. Huc illa Ciceronis pertinent V. Verrinarum: *Quicunque acceſſerant ad Siciliam paulo pleniores, eos Sertorianos milites eſſe, atque à Dianio fugere dicebat.* Feſtus verò Auienus ſuo æuo dirutam vrbem dicit:

——Hemeroſcopium quoque
Habitata pridem hic ciuitas, nunc iam ſolum
Vacuum incolarum languido ſtagno madet.

Promontorium hoc à Pomponio Mela *Ferrariam* vocari putat Ioachimus Vadianus in Melam, & Florianus Occampo: cui ſuffragatur ipſe Strabo, qui *Dianium* in propinquo habere ferrarias effoſſiones admodum feraces ſcribit: vnde veriſimile eſt promontorio nomen inditum. Abrahamus verò Ortelius in veteri ſua Hiſpaniæ deſcriptione idem promontorium, à Cl. Ptolemæo *Tenebrium* vocari auctor eſt. miror ego quid Strabonem mouerit, quòd paulo inferiùs ſcribat Sertorium, poſtquàm ex Celtiberis eiectus eſſet, aduerſa valetudine diem ſuum clauſiſſe *Hemeroſcopii*, cùm apud ceteros aſſiduos Auctores conſtet, à Perpenna eſſe interemtum, idq; Oſcæ, teſte Velleio Paterculo. Epiſcopalis olim vrbs fuit, ſed dignitate illa per Maurorum tempora ſpoliata fuit, nunc Marchionem habet.

CAP. LXVIII.

SETABIS AVGVSTA VALERIA DICTA. TENVISSIMVM HIC LINVM. SILIVS ITALICVS OBITER CORRECTVS.

SETABIS, quam nunc *Xatiua* vocant, vrbs est regni Valentiæ, non procul ab ipsa Valentia: inter Contestanos refert Ptolemæus, qui etiam fluminis eiusdem nomitis meminit. conuentus Carthaginensis est Plinio. Hanc Franciscus Taraphá ab Augusto Cæsare cognominatam *Augustam Valeriam* tradit, quod ex Plinio colligere est, licet ob distinctionem importune interiectam aliter videatur. Habet enim sic Pliniana dictio: *Setabitani qui Augustani; Valerienses*, cum citra interpunctionem legendum esset.

Sita est editiori in colle, & flumine Sucrone alluitur: fontibus saluberrimis, arborum fructibus, & præcipue malis punicis abundat: laudatissimi tenuissimique lini prouentu celebris, adeo vt Plinius lib. XIV. cap. I. primam illi palmam deferre videatur his verbis: *Similiter & in Italia, ratione alia inter Padum Ticinumque amnes, vbi à Setabi tertia in Europa lino palma: secundam enim in vicino capessunt Retouina, & in Æmilia via, Fauentina.* Silius etiam Italicus lib. III. egregiam eius mentionem facit.

Sedentana cohors, quam Sucro rigentibus vndis
Atque altrix celsa mittebat Setabis arce,
Setabis, & telas Arabum spreuisse superbas
Et Peleusiaco filum componere lino.

Quo in loco obiter mihi notandum videtur, non esse legendũ cum vulgo *Sedentana cohors*, sed *Sedetana*: siquidem *Sedetani* (qui Ptolemæo *Hedetani*) Tarraconensis erant prouinciæ; *Sedentani* vero nusquam leguntur. Hoc in populo Silius Setabim statuit, licet Ptolemæus inter Contestanos, illi vicinos locet. eadem etiam ratione, Catullus commendat sudaria Setaba hendecasyllabo illo in Asinium:

Nam sudaria Setaba ex Iberis
Miserunt mihi muneri Fabullus
Et Veranius.

Horum etiam Strabo meminisse videtur, licet mendose apud eum legatur (vt primus monuit Doctissimus Casaubonus) Σαλτιήτης: *Telarum*, inquit, *summa tenuitas atque copia, quas Setabitæ conficiunt*: nusquam enim gentium *Saltiatæ* sunt. Hinc & Poeta Gratius in Cynegetico suo circa initium:

Hispanique alio spectantur Setabes vsu.

Nimis enim tenuia lina sunt, quam vt retibus conuenire possint.

CAP. LXIX.

VALENTINVM REGNVM.

VALENTIA A D. IVNIO BRVTO CONDITA. CVR Veterani & Veteres dicti. Colonia Iulia appellata.

HIspaniæ citerioris nobilissima, & amœnissima vrbs est *Valentia*, à mari teste Plinio III. tantum M. P. distans, quam inter Contestanos populos Ptolemæus; inter Edetanos recenset. hanc ab Hispaniæ Rege Romo, non solum secundum Annium Viterbiensem in Manethonem, sed & præcipuos Hispaniæ scriptores, conditam esse ferunt dictamque ab illius nomine *Romam*, idque CCC. pene annis ante orbis caput Romam: postea vero nomen in *Valentiam* mutatum. Sed miror ego ineptum illum Annium cum spurio suo Manethone & Berosó, multorũ animis ita se insinuasse, vt quicquid ille effutiat, tamquam ex tripode dictum putent. Manifestum enim ex Liuii epitome lib. LV. Iunium Brutum circa annum V. C. DC. XVI. militibus, qui sub Viriato militauerant, oppidum dedisse, quod *Valentia* nuncupatum est. Hieronymus vero Surita in Antonini Imp. Itinerarium credit, non hanc *Edetanorum Valentiam*, sed illam, quæ in Lusitania prope Tagum, Viriati militibus à D. Iunio Bruto data. sed cum apud classicos

ſicos Scriptores huius *Valentiæ* ad Tagum, nuſquam mentio fiat, nulla ratio euincet, hanc à Viriati militibus habitatam. nullius etiam momenti eſt, quòd vrgent *Valentiam Edetanorum*, nimis à Luſitania diſtare (vbi bellum cum Viriato geſtum) quàm vt eò Colonia mitteretur. non enim in ſola Luſitania, ſed & Carpetania, & Celtiberia, bellum circumtulit Viriatus, & vt refert Appianus in Ibericis, etiam poſt mortem Viriati, milites eius duce Tantalo, à Sagunto auſpiciis Q. Seruilii Cæpionis repulſi ſunt: & exiguo intercedente tempore, deditionem fecere, agrique illis aſſignati & ſedes, quibus habitarent: quæ certè omnia *Valentiæ* noſtræ fauent, & Liuianæ Epitomæ conſonant. Opinioni meæ ſubſcribit Andreas Reſendius, in D. Vincentio heroico ſanè poëmate:

——haud ita multis
Millibus à pelago ſtructa Valentia ſurgit,
Bruti opus, Heſperiam Tiriati cæde madentem
Ille petens, acies palantes vrbis honore
Donauit, poſitisque diu victricibus armis,
Exauctorato complenit milite.

Qua de cauſa forſan in antiquis inſcriptionibus incolæ *Veterani* & *Veteres* nuncupantur, vt indicium facit illa, quæ Valentiæ ſpectatur:

C. VALENTI. HOSTILIANO.
MESSIO. QVINCTIO.
NOBILISSIMO. CÆS.
PRINCIPI. IVVENTVTIS.
VALENTINI.
VETERA. ET. VETERES.

Eandem verò Coloniam fuiſſe teſtatur Plinius. antiquus verò nummus à Goltzio productus, referente Ortelio, *Coloniam Iuliam Valentiam* vocat. Sed quo tempore Colonia effecta fuerit, in tanta antiquitatis caligine latere quis meretur?

Sita autem eſt ad amnem Turiam, licet Pomp. Mela lib. II. *Duriam* vocet, tamen, monente doctiſſimo Hermolao Barbaro, *Turia* legendum; quamvis Gerundenſis Epiſcopus dicat *Palentiam* vocari flumen, quod per *Valentiam* decurrit, *Turiam* verò Saguntum præterfluere: ſed craſſior eſt error, quàm vt refelli poſtulet. Vrbs hæc cæli, ſolique miti temperie nulli cedit, nec felici, ac ſuperbæ Campaniæ inferior. Toto hic anno floribus abundant prata, hortique, vernante ſemper aura. Hyemis hic rigor exulat: equitum ſplendore nobilis, mercimoniis opulenta, opificum numeroſa turba inſtructa egregiè: lanificium hic diligentiſſimè excolitur, vt panni Valentini, & ipſa lana inter ceteras Hiſpaniæ palmam ferant. Incolæ elegantis, & feſtiui ſunt ingenii, nec à Muſis alieni. Auctor eſt Beuterus vrbem à Cn. Scipione maximis cloacis donatam, & publicis priuatiſque ædificiis excultam; ſed more ſuo, citra teſtes. Bello Sertoriano à Cn. Pompeio deletam fuiſſe, auctor eſt Saluſtius lib. IV. Hiſtoriarum in Epiſtola eiuſdem Pompeii ad Senatum his verbis: *Caſtra hoſtium apud Sucronem capta, prælium apud flumen Turiam; & dux hoſtium C. Herennius, cum vrbe Valentia & exercitu deleti, ſatis clara vobis ſunt.* quam tamen poſtea à Sertorio reſtituram dicunt. E Maurorum verò ſeruitute eam Rodericus Biuar, cognomine *Cid*, anno cIↃ. XXV. aſſeruit, rei bellicæ vir peritiſſimus qui cum maximis numeroſiſſimiſque hoſtibus collatis ſignis, frequenter dimicauit, victor tamen ſemper euaſit, in cuius memoriam *Valentia del Cid* vulgò dicitur: ſed illo vita functo, iterum à Pœnis occupata fuit, donec anno 1238. Iacobus I. Aragonum Rex eam iterum Chriſtianis reſtituerit.

Hac in vrbe *D. Vincentius* Diaconus ſub Diocletiano martyrio affectus eſt. Duos Pontifices Max. Eccleſiæ dedit, Caliſtum III. & Alexandrum VI. vtrumque ex ſtirpe Borgia. Archiepiſcopatum habet celebrem & opimum. Sed non vltimo loco duxerim ciuem habuiſſe *Ludouicum Viuem*, virum doctiſſimum, quem ingenii ſui fœtus poſteritati faciunt intereſſe.

CAP. LXX.

SAGVNTVS OLIM, VBI NVNC MOIVIEDRO. *A Zacynthiis, & Ardeatibus condita. Dianæ hic Templum vetuſtiſſimum. Theatri reliquiæ.*

RElIquias eſſe Sanguntiæ cladis *Moruiedro*, nemo Hiſpanicarum rerum gnarus ignorat, quaſi *muri veteres* dicta. non procul enim à Valentia Edetanorum, vt & olim Saguntus, diſtat, à mari aliquantulum magis. Olim enim tantùm mille paſſibus, nunc verò II. M. P. mare remotum habet: ſiue quòd olim tanta vrbis magnitudo fuerit, & eò vſque protenſa excurrerit, ſiue quod pelagus arenarum adgeſtione in tantum receſſerit, ne tantæ vrbis calamitates ex propinquo aſpiceret. De origine eius & primo conditore multa effutiunt Hiſpani, Franciſcus Tarapha à Saga filio Chus, nepote Cham, qui cum Tubale in Hiſpaniam venit, nomen habuiſſe aſſerit. Alij à Sagis Ibericis conditam eſſe fabulantur. T. Liuius lib. XXI. à Zacyntho inſula oriundos dicit, quibus etiam miſti ab Ardea, Rutulorum generis. Recentiores Hiſpaniæ Scriptores ad Herculis comitem Zacynthum originem referunt, auctore Silio Italico lib. I.

Haud procul, Herculei tollunt ſe littore muri,
Clementer creſcente iugo, queis nobile nomen
Conditus excelſo ſacrauit colle Zacynthus.
Hic comes Alcidæ remeabat in agmine Thebas
Geryone exſtincto.

Idem tamen Poeta mox ſubnectit, & à Zacynthiis & Ardeatibus auctam vrbem, cuius non pigebit verſus producere:

Mox profugi, ducente noto, aduertere coloni,
Inſula quos genuit Graio circumflua ponto,
Atque auxit quondam Laërtia regna Zacynthus,
Firmauit tenues ortus mox Daunia pubes
Sedis inops, miſit largo quem diues alumno
Magnanimis regnata viris, nunc Ardea nomen.

Vrbs olim opulentiſſima, maritimis & terreſtribus fructibus felix, ſanctitate diſciplinæ, & ſociali fide inprimis illuſtris, quam vſq; in perniciem ſuam pertinaciſſimè coluit. Potiùs enim quàm à Romanis ad victorem Hannibalem deſciſcerent, communi rogo ſeſe ciues ſuperiecere, cuius excidio ſecundum bellum Punicum excitatum, & innumeris cædibus illi parentatum eſt. Octauo demum anno quàm à Pœnis capta eſt, à Cn. Scipione, depulſo Punico præſidio recepta, & antiquis cultoribus, quos belli vis reliquerat, eſt reſtituta, teſte Liuio lib. XXIV. vnde manifeſto Appianum Alexandr. in Ibericis lapſum videre eſt, qui Spartariam Carthaginem ex Saguntinis ruinis excitatam crediderit. Templum hic erat Dianæ ſacrum, magna religione, quod & ad Plinii ætatem perdurauit, eodem teſte lib. XVI. cap. XL. his verbis: *In Hiſpania, Saguntiaiunt templum Dianæ à Zacyntho aduectæ, cum conditoribus, annis ducentis ante Troiæ excidium, vt auctor eſt Bocchus, infraque oppidum id haberi, cui pepercit religione inductus Hannibal; iuniperi trabibus etiam nunc durantibus.* Hoc verò ævo ruinæ eius indicio ſunt, qualis olim vrbs fuerit; inter quas Amphitheatri veſtigia ſpectantur. Huius hemicycli ambitus eſt pedum Rom. CCC. LIV. latitudo parietis obuerſi pedum CC. vomitoriorum craſſitudo pedum XII. cum dimidio in L. gradus etiam conſurgebat. Laudatiſſimos olim calices parábat *Saguntus*, teſte Plinio lib. 35. cap. 12. vnde & Martialis lib. 14.

Quæ non ſollicitus teneat, ſeruetque miniſter
Sume Saguntino pocula ficta luto.

Exſtat etiam hac in vrbe vetuſta admodùm Claudio Cæſari, Galieni ſucceſſori dicata inſcriptio:

SENATVS. POPVLVSQVE.
SAGVNTINORVM.
CLAVDIO.
INVICTO. PIO. FEL. IMP.
CÆS. PONT. MAX.
TRIB. POT. P. P.
PROCOS.

CAP.

CAP. LXXI.

MANTVA CARPETANORVM MADRITIVM *est Escuriacum moles regia.*

INter Carpetanos, non procul à Toleto, Ptolemæus *Mantuam* vrbem collocat. *Viseriam* etiam dictam referunt Moletius & Tarapha: sed ab illis tantum. hodie *Madritium* esse in confesso est, licet nonnulli non hoc loco, sed vbi vicus est *Villamanta* dictus, olim *Mantuam* fuisse dicant. *Mantuæ* conditorem dicit Tarapha, Ocnum Tiberini Latinorum Regis filium, qui à nomine matris *Mantus*, Tiresiæ vatis filiæ; aliamque in Italia vrbem appellauit, sed huic Palæphato, quis autem præbeat?

Hodie oppidum est ex totius Toletanæ diœcesis felicissimum: situm est editiori in cliuo, & Septentrioni maiori ex parte expositum, cuius radices alluit modicus amnis, vulgò *Guadarrama* dictus, qui saxeo ponte transitur: non procul à Madritio oritur, & Tago se admiscet. Situs amœnitate, aëris insigni salubritate, & soli egregia fecunditate, inter primas totius Hispaniæ vrbes, non iniuria potest adnumerari. Aiunt Imp. Carolum V. diuturna quartana affectum, sola aëris huius clementia, breui molestissimo morbo liberatum. Saltus habet vmbrosos, & frequentes, siluas Regum venationibus dedicatas. In Madritii etymo multa & insulsa vulgò feruntur, quæ cum inepta sunt, silentio premam: Ioannes de Menna Cordubensis, Poeta vernaculus, sed non insulsi ingenii, *Madritium* igne cinctum suis rythmis prædicat, quia tam murorum fundamenta, quam priuatorum ædes pleræque pyrite lapide constant, cuius copiosus toto territorio prouentus est. Frequens hic recessus & habitatio Regum, præsertim Philipp. II. qui variis illud operibus exornauit, vt nunc in splendidissimum oppidum euaserit: siquidem toto regno huc excita nobilitas, sumtuosa sibi ædificia exstruxit. Nefas duxerim, si Madritio relicto, de vicino illi sexto inde lapide *Escuriaco*, Hieronymianorum monasterio ad S. Laurentium tacerem. Visitur ibi mirandi operis egregia moles, & plane Regia, quam maximus HISPANIÆ Regum Philippus II. regio sumtu dedicauit. Celeberrimo enim illo prælio ad oppidum S. Quintini Veromanduorũ caput, D. Laurentio ædem vouit, cuius die anniuersario & tutelari patrono, florem Gallicæ nobilitatis fudit, & firmissimam vrbem expugnauit, anno Christi Seruatoris M.D.LVII. Iactitet Roma licèt Amphitheatra sua, Pantheion, Capitolium, palatia, & variis numinibus sacrata templa: dum sese Hispania hac mole cetera orbis miracula non iniuria superare contendat. nam præter templum, & monasterium rarissimæ structuræ, Bibliothecam habet omnis generis librorum, & præcipuè manuscriptorum copia instructissimam: vt vnicâ Vaticanâ exceptâ, inter ceteras palmam ferat; qua in re cum Ptolemæo Philadelpho certare videtur. De regio vero patio, quid attinet dicere, nisi quòd

Ars ibi materiã vincitur ipsa sua.

An architecturam requires? ne Vitruuius quidem aliam. an marmora & nobiles lapides? nusquam rariores. Nam hortorum nitore, fontium amœnitate, siluularum vmbraculis nec ipsa Antiochiæ Daphne huic se comparauerit. magnitudo eius tanta, vt vel in quatuor Regum vsus commodè sufficiat. qui singula huius molis scire desiderat, Abrah. Ortelii parergon editionis vltimæ adeat.

CAP. LXXII.

COMPLVTVM.

COMPLVTVM HODIE ALCALA DE HENARES.

Olim & Alcala S. Iusti. *Academia hic illustris.*

VIcinum Toleto etiam inter Carpetanos est *Complutum*, Cæsaraugustani olim conuentus teste Plinio, hoc æuo *Alcala de Henares*, ab amne *Henares*, qui vrbis muros præterfluit. Elapsis seculis trans flumen sita erat, teste Barrerio, vbi adhuc priscæ vrbis vestigia. Tempore Regis Alphonsi Sapientis vocabatur *Alcalá S. Iusti*, quia is Sanctus vnà cum fratre suo S. Pastore, sub Daciano Præside extra vrbis pomœrium martyrio affecti sunt: quorum his versibus memoriam celebrat Poeta Prudentius:

Sanguinem Iusti, cui Pastor hæret
Ferculum duplex, geminumque donum
Ferre Complutum gremio iuuabit
Membra duorum.

Vrbs est in planicie sita, figura ouali, concinnis ædificiis, agro feracissimo: vnde nescio quis sciolus *Complutum*, tanquam *Complementum* dictum somniat, sed

Res est ridicula & nimis iocosa.

Plateam habet insignem, in longitudinem porrectam, porticibus vtrimque ornatam, sub quibus frequentes, diteſque mercatorum tabernæ sunt. Sed præcipuè se iactat insigni Academia, quæ meritò Hispaniarum Athenæ dici posset, ex qua tanquam ex Durateo illo equo, præclarissima ingeniorum lumina prodierunt, quæ doctrina sua totam Hispaniam, depulsa barbarie illustrarunt. debet hoc insigni heroi Francisco Ximenio Cisnerio, Præsuli Toletano, & S. R. E. Cardinali, instituti S. Francisci, qui Lyceum hoc excitauit, & magnis præmiis viros doctos vndique euocauit: atque ibidem multa collegia (vnum verò augustissimum) & Cœnobia & templa excitauit. Sacra Biblia hic Hebraicè, Chaldaicè, Græcè, Latinè, accuratissimè & proprio ære excudenda curauit: qui præter doctrinam, vitæque sanctimoniam, consilio prudentiaque incomparabili fuit, vt non immeritò à Ferdinando rege, Hispaniæ gubernandæ præfectus sit, dum nepos eius Carolus V. adoleſceret: qua de cauſſa inter præcipua Hispaniæ lumina meritò adnumerandus. Cuius tumulo Compluti hi versus inscripti legũtur:

Condideram Musis Franciscus grande Lycæum:
Condor in exiguo nunc ego sarcophago.
Prætextam iunxi sacco, galeamque galero,
Frater, Dux, Præsul, Cardineusque pater.
Quin virtute mea iunctum est diadema cucullo:
Quum mihi regnanti paruit Hesperia.

Vrbs hæc Archiepiscoporum Toleti est: tempore enim Alphonsi VI. Castellæ Regis, & Legionis, post ereptum Pœnis Toletum, Bernardo cuidam inculpatæ vitæ, Archiepiscopatus à Rege delatus fuit, qui postmodum coacto milite *Complutum* diuturna obsidione fatigatum, ad deditionem compulit, vnde in hoc ævum Toletanæ est diœceseos. olim tamẽ florente Gothorũ imperio, Episcopalis sedes fuit, vt ex Toletanis Conciliis docet Vasæus. Ciuem habuit inter ceteros *Christophorum à Vega* medicum præstantissimum, vt eius testantur opera.

CAP. LXXIII.

CARRACA EADEM CVM ANTONINI ARRIACA Guadalaiara *hodie. Tagonius amnis. Sertorii stratagema.*

NOn procul Compluto vrbs est *Guadalaiara* vulgò dicta, Punico sermone flumen lapidum signare, pleriſq; Hispaniæ Scriptoribus persuasum, vt Lucio Marineo Siculo, & Mario Aretio. Sed fœdè illos hallucinari ostendit Gaspar Barrerius, qui vnà cum Ambr. Morales Ptolemæi *Carracam*, & Antonini Imp. in Itinerario *Arriacam* esse asserunt (licet Iosias Simlerus *Atriacam* legendum suspicetur) vnde Pœni primò *Guadariaca* deflexere, posterior verò ætas, magis corruptè, *Guadalaiara*, quasi *flumen Arriaca* dixerunt. moris enim illis dictionem *Guada* frequenter præponere, vt *Guadalupe*, *Guadiana*, aliisq; sexcentis. *Arriacam* verò, vel *Carracam* esse, suadet passuum numerus, quo Antoninus Compluto Arriacam XXII. M. P. distare dicit, qui V. cum dimidia leucas conficiunt, licèt Compluto nunc *Guadalaiara* tantùm IV. sed maximas incolæ numerant: rarò enim exequantur milliaria cum leucarum numero. Sed scrupulum omnem adimit, æquari distantiam, quam Arriaca vsq; Cessatam Antoninus numerat, cum ea quam *Guadalaiara* Hitam vsque (ea enim *Cessata* est) XXIV. M. P. sex leucis respondent.

Sita est modicè acclivi in tumulo ad ripas *Henares* amnis, quem Ambr. Morales à Plutarcho *Tagonium* olim dictum putat. modica, sed non spernenda vrbs, sedes olim præcipua Mendozæ familiæ, & Ducũ *de Infantado*, quorũ splendidis ædibus & amœnissimis hortis egregiè ornata. Præcipuè vero nobili Q. Sertorii stratagemate celebris. refert n. Plutarchus in eius vita, pulsum à Metello Sertorium, non procul à Characitanis

(ita enim vocat) ad amnem Tagonium castra habuisse, qui vt seculi illa barbaries erat, non oppida colere, nec per vicos habitare, sed antra & speluncas adiacentis montis incolere norant, & naturæ hoc munimine freti, Sertorium vt victum despicere: ille ægrè contumeliam ferre, excidium ipsis minitari; sed frustra: obseruat interim speluncas omnes in Boream obuersas patere, vicinumque latè solum puluereum esse, ilicò iubet milites adiacentem terram suffodere, quasi aggerem admoturus. Barbari conatus eius risere: sequenti die spirante valido Aquilone, iubet milites aggerem quatere, equitesque magis tellurē concutere, quò ventus excitati pulueris nubes in ipsorum ora oculosque volueret, quibus cùm nullum effugium pateret, repletis faucibus, spiritusque meatibus præclusis, tertia se illi die tradidere: magna Sertorii fama & gloria, quod non tam hostium, quàm naturæ victor esset.

CAP. LXXIV.

SEGVNTIA

SEGVNTIA HODIE SIGVENZA. VARIE OLIM VOcata. Reiiciuntur qui à Sagunto ortam dicunt.

Segontia olim Celtiberorum vrbs non obscura, nunc leuiter deflexo nomine, *Siguenza* vocatur, Plinio *Saguntia*, Ptolemæo *Segobriga* Antonino in Itinerario *Segoncia*, T. verò Liuio *Segontia* dicta est. Est & altera *Segoncia* versus fretum Herculeum, à Plinio nominata. Cuius vestigia hodie circa Gaudelete fluminis ripam conspici, & *Gisgonca* locum vocari, auctor est Ambrosius Morales. Antoninus etiam præter has inter Nertobricam & Cæsaream Augustam, *Secontiam* vrbem recenset, quam Gaspar Barrerius *Muellam* dictam scribit, non dubiis coniecturis fretus: lubuit has ita strictim vrbes recensere, ne nominis affinitas Lectori erroris ansam præbeat. Statuit autem Antoninus *Segontiam*, inter Complutum & Bilbilim, & à Cessata M. P. XXIV. distare ait, qui sunt septem leucæ ab Hita (quæ Cessata est) *Siguenzam* vsque; licet hic parum exactè M. P. leucis respondeant. sed hoc mirari subiit, nonnullos, nulla mensuræ habita ratione, in meta meridie ita cæcutiisse, vt crediderint hanc vrbem, *Saguntum* olim fuisse, nobilem illam memoria seruatæ in Romanos fidei. Sed magno à se mutuo interuallo distare quis ignorat? Ad Iberum enim *Saguntus* est, vt apud Liuium ceteroſque Geographos videre est, à quo *Segontia* plusquam XXX. leucarum interuallo dissita est; alii verò à Saguntinis reliquiis conditam ferunt, inter quos est Ioannes Gillius Zamorrensis: sed citra probati alicuius Scriptoris suffragium. Nam & T. Liuius in bello Macedonico *Segontiæ* meminit, quod exstincto secundo bello Punico statim enatum est: dubio procul originis *Segontiæ* meminisset, cùm recens apud omnes miserandæ illius cladis memoria vigeret. Ambr. Morales auctor est veterem *Segontiam* non eò loci fuisse, vbi nunc *Siguenza*, sed media ab hinc leuca, loco vulgò dicto *villa vieja*, vbi multa circumiacentia ruderа vrbem olim fuisse testantur.

Sita hæc vrbs est in cliuo, muris egregiè vallata, & adiuncta arce, collis pedem flumen *Henares* alluit: Episcopali dignitate ornata est iam pridem, vt frequentes in prouincialibus Hispaniæ Conciliis subscriptiones *Segontinensis Episcopi* testantur. Templum habet non vulgaris operis, binis turribus conspicuum: multa hic marmorea sepulcra Præsulum, & illustrium virorum se offerunt spectantibus. inter cetera *S. Liberatæ* affabrè ornatum visitur, quod ibi magna in religione habetur. Episcopo in annuos vsus supra XX. aureorum millia cedunt. Habet etiam *Segontia* liberalioris disciplinæ, & Theologiæ Collegium non spernendum.

CAP. LXXV.

BILBILIM NON ESSE CALATAIVD. MVNICIPIVM fuit. Cognominata Augusta. *Salone amne clara & ferri temperie. Plinius emendatus.*

SIta est *Calataiud* in Celtiberis, quam plerique festiuissimi Poetæ Martialis (quem Ælius verus Imperator *suum* appellabat *Virgilium*) credidere patriam, Bilbilim inquam; sed refellit receptam hanc opinionem diligentissimus Gaspar Barrerius. potissima illa ratio à situ petita: *Calataiud* enim in conualle; *Bilbilis* verò in monte posita erat, vt non semel testatur Martialis. ita enim ad Lucianum:

Videbis altam Liciane Bilbilim
Aquis, & armis nobilem.

Ita enim felicissimè emendauit primus Hieronymus Surita Cæsaraugustanus, homo doctissimus, cùm passim legeretur, *Equis & armis nobilem.* Bilbilitanos enim equos, magno in pretio fuisse non vidi qui scriberet: non enim est

Aptus equis Ithacæ locus,

dicebat ille, cùm in aspero monte sit: aquis verò nobilitatam esse Salonis amnis, quibus optimum hodieque armis ferrum temperetur, & incolæ testantur, & Trogus Pompeius, ac Plinius auctores. clariùs verò *Bilbilis* situm exprimit S. Paulinus ad Ausonium præceptorem hisce versibus:

Montanamque mihi Calagurim, & Bilbilim acutis
Pendentem scopulis, collemque iacentis Ilerdæ
Exprobræ.

Idem verò Martialis patriæ suæ situm alibi clariùs explicat:

Municipes Augusta mihi, quos Bilbilis acri
Monte creat, rapidis quos Salo cingit aquis.

Ita enim legit ibidem doctissimus Surita, & Ant. Augustinus, cùm antea passim legeretur *Agri*, loco *Acri*, quæ verè agrestis, & insulsa erat lectio. cum itaque *Bilbilim* editiori loco sitam fuisse constet, non poterit esse *Calataiud*, quæ humiliori loco est. Adde *Bilbilim* vniuersam pœnè Salone cinctam fuisse, vt ex versu superiori constat: *Calataiud* verò Salone tantùm alluitur. mons etiam, vbi olim *Bilbilis* fuit, nunc corrupto nomine *Baubula* vocatur ab incolis, media leuca distans à *Calataiud*, vbi multa antiquarum ædium vestigia visuntur. Frequentia hic etiam Romanorum numismata eruuntur, quæ, quia rudi plebi ignoto, mille figmentorum occasionem præbent. Illud prorsus saltem habent, his in locis quondam inclytam, & populosam vrbem fuisse. Minimè etiam prætereundum, *Bilbilim* olim municipium fuisse, & *Augustam* cognominatam: cuius rei licet à Plinio non fiat mentio, innuere satis clarè videtur Martialis supra citato versu:

Municipes Augusta mihi quos Bilbilis acri
Monte creat.

Idem antiqua numismata ostendunt, quorum vnum adducit Ant. Augustinus cum hac inscriptione, in medio inscriptum habet: II. VIR. & circumcirca: M. AVGVSTÆ. BILBILIS. M. SEMP. TIB. L. LICI. VARO. Amne autem Salone olim inclyta, cuius mirifica vis in durando ferro est, vt diximus, & non semel innuit Martialis, præcipuè hoc versu lib. IV. Epig. V.

Grato non pudeat referre versu
Sæuo Bilbilin optimam metallo:
Quæ vincit Chalybasque, Noricosque,
Et ferro Plateam suo sonantem:
Quam fluctu tenui, sed inquieto
Armorum Salo temperator ambit.

Locus hic me monet, Plinium à mendo aut à Scriptoris potiùs incuria vindicandum lib. 34. cap. 14. de ferro agentem: *Alicubi*, inquit, *vena bonitatem hanc præstat, vt in Noricis, alicubi factura, vt Sulmonæ aqua: vt diximus.* Sed quis quæso *Sulmonem aquam* ferro bonitatem præstare scribit? non licuit vidisse hactenus. Et quod mirum, ipse Sulmonensis Poeta nihil hac de re, solum ait:

Sulmo mihi patria est, gelidisque vberrimus vndis.

Quare

Quare secundo Delio legerem, *Salone aqua.* ipse hoc auctor ostendit, cum ait, *Vti diximus*: nusquam enim toto hoc capite de *Sulmone* verbum, de *Salone* satis clarè: paulo enim superiùs dixerat: *Summa autem differentia est in aqua, cui subinde candens immergitur, hæc alibi atque alibi vtilior, nobilitauit loca gloria ferri; sicuti Bilbilim in Hispania, & Turiassonem; Comum in Italia.* Sed quæ aqua *Bilbilim* nobilitat, præter Salonem? cur *Sulmonem*, si idem faceret, præteriisset Plinius, in Italiæ alioquin laudes satis effusus? tanta autem temperaturæ illius erat gloria, vt teste Iustino ex Trogo Pompeio, inter Hispanos nulla arma in pretio fuerint, præter ea quę Bilbilis aut Chalybis aquis erãt temperata. Sed præter ferri gloriam, auro etiam gloriabatur olim, teste Martiale lib. XII. Epigr. XVIII.

Auro Bilbilis, & superba ferro.

Sed satis extra carceres euagatus sum; Manibus hoc optimi Poetæ datum sit, ne patria eius hominum memoria exsularet. *Calataiud* verò ex Bilbilitanis ruinis accreuisse vicinitas loci facit vt credam. Dimidia enim leuca tantùm ab illa distat. Ex præcipuis Aragoniæ hoc ævo vrbibus est, subdita Turiassonensi Episcopo: solum habet fecundum, frumenti, vini, olei, frugiferarumq; arborum patiens: omnis generis opifices alit. Quod ad nominis originem spectat. Beuterus auctor est, quendam è Punicis Regibus nomine *Aiub*, Bilbilim bellis ditatam restituisse, & nomine suo vocasse *Calataiub*. Veritas sit penes auctorem. Incolæ quoque etiamnum hodie armorum se ferrique præstantia, & gloria iactant.

CAP. LXXVI.

TVRIASSO HODIE TARAZONA. *FERRI TEMperie clarus. Mons Caunus. Martialis emendatus.*

NOn incelebris est *Tarazona*, in Aragoniæ, & Castellæ limitibus sita, quam Ptolemæus inter Celtiberos, *Turiassonis* nomine collocat; Plinius Cæsaraugustani illam conuentus facit. Vrbis huius incunabula Lucius Marineus, Rodericus Toletanus, aliique Hispaniæ Scriptores ad *Tyrios & Ausonios* referunt, qui cum Hercule secundo in Hispaniã venerunt. Beuterus, Ioannes Marieta, aliique non ad *Tyrios*, sed ad *Turios* Italiæ populos in Tarentino sinu (quo loci Herodotum suam scripsisse Historiam auctor est Plinius) originem referunt: sed quia hæc nullius classici auctoris sunt firmata suffragiis, penes Lectorẽ sit iudiciũ. Romano ævo non obscuri nominis vrbs: siquidem egregia ferri temperies, quam aquæ illi subministrant (non secus ac Bilbili, vt modo diximus) tenebris illam exemit, vt auctor est Plinius lib. XXXIV. cap. XIV. loquitur autem de aquis: *Hæc alibi atque alibi vtilior nobilitauit loca gloria ferri, sicuti Bilbilim in Hispania & Turiassonẽ, Comum in Italia: cum ferraria metalla in his locis non sint.* Hanc Alphonsus VII. vna cum *Calataiud* aliisque vrbibus Mauris eripuit circa annum cIↃ.CX.

Sita est vrbs non procul à monte Cauno, quem incolæ *Moncayo*, recentiores verò montem *Caci* vocant, à Caco illo Vulcani filio, qui ab Hercule postea in Italia cæsus fuit, nomen obtinuisse ferunt: sed meras nugas effundere hos, qui T. Liuium obiter legerit deprehendet: qui lib. XLIX. refert, Gracchum cum Celtiberis à prima luce ad sextam horam diei signis collatis ad montem Caunum, incerta victoria pugnasse. An verò hic mons *Caunus* idem sit cum monte *Cano*, vel *Cato*, (variant enim exemplaria) apud Martialem, lib. I. Epigr. ad Licianum:

Stesilemque Canum niuibus & fractis sacrum
Vadaueronem montibus,

non abhorret animus vt credam, & *Caunum* potiùs legendum. nam *Cani* vel *Cati* montis, in Celtiboria non vidi qui meminerit.

Camporum glebis felicissima, & annonæ copia abundans: Episcopali dignitate à multis seculis ornata, atque inter suos Præsules *B. Prudentium* habuit, impetante Gratiano, vt refert Tatapha: qui à Poeta Prudentio diuersus fuit. Scripsit non pauca aduersus Sabellianos, & Iudæos, quo etiam tempore claruisse Rufum Festum Auienum, eruditum Poetam Hispanum, auctor est Ioannes Vasæus in Chronico.

CAP.

CAP. LXXVII.

CLVNIA HODIE CRVNA DEL CONDE. *MVNICIPIum olim* Sulpitia *dicta. Plutarchus emendatus.*

ROmanorum tempestate, præclarum fuisse oppidum *Cluniam*, nemo vel leuiter in historiis versatus negabit; vtpote in quo iuridicus Conuentus agebatur, vt auctor est Plinius, qui in Arcuacis illud esse, & Celtiberiæ finem ait. vt & Ptolemæus, qui & *Coloniam Cluniam* vocat. Ant. Augustinus Dialogo VIII. ex Tiberii Cæsaris nummo docet olim etiam Municipium fuisse *Cluniam*. Cl. vir Læuinus Torrentius in Suetonium ex antiquo numismate, *Cluniam Sulpitiam* dictã refert. In Antonini Itinerario mendose legebatur hoc nomen, *Raudacluniam* coniunctim, cum duæ sint mansiones, & separatim legendæ, vt monet Hieronymus Surita. Apud Plutarchum etiam in Galba deprauate legitur Κολωνίαν pro Κλουνίαν, cuius hæc sunt verba: αὖθις δὲ μετὰ τῶν φίλων εἰς Κολωνίαν τὴν Ἱβηρικὴν πόλιν ἀνεχώρησεν. i. *Rursus vero cum amicis in Coloniam Hispaniæ vrbem recessit.* Ex Suetonio enim in Galba *Cluniam* esse legendũ in aperto est, vbi loquitur, quod secundissimis auspiciis ad imperium capessendum confirmaretur Galba: *Tanto magis*, inquit, *quod illa carmina sacerdos Iouis Cluniæ, ex penetrali, somnio monitus eruerat: ante ducentos annos similiter à fatidica puella pronuntiata.* Auctor est Dion lib. XXXIX. Metellum Nepotem à Vaccæis, oppugnantem *Cluniam*, superatum fuisse, & vrbem obsidione liberatam.

Hoc ævo *Ciudad real* esse antiquam *Cluniam* credit Iosephus Moletius, sed perperam; siquidem *Ciudad real* prope Alcantaram est, quæ procul admodum ab Arcuacis distat; Antonio vero Nebrissensi, Floriano Occampio & Ioan. Vasæo *Crunna del conde* vocatur (ad differentiam *Crunnæ*, quæ est in Gallæcia) quæ ab Vxama, seu Osma sex leucis differt, nec abludente multum vocabulo. Facilis enim lapsus est à *Clunia* in *Crunnam*, licet nonnulli suspicentur locum vrbi vicinum, vbi nunc D. Virginis ædicula est, & *Castro* vocatur, *Cluniam* olim fuisse. Fidem faciunt dirutæ vrbis vestigia, & sparsæ quædam amphiteatri, aliæque non spernendæ antiquitatis reliquiæ. Auctor est Ioannes Vasæus hoc in loco repertum fuisse ante paucos annos sigillum conuentus Clunienſis: quod penes oppidi comitem adseruatur. Non procul ab hac vrbe feruntur laudatissimi iaspidis feraces esse latumiæ.

CAP. LXXVIII.

NVMANTIA DIVTISSIME ROMANIS RESTITIT. Gerundensis Episc. duplex error. Ridicula opinio de etymo. Non esse Zamoram *sed* Soriam. *Pomponius Mela defensus.*

OCcurrit nunc summum illud Hispaniæ decus, & vrbium, si vitos spectes, princeps *Numantia*; quę licet multis Hispaniæ vrbibus, murorum ambitu, opibusque inferior fuerit, bellica tamen gloria, & vera virtute cunctis superior. nam sine muro & turribus ciues patriæ erant propugnaculo, non secus ac prisci Spartani. Et cum tantum quatuor armatorum millia essent, teste L. Floro; seu vt Appiano placet, octo millia, maximos exercitus P. Romani, non soluta per viginti annos, Strabone teste, sustinuit fortissime, sed magnis cladib⁹, & pudendis fœderibus frequẽter affecit: ita vt Numantini viri non vocem, non conspectum ferret Romanus miles. Sed tandem à fatali vrbium euersore Scipione Africano victa fuit: si victa dici posset, quę nullum de se hostibus gaudium, nec spolia quidem reliquit. Vnde Florus: *Vnus enim vir Numantinus non fuit, qui in catenis duceretur: præda, vt de pauperibus, nulla arma cremauerant: triumphus fuit tantum de nomine.* Græci tamen Scriptores à Romanis hac in re dissentiunt, Strabo paucos superfuisse dicit, qui cedentes murum dediderunt, Appianus vero: se suaque Scipionis arbitrio permisisse, eumque quinquãginta triumpho reseruasse, ceteros sub hasta vendidisse. mulieres vero etiam libertatis retinendæ adeo pertinaces fuere, vt referat Petronius Arbiter in Satyrico: *Inuentas esse matres capta vrbe, quæ liberorum suorum semesa corpora in sinu tenerent.* Sed satis extra orbitam.

Sita erat in Pelendonibus Celtiberiæ populis, teste Plinio non procul ab amnis Durii

Durii exortu, modice edito in tumulo: Ptolemæus in vicinis Areuacis statuit. Ambitu suo, teste Appiano in Ibericis, complectebatur M. P. bis mille octingenta & octuaginta; Orosius ad tria millia extendit. Non possum non mirari Io. Margarinum Epis. Gerundensem, hominem Hispanum, tam soluto animo fuisse, vt asserat, *Numantiam* ad oram Iberi fluminis sitam, & vrbis radices ab hoc amne rigari, repugnantibus omnibus classicis auctoribus. Idem asserit à Numidis conditam, quæ opinio ne scintillam quidem veritatis præ se fert, præter nominis aliquam affinitatem: cuius farinæ est, quod ab Ant. Gueuara Imp. Caroli V. Historiographo dicitur, à Numa Pompilio II. Rege Romanorum, conditam.

Numantiam olim fuisse, vbi nunc Soria est, melior Scriptorum pars asserit: licet nonnulli credant fuisse, vbi nunc ignobilis vicus est *Garay* dictus, ibique perantiqui pontis vestigia adhuc seruantur, vt adstruit Ambr. Morales; sed cum exigua sit admodum distantia, nolim de re nauci anxie rixari. Sufficiat in Soriano agro fuisse nobilem illam vrbem. Nam quòd Lucas Tudensis aliique imi subsellii auctores asserant, *Zamorram* eo loci nunc esse, quo priscis seculis *Numantia*, præterquam quod Plinio nimis clare repugnet, qui dicit prope Durii exortum illam fuisse, à quo *Zamorra* procul admodum dissita est, refellit hos diligentissime Ant. Nebrissensis decadis I. lib. V. cap. IV. Non possum, quin hoc loco Pomp. Melam optime de Hispania meritum à stigmate malè illi ab Episcopo Gerundensi inusto, vindicem: ait enim lib. I. Paralipomenon, Melam asserere, Cæsaraugustam nunc esse, quæ olim *Numantia*; cum ne per somnium hoc illi exciderit. Sed lubet tabulis resignatis agere: sic enim hic lib. II. cap. VI. *In Tarraconensi vrbes clarissimæ fuerunt Pallentia & Numantia. Nunc est Cæsaraugusta.* Non dicit Cæsaraugustam esse *Numantiam*, sed suo æuo clarissimam esse vrbium Tarraconensis prouinciæ, vt olim fuere *Numantia & Palentia.* Quis ferat tantam oscitantiam in tam graui auctore reprehendendo. Paulus quoque Orosius, *Numantiam* Metropolin olim vniuersæ Gallæciæ fuisse asserit. Zamorrenses testimonium hoc Hispani scriptoris sibi patrocinari credunt, sed toto cælo aberrare eos facit diuisio Hispaniæ, tempore Orosii, quo Gallæciæ termini Numantiam vsque extensi erant: vt bene obseruauere Hieronymus Surita & Ambr. Morales.

CAP. LXXIX

FLAVIOBRIGA NVNC BILBAO. *OLIM HIC AMANVM portus. Situs eius & descriptio.*

QVÆ vernacule *Bilbao*, antiquorũ *Flauiobrigam* credunt esse, Moletius & Tarapha: quã Ptolemæus inter Autrigones recenset. Io. Marietta carpit Ant. Nebrissensem, quod *Bilbao* putarit *Flauiobrigam* olim dictam; dicitque non antiquam esse, vtpote exstructam à Didaco Lopez de Haro, Cantabriæ Domino, an. M. CCC. eo loci, vbi olim Amanum portus fuit, nescius à Plinio statui *Flauiobrigam*, vbi Amanum portus olim fuit, lib. IV. cap. XX. auctor est Tarapha, in Vespasiani honorem prænomen *Flauii* inditum. non defuere qui hanc vrbem Martialis patriam *Bilbilim* nimis impudenter asseruerint: sed hos somniare clarũ; quare hos ad Atlantes relegandos auctor sim, vbi memorantur somnia non videri.

Vrbs est Cantabriæ præcipua, non solum ob situs opportunitatem, sed & ob vberem annonæ copiam, & mercatorum insignem concursum. Sita est loco plano: à mari distat duobus milliaribus, loco egregie portuoso: aere vtitur temperato & salubri admodum, qua parte continentem spectat. Magnos habet obiectos montes, vt nec frigori nimio obnoxia sit, nec calori: annonam hic tanta affluere copia aiunt, vt nulla pene in Hispania vrbs sic hac in re illi comparanda. Piscium omne genus vicinum mare larga manu suppeditat. Lanæ hic commercium summopere viget, vt quotannis circiter quinquaginta naues, in varias partes hic onerentur: puellæ hic passim incedunt capite nudo, & tonso capillitio. nec virginib⁹ fas est, antequam nuptæ sint, aut capillum alere, aut caput peplo velare: Lacedæmoniorum pene more, quę intecto corpore, donec nupserant, incedebant.

CAP. XXC.

POMPELON, POMPEIO EXSTRVCTA. DIVERSA A Pompeii trophæis. Vbi hæc exstant. Occupatur à Ferdinando Rege.

SVblato per domesticas insidias Q. Sertorio, sedatisque Hispaniæ motibus, Cn. Pompeius ad optatum triumphum festinans, *Pompelonem* vrbem inter Vascones condidit, quasi *Pompeiopolim* vocans, teste Strabone lib. III. quam etiam à Ptolemæo putant quidam *Martuam* dictam, hodie regni Nauarræ metropolis est. ridiculum est Lucæ Tudensis figmentum, de vrbis etymo. Refert enim *Pompelonam* dici, quasi *Bamba Lunam*, quod Rex Bamba ciuitatem ampliauit, nomenque antiquum *Martuæ* obliteratum. Conuentus erat olim Cæsaraugustani, teste Plinio, qui cum initio capitis III. lib. III. dixerat Pompeium in Pyrenæo trophæa statuisse, quibus restabatur DCCC. XLVI. oppida ab Alpibus, ad fines vlterioris Hispaniæ in ditionem à se redacta, credidit Pet. Antonius Beuterus, hæc trophæa Pompeii nihil aliud fuisse, quam à Pompeio exstructam vrbem *Pompelonam*, in memoriam rerum ab se gestarum: sed comentitium hoc esse quis non videat? cum eodē modo cōstet, Augusto Cæsari victis Alpinis gentibus, in ipsis Alpibus erecta trophea: cuius inscriptionē videre est apud Plinium lib. III. cap. XX. Addo Pompeii tropheorum adhuc hodie non obscura vestigia exstare. Refert enim Ioannes Mariana lib. III. cap. XVI. & Ambr. Morales lib. 8. c. 22. in *Andorre*, & *Altauaca* Pyrenæi conuallibus, exstare circulos ferreos, liquato plumbo rupibus affixos, decem amplius pedum ambitu, quibus affigi trophæa solent: cui rei fauent triumphalium fornicum imagines, vt Emeritæ conspiciuntur. qua de caussa diligentissimus Abr. Ortelius in antiquæ suæ Hispaniæ descriptione, *Pompelonem* inter Vascones, trophæa vero Pompeii, prope Ruscionem & Salsulas collocat; Strabo trophæa Pompeii prope Iuncarium campum statuit, qui non procul à Ruscinone est.

Sita autem est vrbs, non procul à Pyrenæi radicibus, in fertilissimis Nauarræ campis, ad flumen Argam vocatum: ciuitas est magna, & opulenta. Auctor est Beuterus, & Ioannes Vasæus vrbem hanc Christi religione, in ipsius Ecclesiæ primordiis imbutam esse, idque à *S. Saturnino*, qui à D. Petro Roma missus, XL. amplius hominum millia, septem dierum spatio, ad Christum traduxit, & in his *S. Firminum*, ciuem Pompelonensem, quem & Ecclesiæ præfeciisse, & Ambianensi in vrbe postea martyrio affectum ferunt sacræ Martyrum tabulæ. In hunc vsque diem Episcopalis dignitas permansit. Vrbs hæc cum vniuerso Nauarræ regno, anno clɔ. D. XII. à Ferdinando Castellæ & Aragoniæ Rege occupatur: Ioanne primum Rege à Iulio II. Pont. Max. habito pro schismatico.

CAP. XXCI.

DVPLEX CALAGVRIS. TARAPHAE ERROR. FIDISSIma suis ducibus. Egregia inscriptio.

DVas in Hispania citeriore *Calagūris* nomine fuisse vrbes, auctor est Plinius; quarum vna *Nascica* cognominata, inter Nascicos populos collocata, prope Oscam, quam & *Municipium Calagurim Iuliam Nascicam* ex antiquo nummo dicunt vocari, Amb. Morales & Hieronymus Surita: cuius hodie ne vestigia quidem supersunt. Altera vero *Calagūris fibularia* vocata *Calagorina* vero Ptolemæo; nostro æuo *Calahorra* dicta. Conuentus erat olim Cæsaraugustani: Franciscus Taraphia hoc nomen à C. Caligula illi inditum putat. non credidissem Tarapham, tam obesæ naris fuisse, vt tales tricas adstrueret: cum legerit apud Iulium Cęsarem bello quod aduersus Petreium & Afranium gessit, *Calagūris* mentionem. T. Liuius etiam lib. XXX. meminit magni prælii prope Calagurim commissi, inter Celtiberos & Romanos, duce L. Manlio Acidino, Prætore citerioris Hispaniæ: in quo ad XII. Celtiberorum millia cęsa, capta ad duo M. fuere. quæ sane omnia multis lustris ante Caligulam gesta fuere.

Sita autem est vrbs ad Iberi amnis ripas, & quidem in monte, vnde Paulinus ad Ausonium:

Monta-

Montanamque mihi Calagurim, & Bilbilim acutis
Pendentem scopulis, collemque iacentis Ilerdæ
Exprobras?

Rara in primis in duces suos fide, sed in Q. Sertorium clara admodum, quæ nec morte eius interrupta fuit, qui, vt auctor est Val. Maximus lib. VII. cap. VI. *Quo perseuerantius interemti Sertorii cineribus, obsidionem Cn. Pompeii frustrantes, fidem præstarent, quia nullum iam aliud in vrbe eorum supererat animal, vxores suas, natosque ad vsum nefariæ dapis verterunt, quoq; diutius armata iuuentus, viscera sua visceribus suis aleret, infelices cadauerum reliquias salire non dubitauit.* Hoc etiam Iuuenalis Satyra XV. innuit his versibus:

Vascones: vt fama est, alimentis talibus vsi
Produxere animas: sed res diuersa: sed illic
Fortunæ inuidia, bellorumque vltima, casus
Extremi, longæ dira obsidionis egestas.

Iugi tandem obsidione eam Afranius Cn. Pompeii legatus occupatam, cede incendioq; deleuit. Publicum illud & infelix exemplum, & cum quouis prisci qui comparandum, peculiare Bebricii Calaguritani confirmat: quod prope Lauronam (*Logrono* hodie) antiquus cippus, referente Ambrosio Morales, ostendit.

D. IIS. MANIBVS.
Q. SERTORII.
ME. BEBRICIVS. CALAGVRITANVS.
DEVOVI.
ARBITRATVS.
RELIGIONEM. ESSE.
EO. SVBLATO.
QVI. OMNIA.
CVM. DIIS. IMMORTALIBVS.
COMMVNIA. HABEBAT.
ME. INCOLVMEM.
RETINERE. ANIMAM.
VALE. VIATOR. QVI. HÆC. LEGIS.
ET. MEO. DISCE. EXEMPLO.
FIDEM. SERVARE.
IPSA. FIDES.
ETIAM. MORTVIS. PLACET.
CORPORE. HVMANO. EXVSTIS.

Cuius fidelitatis memor Aug. Cæsar *Cohortem Calaguritanorum*, in corporis sibi custodes delegit, vt auctor est Suetonius in Augusto.

Fabii Quintiliani Rhetoris præstantissimi natalibus nobilitata; qui sub Nerone, à Galba Romam fuit adhuc adolescens perductus. Is cum causis agendis magnum sibi nomen comparasset, primus Romæ publicam scholam instituit, atque ex fisco salarium accepit, vt testatur D. Hieronymus ad Eusebii Chronicon his verbis: *Quintilianus ex Hispania Calaguritanus, primus Romæ publicam scholam tenuit, & salario cohonestatus publico claruit.* vnde & Ausonius in commemoratione Rhetorum Burdigalensium:

Asserat vsque licet Fabium Calaguris alumnum,
Non sit Burdigalæ dum cathedra inferior.

Episcopatum habuit non incelebrem olim, nec hodie eo caret. Non defuere, qui crederent *Calagurim*, B. Dominici patriam, vocum affinitate decepti: nempe *Callaroga* illius patriam, & *Calahorre* eadem oppida putantes. Martyres patronos habuit *SS. Emetrium & Chelidonium*, milites legionarios, Marcelli Centurionis filios, quos Aurelius Prudentius Hymno peculari prosequitur.

CAP. XXCII.

CÆSARAVGVSTA.

CAESARAVGVSTA COLONIA IMMVNIS. SALDVBA *vocata. Variæ opiniones & fabulæ de prisco nomine refelluntur. Colonia huc ab Augusto deducta.*

INter nobilissimas totius Hispaniæ vrbes, iure referetur *Cæsarauguſta*, Aragoniæ Metropolis: quam Ptolemæus in Edetania collocat, vt & Plinius; qui etiam Coloniam immunem, & primo *Saldubam* vocatam dicit. Pomponius vero Mela, suo tempore nobilissimam Tarraconensis prouinciæ vrbem, ex Mediterraneis dicit fuisse. De antiqua eius appellatione multa neoterici comminiscuntur, quæ libet breuiter refellere, ne aliis offucias diutius faciant. Lucius Marineus, quia apud Plinium legerat, *Saldubam* olim vocatam, dicit à Rege Mauritaniæ Iuba exstructam fuisse, vnde illi nomen *Saldubæ*, tamquam *Iubæ domus*. Sed nullius hæc opinio momenti est. Nam cum duos tantum Iubas constet fuisse, patrem scilicet, qui à C. Iulio Cæsare vna cum Corn. Scipione, fusus fugatusque seipsum interemit: & filium eius, qui Romanis litteris ita liberaliter initiatus fuit, vt clarissimus apud Afros sui æui scriptor sit habitus, & ab Augusto Cæsare in auitum regnum restitutus. quorum neutrum in Hispania quidquam possedisse constat, quo sublato totum Marinei commentum in auras euanescit. Io. Margarinus Episcopus Gerundensis hanc vrbem primo *Agrippam* à conditore suo dictam asserit, & in suam sententiam vocat vel inuitos, Strabonem & Plinium, apud quos tamen ne verbum quidem hac de re. Rodericus vero Ximenius Toletanus Archiepisc. lib. I. cap. III. Cæsarauguſtam primo *Auripam* vocatam fuisse autumat. Sed pari in errore cum Gerundensi versatur. Io. Annius Viterbiensis *Saldubam* principem vrbem fuisse tradit, quam Tubal in Hispania exstruxit. Addit etiam in Bætica ab eodem vrbem exstructã, quam Pomponius Mela *Dubal* vocauit. Non tam anxie ab Hercule quæsitus Hylas, quam mihi hic locus; sed frustra. nam passim *Salduba* legitur. Quamobrem credo Annio Viterbiensi glaucomam ob oculos obiectam fuisse, vt quod non viderit, id se vidisse putarit. Nisi forsan deprauato codice vsus fuerit. Gaspar Barrerius elimenatis hisce fabulis portius à salinis frequentibus nomen fluxisse credit: montes enim salis fęcundos, non procul ab hac vrbe distare in confesso est: D. vero Isidorus à Cæsare Augusto exstructam & nominatam dicit. Vero tamen propius est, ante Augusti tempora ignobile oppidum fuisse, & postea Coloniam huc deductam. Probat hoc æreus Augusti nummus, in quo vexillum erectum, hasta in base adfixa visitur (quod signum erat deducendæ Coloniæ) ab vna parte Augusti effigies, cum hoc titulo: AVGVSTVS. D. F. auersa vero parte: CÆSARAVGVSTA. M. POR. CN. FAB. II. VIR.

Sita est ad amnem *Iberum* (à quo vniuersa prouincia nomen sumsit) loco campestri, & patenti, in qua siue soli vberratem, siue situs amœnitatem, vrbis nitorem, & ornamenta requiras nihil in ea deesse comperies, ædium splendore, nulli Hispaniarum vrbi secunda: quam tamen Barcino audet æmulari, è laterculo coctili plurimum sunt. vicos, plateasque latas, & apertas, ac pontem habet egregii operis, quo Iberus transitur. Inter multa templa, quę 17. maiora numerãtur, præter 14. Monasteria, & alia minora fana & Saccella, celeberrimũ est & magnæ religionis, q; D. Virgini ad columnã, incolæ, *Nuestra Senora del pilar* vocant. Posteris transmissum est, ædem hanc sacram primã esse, quæ in orbe in Seruatoris nostri honorem exstructa fuit, idq; quo tempore D. Iacobus Hispanias obibat, cui ferunt D. Virginem hac in vrbe apparuisse, cælesti fulgore cinctam, dedisseque Apostolo ex iaspide columnam, vna cum saerata effigie, vtque hoc in templo locaretur mandasse. Conspicitur hic imago exigua Deiparę Virginis, vndique cancellis inauratis septa; coram vero quindecim argenteæ lampades perpetuis lucent ignibus. frequentia hic edita miracula loci pietatẽ auxere. hac in vrbe martyrũ frequentia tanta quanta vix alibi integris in prouinciis, vt innumerabiliũ massa, & eius nominis monasterium ostendit. Diocletiani enim & Maximiniani temporibus, Prędes Dacian⁹ vt funditus Christianorum in Hispania nomen deleret, per præconem denuntiauit, vt qui vellent Christiani, Cæsarauguſta stata hora excedere, tuto & illæsos discessuros: qui cum summo gaudio continuo se portis effunderent, repente militum copiis cincti, ad vnum omnes pro Christo obtruncati sunt. Credebat nimirum immanis ille Dei hostis hoc Christiani sanguinis torrente, nouæ ardorem fidei se instincturum. at frustra fuit tyran-

tyrannus. Celebrati enim hi martyres innumerabiles, quos Prudentius libro de Coronis decorandos putauit, Hymno, quo Cæsarauguſtæ vrbis ſic meminit:

Sola in occurſum numeroſiores
Martyrum turbas Domino paraſti,
Sola prædiues pietate multa
Luce frueris.
Omnibus portis ſacer immolatus
Sanguis, excluſit genius inuidorum
Dæmonum, & nigras pepulit tenebras
Vrbe piata.

Hac etiam vrbe *D. Encratis* (vulgò *Engratia*) Dynaſtæ cuiuſdam Luſitaniæ filia, & duci limitaneo Rhodani, prouinciæ Narbonenſis Galliæ deſponſa, cum XIIX. comitibus, ab eodem Daciano martyrio affecta fuit: quorum etiam omnium ibidem meminit Prudentius: poſtea verò ita ſubdit de S. Encratide:

Hic & Encrati recubani tuarum
Oſſa virtutum, quibus efferati
Spiritum mundi violenta virgo
Dedecoraſti.

D. etiam *Lambertus* indigena, hic martyrio affectus fuit. Epiſcopatus eſt antiquiſſimus: tempore vero Alphonſi XI. à Ioanne XII. Pont. Max. in Metropolitanam dignitatem mutatus: cui quatuor ſubditi parent Epiſcopi, *Oſcenſis*, *Turiaſſonenſis*, *Pompelonenſis*, *Calaguritanus*. Inter Epiſcopos habuit *S. Braulionem*, cui Iſidorus libros viginti Originum eruditum ſane opus inſcripſit: doctrina verò conſpicuos viros protulit *Antonium Auguſtinum* Archiepiſcopum Tarraconenſem, de Hiſpania omniq; adeò antiquitate optimè meritum, & *Hieronymum Suritam*, qui Antonini Itinerarium emendauit, & Aragoniæ concinnauit. D. verò Vincentii martyris natalibus præcipuè ſe tollit hæc vrbs, licet aliqui Oſcæ natum volunt, qui & ſub Daciano Abulæ martyrio affectus. clarè enim Prudentius & ipſe Cæsarauguſtanus eum pro ciue agnoſcit hymno citato:

Noſter eſt, quamuis procul hinc in vrbe
Paſſus ignota, dederit ſepulcri
Gloriam victor prope litus altæ
Forte Sagunti.

CAP. XXCIII.

OSCA VICTRIX *COGNOMINATA. A SERTORIO hic ſcholæ inſtitutæ. Velleius Paterculus correctus.*

QVÆ priſcis Geographis *Oſca*, recentioribus *Hueſca* leuiter flexo nomine dicitur: vrbs erat olim regionis Veſcitaniæ (Surita verò *Vaſcitaniæ* vult legi, Notis ad Antonini Itinerarium) Conuentus verò Cæsarauguſtani, teſte Plinio: Ptolemæus autem Illergetum eſſe, Franciſcus Tarapha ex Manethone, dicit ab Oſco Veſulonenſi, qui Italiæ imperabat, exſtructam fuiſſe: Epiſc. verò Gerundenſis lib. II. Paralipomenon à Caco conditam credit, & *Oſcam* vocatam, tanquam *Os cæci*, multo ante Herculis in Hiſpanias aduentum eundemq; aſſerit Cacum, qui ab Hercule interfectus ſit in Italia.

Spectatum admiſſi riſum teneatis amici.

Sed cùm de illius origine nihil liquidò mihi conſtet, ſatiùs de illa tacere putem, quàm nugas aſſerere. Antonius Auguſtinus & Hieronymus Surita ex antiquis nummis aiunt vrbem *Victricem* cognominati. Hac in vrbe olim Q. Sertorius Latinæ, Græcæque linguæ Academiam erexit, teſte Plutarcho in vita Sertorii, quo nobiliſſimos Hiſpaniæ adoleſcentes, eruditionis cauſſa euocauerat; reipſa verò vt obſides haberet, erudiendi prætextu, quaſi cùm maturuiſſet ætas, in partem adminiſtrationis, & imperii eos admiſſurus: qui eadem in vrbe inter epulas à Perpenna aliiſque coniuratis occiſus, teſte Velleio Paterculo lib. II. *Tum M. Perpenna prætorius, è proſcriptis, generis clarioris, quàm animi, Sertorium inter cœnam Aetoſcæ interemit. Romaniſque certam victoriam, partibus ſuis excidium, ſibi turpiſſimam mortem peſſimo auctorauit facinore.* quo loco *Oſcæ* legendum clarum eſt. Nuſquam enim *Aetoſcæ* mentio; licet Plutarchus Ap-

O

pianus, & Sallustius in Historiarum Fragmentis vrbis nomen prætereant, vbi Sertorius interfectus fuit: Claudius Puteanus, quo loco Strabo dicit Sertorium morbo extinctum, ἐπλεύσας καὶ νόσῳ, feliciter ex Velleio emendat ἐπλεύσας δ' ἐς ὄσκαν. i. *Exstinctus est Oscæ.* apud Strabonem etiam lib. III. corruptè *Ileosca* legitur, loco *Oscæ* his verbis, loquitur de Iaccetania: *Hæc à Pyrenæis radicibus inchoans, in campos vsque latius extenditur, & Ilerdæ ac Ileoscæ, Illergetarum locis adiungitur, non procul ab Ibero.* Nusquam enim apud Ptomæum, aliumue classicum scriptorem, *Ileoscæ* mentio inter Illergetas, sed *Oscæ* passim. Hoc ævo ex Cataloniæ præcipuis vrbibus, Episcopali dignitate prædita, Tarraconensi Præsuli, ex Constantini diuisione subiacet. Academiam etiam habet antiquam, & à Sertorio, vt dixi, institutam: sed nulla re magis gloriantur incolæ, quàm *D. Laurentium* ciuem habuisse, inuictum illum Christi Athletam, qui Romæ sub Decio Imp. martyrio affectus fuit. *D.* etiam *Orontium*, D. Laurentii fratrem.

CAP. XXCIV.

ILERDA.

ILERDA HODIE LERIDA. *SARDONES VBI. DE ORIGINE Ilerdæ. Sicani nomen à Sicori amne traxerunt. Antiqua hic Academia.*

Ilerda non ignota vrbs, ob res maximas circa illam à C. Iulio Cæsare, contra Afranium & Petreium Pompeii duces gestas. Prolemæus inter Illergetes annumerat, quos Fuluius Vrsinus apud Abr. Ortelium, eosdem esse cum Illurgauonensibus Cæsaris facit. Sed exactiùs timanti, non subsistit Fuluii coniectura: dicit enim Cæsar Illurgauonenses flumen Iberum attingere, quo Illergetes non pertingunt, vt ex Ptolemæo liquet: potius credo hos *Illurgauonenses* eosdem esse, cum Ptolemæi Illergaonibus, qui ad Iberi ostia sunt. Plinius libro tertio capite tertio: *Ilerdenses*, ait, *Surdaonum gentis, iuxta quos Sicoris fluuius.* Sed quo loco Surdaones? aut quis illorum præter Plinium meminit? Feliciter Gaspar Barrerius mendosum hunc locum sanat, ab Hermolao Barbaro, & Ferdinando Nonio Pintiano maximis viris præteritum, & *Sardoniam* legendum censet. Erant enim *Sardones*, Ruscinonensis comitatus incolæ, qui hasce in partes forte se effuderant, vt etiam monet Beuterus. Pomponius sanè Melahorum meminit lib. II. cap. V. *Inde est*, inquit, *ora Sardonum, & paruæ flumina Thelis, & Thicis, vbi accreuere persaua: Colonia Ruscino.* Plinius etiam lib. III. cap. IV. his verbis: *In ora regio Sardonum, intusque Consuarnorum, flumina Thelis, & Obris:* quorum regionem etiam hodie, *Campos de Cerdania* nuncupari idem auctor est Barrerius: huius vrbis originem Ioannes Gerundensis Episc. lib. II. ad Illyricos refert, satis herculè remotè, & more suo ineptè. Nonnulli ex Stephani Byzantini obscuris verbis, ad Troianos referunt, quòd addat, *Ileus autem Troianis Apollò dicitur.* Vibius Sequester ab *Ilerda* amne vrbi nomen inditum dicit, sed vbi gentium hic amnis? vel quis Sicorim *Ilerdam* vocatum scribit? viderint alii.

Sita verò est modico in colle, qui paulatim in vallem desinit, ad Sicoris amnis ripas, ob auriferas, quas vehit arenas, celeberrimi, vt ferunt Tarapha, & Lucius Marineus lib. XV. sed quia graphicè eius situm Lucanus exprimit, non pigebit eius versus ex lib. IV. adducere:

Colle tumet modico, lènique excreuit in altum
Pingue solum tumulo, super hunc fundata vetusta
Surgit Ilerda manu, placidis prælabitur vndis
Hesperios inter Sicoris non vltimus amnes.
Saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu;
Hybernas passurus aquas.

Ausonius etiam ad Paulinum *Ilerdæ* sic meminit:

Aut quæ delectis iuga per scruposa ruinis
Arida torrentem Sicorim despectat Ilerda.

A quo amne nonnulli credunt Siculos primum *Sicanos* appellatos: testis est Thucydides lib. VI. qui amnem hunc *Sicanum* appellat.

Vrbis muri ex viuo saxo structi: ædes non contemnendæ: suburbano agro Bacchus, Ceres & Pomona mirum in modum fauent; nec Pallas secundâ oleam inuidet. Cathedrale templum affabrè exstructum, editiori vrbis loco situm. Vndè iucundus in subiectos campos prospectus patet. Episcopali dignitate à multis seculis ornata fuit, & sub Sergio huius vrbis Episcopo an. 528. prouinciale Concilium celebratum fuit,

sub Theodorico rege. Antiqua etiam Academia hic excitata an. cIↃ. CCC. quæ licet nec opulentis reditibus tumeat, nec splendidis ædificiis superbiat, vberes tamen hinc ingeniorum riuuli emanant, qui vniuersam Cataloniam fœcundant. Et licet vrbs felici satis sit solo, vberes etiam quæstus ex salsamentis, & salitis piscibus, qui vndique huc aduehebantur, percipit, vnde Horatius librum suum alloquens:

Aut fugies Vticam, aut vinctus mitteris Ilerdam,

quasi diceret, vbi neglectui habebitur, folia eius cessura in piscium aut salsamentorum tectoria: non secus ac Persius alibi scribit,

Linquere nec scombros metuentia carmina nec thus.

Refert Lucius Marineus lib. X. Ilerdenses Valentiæ pondera, mensuras, & monetam dedisse; idque quo tempore Iacobus I. Aragonum Rex anno cIↃ. CC.XXXVIII. Valentiam obtedisset, sanciens vt cuius ciuitatis ciues primò vrbem irrupissent, illorum moneta ponderibusque Valentini vterentur. Ilerdenses ante omnes in vrbem irruentes eò Coloniam deduxere, vnde in hodiernum diem Valentia publicis in litteris *Ilerdam* matrem vocat.

CAP. XXCV.

TARRACO.

DE TARRACONIS ORIGINE. SCIPIONVM OPVS. Dicta Colonia Iulia Victrix Tyrrhenica. *Strabonis lapsus. Circi vestigia. Inscriptiones veteres. Vino linoque nobilis.*

NObilissima est Hispaniæ Citerioris vrbs *Tarracon*, à quâ & vniuersa prouincia Tarraconensis vocata: de cuius primordiis, & conditore variè sentiunt Hispanicarum rerum scriptores. Annius Viterbiensis, aliiq; triuiales ex opinione Berosi, à Tubale, filio Iapheti, conditam fuisse asseuerant, & lingua Aramea dictam fuisse *Tharacoam* quod pastorum congregationem illis significat: quorum ego opinionem nauci non fecerim, cùm apud doctiores adulterina esse Berosi scripta hæc ità confesso sit, & nugatoris Annii suppositititium partum, vt Ioannes Goropius Becanus in Hispanicis, & in Originibus non semel ostendit. Gaspar etiam Barrerius, peculiari libello, Berosum, Manethonem, Metasthenem, ceteroſq; eius farinæ, quibus Annius tantopere innititur, ita excussit, vt impostura, & larua cuiuis detractam ostenderit. Franciscus Tarapha Ægyptios, duce quodam *Tarracone*, in Hispanias venisse, atq; ibi vrbem in illius memoriam condidisse refert. Episcopus verò Gerundensis ad Herculem eius originem refert, atq; à Phœniciæ populis, quos *Aconitas* vocat (qui nuspiã sunt) conditam, dictamque *Tarraconem*, quasi *terrâm Acon*; sed mittamus hos nugivendulos, & secundioris famæ Scriptoribus inuitamus,

Queis meliore luto finxit præcordia Phœbus.

Plinius itaq;, Solinus, & Martianus Capella, vnanimi voce, Scipionum opus esse *Tarraconem*, sicut Carthaginem Pœnorum asserunt, non quòd prima vrbis fundamina iecerint. Constat enim ante Scipionum aduentum ex T. Liuio vrbem fuisse, sed quod ex obscura in clarissimam ciuitatem illorum opera euaserit: nam de primis eius initiis apud fide dignos auctores altum silentium. Colonia igitur fuit Scipionum *Tarraco*, cognominata *Iulia victrix Tyrrhenica*, vt ostendit doctissimus Ant. Augustinus, Antiquitatum dialogo VII. ex antiquis inscriptionibus tum Tarraconæ, tum Barcinonæ repertis. Tarraconensis huiusmodi est:

GENIO.
COL. I. V. T. TARRAC.
L. MVNATIVS. APRONIANVS.
II. VIR.
Q. Q. TESTAMENTO.
EX. ARG. LIB. XV.
PONI. IVSSIT.

Barcinone verò pluribus in locis hæc conspicitur inscriptio:

IIIIII. VIR. AVG.
COL. I. V. T. TARRACON.
ET. COL. F. I. A. BARCIN.

Id est. *Seuir Augustalis Coloniæ Iuliæ victricis Tyrrhenicæ Tarraconis, & Coloniæ Faventiæ Iuliæ Augustæ Barcinonis.* Scio nonnullos legere *Coloniæ Iuliæ Elpiæ Traianæ*, vel *togatæ*, sed ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ verum est, præsertim cùm & Ausonio *Tyrrhenica* dicatur. Epistola est apud Paulinum:

Cæsareæ Augustæque domus, Tyrrhenica propter
Tarraco.

Pomponius Mela opulentissimam esse dicit, inter illius oræ maritimas vrbes, *quam Thulcis modicus amnis super, ingens Iberus deorsum stringit.* quam Strabo ad principum peregrinationes excipiendas commodissimam, & natam esse, sitamque in sinu quodam maris, sed portu carere. reclamat tamen T. Liuius, qui lib. XXII. Scipionem magna classe portum *Tarraconis* ex alto tenuisse, militemque ibi exposuisse scribit. Hodierna certè die multa indicia antiquitus portum fuisse ostendunt. rudera enim non pauca obiectæ molis, quo à ventis tutiores essent naues, visuntur; & hoc ævo, non tàm triremes hinc soluere compertum est.

Locus hic est (quem incolæ *placa de la fuente* vocant) amplitudine, & latitudine insignis, qui ex non obscuris vestigiis Circus olim fuisse creditur: quod vt facilius credam faciunt binæ inscriptiones antiquæ, Aurigis nobilioribus dedicatæ, quarum prior in templo D. Virginis dictæ *del Milagro* conspicitur: quas lubet attexere.

D. M.

Factionis Venetæ Fusco sacrauimus aram
De nostro: certe studiosi, & bene amantes.
Vt scirent cuncti monimentum & pignus amoris,
Integra fama tibi, laudem cursus meruisti,
Certasti multis, nullum pauper timuisti,
Inuidiam passus, semper fortis tacuisti,
Pulcrè vixisti, fato mortalis obisti.
Quisquis homo es, quærens talem subsiste viator,
Perlege si memor es, si nosti quis fuerit vir.
Fortunam metuant omnes, dices tamen vnum:
Fuscus habet titulos, mortis habet tumulum.
Contegit ossa lapis, bene habet, fortuna valebis.
Fundimus insonti lacrymas, nunc vina precamur,
Vt iaceas placidè nemo tui similis.
Τοὺς σοὺς ἀγῶνας οἰμὼ λαλήσει.

Id est: *Tua certamina auium loquetur.*

Altera inscripta est statuæ, quæ sinistra manu palmam, in victoriæ signum continet, quæ in hortis exstat doctissimi Ant. Augustini Archiepiscopi Tarraconensis:

D. M.

EVTYCHETI. AVRIGÆ. ANN.
XXII. FL. RVFINVS. ET. SEMP.
DIOFANS. SERVO. B. M. F.

Hoc rudis auriga requiescunt ossa sepulcro,
Nec tamen ignari flectere lora manu.
Iam qui quadriugos auderem scandere currus,
Et tamen à biiugis non remouerer equis.
Inuidere meis annis crudelia fata,
Fata quibus nequeas opposuisse manus.
Nec mihi concessa est moriturò gloria circi,
Donaret lacrymas ne pia turba mihi.
Vssere ardentes intus mea viscera morbi,
Vincere quos medicæ non valuere manus.
Sparge precor flores super mea busta, viator,
Fauisti vino forsitan ipse mihi.

Et ne quid vrbanis deliciis splendorique deesset, Theatrum olim egregii operis habuit, vt ruinæ testantur, eo loci, vbi nunc templum est D. virginis dictæ *del Milagro* licet nunc deforme, & incultum sit: siquidem in templi structuram pulcerrimi lapides sunt ablati, erarque ab vna parte in viua rupe excisum, vnde & sedilia, & gradus. Suburbanus ager frumenti, olei, pecorisque abundans admodum, vini laudatissimi ferax, vt testis Silius Italicus lib. III. belli Punici:

dul

——dat Tarraco pubem
Vitifera, & Latio tantùm ceſſura Lyæo.

Et Martialis etiam lib. XIII. Epigr. XVIII.

Tarraco Campano tantùm ceſſura Lyæo,
Hæc genuit Thuſcis æmula vina cadis.

Laudatiſſimi etiam lini ager eſt patiens, cui torrens, qui Tarraconem alluit, eximium ſplendorem conciliat, teſte Plinio lib. XIX. cap. I. *Et Citerior Hiſpania habet ſpendorem lini præcipuum torrentis, in quo politur, natura, qui Tarraconem alluit, & tenuitas mira: ibi primùm carbaſis repertis.*

Archiepiſcopatum habet hæc vrbs percelebrem, & vetuſtum, & ſi Gerundenſi Epiſcopo fides habenda, Toletano prior eſt. Illud certè non minimum eſt, non agnouiſſe vnquam huius vrbis Præſules, Toletanum Archiepiſcopum pro ſuperiore, & primate: vt ceteræ omnes Hiſpaniæ vrbes, & ab illius ſe iuriſdictione ſemper eximiſſe, vt nec iter facienti Toletano Præſuli per diœceſin ſuam, erectam ferre crucem permiſerint.

Auguſto Cæſari olim dedita fuit, ob beneficia multa illi collata, dum bellum in Cantabros pararet, cuius memoriam & poſt mortem ita proſecuti ſunt, vt teſte Corn. Tacito, à Tiberio Cæſare obtinuerint, vt Tarracone templum illi exſtruerent. Plurimis hæc vrbs SS. Martyribus abundat, inter ceteros verò habuit *S. Fructuoſum, Auguſtum*, & *Eulogium* Epiſcopum Tarraconenſem, quorum abunde meminit Poeta Prudentius, hymno illis dedicato:

Felix Tarraco, Fructuoſe, veſtris
Attollit caput ignibus corruſcans.

Hac præterea vrbe oriundus fuit *Paulus Oroſius*, D. Auguſtini diſcipulus, doctrina & eloquentia ſingulari, qui ab orbe condito Chronicon ab ſua vſq; tempora eleganti ſtilo contexuit.

CAP. XXCVI.

EMPORIAE HODIE AMPVRIAS. *A PHOCENſibus condita. Incolæ diuerſi. Inſcriptio vetus.*

MAritima eſt Indigetorum vrbs, inter Tarraconem & Pyrenæos montes ſita. Portu commodo ornata. Clari olim nominis fuiſſe præter hiſtorias, teſtantur non ſpernendæ ruinæ. A Phocenſibus Græciæ populis condita, vt nonnullæ aliæ illo in tractu: vnde Silius Italicus lib. III. vocat *Phocaicas*:

Phocaicæ dant Emporiæ, dat Tarraco pubem.

Stephanus *Emporias* πολιχνὴν πόλιν, eſſe dicit, contra omnem rationem. nam etſi Maſſilienſes, qui illam condiderant, in Celtica ſeu Gallia erant, non tamen Celtas fuiſſe dicendum. Ptolomæus *Emporias* inter duo flumina collocat, Sambrocam videlicet, & Clodianum. Pomponius Mela Clodiani tantùm meminit: Plinius verò lib. 3. cap. 3. pro Clodiano flumen Albam refert. Priùs tamen exiguam inſulam vrbi oppoſitam, teſte Strabone lib. 3. incoluere, quam Παλαιόπολιν vocat; hanc Gerundenſis Epiſc. nunc *Medam* vocari auctor eſt. Quatandem relicta in continentem traiecere.

Vrbs ipſa primò in duas partes diuiſa, & duo oppida, quorũ vnum Græci; alterum indigenæ Hiſpani habitant; poſt deuictos verò Pompeii liberos, deductis Romanis Colonis à Iulio Cæſare, triplex effectum eſt. quæ quia diſertè & graphicè à T. Liuio lib. XXXIV. deſcripta ſunt, lubuit hic verba eius inſerere; loquitur autem de Catonis in Hiſpaniam aduentu: *Iam tunc Emporiæ, duo oppida erant, muro diuiſa, vnum Græci habebant à Phocæa, vnde & Maſſilienſes oriundi, alterum Hiſpani: ſed Græcum oppidum, in mare expoſitum, totum orbem muri, minus CCCC. paſſus patentem habebat. Hiſpanis retractior à mari, trium M. P. in circuitu murus erat. Tertium genus, Romani Coloni ab Diuo Iulio poſt deuictos Pompeii liberos adiecti, nunc in corpus vnum confuſi omnes, Hiſpanis priùs, poſtremo Græcis in ciuitatem Romanam aſcitis. mirareturque quis cùm cerneret aperto mari, ab altera parte, ab altera Hiſpanis tam feræ & bell. coſæ gentibus circumdatos, quæres eos tutaretur. Diſciplina erat cuſtos infirmitatis, quam inter validiores optimè timor continet, partem muri verſam in agros egregiè munitam habebant. Vna tantùm in eam regionem porta impoſita, cuius aſſiduus cuſtos ſemper aliquis ex magiſtratibus erat. Noctu pars tertia ciuium in muris excubabat, neque moris tantùm aut legis*

cauſſa, ſed quanta ſi hoſtis ad portas eſſet, obſeruabant vigilias, & circumibant cura. Hiſpanum neminem in vrbem recipiebant, ne ipſi quidem temerè vrbe excedebant: ad mare patebat omnibus exitus. Porta ad Hiſpanorum oppidum verſa, nunquam niſi frequentes, pars tertia ferè, cuius proxima nocte vigiliæ in muris fuerant, egrediebantur. Cauſſa exeundi hæc erat, commercio eorum Hiſpani imprudentes maris gaudebant, mercarique & ipſi ea, quæ externa nauibus inuecherentur, & agrorum exhibere fructus volebant: huius mutui vſus deſiderium, vt Hiſpana vrbs Græcis pateret faciebat. erant etiam eò tutiores quòd ſub vmbra Romanæ amicitiæ latebant, quam ſicut minoribus viribus quàm Maſſilienſes, ita pari colebant fide. Hactenus Liuius.

Inter antiquas verò Emporitanorum ruinas cippus repertus non inelegans, qui docet Græcos, nec Hiſpanorum moribus linguaque pollutos, in Romanorum tandem ditionem ceſſiſſe: quam inſcriptionem Ambroſio Morales de *Hiſpania* optimè merito acceptam fero.

EMPORITANI. POPVLI. GRÆCI.
HOC. TEMPLVM. SVB. NOMINE. DIANÆ. EPHESIÆ. EO.
SÆCVLO. CONDIDERE. QVO.
NEC. RELICTA. GRÆCORVM.
LINGVA. NEC. IDIOMATE.
PATRIÆ. IBERÆ. RECEPTO.
IN. MORES. IN. LINGVAM.
IN. IVRA. IN. DITIONEM.
CESSERE. ROMANAM.
M. CETHEGO.
ET. L. APRONIO. COSS.

Non procul ab Emporiis M. Cato Hiſpanos pugna memorabili deuicit, cæſis quadraginta hoſtium millibus. Cuius abunde Appianus & T. Liuius meminere. Incolæ, teſte Strabone, colligendo lino opus agebant: interior ager ſparti erat ferax, inutilior verò agri pars iuncum producit, qua de cauſa *Iuncarium campum* vocant, à quo crediderim oppido *Iuncariæ* nomen inditum. Hac in vrbe olim Epiſcopalis ſedes fuit, nunc verò Gerundenſi paret.

CAP. XXCVII.

MONTIS SERRATI DESCRIPTIO. QVANDO D. Virgini hic exſtructum templum.

CVm non inter poſtrema naturæ miracula, hunc montem reponi putem; non omittam, quin ſitum eius tenui colore, pro ingenii mei captu adumbrem. Nam ſi exactè graphiceque eum deſcriberem, nec naturæ maieſtati ſatisfacerem, nec infantia mea permitteret, & licet mons hic crebris vndique rupibus ambiatur, ipſe tamen longè ſuper omnes eminet, vt procul viſentibus egregiè turritæ arcis, monti impoſitæ ſpeciem præbeat: talique ordine rupes hæ diſpoſitæ videntur, vt natura religioſo quodam horrore intuentium oculos in ſe conuertere videatur. Ambitu ſuo IV. leucas cõplectitur, nubibuſque ſe condere ob eximiam altitudinem creditur: vertice eius deſpectantibus vicini montes camporum imaginem præbent: raræ hic conualles, plerunque ſolidæ rupes, & immenſæ altitudinis aſpreta: atque vbi in rupis verticem magno labore te euaſiſſe putas, ſtatim ſe offert alia multo altior, in quam vbi per ligneos gradus enixus es, creſcere adhuc rupis altitudo videtur. Interdum in vaſtæ magnitudinis murum excurrunt, variis hinc inde quaſi caſtellis prominentibus, interdum ſeorſum collocatæ, ceteriſque anulſæ montibus, turris imaginem præbent: & licet horrendæ procul appareant, frequenti tamen, & viridante arbore conſitæ Theſſala referunt: & cùm prorſus inacceſſæ videantur, humanæ tamen induſtriæ hic natura victa ceſſit. Nam inuiis in locis, ſumma arte ſubliceas ſcalas duriſſimis ſcopulis affixere, quæ cum multa fronde ſunt tectæ, aduenis gratiſſimas vmbras aduerſus ſolis æſtum præbent. aiunt à montis iugo, ſudo cælo, Baleares inſulas (vulgò *Mallorca* & *Menorca*) quæ ſexaginta hinc leucis diſtant, poſſe conſpici. Montis radices alluit amnis, vulgò dictus *Lobregat*; Ptolemæo verò *Rubricatum*: quod ſanè nomen potiori ratione illi impoſitum fuiſſe puto, quam Arabico ſinui, Mare rubrum. Fluctus enim toto anni tempore

pore maximè rubent, colorem ab arenis, quas pertransit, mutuatur: amnis est inglorius nullíusque pœnè vtilitatis: nam hybernis aquis summopere exæstuat, æstate verò agris inutilis, & arescente pœnè aluco, iners voluitur. Restat vt paucis D. Virginis Cœnobii, illis in locis exstructi originem referam. Quo tempore Barcinonæ Guifrius Pilosus cognomine, III. Comes imperabat anno D.CCC. LXXX. opiliones qui his in rupibus gregem pascebant, frequenter animaduerterunt diebus sabathi, post meridiem, in rupem vnam frequens lumen cœlo descendere, vnà cum iucundissimo musices concentu. Hoc ostentum vbi parentibus retulerunt, & reipsa illis compertum esset, villæ illius parocho, & Episcopo Manresæ rem totam significarunt: qui cùm eadem oculis vidissent, frequenti clero, supplicatione indicta, deducente eos insolito quodam & fragranti odore, ad rupem peruenere, vbi D. Virginis imago, in antro reperta fuit (nunc in cœnobio visitur) quam Episcopus vnà cum clero, Manresam versus magno honore deferebant. Cùm vix eò loci ventum, vbi nunc Cœnobium est, non potuere imaginem loco mouere, sed ibi fixa permansit: quo conspecto Episcopus ibi ædem vouit Diuæ Virgini, dedicauitque. Cœnobium in medio montis situm est, sub inaccessa rupe, vt è propinquo spectantibus, ruinam minari videatur: nec immeritò. Nam ante paucos annos, pars præcipitis scopuli diuulsa decidit, vt nosocomium protriuerit multosque in illo ægros afflixerit. templum est exiguum & obscurius paulo, frequentibus vndique votiuis tabellis ornatum. Spectantur supra XC. argenteæ lampades: imago D. Virginis colore est subfusco, & intuentium oculos cœlesti quadam maiestate præstinguens. His in rupibus XII. sunt anachoretarum casæ: nec admiratione caret, videre inter confragosas, & aspertimas rupes, domunculam quandam, tanquam hirundinis nidum, scopulo affixam, & quia pensiles sunt, videntur quouis vento casum minitari: & quod captum pœnè omnem superat, vbi eò perueneris; videas vno in tuguriolo conclaue, triclinium, musæum, sacrarium, atrium, hortum, & quidquid demum concinnis ædibus conuenit, omnia affabrè facta: nec modicis impensis his in locis casula vna exstrui potest. Multa de hoc monte dicenda supersunt, quæ vt orationis satietatem effugiam silentio inuoluo, si hoc vnum instar colophonis addidero. Monrem hunc natum videri ad solitariam vitam degendam. nullæ hic turbæ, nulli importuni strepitus, qui mentem à diuina contemplatione possint auocare; solùm hic audire est iucundos auicularum garritus, ipsasque aues videre Anachoretarum manibus intrepidè alludere, & cibum capere. Miraculorum seriem enarrare non est huius instituti, neque paucis ea complecti possem.

CAP. XXCVIII.

BARCINO.

DE BARCINONIS ORIGINE REIECTAE FABVLAE. A Carthaginensibus condita. Barcinus *&* Barcilona *dicta.* Fauentia Iulia Augusta *cognominata. Vrbis descriptio.*

DE nobilissimæ huius vrbis exordiis varia, incertaque, & magna ex parte fabulosa circumferuntur, quibus barbarorum scriptorum libri ad nauseam vsque refetti sunt. Nonnulli enim quibus gnarum, Iberos, Persas, & Phœnices relicta Asia in Hispaniam commigrasse, cùm legissent in maculato codice, esse in Caria vrbem *Barcillam* (quæ Plinio *Bargyla*, Ptolemæo verò *Pargylia* vocatur) calidè nimis, & incallidè, nec ratione, nec auctoritate vlla adhibita, à *Barcilla* illa *Barcilonam* originem dixerunt trahere. alii nescio quas duodecim cymbas (vulgò *Barcas* vocant) sibi finxerunt, ex quibus nonam cymbam, quia illa Hercules aduectus fuerat, vrbi nomen dedisse. Qua in re non vulgus solùm, sed etiam Rex Alphonsus, *Prudens* licet cognomento, imprudenter lapsus fuit, in suis Hispaniæ Annalibus. tantumque hæc putida fabella apud rudem bonarum artium populum valuit, vt publicis vrbis nummis ridicula hæc inscriptio adderetur, BARCA NONA, in Herculis æternam memoriam. Mihi de vrbis initiis hactenus nihil certi liquet, nisi illam Carthaginensibus debere primordia, vt testatur Ausonius ad Paulinum his versibus:

Quid queror? Eoique infector crimina monstri,
Occidui me ripa Tagi, me Punica Ledit
Barcino, me bimaris iuga ninguida Pyrenæi.

Non absurde quidam hariolantur Hamilcarem Barchinum, Hannibalis fratrem exstruxisse *Barcinonem*, cui rei aliquantulū fauere videtur Martianus Capella, his verbis lib. VI. *Nam Pœni qui fundauere Charthaginem, conditas vbicumque vrbes, amico sibi nomine præsignarunt.* Hęc sufficiant de *Barcinonis* origine in tam spissa caligine, exiguo conjecturæ lumine detexisse. Vocatur etiam *Barcinus* a Paulino Epistola ad Ausonium hoc versu.

Cæsarea est Augusta tui Barcinus amœna.

Paulus Orosius lib I. cap. III. & Æthicus *Barcilonam* vocant. Eandem verò Romanorum Coloniam fuisse, testis est Plinius lib. III. his verbis: *In ora autem Colonia est Barcino, cognominata Fauentia.*

Florianus Occampius, non parum hic lapsus, dum ait Romanos, *Barcinonis* nomen in *Fauentiam* mutasse, neścius cognomen non abolere nomē, sed potius adaugere. Ant. Augustinus Dialogo VII. è nummis antiquis, dicit vocari *Coloniam Fauentiam Iuliam Augustam Barcinonem*: hoc pacto COL. F. I. A. BAR. Vibs hæc Pomponii Melæ ætate exigui nominis aut famæ fuit: *Inde*, inquit, *ad Tarraconē parua sunt oppida, Blandæ, Illuro, Bętullo, Barcino.* Hodie vero ex totius Hispanię nobilissimis vrbibus est, & rerum gestarum magnitudine nullis inferior, paucis æqualis. Omnibus enim bellis, quæ in Sicilia, & Italia late per Aragoniæ Reges, felicitergesta sunt, natalibus maxime præliis, magnis copiis interfuere Barcinonenses. Quin etiam cum cęteris Catalanis (quorum Metropolis *Barcino* est) felices in Africam & Orientem expeditiones aliquot fecere, & cum terrore Catalanorū ibi vulgatum nomē. Comites habuit, à tempore Caroli Magni, qui Maurorū illam fugo exemit, circa annū 801. cōstituto Bernardo quodam Comite, quo exstincto suffectus à Ludouico Pio Imp. Iamfredus (alii *Guifrium* vocant) à quo series continua Comitum fluxit, donec an. MCLXII. Aragoniæ regno Barcinonensis Comitatus coniunctus fuit. Sita autem est in agro Laletano, qua mediterranea respicit, loco campestri, multis hinc inde villis conspicua, quæ amœnissimum oculis prospectum præbent, ideoque merito à Festo Auieno *amœna* vocatur:

Et Barcinonum amœnas sedes ditium:
Nam pandit illic tuta portus brachia
Vuet que semper dulcibus tellus aquis.

Muro cingitur ex latericulo coctili quem turres opportunis locis dispositæ interstinguunt: fossam habet latam & profundam. Domus sunt passim ex viuo saxo exstructæ, quas hortorum amœnitas egregie exornat. horti ipsi, frequenti myrto, & lauro ornati, iasminio, citreisque intercurrentibus. Plateas habet latas & apertas, & quod in Hispania rarum est, cloacarum beneficio mundas. Templa affabre exstructa, picturis & altaribus exculta. Mercimoniis in primis floret, & opificum industria vitri conflandi adeo periti, vt Venetis vix cedant. Bellica olim laude, dum sub Comitibus fuit, egregiè floruit. Vini, leguminum, & horariorum fructuum ferax admodum; frumenti, oleique indiga, sed defectum vicini abunde supplent. inter geminos amnes sita est, qui sub incolarum pene oculis, se infundunt: ab Oriente est Betullo, à Mela sic vocatus, hodie truncata voce *Besons* dicitur, ab Occidua parte Rubricatum. Non procul ab vrbe mons se extollit prærupte altus, vulgo *Monjui*, ab antiquis vero, auctore Gaspare Barrerio, *Mons Iouis*, quo in loco (quod C. Plinius inter Italiæ miracula recenset) inexhausta & perennis est lapicidina, licet ad vrbis muros, & ad complures nobilium domos, assiduo hinc materia petatur, adimplet tamen liberalis natura montis illa vlcera, & cicatricem obducit, vt tot annorum decursu, nihil pœne excisum videatur. Hac in vrbe palmam martyrii adeptus est sanctus *Cucufas*, natione Arabs, attestante Prudentio his verbis:

Barcinon claro Cucufate freta.

Sublatus est hic per insidias, Gothorum Rex Ataulphus, vna cum sex filiis, teste Paulo Orosio, cuius adhuc aliqua sepulcri vestigia exstant, vna cum hoc Epitaphio: licet imperitæ plebi vel Herculis, vel Regis Hispani esse persuasum sit:

Bellipotens valida natus de gente Gothorum
Hic cum sex natis, Rex Ataulphe iaces.
Ausus es Hispanas primus descendere in oras,
Quem comitabantur millia multa virum.
Gens tua tunc natos, & te inuidiosa peremit,
Quem post amplexa est Barcino magna gemens.

CAP.

CAP. XXCIX.

DE GERVNDAE ORIGINE VARIA. HODIE GIRONA dicta. Situs eius & descriptio.

QVam vulgo *Gironam* vocant, Plinio, Ptolemæo, Antonino, & Prudentio *Gerunda* est; Florianus Occampius, aliique apud me subleſtæ fidei Annalium conſarcinatores, à Geryone exſtructam credunt, ab eo ſcilicet primum *Geryonam*, & mutato leuiter nomine *Gironam* dictam eſſe. Decepti procul dubio à Geryone, qui olim aliquo Betice in angulo imperauit: interim meridiana in luce cęcutientes, non vident corruptum eſſe à *Gerunda*, nec apud vilum ſpectatæ fidei ſcriptorem antiquum hoc legi, niſi forſan Annales aliqui Hiſpaniarum nuper nati hoc prodant, vt & Franciſcus Tarapha: quorum apud me diluta nimium eſt auctoritas; nec dubito quin Florianus ex Ioanne Annio Viterbienſi hęc hauſerit, qui mihi inſtar alterius Paſcphari eſt, ita meras nugas & gerras Siculas blaterat. Is Cōmentariis in Berosum *Gerundam* à Geryone conditam fuiſſe contendit: qua auctoritate innixus, ignoro: niſi, vt paſſim ſolet, nudo ſimilitudinis præſtigio allectus, neglectis interim periſſimorum Geographorum rationibus. Aſſurgit *Gerunda* leui tumulo, antiquo muro circumdata, triquetra forma; quod in Geryonis memoriam factum eſſe fabulantur. Gerundenſis ait in vnoquoque angulo arcem fuiſſe ſingulis fratribus atributam: ſed quis eſt tam *ἀγέλαστος*, cui hæc non moueant riſum? quaſi vero ab Herculis aut Geryonis ætate, non dicam vrbs aliqua, ſed murorum rudera aliqua, in hodiernam diem exſtare potuiſſent, in Hiſpania præſertim, tot bellis lacerata, & barbarorū inundationib⁹ vaſtata: quod ſi Romanorū opera, multis ſeculis Geryone poſteriora, quæ architecturæ peritia, & materiæ firmitate, aduerſus quasvis ævi iniurias firmiſſima videbantur, ita vt nec ipſa

Poſſet diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum:

funditus pene perierunt, & citra hiſtorias ex hominum memoria ſublata eſſent, quid de antiquioribus dicemus? Hanc vrbem Ptolemæus, inter Tarraconenſis prouinciæ populos *Auſetanos* collocat. alluitur flumine *Vadi* vocato, vulgo vero *Onbar*: immiſcet ſe alteri flumini ab incolis vocato *Ter*, cuius etymologiam deducunt etiam à trigemino Geryone. Mihi videtur hic eſſe amnis, qui Pomponio Melæ *Thicis* dicitur, à quo corrupte *Ter* nunc dicitur. Cuius verba ſunt: *Aceraria eſt proxima ripes, quæ in altum Pyrenæum extrudit; dein Thicis flumen ad Rhodam, Clodianum ad Emporias.* Et licet vrbs parua ſit, opificum tamen, mercatorumque numero eſt locuples: ſpectatur hic in Cathedrali eccleſia altare, vna cum imagine ex argento fuſili, variis vtriuſque teſtamenti emblematis inſculptis: frontiſpicium vero lateraque altaris auro, multiſque gemmis coruſcant. D. Felicis corpus hac in vrbe ſpectatur, vt teſtatur Prudentius:

Parua Felicis decus exhibebit
Artubus ſacris locuplex Gerunda.

D. etiam Narciſſi martyris hic reliquiæ ſeruantur: in cuius honorem plurima miracula Deus fecit. ſufficiet vnum, ſed memorabile, adduxiſſe. Quo tempore Petrus IX. Aragonum Rex, & Catalonię Comes rerum potiebatur, Galli, auſpiciis Philipi III. Regis (Marineus Siculus lib. 11. ſub Carolo Siciliæ Rege hoc accidiſſe refert) Gerundā vi occupant, qua victoria elati, humana pariter & diuina ſpernentes, eo impietatis venerant, vt templum ſtabuli loco ducerent. Qua de cauſſa, Deo vindice, magna copia muſcarum ex viridi candicantibus alis, ex ſepulcro D. Narciſſi erupit, quæ lethali aculeo Gallos, multo celerius ipſa peſte necabat. Quamobrem amiſſa magna copiarum parte, coacti fuere vrbem deſerere. Rex ipſe æger Emporiis diem clauſit; alii verò Perpiniani obiiſſe tradunt. Sedem habet Epiſcopalem, cui olim præfuit Ioannes Margarinus, vnde paſſim Gerundenſis Epiſcopus vocatur. Anno Domini DXVII. celebratum hic Concilium VII. Epiſcoporum, ſub illius vrbis Præſule Fortuniano, vt auctor eſt Ioannes Vaſæus in Chronico.

CAP. XXC.

PIRENAEI MONTES. DE ETYMO VARIA.

GAlliam ab Hiſpania Pyrenæi montes dirimunt, geminis promontoriis, in duo maria procurrentibus: in mediterraneum quidem *Templo Veneris*, priſcis Geographis vocato, vulgo *Cabo de Creus*: in oceanum vero Gallicum *Olearſone*, hodie currupto nomine *Oiarco*: frequentes hinc inde, in Hiſpaniam & Galliam montes hi ramos ſpargunt; inter vtrumque mare LXXX. circiter leucarum ſpatium occupant. Hac in parte Hiſpania ſeipſa anguſtior eſt multo, hinc vero, quo magis in ſeptentrionem, & occi- 10
dentem, ad oceanum & à meridie in mediterraneum mare excurrit, eo latior euadit; inſultante hinc inde pelago, præterquam qua Pyrenæi Hiſpaniam claudunt. qua de cauſſa Paulo Oroſio *Peninſula* vocatur, Straboni vero quam optime bubulo corio aſſimilatur, ita vt qua Pyrenæos ſpectat caput referat, reliqua vero corpus, qua ſe inter duo maria exporrigit. nonnulli, inter quos Beuterus, opinati ſunt hanc montium ſeriem vniuerſam non deberi Pyrenæos appellari, ſed diuidi in Antipyrenæos, & Pyrenæos; ſed non ita facile à recepta priſcorum Geographorum opinione recedendū. Nomen autem Pyrenæi à Græco nomine πῦρ videtur deriuatum, quod olim iniecto ibi ab armentariis igne conflagrarunt, teſte Diodoro Siculo lib. V. aliiſque Geographis, & Ariſtotele, libro de mirandis auſcultationibus: *In Iberia*, inquit, *combuſtis aliquando à paſtoribus ſiluis, calenteque ignibus terra, manifeſtum argentum defluxiſſe, cumque poſtmodum terræmotus ſuperueniſſet, eruptis hiatibus, magnam copiam argenti collectam, atque inde Maſſilienſibus prouentus non vulgares obtigiſſe.* Alii vero dicunt nomen fluxiſſe à Pyrena virgine, ab Hercule vitiata, cuius ita meminit Silius Italicus: 11

Pyrene celſa nimboſa verticis arce
Diuiſos Celtis, late proſpectat Iberos;
Atque aterna tenet magnis diuortia terris:
Hoſpitis Alcidæ crimen; qui ſorte laborem
Geryonis peteret cum longa tricorporis arma,
Poſſeſſus Baccho, ſæua Bæbrycis in aula 30
Luqendam formæ ſine virginitate reliquit
Pyrenem.
Deflentumque tenent montes per ſecula nomen.

Sed hoc à Plinio pro fabuloſo reiicitur: ridiculum vero eſt, quod Annales Regis Alphonſi circa Pyrenæi nomenclaturam adducunt. Aiunt enim à *Pyrrho* Hiſpaniarum rege Pyrenæos vocatos fuiſſe, cum primo *Cetubales* à Tubale vocarentur. ſed præ vetuſtate putida eſt hæc opinio, proinde nugatoribus hanc relinquamus, quibus ne mica quidē ſalis eſt, vt hanc conſeruent. Iſidorus Orig. lib. XIV. cap. VIII. Pyrenæum dicit nuncupatum à crebris fulminum ignibus: quòd ferè celſi montes fulgure perantur: vnde & aptiſſime Claudianus lib. de laudibus Serenæ: 40

——*Pyrenæique ſub antris,*
Ignea fulmineis legere Ceraunia nymphæ.

Aiunt enim & naturæ ſagaciores indagatores gemmam Ceraunian, locis fulmine ictis tantum reperiri (quales Pyrenæi montes feruntur) vnde & illi nomen. hinc Marbodeus lib. De gemmis.

Illis quippe locis, quos conſtat fulmine tactos,
Iſte lapis tantum reperiri poſſe putatur.
Vnde Κεραύνιος *eſt Græco ſermone vocatus.*

Refert Strabo lib. III. Pyrenes latus, quod in Hiſpaniam vergit frequentibus arboribus conſitum eſſe, quod vero Galliam ſpectat, nudum pene aridumque ſpectari. 50

CAP. XCI.

RHVSCINO OLIM GALLIAE ANNEXA. PERPINIANVM VETERIBVS IGNOTVM. Opinio Annii Viterbienſis explosa. Deſcriptio eius.

QVi Hiſpaniæ terminus, potuiſſet & operis mei eſſe Pyrenæus: quidquid enim terrarum eſt citra illum; Galliis olim annumerabatur. Sed quia Rhuſcinonenſis comitatus,

mitatus, ab aliquot ſeculis Hiſpaniæ annexus, & non ignobilis eſt: iure videbor extra ordinem pauca de illo dicere. Functo Gerardo Comite Rhuſcinonenſi, abſque herede anno M.C.LXVIII. ad Alphonſum Nonum Aragoniæ regem deuolutus eſt. Cœpitque tum primum in publicis monumentis vocari Rex Aragoniæ, Rhuſcinonis Comes, & Prouinciæ Marchio. Sed Ioan. II. Arag. Rex ærarii inopia compulſus, Ludouico XI. Gallorum Regi trecentis aureorum millibus hunc comitatum oppignorauit: quem Carolus VIII. anno M.CCCC.XCIV. Ferdinando Regi iterum reſtituit. Nomen autem illi dedit antiqua Romanorum Colonia, quæ *Rhuſcino Latinorum* vocabatur, quam Athenæus, & Geographi, in Gallia Narbonenſi collocant, licet nunc à multis ſeculis Cataloniæ ſit annexa: Pomponius Mela deſcribens Gallias à flumine Rheno ad Pyrenæos vſque, hæc de Rhuſcinone prædicat: *Inde eſt ora Sardonum, & parua flumina Thelis & Thicis; vbi accrenere perſuasi: Colonia Rhuſcino, vicus Illiberis, magnæ quondam vrbis, & magnarum opum tenue veſtigium.* Strabo pene eadem, mutatis verbis: *E Pyrene quidem Rhuſcino & Illiberis amnes exeunt, è quibus vterque eiuſdem nominis vrbem habet.*

Solebat hæc vrbs eſſe, vbi nunc Caſtellum quoddã eſt, media leuca à Perpiniano, circa quod, multa rudera, & ædium priſcarum paſſim diſiecta veſtigia videre eſt. Vnde & hodierno æuo arx Rhuſcinonenſis vocatur. Incolæ etiam opinantur, eo loci quondam non incelebrem vrbem fuiſſe, in cuius locum *Perpinianum* ſucceſſiſſe putant. Nomen recens, nec penes Geographos celebratum; quæ res nonnullos mouit (inter quos Pet. Oliuarius Valentinus) *Perpinianum* olim *Rhuſcinonem* fuiſſe. Ioanni vero Margarino Gerundenſi Epiſcopo, longè aliter viſum: quippe cum nomen *Perpiniani* nuſquam apud exploratæ fidei Geographum reperiſſet, in eum impegit ſcopulum, vt *Perpinianum* credat vrbem eſſe, quam in Itinerario Antoninus *Stabulum* vocat, ego ſanè crediderim eum, dum hæc ſcriberet, aliud egiſſe Antonini locum legendo, nulla ſcilicet diſtantiæ habita ratione: ſiquidem is numerat à Salſulis Stabulum vſq; XXXVIII. M. P. qui XII. leucas conficiunt, cum Salſulis *Perpinianum* tres tantum ſint. Caſtellum vero eo loci eſſe vbi olim *Rhuſcino*, docet manifeſte Antoninus: ſiquidem Narbone *Rhuſcinonem* XL. M.P. numerat, qui X. leucæ ſunt, quot Narbone ad *Rhuſcinonis* Caſtellum numeramus. Refert P. Ioannes Mariana lib. IX. an. M. LXVIII. opera Guinardi Ruſcinonenſis Comitis, conditum eſſe Perpinianum.

Vrbs hæc tribus leucis trans Pyrenæos montes ſita eſt loco plano, niſi quod Meridiem verſus in cliuum leuiter aſſurgat, cui arx imminet. Alluitur amne Theli, cuius pars intra muros recepta eſt. Poſt vltimam Gallorum obſidionem, anno cIↃ. Ic. XLIII. muros egregie communierunt incolæ additis nonnullis propugnaculis. Lanificii hic frequentes opifices: vrbs ipſa citra iniuriam inter amœniſſimas totius Hiſpaniæ reponenda; licet aura minima de cauſſa maximas mutationes patiatur, & vt vniuerſa Narbonenſis prouincia, ſeuis ventorum turbinibus obnoxia. Magna in veneratione hic habentur D. Honorati Epiſcopi Arelatenſis reliquiæ, in Carmelitarum monaſterio repoſitæ, tum etiam corpora SS. Iuliani & Baſiliſſæ. Hoc in comitatu Epiſcopalis eſt vnica vrbs *Helna* nomine, Diuo Hieronymo vero in appendice ad Chronicon Euſebii Cæſarienſis, *Helena* vocatur: vbi de Imperatore Conſtante loquitur: *Conſtans non longe ab Hiſpania, in Caſtro, cui Helenæ nomen eſt, interficitur.* Eutropio etiam eodem nomine appellatur, his verbis: *Obiit Conſtans, non longe ab Hiſpaniis, in caſtro, cui Helenæ nomen eſt, anno imperii XVII. Ætatis verò ſuæ XXX.* Epiſc. idem Gerundenſis putat reginam Helenam, Magni Conſtantini matrem hanc vrbem exſtruxiſſe, aut nepotem eius Conſtantem in eius memoriam; ſed vt ſolet, ſine auctore id aſſerit.

Ad Perpinianum redeo. Beuterus ita dictum putat à πῦρ incendio ſcilicet in Pyrenęis montibus à paſtoribus excitato, ductus in errorem à Ioanne Annio Viterbienſi, qui incendium illud auſpicatum fuiſſe ab illa parte fingit; ſed iuuabit eius nugas in medium adducere: *Regio*, inquit, *proxima his montibus, corrupta nunc Perpiniana dicitur, cum ſcribenda ſit & dicenda Pyrepiniana, id eſt, incendii & conflagrationis oſtium, quia ibi cœpere paſtores ignem arboribus inijcere. nam πῦρ ignis; Pini verò, os originis dicunt etiam Phœnices, vt teſtantur Talmudiſtæ: quin etiam hoc addunt, vt Pi, os & origo dicatur, Ni verò & No, magni nominis & famæ interpretatur. hinc Pyripini, combuſtionis origo magni nominis, à quo Pyrepiniana regio ſcribi debet; niſi forſan quod vſitatiſſimum eſt in compoſitione illa, per ſynæreſim & ſyncopam E littera abiicitur, & dicatur rectè Pyrpiniana.* Hactenus ille; dum deliramenta ſua vultrata eſſe, Phœnices, Hebræos, & Græcos in ſubſidium non ſolum vocat; ſed inuitos obtorto collo trahit, vt ſcilicet

Deſinat in piſcem mulier formoſa ſuperne.

Auctor est L. Marineus Siculus, dum Ludouicus XII. Galliæ Rex, *Perpinianum* obsidione premeret arctissima, ciues ad extremam compulsos penuriam, consumtis etiam immundis animalibus, primo hostium corporibus, tandem & suorum pro dapibus vsos esse. quid illis, si acerbitatem casus intuearis, miserius? si constantiam respicias, fidelius? qui ne à Rege suo desciscerent, extrema pati voluerunt potiùs quam honestè se victori tradere.

CAP. XCII.

SALSVLAE HODIE SALSAS. FONTIS IBI DESCRIPTIO. De piscibus fossilibus multa.

ARX hæc hodierno die *Salsas*, antiquitus *Salsula* vocabatur: meminit eius in Itinerario Antoninus, is siquidem Narbone *Salsulas* XXX. M. P. numerat, qui septem magnis leucis respondent, quæ hodie numerantur. Pomponius Mela in Galliæ Narbonensis descriptione fontis meminit, quem *Salsulas* vocat, qui leuca tantum ab hac arce distat: priscis scriptoribus non incelebris, nostris vero recentioribus omnino præteritus, & quia res est admiratione digna, nollem etiam mihi obliuionis notam, vt ceteris, inuri: proinde fusius paulo de illo in præsentiarum agam. De eo sic Pomponius Mela: *Vltra Leocata litoris nomen, & Salsulæ fons, non dulcibus, sed salsioribus, quam marinæ sint aquis defluens, iuxta campus minuta arundine gracilique peruiridis, ceterum stagno subeunte suspensus, id manifestat media pars eius quæ abscissa proximis, velut insula natat, pellique se atque attrahi patitur, quin & ex iis quæ ad imum perfossa sunt, suffusum mare ostenditur, vnde Graiis nostrisque auctoribus, veri ne ignorantia, an prudentibus etiã, mendacij libidine visum est tradere posteris, in ea regione piscem è terra penitus erui, qui vbi ex alto hucusque penetrauerit, per eius foramina ictu capientium interfectus extrahitur.* Athenæus vero lib. VIII. ex Polybii opinione eadem pene refert, licet aliis verbis: *Polybius*, inquit, *XXXIV. Historiarum libro, vltra Pyrenem ad Narbonem fluuium, campum pertinere ait, quem Illiberis, & Rhuscino intersecans eiusdem nominis vrbis præterfluentes, quas incolunt Celtæ, in hoc campo pisces eos, qui fossiles vocantur, erui tradit. Campus ipse exilis parumque fœcundus est, multo tamen gramine lætus, subtus verò cum arenosa duorum vel trium cubitorum altitudine ea terra sit, ex proximis fluminibus aqua influit, cuius tortuosos atque multiplices cursus cum pisces cibi gratia sectentur (auidissime enim graminis radices dicuntur appetere) effecerunt, vt vniuersus ille ager, subterraneis piscibus sit refertus.* Aristoteles vero his omnibus antiquior, libro de mirandis auscultationibus, circa locum, vbi fons hic erumpit, non solum longe à vero deuiauit, sed alia etiam de hac piscatura diuersa tradit: *In finibus Massiliensium*, inquit, *circa Ligusticam lacus esse fertur, qui ebulliens effusasque piscium multitudinem immensam, veriqué fidem superantem eiiciat; ceterum fluuiis Etesiis, tantum pulueres concitari, vt coacernata in lacum humo sicca superficiem obtegat, in formamque areæ redigat, vnde indigenis licet, pertusa siccitate, in triuiis quoscumque pisces citra negotium eximere.* Strabo etiam lib. IV. idem manifestè asserit, his verbis: *Iuxta Rhscinonem*, inquit, *lacus est & ager quem alluit paulum supra mare refertus salinis; habet & effossiles Cestrias pisces. nam si quis duos aut tres fodiat pedes, & in limosam aquam fuscinam demiserit, piscem eximiæ magnitudinis fixum penetrat.* Quod ne cui forte mirum videatur; non vno id loco accidere testatur Theophrastus libello De piscibus. refert enim circa Heracleam, & alibi in Ponto & circa Tium Ponti, Milesiorum Coloniam, fossiles reperiri pisces. nascuntur vero illi circa fluuios & aquosa loca, quæ cum siccantur paulatim, pisces subinde humorem sectando terram subeunt. Quod vero in Paphlagonia contingit, peculiarem & abditam rationem habet. Illic enim multos & bonos pisces effodi aiunt, cum neque restagnent iis in locis amnes; miraturque & ipse gigni sine coitu. Eadem pene ex Theophrasto narrat Plinius lib. IX. cap. LVII. Lepide hac de re Seneca lib. III. Quæst. Nat. ad Lucilium: *Theophrastus affirmat, pisces quibusdam locis erui. Multa hoc in loco tibi in mentem venere, quæ vrbane in re incredibili fabulosaque dicas; non cum retibus aliquem aut cum hamis, sed cum dolabra ire piscatum. Exspecta vt aliquis in mari versetur, quid est autem quare pisces in terram non transeant, si nes maria transimus?* T. Liuius prodigii loco narrat lib. LII. in Gallico agro, qua induceretur aratrum, sub existentibus glebis emersisse pisces. Iuuenalis idem vt valde rarum, & instar portenti Satyra XIII. esse dicit:

—— miranti iam sub aratro
Piscibus inuentis, & fœta compare mula.

Sed

Sed nihil æque mirandum duco quam quod Appuleius Apologia pro se prima dicat, in Getuliæ mediterraneis montibus pisces, per Deucalionis Diluuii reperiri. Fossiles vero pisces & hoc æuo quandoque inueniri referunt Rondeletius lib. de piscibus, & Georgius Agricola lib. de animantibus subterraneis. sed ad carceres redeb.

Fontem hunc à *Salsulis* non tota leuca distare, oculatus testis refert Gaspar Barrerius: cuius aqua salsa est, hyberno tempore percalida, æstiuo vero gelida; adiacet huic fonti campus multa humiliq; arundine & aquaticis herbis frequens (vt notauit Mela) & continua aquarum ex hoc fonte emanantium illuuie vdus, hinc vero per canales quosdam in vicinum lacum aqua omnis se exonerat. Fons vero piscosus admodum est. nam & hyberno tempore aquæ calore, æstiuo vero grato eius frigore allecti, gregatim huc pisces confluunt. Arx vero loco campestri sita est, egregie munita, & propugnaculis instructa, vt hostiles impetus contemnere videatur. Tali vero arte propugnacula hæc dispositæ sunt, vt non vna, sed plures arces videantur. Subliciis enim pontibus ita sunt distincta, vt vno capto nihil damni hinc reliqua percipiant.

CAP. XCIII.

INSVLÆ HISP.

CASSITERIDES STANNO NOBILES. DE SITV ILLARUM disquisitio. Plinii lectio controuersa. Oestrymnides Festo. Hesperides Dionysio Alex. dictæ. Festus Auienus correctus. Vbi nam hodie sint.

Lustrata hactenus Hispaniæ continentis potissima pars: nunc æquum est, inter fluenta emergentes terras, (quæ quod *in salo* sunt, *insulæ* vocantur) illustrare; sed cum delectu, & nobiliores tantum, quas præterire iniquum esset. *Cassiterides*, vnde & illis nomen (κασσίτερος enim *stannum* est.) Cl. Ptolemæus in occiduo illas Oceano natat, numero decem. Plinius vero lib. IV. cap XXII. *Ex aduerso*, inquit, *Celtiberiæ complures sunt insulæ, Cassiterides Græcis dictæ, à fertilitate plumbi.* Sed quo pacto ex aduerso Celtiberiæ si illa non solum mediterranea est, sed etiam in orientem porrecta, nimis diuerso situ à Ptolemæi mente. Vero propior Pomponii Melæ opinio, lib. III. cap. VI. *In Celticis*, inquit, *aliquot sunt insulæ, quas, quia plumbo abundant, vno omnes nomine, Cassiterides appellant.*

Celtici enim populi cognomine Neriæ, vel auctore Plinio lib. IV. cap. XX. circa promontorium *Celticum* habitant, quod *Artabrum* & *Nerium* dictum, & in occiduum Oceanum procurrit: vnde Ferdinandus Nonius Pintianus, non *Celtiberiæ*, sed *Celticorũ Neriarũ* apud Plinium legendũ monet. Sed cum Iulius Solinus Plinio adstipuletur, qui has insulas aduersus Celtiberiæ latus spectare dicat, nihil contra fidem omnium librorum innouare ausim: nisi quis dicat vtrobique mendum esse. Præsertim cum & Diodorus Siculus lib. VI. cap. IX. à Ptolemæo & Mela parum dissentiat: *Supra*, inquit, *Lusitaniam plurimum stannum effoditur in insulis Oceani Iberiæ proximis, quæ à stanno Cassiterides nominantur.* Adde Strabonem lib. II. & III. qui has insulas Artabris opponi scribit, nemo vero Celtiberiæ. Insulæ hæ à festo Auieno *Oestrymnides* vocantur, vt etiam suspicatur Cortesius, quas stanni plumbique diuites facit his versibus:

In quo insulæ sese exerunt Oestrymnides
Laxe iacentes, & metallo diuites
Stanni, atque plumbi, multa vis hic gentis est;
Superbus animus, efficax solertia,
Negotiandi cura iugis omnibus.
Noluisque cumbis, turbidum late fretum
Et belluosi gurgitem Oceani secant.
Non hi carinas quippe pinu texere
Facere morem, non abiete vti vsus est
Curuant fiscelo. Sed rei ad miraculum
Nautgia tunctis semper aptant pellibus,
Corioque vastum sæpe percurrunt salum.

Sed vnde dictæ *Oestrymnides* hæ insulæ, mihi æque ignotum, ac pleraque alia nomina, quæ solus hic Poeta vsurpat. Sed emaculandus mihi hic obiter est: vbi enim habet, *Noluisque cumbis*, legendum

Nullisque cymbis turbidum late fretum.

Nam quod Guilelmus Camdenus legit

Non vsque nauibus,

& præter auctoris mentem est: & nimis violenta, & à vero aliena est lectio. Poeta enim innuit, illos omnes esse negotiandi studiosos, nec nauibus vti, quæ hac Camdeni lectione tolluntur. Emendandus etiam videtur, vbi habet:

Non hi carinas quippe pinu texere
Facere morem, non abiete vt vsus est
Curuant fascelo.

Atque ita legendum puto: 10

Non hi carinas quippe pinu texere
Acereve norunt, non abiete vt vsus est
Curuant fascelos.

Innuit enim illos ignorare naues ex pinu, acere, aut abiete texere, seu fascelum curuare, sed ex pellibus aptare nauigia. Vndenec Camdeni lectio probari potest, quæ habet:

Fecere remos, non abiete vt vsus est.

Siquidem *pinu texere*, & *fecere remos* incongruum sensum efficere, cuiuis erudito patere putem. De coriaciis vero nauigiis loquitur Plinius lib. VII. cap. LVI. his verbis: *Etiam nunc in Britannico Oceano vitiles naues corio circumsutæ fiunt.* 20

Dionysius Alex. in περιηγήσει has insulas vocat *Hesperidas*, quas statuit non procul à promontorio sacro, ab aliquibus vocato *caput Europæ*:

Νήσες δ' ἐσπερίδας πρὸ κασσιτέριοι γενέθλη
Α' φνειοὶ ναίεσιν ἀρειφάτων παῖδες ἰβήρων.
Subter & Hesperidum stanni felicibus oris
Magnanimi dites nati dominantur Iberum.

Eustathius certe Scholiastes confirmat has esse insulas *Cassiteridas*, à Poeta vocatas *Hesperidas*, stanno fertiles. Soli olim Phœnices has nouerant, teste Strabone, cæteros mortales celabant, lucri caussa, quod ex stanno plumboque illis veniebat: vnde cum Romani summo studio illarum notitiam indagarent, cursum naucleri cuiusdam 30 obseruarunt, qui, ne insulas detegeret, nauem in limosa loca & breuia sponte impegit, vbi & Romani naufragium fecerunt; ipse vero incolumis enatauit, & ex publico ærario amissi oneris pretium illi solutum fuit. Sed si frequenti tandem nauigatione insulas adiere. Missusque aduersus incolas P. Crassus, sed cum miti illos ingenio, paciq; deditos reperisset, effodiendi ipsis metalla industriam aperuit. Plinius lib. VII. cap. LVII. refert Midacritum quendam, primum ex Cassiteride insula plumbum asportasse. Strabo sub finem lib. III. & in Dionysium Alex. Eustathius, incolas esse μελαγχλαίνες aiunt, indutos talaribus tunicis, cum baculis ambulantes, persimiles tragicarum furiarum, & Nomadum instar, ex armentis victum quærere. Sed iubet inquirere, quo loco nostra tempestate *Cassiterides* sint, præsertim cum de hoc egregie variant auctorum sententiæ. 40 Abrahamus Ortelius suspicatur esse *Pritanias*, plumbo stannoque hodie nobiles. Sed non placet vel eo nomine quod *Cassiterides*, inter Britanniam & Hispaniam auctores pene omnes statuant, & ipse Dionysius Alex. statim post *Cassiterides* fuse prosequitur Britanniæ descriptionem: adde non decem has esse, vt ait Ptolemæus, sed geminas tantum. Guilielmus Camdenus credit esse insulas *Sylly*, quas & nautarum vulgus vocat *Sorlinges*, tum quod Artabris, seu Gallæciæ sint oppositæ, vergantque in Aquilonem; tum quòd stanni venis abundent, quæ vt omnia *Cassiteridibus* congruunt, ita etiam numerus negat illas esse. refert enim illas esse CXL. numero, cùm Cassiterides decem tantum sint, ex quibus etiam incultæ aliquot, teste Strabone, præterquam quod *Sylly* insulæ propiores multo sint Britanniæ quam Hispaniæ. Ego hac in re, lubens Ortelii opinioni subscribam, qui insulas *Sylly* esse Iulii Solini *Silurum* insulas affirmat: quarum & Corn. Tacitus Iulii Agricolæ vita sic meminit: *Silurum colorati vultus & torti plerumque crines, & positu contra Hispaniam, Iberos veteres traiecisse, easque sedes occupasse fidem faciunt.* Gemma vero Frisius mari obrutas latere credidit *Cassiterides*, & nomen tantum posteris transmissum, sed quia facilius est singulorum opiniones conuellere, quam quid certi, in rectam ancipiti statuere, dicam cum Herodoto in Thalia, mihi *Cassiterides* ignotas esse, vel illas esse, quæ non procul à Flauio Brigantio, seu *la Crunna* distant, quarum præcipua *Cizarga* vocatur, teste Ioanne Oliuario in Pomponium Melam, quæ hodie incultæ & neglectę iacent, vel quod stanni vena defecit, vel quod copia tot ditissimarum insularum, ab Hispanis vt viliores spernantur.

CAP.

CAP. XCIV.

PITYVSAE INSVLAE, EBVSVS ET OPHIVSA. SERpentibus infesta Ebusus. *Eiusdem nominis vrbs. Colonia Carthaginensium. Isidorus emendatus. Plinii lectio defensa contra Suritam.*

MEditerraneum mare intrantibus, geminæ se offerunt insulæ, à frequenti pineo frutice dictæ *Pityusæ*, postea *Ebusus* vtraque vocata: dehinc vna vocata est *Ebusus*, altera verò *Ophiusa*, quæ & *Colubraria*. Distant à Balearibus CCC. stadiis, vt Antonini fert Itinerarium, vt vero Plinius lib. III. cap. V. septingentis: subiacet verò *Ebusus* Maiori insulæ Balearidum, vt refert in Cosmographia sua Æthicus. De vtraque verò insula sic Strabo lib. III. *Pityusæ*, inquit, *longius in pelago existentes quàm Gymnesiæ, declinantur in occasum, è quibus vna quidem vocatur Ebusus, vrbem eiusdem nominis continens, circuitus insulæ stadiorum CCCC. latitudo inæqualis, vti & longitudo: prope iacet insula Ophiusa longè minor & deserta.* Cur verò deserta sit, serpentum facit copia, adeuntibus pernicioſa, nisi, vt Mela sub finem lib. III. *ingressis eam, intra id spatium, quod Ebusitana humo circumsignauerunt, sine pernicie tuta est; iisdem illis serpentibus, qui solent obuios appetere, aspectum eius pulueris, aliudue, quod verius, procul & cum pauore fugientibus.* Vnde & Plinius lib. III. cap. V. *Ebusi terra serpentes fugat, Colubrariæ paris: ideo infesta omnibus, nisi Ebusitanam terram inferentibus.* Vocatur autem hodie *Moncolobrer*, vt auctor est Ambrosius Morales, qui ait illos falli, qui vicinam illi insulam *Draganiram Ophiusam* credunt. *Ebusus* verò, interfluente tantùm freto, ab *Ophiusa* separata; quæ à Dionysio Alexandrino, & ab Eustathio eius Commentatore βοῦς vocatur, prorsus contrariis dotibus exornata: siquidem teste Pomponio Mela citato loco, *Frumentis tantùm non fœcunda, ad alia largior, & omnium quæ nocent animalium adeò expers, vt nec ea quidem, quæ de agrestibus mitia fiunt, aut generet, aut si inuecta sunt sustineat.*

Plinius etiam, *Nec cuniculos*, inquit, *Ebusus gignit populantes Balearium messes.* idem asserit lib. VIII. cap. LVIII. Diodorus verò Siculus lib. VI. cap. V. vites ibi & lanam prouenire, palmisque fertilem esse refert. Plinius autem & ficus ferre lib. XV. cap. XIX. dicit: *Honos laudatas seruat* [*ficus*] *in capsis, in Ebuso insula præstantissimas amplissimasque, mox in Marrucinis.*

Saccarum etiam, rarum olim felicitatis donum tulisse innuit Statius Papinius Siluarum lib. I. hoc Hendecasyllabo:

Quod ramis pia germinat Damascus
Et quas præcoquit Eboſia cannas
Largis gratuitum cadit rapinis.

Nihil enim moror illos, qui contra omnium librorum consensum, *Hypasita*, substituunt. Compascuam verò pecori etiam fuisse, ostendit Festus Auienus in sua orbis terrarum descriptione:

Ac dilecta vago pecori consurgit Ebusus.

Vrbem habuit cognominem, & Carthaginensium Coloniam, quæ CLX. annis post conditam Carthaginem, teste Diodoro Siculo deducta fuit; vnde Silius Italicus lib. III. *Phœnissam* vocat:

Iamque Ebusus Phœnissa mouet, mouet Artabrus armâ.

Liuius etiam lib. XXVIII. Magonem tota Hispania pulsum, *Ebusum*, vt ad sociam vrbem traiecisse dicit: *Inde nauibus ad Pityusam insulam, centum millia fermè à continenti (Pœni tunc eam incolebant) traiecit, itaque classis bona cum pace accepta est: nec commeatus modò benignè præbiti, sed in classis supplementum, iuuentus, armaq; data.* Firmam autem & validam fuisse vrbem idem asserit lib. XXII. Plinius verò fœderatam ciuitatem fuisse auctor est. Distat autem à Diano Ebusus, teste Plinio D. CC. stadiis, licet Hieronymus Surita, ex Isidoro lib. XIV. Originum cap. VI. septuaginta vult substituere, nixus etiam ms. Plinii exemplari, sed à vero deuiare palam est. Nam præterquam quòd Iulius Solinus XXVI. Plinio subscribat, accedit T. Liuius, qui lib. XXVIII. dicit fermè centum millia passuum à continenti distare: & bene; nam huic numero explendo centum tantum stadia desunt. Adde his Diodorum Siculum, qui diei vnius tantùm nauigatione ab Iberia abesse dicit. quare retinendam puto Plinianam lectionem, & Isidori locum emendandum, & *Septingenta* stadia, pro LXX. substituendũ. nam cum LXX.

ſtadia vix X. M. P. explent, ipſe viſus longius à continenti diſtare iudicabit. Proinde ita legendum cenſeo in Iſidoro: *Ebuſus inſula Hiſpaniæ dicta, quod à Dianio non procul ſit quaſi Ebozos, nam ſeptingentis ſtadiis ab eo diſtat.* Sed quid ſibi vult etymon illud *quaſi Ebozos?* Delio opus habet natatore: niſi placeat legere, quaſi Διιόζους, quod videlicet Dianium ſtatim excipiat & ſubſequatur, nam Græcam vocem ætatis lapſu corruptam eſſe: & in *Ebozos*, aut, vt alii Codices præferunt, *Abozos*, migraſſe, nihil certius eſt. Sed lectorum iudicio coniecturam hanc expono. Inſula hæc hodie *Yuiza* vocatur, clara inexhauſta & perenni ſalis copia, quę non ſolum Hiſpaniæ, ſed & vicinis prouinciis ſufficit. Hac in inſula antiqua hæc reperta eſt inſcriptio: 10

IMP. CÆS.
M. AVRELIO. CARO.
PIO. FELICI. INVICTO. AVG.
PONT. MAX. TRIB. POT.
P. P. COS. II. PROCOS.
ORDO. EBVSII.
D. N. MER.

CAP. XCV.

BALEARES INSVLAE CVR GYMNESIÆ DICTAE. ANTONINI lectio ſtabilita contra Smilerum. Vnde nomen. Funditores optimi. Laticlauo primi viſi. Mores & ritus. 20

IN Mediterraneo mari, inter Tarraconis & Sucronis maritima, geminæ iacent inſulæ *Baleares*, vel *Balearides* olim dictæ, nunc *Mallorca & Menorca*, à Græcis vero γυμνήσιαι vocatæ. Vel quod æſtate nudi incederent incolæ; vel quod facto naufragio Bæotorum aliqui nudi huc appulerint, vt Tzetzes in Lycophronem, & Euſtathius in Dionyſium Alexandrinum innuunt. Harum vna *Maior* altera *Minor* dicebatur. Illa teſte Plinio lib III. cap. V. *C. M. P. longitudine, circuitu vero CCC. LXXX. patebat: oppida habebat Ciuium Romanorum, Palmam & Pollentiam, Latina, Ciniumque & Cunici, & fœderatum Bochri fuit, ab ea XXX. M. P. diſtat minor, longitudine LX. circuitu vero CL. M. P. ciuitates habet Iamnonem, Ianiſeram, Magonem.* Hactenus Plinius: à quo tamen diuerſi ſunt Ptolemæus, Strabo & Pomponius Mela lib. I. qui tantum in *Maiori* inſula, Palmam & Pollentiam, in *Minori*, Iamnam & Magonem collocant. Antonini Itinerarium, cur *Maiorem* Balearium *Columbam* vocet, *Minorem* vero *Nyram*, me fugit. Vnde & Smilerum in Annotationibus ſuis credo reieciſſe priſcam lectionem, & velle legere *Inſula Colubraria*, & poſtea ſeparatim, *Inſula Balearis Maior.* ſed non perſuadet. debuiſſet enim hoc pacto etiam emendaſſe ſequentia: *Inſula Nura Balearis Minor.* Adde in Smileri lectione deeſſe ſtadiorum numerum, quem nefas eſt in Itinerario præteriiſſe, quare retinendam veterem lectionem puto. T. Liuius lib. XXVIII. auctor eſt maiorem Balearidum armis 40
viriſque copioſiorem, Strabo vero magnitudine tantum à ſe mutuo differre, virtute autem incolarum, & ſoli bonitate æquales eſſe; portus habet capaces & ſatis tutos, niſi breuia aliqua oſtiis vicina eſſent, ſeu, vt auctoris verbo vtar, χειροδώδεις eſſent. Vnde & Lycophronem χειρώδεις vocaſſe has inſulas crediderim. Vocatæ autem ſunt *Baleares* vel à Baleo Herculis comite, vt auctor eſt L. Florus Liuianæ Epitomes lib. LX. vel potius à βάλλειν, id eſt, *Iacere*, quod optimi funditores ab omni æuo fuerint, adeo vt Vegetius lib. I. cap. XVI. *Primos illos fundis vſos fuiſſe* ſcribat. Strabo tamen à Phœnicibus hanc artem edoctos ſcribit, cum inſularum potiti eſſent, qui teſte Plinio lib. VII. cap. LVI. funda primi inuenere. *Certos eſſe quis miretur ictus?* (inquit Florus lib. III.) *cum hæc ſola genti arma ſint, & vnum ab infantia ſtudium. Cibum puer à matre non accipit, niſi quam ipſa ſ monſtrante percuſſit.* Quod & Lycophron in Caſſandra his verſibus explicat:

Οὐ γὰρ τις αὐτῶν ψίσεται πύρνον γνάθῳ,
Πρὶν αὐ κεφαλῆσαι νασὰν εὐσόχῳ λίθῳ
Ὑπὲρ τρέφηκος, ὄψια κειμένου σκηπτοῦ.
Non enim aliquis illorum edet panem maxilla,
Priuſquam obtineat panem bene iaculato lapide
Super lignum, ſignum iacentis ſcopi.

Incolarum vero originem Strabo lib. XIV. ſecundum plurimorum opinionem, à Rhodiis fluxiſſe dicit, qui euerſa Troia huc nauigarunt. Silius vero Italicus lib. III. ad Tlepolemum, & ad Lindum Rhodiorum vrbem refert:

Iam

Iam cui Tlepolemus ſator, & cui Lindus origo,
Fernida bella ferens Balearis, & alite plumbo.

Iſacius verò Tzetzes in Lycophronem refert Tlepolemi ſocios in Cretam, expugnato Ilio veniſſe: deinde ventis pulſos, in Ibericas peruenisſe inſulas, ibique habitaſſe. Vtraque inſula egregiè felix, & fecunda eſt, & omnis generis armenta ferens. Generoſi etiam vini, olim feraces fuiſſe refert Plinius lib. XIV. cap. VI. *Balearica*, inquit, [*vina*] *ex Inſulis conferuntur Italiæ primis.* Oleo carebant olim, quare teſte Ariſtotele lib. de mirandis auditionibus, oleum ex terebintho parabant, ſed miteſcente ſolo aſſidua cultura hodie eo abundant: præter agrum fertilem, non facilè his in locis eſt reperire noxium vllum animal; immò refert Plinius lib. XXXV. cap. XIX. terram Balearem non ſecus ac Ebuſitanam ſerpentes necare. Nec cuniculos quidem indigenas fuiſſe multi aſſerunt, ſed ex vicina inſula maſculum & femellam aduectos, tanta ſobole ſuccreuiſſe, vt populatis meſſibus, fame periclitati fuerint, & ab Auguſto Cæſare militare præſidium aduerſus illos coacti petere, teſte Plinio lib. VIII. cap. LV. Auro nec argento olim vſos fuiſſe teſtatur Diodorus Siculus lib. VI. & Ariſtoteles lib. de mirandis auditionibus, nec in inſulam inferri paſſos fuiſſe, memores, Geryonem Chryſaoris filium, ob diuitias ab Hercule interfectum. Cumque olim Carthaginenſibus militaſſent ex ſtipendio debito, vinum & mulieres, quarum impenſè cupidi, ſecum attulere; rati ſeſe omnes vitæ inſidias facile euaſuros, ſi auro argentoq; caruiſſent. Memorat & Strabo lib. III. primos omnium mortalium Baleares, Laticlauum induiſſe, quod & ab Euſtathio in Dionyſium Alexandrinum, notatum video: mirorq; apud rudes & incultos homines, ſenatoriæ dignitatis ornamentum primò repertum fuiſſe. num verò hinc ad Romanos tunica laticlauia peruenerit, nulla mihi ratio ſuadet vt credam: præſertim cum Plinius lib. IX. cap. XXXIX. refert latiore clauo Tullum Hoſtilium primum è regibus, deuictis Hetruſcis; vſum fuiſſe, multis annis priuſquam Baleares P.R. noti eſſent. Cl. Iuſtus Lipſius vnicum rei litterariæ (heu quondam) decus, ſuis ad me litteris credit Baleares πλατυσέλμους χιτῶνι vſos primum; quas Romani paulò aliter vſurparunt, in lino nempe illi, non in lana: à quibus & Hiſpani ita vicini ſumſerunt. de quibus Liuius lib. XXI. *Hiſpani linteis prætextis purpura tunicis conſtiterant.* Idem dixerat Polybius, χιτωνίσκας ἐσταμπωμένας geſtare. Non erat forſan purpura ea in clauos diſtincta, nec tam Auguſta vt Senatorum laticlauus.

Ad prælia erumpunt inermes, tribus tantùm præcincti fundis circa caput, teſte Strabone. Diodorus verò Siculus paulo aliter, vt vna funda caput, altera ventrem cingant, tertia manu geſtetur, quibus ita peritè & tanta vi, lapides iactabant, teſte Flauio Vegetio lib. I. cap. XVI. *Vt ſæpe aduerſus bellatores, caſſidibus & cataphractis, loriciſque munitos, teretes lapides de funda, vel fuſtibalo deſtinati ſagittis ſint omnibus grauiores, cum membris integris lethale tamen vulnus importent, & ſine inuidia ſanguinis, hoſtis lapidis ictu intereat.* Primus autem Romanorum hos deuicit Metellus, teſte L. Floro lib. II. vnde & *Baleárici* illi cognomen. Ridiculum eſt quod Diodorus Siculus lib. VI. de nuptiali Balearidum ritu prodit: finitis enim epulis, qui altioris inter amicos eſt ætatis, ſponſam imminuit, ceterique prout ætas quemque magis honeſtat, illi accubat. Omnium vltimò ſponſo patet acceſſus. Has inſulas Iacobus Aragonum Rex anno M. CC. XXX. deuictis Mauris, Hiſpaniæ reſtituit. Noſtrò æuo omnium rerum copia præſertim vini, oleique egregiè ſunt felices. Ex *Maiore Balearidum* ortus *Raymundus Lullus*, ingenii acumine & varia doctrina conſpicuus, quem populares ſui tanto honore proſequuntur; vt in vicem Ariſtotelis, iuuentuti illum exponant. qui cùm omnium literarum eſſet expers, ac ne Latinè ſciret quidem, multa patrio ſermone euulgauit, vbi non tantùm Philoſophiæ, quàm rerum diuinarum cognitionem inducit, ita tamen obſcurè, vt doctiſſimi licèt; pauci admodum eà capiant. Variè poſteritas de iis iudicauit, & vt cuiq; ſuus captus, alii ea laudare; alii culpare. Illud conſtat ſupra quingentos in Religionem Chriſtianam errores, ex iis decerptos, Gregorii XI. Pont. Max. iuſſu Auenione anathematis ignominia notatos.

NOBILIORES

HISPANIÆ FLVVII.

ANAS.

INTER Hispaniæ præcipuos amnes iure censetur *Anas*, qui corruptè hodie *Guadiana* dictus, tum quòd notissimus inter Bæticam & Lusitaniam limes, tum quod magnitudine sua conspicuus sit. Oritur autem, teste Plinio, Laminitano in agro Citerioris Hispaniæ (quem alii *Mancha de Aragon*, alii *Campo de Montiel* vocant) modò se in stagna fundens, modo in angustias resorbens, aut in totum cuniculis condens, & sæpiùs nasci gaudens in Atlanticum Oceanum effunditur. nam quum procul ab ortu suo ex hominum conspectu se eripiat, per cæcos, & subterraneos meatus, ad septem milliaria lucifugus fluit; donec prope *Villaharta* (loci id nomen est) iterum in lucem erumpat, maiori vi & latiori alueo. Video tamen has *Anæ* latebras controuerti, & vt fabulosas à plerisq; elimi nari. Sed Plinio & receptæ passim opinioni suffragantur Hieron. Giraua, & Hieron. Paul. & Gaspar Barrerius doctissimi Hispani, qui in re tam aperta non passi essent palpũ sibi obtrudi. Iactitet se nunc fabuloso suo *Alpheo* Græcia, quẽ ferũt in Peloponeso Pisas transire, & in Mediterraneum mare influere, nec adulterari pelagi salsugine, sed sub ima maria, hospitales suas aquas seruare, & in Arethusam fontem propè Syracusas refundere: hoc tamen vno, Alpheo *Anas* inferior, quòd Græcorum præconiis caruerit. amnis huius latebræ incolis iocandi materiam præbuere, dum patrio sermone ferunt, pontem esse in Hispania, vbi perpetuò plurima armentorum millia pascantur. Ausonius, vbi de Emerita loquitur, vocat *Anam æquoreum*. Prudentius verò hymno in S. Eulaliam (loquitur de Emerita:)

Quam memorabilis amnis Anas
Præterit, & viridante rapax
Mœnia pulcra alluit.

Festus Auienus in Iambis dicit per Cynetas populos fluere:

Ana amnis illic per Cynetas effluit,
Sulcatque glebam.

Sed si Ortelio fides aliqua, halfucinatur egregiè Auienus. nam cùm *Cynetæ* circà promontorium Sacrum sint, multis millibus passuum inferius fluere *Anan* in comperto est.

BAETIS.

NOBILISSIMUM Hispaniæ flumen *Bætis*, à quo & prouinciæ nomen inditum, Tugiensi saltu exoritur, teste Plinio. Strabo verò & Stephanus Byzantinus ex argenteo monte, quem Festus Auienus *Argentarium* vocat, prope Castulonem, dicunt erumpere. Sed idem Strabo ex Orospeda monte oriri auctor est. Aristoteles verò æui sui ignorantiam secutus, lib. 1. Meteorum, vnà cum Danubio ex Pyrenæis montibus putat fluere. Polybius verò vnà cum Ana ex Celtiberia credidit oriri, qui tamen amnes nongentis inter se distant stadiis, auctore Strabone. Modicus autem primo impetu fertur *Bætis*, sed multis stipatus fluuiis, quibus aquas, famamque ingratus aufert, non procul à mari grandem lacum efficit (qui Festo Auieno *Ligusticus* vocatur: meminit & Suidas *Liguſtici* in Hispania; sed quid esset non expressit) atque hinc tanquam vno fonte, geminus exoritur, quantusque vnico alueo venerat, tantus singulis se mari miscet: licèt temporis iniuria, alterum eius ostium quod ad meridiem vergebat, oblimatum nunc sit. Dissentit tamen à passim recepta hac opinione Cl. V. Ioannes Genesius Sepulueda, & geminis ostiis in mare adhuc hodierno æuo dicit erumpere: infra enim Hispalim constat, quatuor insulas ab hoc amne effici, sed duas esse præcipuas; alteram XVI. alteram XXVIII. circiter M. P. longitudine patere. *Minor* illa, hæc *Maior*, ab indigenis dicitur, quarum inferiorem Bætis quasi duobus brachiis complexus alluit: donec Oceano, breui sinu terras vsq; ad insulam intranti occurrat; quæ duo brachia, Oceanũ dextra læuaque influentia, veteres duo Bætis ostia esse dixerunt. Hinc Strabo: *Bætis bifariam*

bifariam partitus, in Oceanum exit; inter cuius ostia intercepta insula, centum, vel (vt quidam tradunt) amplius stadiis à littore distat. Festus verò Auienus triplici se ostio mari quondam infudisse auctor est:

——sed insulam
Tartessius amnis ex Ligustico lacu
Per aperta fusus vndique adlapsu ligat.
Neque iste tractu simplici prouoluitur,
Vuusve sulcat subiacentem cespitem.
Tria ora quippe parte Eoi luminis
Infert in agros, ore bis geminо quoque
Meridiana ciuitatis alluit.

Vulgo *Guadalquiuir*, id est *Fluuius magnus* vocatur, olim verò ab incolis *Cirtium* appellatum, auctor est T. Liuius lib. XXVIII. *Martius*, inquit, *superato Bæti, quem incolæ Cirtium appellant, duas opulentas ciuitates sine certamine in deditionem accepit.* Stephanus verò Byzantinus ab incolis Βαιτὶς scribit vocari, sed perperam vtrobique, vt in Epistolicis quæstionibus obseruauit Cl. I. Lipsius, & *Certim* ex manuscripto Liuio substituit. Fuit etiam *Tartessus* antiquis dictus, vt ex Stesichoro ostendit Strabo, quomodo etiam Aristoteli citato loco dicitur: quibus Stephanus suffragatur, *qui Tartessi* amnis prope vrbem Tartessum meminit, vnde & Festus Auienus in lambis suis:

——Tartessius
Ager his adhæret, adluitque cespitem
Tartessius amnis.

Isidorus Originum lib. XIII. *Bætis* etymon à βαθὺ deducit, quod scilicet per humilia loca fluat. Sed pace tanti viri, insulsa nimis est etymologia. Et si longinquo non pigeat petere, melius forsan noster Becanus, à Belgica dictione *Baet*, quod vtilitatem designat, *Bætis* nomen deriuat, quia illius aquis commodissimè lanæ inficiuntur, cuius caussa maximè commendantur ab antiquis. Vnde Martialis:

Bætis olluifera crinem redimite corona,
Aurea qui nitidis vellera tingis aquis.

Huc etiam alludisse videtur Iuuenalis Satyra XII.

——generosi graminis ipsum
Infecit natura pecus, sed & egregius fons
Viribus occultis, & Bæticus adiuuat aer.

Refert Philostratus lib. V. cap. II. Vitæ Apollonii Tyanæi, *Bætim* Oceani quasi tincturam præ se ferre: siquidem increscente Oceani æstu, versus fontes agi, spiritu quodam ipsum à mari impellente, vnde & Statius Papinius Sil. lib. II.

Attollat refluos in astra fontes
Graio nobilior Melite Bætis.

CINGA.

RApidus potiùs, quàm magnus inter Illergetes Citerioris Hispaniæ populos, est fluuius *Cinga*, à Pyrenæis montibus decurrens, Gallicam Flauiam vrbem, nunc *Fragua* dictam pertransit, & Ibero sociales vndas defert. Meminit huius Iulius Cæsar lib. I. de bello ciuili, qui magno suo periculo eius violentiam expertus fuit. Lucanus lib. IV. graphicè eius mentionem facit:

——camposque coercet
Cinga rapax, vetitus fluctus & littora cursu
Oceani pepulisse suo. nam gurgite mixto
Qui præstat terris, aufert tibi nomen Iberus.

Eiusdem etiam nominis in Gallia recenset fluuium idem Poeta lib. I.

——quà Cinga pererrat
Gurgite: quà Rhodanus raptum velocibus vndis
In mare fert Ararim.

COGEDVS.

NIsi potissima instituti mei pars esset, loca illa Hispaniæ detegere, quorum apud classicos auctores mentio, *Cogedum* amnem præterire in animo erat. nam & tenuis & obscuri nominis est, sed quia apud Martialē eius est memoria, aliqd illi dandū cēsui. Oritur hic prope montem Caunū non procul à Bilbili, & Vobertam prælabitur, quæ

nunc *Bouierca* dicitur, & Saloni se immiscet, hodie adhuc prisco nomine gaudet; licet Benedictio Ariæ Montano apud Ortelium, *Rio de Codes* dicatur. Martialis lib. I. Epigrammat. ad Licinianum de Hispaniæ locis eius meminit his versibus:

Tepidi innatabis lene Congedi vadum
Molleſque nymipharum lacus.

Gaspar Barretius vocat hunc amnem *Cogedum*; & versum hunc Martialis hoc modo censet legendum:

Tepida natabis lene Cogedi vada

Sed perperam: nam otiosa esset dictio *Lene*.

DVRIVS.

DVrius ex maximis Hispaniæ amnibus, ortus in Pelendonibus, teste Plinio, & iuxtà Numantiam fluens, dein per Arrevacos, & Vaccæos lapsus, disterminat ab Austuria Vettones; & à Lusitania Gallæcos: in Oceanum Atlanticum multis fluminibus auctus procurrit. Strabonì δώριος; Ptolemæo vero δώερος; Appiano in Ibericis δώερος vocatur, nostra vero ætate incolis *Düero* dictus. Isidorus lib. XIII. cap. XXI. *Durium* à Græcis, quasi *Doricum* cognominatum dicit. Amnis est egregiè piscosus, & optimas alosas, & lampetras (quas *murenas fluuiatiles* nonnulli vocant) & salares, magna frequentia fundit, Sed præcipue clarus olim ob auriferas arenas; quod & Silius Italicus cecinit lib. I.

Hinc certant Pactole tibi, Duriusque Taguſque.

Licet nostro æuo ob accolarum inertiam admodum raro inueniantur.

IBERVS.

PIaculum pene esset *Iberum* præterire nobilissimum Hispaniæ amnem; quippe qui toti prouinciæ, *Iberiæ* nomen dedit, vt multis placuit, qui teste Plinio lib. III. cap. III. *Nauigabili commercio diues, oritur in Cantabris, haud procul oppido Iuliobriga. CCCC. L. M. P. fluens, nauium per CC. L. M. P. à Varia oppido capax.* Idem tamen exactius lib. IV. cap. XX. à portu Victoriæ Iuliobrigensium fontes Iberi XL. M. P. abesse scribit: Florianus vero Occampius pensiculatius eius exortum rimatus, dicit non procul ab *Aguilar del campo* (loco id nomen est) Iberum binis fontibus scaturire, & ab incolis locum indigetari *Fontible*, quasi Iberi fontes dicas. multis hic stipatus fluminibus, à septentrione in austrum fertur, cum cæteri Hispaniæ fluuii ab ortu in occasum delabantur. in caussa est *Iubeda* mons, à quo in occasum ire prohibetur, vnde in austrum necesse se flectit, multas & illustres præteriens vrbes, infra Dertosam, indignanti similis, mari se infundit, tanto quidem impetu vt vltra quinquaginta passus Mediterranei maris salsas vndas edulcoret. Nobilitatus etiam Luctatii Catuli fœdere, quo inter potentissimos populos, Romanos & Carthaginenses, vtriusque imperii terminus est statutus: vnde prima Hispaniæ diuisio, *Vltra Iberum & Cis Iberum* manauit. Sed & præter hunc Iberum amnem, alterius in eadem Hispania meminisse videtur Fest. Auienus, & in Bætica statuere: nam cum multa de Tarteſſiis dixisset, subdit:

Iberus inde manat amnis, & locos
Fecundat vnda: plurimi ab ipsa ferunt
Dictos Iberos, non ab illo flumine
Quod inquietos Vascones prælabitur.

Vnde forsan Florianus Occampius Bœticę fluuiolum *Rio Tinto*, vocatum olim fuisse dicit *Iberum*.

LETHE.

NON tam aquarum gloriâ, quam priscorum fabulis celebratus est *Limia* Lusitaniæ amnis, Græcis λήθη, vt & Silio Italico *Lethe* vocatus; Pomponio Melę & Plinio *Oblitionis flumen* dictum: Francisco Taraphę, & Hieronymo Paulo libello de fluminibus Hispaniæ, *Eunemius* vocatur; sed parum exacte, cum secundum Plinium lib. IV. cap. XXII. *AEminius* sit dicendus; cuius hęc sunt verba: *A Minio, quem supra diximus CC. M. P. (vt auctor est Varro) abest AEminius, quem alibi quidam intelligunt, & Limeam vocant, Oblitionis antiquis dictus, multumque fabulosus.* Strabo ex Celtiberis & Vaccęis dicit *Limeam* fluere, sed ab Andrea Resendio erroris conuincitur, qui refert ex palustribus quibusdam locis, inter Aquis, Caldensem vrbem & oppidum Monteregiũ erumpere,

cuius

cuius accolas olim *Limicos* ex vetusto lapide docet vocatos. Sed vnde fabularum origo, & *Oblivionis* nomen? refert Strabo, Celticos Lusitanos & Turdulos, cum sociis armis adhuc loca pertenissent, traiecto Limea exorta seditione ducem amisisse; quare palantes & vagos, proximas amnis ripas occupasse, oblitosque expeditionis susceptæ & iniuriarum, amni nomen *Oblivionis* indidisse. Vanum hoc nomen, vanior deinde religio auxit, cum passim pererebuisset his aquis epotis oblivionem incurri, adeo vt Decius Brutus, omnium ore ferretur, quod primus tantopere formidatum militibus flumen traiecisset, vt testantur Appianus lib. de bello Iberico, L. Florus lib. II. cap. XVIII. & Plutarchus in. Quæstionibus Romanis. Auri etiam grumulos, vt pleraque Hispaniæ flumina suis vndis, commixtos defert. Vnde Silius Italicus lib. II.

Quique super Granios lucentes voluit arenas,
Infernæ populis referens oblivia Lethæ.

In Bætica etiam fluuiolus est, *Guadalete* dictus, quem Florianus Ocampius nuda nominis similitudine allectus, *Lethem* etiam indigetat, quasi flumen *Lethem* dixeris.

MINIVS.

MAximum esse Lusitaniæ flumen Minium, auctor est Strabo; Plinio vero, & Melæ Tarraconensis est prouinciæ, & per Bracaros fluit. Posidonius hunc è Cantabris oriri dicit, insulamque ante eius ostium vna cum binis scopulis refert procumbere: sed nullum huiusce rei hodie vestigium exstare ferunt. Strabo etiam *Baenim* ait vocatum, seu vt Hermolao Barbaro placet, *Næbim*. Pomponius tamen Mela, *Næbium à Minio* diuersum statuit. miror ego vbi Æthico mens fuerit, dum Minium prope Pyrenæum nasci, & in orbem verti ait, vt Brigantium maritimam vrbem includere asserat; cum multis millibus à Pyrenæis oriatur, nec Brigantium, quod inter Callaicos Lucenses est, vlla ex parte attingat. Iustinus libro vltimo à *Minii*, venis, & colore ita dictum amnem credit, vt & Isidorus lib. XIII. Etymol. & cum paucorum fluminum aquas recipiat, natiuis tamen vndis ita diues, vt IV. M. P. ore spatiosus in Oceanum influat, teste Plinio. amnis est egregiè piscosus, præcipue vero prægrandes asturiones nutrit.

MVNDA.

INter Durium & Tagum non inglorius fertur *Munda*, æquis ab Vtroque spaciis distans qui & *Muliadas* Straboni vocatur, hoc ævo *Mondego* indigenis dictus; nec ipse auriferæ arenæ gloria caret; licet incolarum inertia, raro admodum nunc inueniantur. Conimbricam, sacram Musis vrbem, lato alueo præterfluit, & ponte firmi & egregii admodum operis transitur, nec procul ab ipsa vrbe mari commiscetur; agris non inutilis & piscosus affatim, sed vbi vel largiori imbre, vel hybernis niuibus augetur, ad insaniam vsque excrescit, & late per adiacentes campos magna cum strage.

Sternit agros, sternit fata læta, boumque labores
Præcipitesque trahit siluas.

SALO.

INter Hispaniæ amnes, clarus admodum est *Salo*, qui licet nec lato alueo tumeat, nec auriferis arenis superbiat; nulli tamen cedit ferri gloria: omni enim ferro ipsius aqua est violentior. Aquæ enim temperamento, ferrum acrius robur, & miram duritiem acquirit: vnde Martialis, vbi de Congedo amne egit, subdit:

Quibus remissum corpus astringens breui
Salone qui ferrum gelat.

Et libro V. Epigr. VI. vbi de Bilbili;

Quam fluctu tenui sed inquieto
Armorum Salo temperator ambit.

Num vero hic sit idem amnis qui Iustino libro vltimo *Bilbilis* vocatur, vel vt manuscripti aliqui *Byrbilis*, non abhorret animo, vt credam, præsertim cum illi maximam ferri temperiem adscribat, *adeo vt nullum apud eos telum probetur*, inquit, *quod non aut Bilbili flumine, aut Chalybe tingatur*; quæ certe *Saloni* nostro in primis quadrant. nullus enim præter *Salonem* ferri gloria in Hispania notior est, nec ea de causa magis celebris. Potuit enim ab adiacente vrbe *Bilbilis* vocari. Vnde mihi natâ suspicio non incomodum apud Iustinum legi posse; *Quod non aut Bilbilis flumine*, vt nomen fluminis prætereat, vrbem vero ostendat. Sed Lectori hoc discutiendum relinquo.

SICORIS.

ILergetum est amnis *Sicoris*, inter Ceretanos ortus, & Ilerdam, nobilem & validam vrbem præterfluit: notissimus bello, quod inter Cæsarem, & Pompeii duces, Petreium & Afranium, circa illum gestum fuit, vnde Lucanus:

Hesperios inter Sicoris non vltimus amnis
Saxeus ingenti quem pons amplectitur arcu
Hybernas passurus aquas.

Vocatum fuisse & *Sicánum* quondam hunc amnem, non obscure coniicias, vnde & accolæ *Sicani* dicti, qui Siciliæ olim *Sicaniæ* nomen indiderunt, vt testatur Dionysius Halicarnassæus lib. I. & Thucydides lib. VI. *Veritas*, inquit, *Sicanos arguit Iberos esse, orinundos à flumine Sicano, quod in Iberia est; à Ligyis eiectos, & ab his tunc dictam Sicaniam insulam prius Trinacriam nominatam.* Idem sentit etiam Silius Italicus lib. XIV.

Vomere verterunt primum noua rura Sicano.
Pyrene misit populos, qui nomen ab amne
Ascitum patrio, terræ imposuere vocanti.

Quæ omnia de *Sicori* dicta eius facilius crediderim, quod nullus in Hispania locus sit, cui magis hæc aptari possint. Vocatur hodie incolis *Segre*, & auratas etiam arenas Oceano deferre, testantur Franciscus Tarapha, & Lucius Marineus.

SVCRO.

INter Cõtestanos Citerioris Hispaniæ populos non procul à Valentia *Sucro* amnis labitur, ex Orospedanis montibus originem trahens, hodie *Xucar* vocatur. Silius Italicus inter Sedetanos videtur ponere, cum ait lib. III.

Sedetanâ cohors, quam Sucro rigentibus vndis.

Sed nulla re clarior, quam Sertorii circa illum clade, vbi & castris à Pompeio exutus fuit. Vt testatur Sallustius in Epistolæ fragmento à Pompeio ad Senatum missæ. Ab hoc etiam amne *Sinum Sucronensem* dictum testatur Pomponius Mela: eiusdem etiam nominis oppidum eodem in tractu commeminit cum Strabone T. Liuius.

TVRIA.

NON procul à Valentia Edetanorum, Turia amnis labitur, amœnissimos eius agros irrigans, & omni delitiarum genere fecundans. Vnde merito à Claudiano lib. de laudibus Serenæ *formosus* dicitur:

——& roseis formosus Turia ripis.

In eius nomine variant Scriptores. Pomponius enim Mela lib. II. *Duriam* vocat: sic etiam Cicero in oratione pro Cornelio Balbo, *Acerrimis*, inquit, *illis prælijs, Sucronensi & Durienſi interfuit Balbus.* Plinii vero exemplaria variant, nunc *Turium*, interdum *Turiam* vocant. Potior tamen scriptorum pars *Turiam* vocat: ita enim in fragmentis historiarum Sallustius, & Plutarchus in Sertorio. Amnem hunc eundem esse cum *Turuli* Ptolomæi, non male coniiciunt Hermolaus Barbarus, & Iosephus Moletius: & situs suadet. Hieronymus Paulus ita dictum ex quorundam opinione dicit, à Phœnicibus, qui tempestate amnis huius ostiis appulsi, multitudinem boum conspicati, *Turiam* vocarunt, quod illis patrio sermone *Turbos* esset. alii vero à dictione θούριος dictum putant, quæ celerem & impetuosum denotat.

TAGVS.

TAm apud Græcos quam Latinos scriptores *Tagi* nomen illustre fuit, adeo vt cum Marone dicere liceat,

Cui non dictus Hylas?

Oritur autem nobilissimus hic amnis in Celtiberis, teste Strabone, & per Vettones, & Carpetanos lapsus Toletum, præpotentem vrbem pene circuit, tandem Lusitaniam mediam secans, pleno alueo sub Olisiponensium mœnibus Atlantico pelago infunditur. Quid in mentem Isidoro lib. XIII. venerit, de *Tagi* etymo, lubet potius admirari, quam inscitiæ illum arguere: *Tagum*, inquit, *fluuium Carthago Hispaniæ nuncupauit, ex qua ortus procedit, arenis auriferis copiosus, & ob hoc ceteris fluuiis prælatus.*

Sed

Sed vnde *Tagi* etymon à *Carthagine* deducit, aut quidnam *Tago* cum *Carthagine* commercii? nam procul admodùm à noua Carthagine, oriri ex Strabone iam dictum. fama illi præcipua ex auri arenis, grumulisque, quos tanquam telluris spolia Oceano defert. Vnde Iuuenalis:

Omnis arena Tagi, quodque in mare volvitur aurum.

ceterique passim Poëtæ, quos recensere operosum esset. Mela verò non aurum solum, sed & gemmas illi asscribit, lib. III. cap. I. his verbis. *In altero* [*sinu*] *Olyssipo & Tagi ostium, amnis aurum gemmasque generantis.* Mirantur multi, celebris illius & passim vulgatæ auri famæ rara adeò exstare vestigia. Caussam refert Andreas Resendius. Lege cautum id scrutari, ne commodis arenis, depressiores frumentarii agri aquarum illuuiem patiantur, in fidem tamen vetustæ gloriæ, Lusitanorum Regum sceptrum ex Tagano auro conflatum, quo purius nullum reperiri posit.

FINIS.

INDEX
RERVM MEMORABILIVM, QVAE CONTINENTVR IN HOC IV. TOMO rerum Hiſpanicarum.

A

Badella capitur & trucidatur morte crudeliſſima 102
Abea Caſtrum 108
Abdamalech Almanzoris Barbari filius à regno Legionenſi fugatur 88
Alderrama Rex Maurorum maximus 75
Abis vocabuli notatio 5
Abenſuth Rex Barbarorum, expellit ab Hiſpania Almophades 144 in prælio ſauciatus graviſſime, aufugit ibid.
Abenhabel Barbarus 107
Abe, Iandil, Zaphadola & Lupus Reges Sarracenorum 104
Abimalech Hebræorum Pontifex Maximus. 15
Abohalit Dux & Proconſul Hiſpaniæ numeratis cētum millibus ſolidorum, liberatur 79
Abohabya Rex Cæſarauguſtanus ſubdit ſe Ramiro Gothorum Regi 83
Abominanda Machometis perverſitas 311
Abraham (haldæorum igne ſurreptus divinitus 9
Abubacar Rex Arabum 54
Abundius Presbyter & Martyr 301
Ab Octauiano Auguſto Romani Imperatores dicti Auguſti 24
Acephalorum hæreſis: acephali cur ſic dicti 38
Acisclu & Zoyli ſanctorum corpora 334
Acta urbs Græciæ poſt Athenæ dicta condita à Cecrope 11
Adulteri à Bamba Rege Gothico, puniuntur ſupplicio haud inconuenienti 61
Adam centum annis à toro coniugali abſtinet 6
Adaulphus Epiſcopus Legionenſis 16
Adefonſi Regis trucidator, manibus, oculis & altero pede priuatur 93
Adefonſi Regis Milites delicati 102
Adefonſus Catholicus Petri Cantabrienſis ducis filius 73 *Eligitur in Regem* ibid.
Adefonſus propter caloris feruorem nimium leuiter indutus ab aduerſario quopiam Saraceno lethaliter vulneratus, occubuit 90
Adefonſus Rex Gothorum regno pellitur 74
Adefonſus Regno Gothico reſtituitur, multa præclara erigit ædificia 74 *a duobus Angelis crux aurea extruitur, quam ſolemni ritu, Salvatori conſecrat* 75
Adella Rex Toletanus Adefonſi Regis ſororem volens cognoſcere reluctantem, ab Angelo, in villa prædixerat, quam primum percuſſus interiit 89
Ad prædandam Italiam Gothi in diverſas partes diuiduntur 45
Adulphus & Iohannes Martyres 302
Adulphus Epiſcopus S. Iacobi ab incurſante Tauro, ſibi ſupplicii loco deſtinato, ſeruatur, ipſius vero deriſores ab eodem Tauro occiduntur 86 *Mortuus nulla hominum manibus loco moueri non potuit* ibid.
Actius dux Romanæ militiæ 46
Aegyptus, à Cambyſe denuo deuaſtata, qui Cambyſis in Damaſco paulo poſt vitam cum morte commutauit 28
Aegyptus ab Aethiopibus Memphin uſque deuaſtatur 11
Aegyptus a Nabuchodonoſore ſubuertitur, Iudæi ibidem reperti in Babylonem deducti captiui 18
Aelii Pertinacis victoria glorioſiſſima 34
Aeneæ Anteceſſores nominatim recenſentur 13
Aeneas, ob regnandi Nobilitatem, dictus primus Rex Latinorum
Aes Corinthium 14
Africa a Scipione victa 23
Agila Rex Gothorum impius punitur 49
Agnus in Græcia locutus 15
Aiax natione Galata Apoſtata 42
Alamundarius Rex Saracenorum 336
Alanus fluvius 40
Alani Gothorum vigore extincti 43
Alaricus Eurici Gothorum Principis filius parentis in regno ſucceſſor 417 prælio victus interficitur ibid.
Alaricus Rex Gothorum conſtituitur 43
Alba civitas condita ab Aſcanio Æneæ primi Regis Latinorum filio 13
Albimor Mahumet diſcipulus 54 *Mahumetum veneno tollit* ibid.
Alcantara, pons Hiſpaniæ ſuper Tagum 34
Alcantara urbs Sarracenorum obſeſſa ab Adefonſo Rege capitur 112
Alcharatz Caſtrum Sarracenicum 112
Alemo Rex Toletanus, Fernando Regi maximis datis muneribus, humiliter ſeſe ſubjicit 94
Alexander Ariſtoboli filius magna collecta manu Iudæam deuaſtando invadit 25
Alexander & Ariſtobulus, Herodis Hoſtes acerrimi 27
Alexander Hyrcani filius, in Senes Obiurgatores inhumano prorſus more, crudeliſſimus 25
Alexander Macedo Hieruſalē ſtatuens everterе in ſomnio à Deo dehortatur 21 *Iudæis poſtmodum munia tribuit, tandemque ſumpto veneno exſpirauit* 2
Alexander Moguncia occiſus 394
Alexandra Hyrcani (omnium diſertiſſima regit populum, ſed a filio carceri includitur 25
Aliquot Barbarorum Oppida à Chriſtianis diripiuntur 111
Alexandria ab Antiocho obſeſſa, attamen Romanorum ſuccurſu, liberata 23
Almanzor a deſtructione ſepulchri B. Iacobi fulguratione quapiam deterretur 87 *vertitur in fugam* 88 *moritur* ibid.
Almanzor Rex Agarenus, cognita ſuorum clade ac ſolo in terram proſilit 81
Almenon Adefonſo ſtruit inſidias 99
Almiram Coranbeſu captus & victus Legione perductus eſt 81
Almorabide ſive Almophades Gentis Tranſmarinæ 101
Amatus Epiſcopus Legionenſis, vir nulla ſanctitate 95
Amaſa cius ab exercitu jugulatur 48
Amenophis Rex Aegypti cruciat in Hebræos 10
Anabellos visus 30

Anastasij Imperatoris mors & sepultura ignominiosa 336
Anastasius Gisalei us 47
Annibale combustum 14
Annulus memoria & oblitionis 11
Anteus palestra artis inuentor, ab Hercule in palestra vincitur 13
Anteborius Dux Militia Romana multis cum copijs prosternitur 42
Antigonus adiuuante Pacoro Parthorum Rege Hierusalem expugnat & demum Regio restituitur 26
Antigonus catena aurea ad Antonium deductus securi percutitur 27
Antiochi Epiphanis mors miserrima & fœdissima 24
Antiochus Epiphanes obses Romanorum, aufugit spolians Templum Hierosolomytanum 23 prophanauit sanctuarium ibid.
Antiochus Epiphanes primo mitissimus ac omnibus benignus, post adeptum ver sibi Imperium, crudelis ac in Deum impius 22
Antiochus in Perside occisus in phano Nanea & membratim a sacerdotibus cæsus 23
Antiochus Pontius Rex Syriæ, ab obsidione Hierusalem, precibus Hyrcano placatus, desist 25
Antipater Idumæa adeo Gabinio factus familiaris, vt ei Cypris Regis Arabum vxor matrimonio iungeretur 25 & 36
Antipater ope Iulii Cæsaris fit Ciuis Romanus 26
Antiqua Ecclesia Hispanie abrogantur & illarum loco multo insigniores reædificantur 118
Antiquus Hispanorum in deosculandis manibus mos & consuetudo 275
Antonius Cleopatram ducit in vxorem 27 amborum mors ibid.
Antoninus Caracalla impatiens libidinis nouercam in vxorem ducit 38
Antoninus de Persis nobiliter triumphat 34
Antonius Monachus ab hoc primum Monasteria condita 35
Antoninus Pius, pater patriæ 34
Apis ab Ægyptijs deificatur & Serapis nominatur 10
Appius Claudius cæcus, Romæ aquas Claudias induxit &c. 22
Apollo inuentor Medicinæ 12
Apollodorus præceptor Augusti 24
Apostoli Iacobi protomartyris corpus asseruatur in Hispania 8
Apparitio B. Mariæ virginis Musæ puellæ cuidam facta &c. 119
Apparitio B Iacobi Apostoli facta Ramiro Regi Gothorum 76
Apparitio Minervæ 18
Apparitio S. Isidori 104
Aquæductus Cordubenses stupendus 288
Aquilera Oppidum 94
Arabes duo aquis submersi 260
Aragus Fluuius 333
Aratus Astrologus 23
Arca Noë quadripartita & quanto temporis intervallo extructa ibid.
Arca Testamenti mirabiliter ab Hieremia reservata 17
Archelaus Herodis filius & Regni successor 9000 Iudæorum interfecit 30 patre multo sit crudelior ibid.
Archiepiscopus Toletanus Rodericus nomine, populos data primum confessione omnium peccatorum, ad defendendam Religionem, exhortatur 110
Arcus Alexandri Triumphalis in Lybia 22
Ardebastus quidam ex Nobilitate Græcorum expulsus a suo Imperatore in Hispaniam aduehitur 68
Ardon & Coianca castra 108
Arelatum & Massilia, Exercitj Imperio subiiciuntur 47
Argebaudus Antistes Narbonensis 60
Argebaudus Episcopus Narbonensis à Bamba Gothorum Rege recipitur in gratiam 64
Argentei nummi primum Romæ cusi 23
Argimirus Monachus & Martyr 301
Argiuorum regnum finitum & in Messenas translatum est 12
Ariminum & Beneuentum à Romanis conditum 22
Arion à Delphino in Tenarum deportatus fertur 16
Aristarchus, Aristophanes, Soladas scriptores Tragici 21
Aristobolus & Hyrcanus in gratiam redeunt ac reconciliantur certo tamen pacto 25
Aristobolus in matrem crudelis 25
Aristobulus Iudæus ac Peripateticus philosophus, edit commentarios in Moysem 22
Aristobulus Romæ elapsus, sed iterum Alexandriam dum muro recingeret, ab Antonio captiuus Romam deductus est 26
Aristoteles philosopharum princeps natione Hispanus 1
Armeni fidem suscipiunt 31
Artaxerxes dictus Longimanus 21
Artes liberales contra delutium munita asseruantur 1
Ascanius, Æneæ filius, secundus Rex Latinorum 13
Asinarius & Æblus comites 335
Aspides & Crocodili, oratione Hieremiæ fugantur ex Ægypto 18
Astorica, Ventosa & Conimbria ab inimicis vrbes obsessæ Regno ac domino Gothorum subiugantur 79
Asturi & Vascones in Cantabria finibus crebro domantur 55
Attalus à Gothis Italiæ præficitur 45
Athanagildus Agilanis, Gothorum Regis, in regno successor 49 moritur Toleti ibid.
Athenienses a pœna pueri minotauro obiiciendi, liberantur 15
Athenienses à Sylla vastantur 14
Athenienses viginti quatuor litteris vti incipiunt eum tamen antea sedecim solum modo vsurparint 11
Athilus Abbas Cellensis 331
Atlas, in Astrologia prædecessores suos superat 18
Attilæ mors 46
Auarca & Baraliones quid 96
Audacia pientissimæ diui Eulogij 316
Aues Dædali Metallina 13
Aurea Virgo & Martyr 301
Aurelius Gothorum Rex seruilem impetum contra proprios dominos, restringit 74
Augusti decretum vt censeretur totus orbis 28

B

Bamba Regis Gothorum exhortatio, contra Paulum Regnum occupare conantem 66
Bamba Rex Gothorum Monasterium ingreditur in quo adhuc 12 annis vixit 68
Babyloniæ vrbis fundatio & descriptio 19
Babylonia cadente, Roma surrexit 20
Babylonia capta 19
Baccia & multa Maurorum Castella destruuntur 104
Balthasar videns noctu manum in pariete scribentem, eadem nocte a Chaldæis interficitur 19

INDEX

Balnea cur per vniuersum Adefonsi Regis regnum destructa 102
Barbarorum cadunt duodecim Millia 79
Barcinona vrbs Bambæ Regi Gothorum subiicitur 61
Basilica S. Aciscli 296
Barim mons Armeniæ 7
Basilides Hæresiarcha 34
Barxeni villa 108
Batis pelagus 318
Beatricis Reginæ mors ac sepultura 115
Batica dicta Turdetania 387
Beatitudo potentiæ temporalis in quo consistat 1
Belisarius Magister Militum 537
Bella Campalia primus quis instituerit 8
Bellum inter Regem Castellæ & Regem Legionis 108
Benedictus Abbas 38
Berdardus Comes Barcinonæ 332
Benabeth Rex Barbarorum 93. subiicit se Fernando ibid.
Benildis Matrona Martyr 297
Berengaria Hispaniarum Regina causa primaria editi Chronici Hispanici 1
Bernaldus Sancii Comitis filius, omnium robustorum Militum, Miles robustissimus 75
Barlangæ Ciuitas 94
Bertasoror Caroli Regis Francorum 76
Bibliotheca S. Aciscli 221
Bitumen Turri Babylonicæ iniectũ non nisi sanguine menstruo dissolutum 8
Bona oblata D. Iacobo 77
Boetius Philosophus crudeliter interfectus 37
Brennus Dux Senonum Gallorum 21
Brete vicus Hispaniæ 71
Blanca vxor Sancii 105
Brutus primus Romanorum consul 20
Brutus & Tolemon consules Romani maiorem partem plus sapientia quam armis obtinent 24
Burdimelus in tauro æneo combustus 335
Busiris in hospites crudelissimus 12
Bithinia à Phœnice condita 12

C

CAceres Oppidum Barbarorum fortissimum obsessum 114
Cadiga Mahometi vxor 53
Caius Caligula homo turpissimus, senatorum consilio interficitur 32
Caius Caligula Parenti Tiberio succedit: & Herodem Agrippam Regem Iudæa constituit 32
Calmana Caini vxor 6
Cambyses, dictus Artaxerxes, Assuerus & Nabuchodonosor, Cyro, tamquam parenti, succedit 20
Cangas Hispaniæ vallis 71
Cantaber fluuius 335
Carolus M. Rex Francia & Imperator Rom. ingentem Nobilium Sarracenorum multitudinem trucidauit 75 obiit Aquisgrani ibid.
Capitolii fundamenta à quo iacta primum 16
Carolus Calvus 331
Carolus Tertius Romanorum Imperator in fugam vertitur 79
Carteiam aiunt esse Tarsum 393
Carthago à Carchedone Tyrio incepta à Didone vero ipsius filia consummata est 14
Carthago dolo occupatur 41
Carthaginenses ampliatur & Pampilona nihilominus capitur 55
Carus postquã de Persis triumphasset, fulminis ictu interiit 35
Cata-phrygæ Pseudoprophetia 334
Castrum de Pozolo à Rege Castellæ occupatur 108
Castrum dictum S. Stephanus de Castras ab Adefonso Rege capitur 113
Castrum S. Iusti supra flumen Malui 93
Castilo Ermigii Regis soror nubit Egicæ qui post Ermigio in regno succedit 69
Cæli conspecta signa prælium denunciant 46
Cæsarea Palæstinæ ab Herode constructa 29
Cæsar perspectis Archelai innumeris vitiis illum tamquam Tyrannum mittit in exilium 30
Cæsar in subiicienda sibi Iudæa, spe sua frustratur 26
Cæsar-Augusta in Hispania à quo condita 27
Ceres cur à Græcis Demetra dicta 10
Cecrops primus, immolando boucm, Iouem adorare præcepit 12
Chindasuinthus à Romano pontifice obtinuit primatia Dignitatem Hispalensem 55
Christus Saluator, vniuerso orbe peccato hunc in mundum nascitur 27
Christoferus & Leonigildus Monachi ac Martyres 217
Christiani à Barbaris multa reportant spolia 84
Christiani quidam Christianorum persecutores 294
Christianis ad castra Maurorum via ostenditur diuinitus 111
Chaldæ Ignicultores 8
Chronica vnde dicatur 5
Cirophanes primus Ægiptiorum Idolatra 8
Ciuitatis Legionensis descriptio 95
Ciuitas Caurensis, ab Ordonio Gothorum Rege occupatur 78
Ciuitas Pompelonensis 312
Ciuitates prouincia Tarraconensis, ab Eurico deuastando eruuntur 47
Ciuitates & oppida quædam, quorum nomina ab Antiquitate vel Saracenis fuerunt mutata 58
Ciuitates quædam Hispanicæ deseritæ muniuntur muris 77
Ciuium Romanorum (censu agitato) numerus copiosissimus 22
Clericis permissum coniugium 69
Codri Regis Atheniensis, pro salute patriæ mors spontanea 14
Colossus immensæ magnitudinis apud Rhodum, terræ motu corruit 23
Columba sancta iugulatur 299
Columba Martyr 297
Clades Sarracenorum maxima 81
Claudius Augustus à Romanis insigniter honoratur 44
Claudius Dux 357
Claudius post Caium Caligulam Imperio præficitur 32 pius erga subditos ibid.
Clades Hispaniæ maxima 70
Clericus vitam ac mores conformet ad regulam S. Isidori 58
Cleopatra inter Antonium & Augustum discordiæ nutrix 27
Cleopatra inter Octauianum Augustum & Antonium discordiæ nutrix 24
Comites Mocarabes Cordubæ 221
Comitatus Castellæ in modum Regni, à Garsæano ampliatur 91
Comes Garsia Fernandi de Castella, innumerabilem fudit Sarracenorum multitudinem 88
Comitis Guilielmi Gundisalui Galleci Constantia Militaris 87

Coponius primus Iudæa Provinciæ procurator 30
Constantius patricius Romanus 46
Constantinopolis à Constantino extructa 36
Consiliarij Hispanici naturâ prudentes 3
Conimbria occupatio pradicitur 94
Constantinus per Sylvestrum Papam conversus, Persas domuit &c. 35. & 36
Congiarium quid? 16
Concilium Cordubense 291
Concilia duo Cordubæ congregata 220
Constantinus ad sectam Arrianam se convertit 36
Corduba à Christianis recuperatur 116
Corduba Regis Sarracenorum sedes 313
Corinthus quando condita 12
Corporâ Abacuc & Michea divinitus revelantur 37
Corporis sancti Salomonis Martyris inventio 316
Corpus S. Isidori ad Legionensem civitatem, ipso tamen hoc iubente, transfertur 95
Cosdroas Rex impius 39
Corpus Iulij Cæsaris à Romanis combustum & super columnam, in pomo deauratâ, tumulatum 26
Crassus Præses Syriæ, ad domandos Parthos Romanis imminentes, mittitur 26
Crudelitas in Martyrum cadaverâ 243
Crux sancta reperta 36
Cosma & Damiani Sanctorum Basilica 317
Cuteclarense Monasterium 302
Curetes & Corybantes quo pacto, modulatam saltationem invenerint 12
Cyrus Rex Persarum cum Dario, Rege Medorum, avunculo suo de regno contendit 19
Cyprianus Archipresbyter Cordubensis 215
Cyprianus S. coronatur Martyrio 35
Cyrene civitas Libyæ 12
Cyrillus Episcopus Alexandriæ 37

D

Dacius Episcopus Mediolanensis 340
Damascus urbs ab Alexandro capta 21
Danaus per 50 filias filios Ægisti fratris, uno solummodo superstite, interficit 12
Daniel pro Nabuchodonozore apud Dominum intercedit & auxilium impetrat 19
Daniel una cum Anania, Azaria & Misaële obsides ad Nabuchodonosorum ducuntur in Babylonem 17
Dardani nuncupati à Dardano 12
Darius astutiâ per Equi sui primum hinnitum, regnum adipiscit 20
Darius bello, ab Alexandro, victus ubi capta mater eius uxor una cum filiis 21
Darius Cyrum constituit Monarcham 20
Davidinter triginta fortes, tres fortiores & tres fortissimos, fortissimus 14
David maiora, ferrum aurum & argentum collegit, ut & ea Corinthium ad extruendum Templum, illud quod abscientissimorum sapientissimus Salomo Davidis filius 14
Davides Viola, Nabli, Psalterij aliorumve instrumentorum Musicorum auctor & inventor 14
Decem & septem millia hominum pro Christo Martyrium subeunt 36
De Fandila Martyre 295
De Francis 385
De Germanis, Thurcis, gente Hebræorum, regnis Latinorum &c. ibid.
De Insultatione Proverum contra Martyres 293
Delirantia Machometis scripta 312
Demosthenes primus Orator 21
De Moyse & captivitate Iudæorum 360
De prisco Tartessiorum 395
De Romulo & Remo 386
De Sancta Eugenia Martyre Cordubensi 345
Descriptio fœcunda ubertatis Hispaniæ 2
De seditione Provinciarum 294
De semine Abraham 360
Desiderius Dux Francorum 357
Destructio Basilicarum 294
Destructionis Hierosolymitanæ descriptio 33
Devastatio Hispaniæ 324
Diabolus in specie Moysis apparens, multos Iudæorum circumducendo necavit 37
Diabolus Sarracenorum delectionem plangit voce duplici 88
Didacus Comitis Velæ filius & Garsiæ susceptor, ipsum Garsiam susceptorem manu propria interficit 90 *fuga cum Sylvestro salutem quærit* ibid.
Diluvium sub Rege Deucalione in Thessalia 12
Diluvium, sub Rege Ogyge, in Achaia 10
Diplomæ Veremundi Secundi, Regis 353
Discordia inter Regis Fernandi filios gravissima 91
Discrimen inter transmigrationem & captivitatem Iudæ 17
Dissensio Romanæ inter curiam, milites & populum quomodo tandem per Herodem Agrippam composita 32
Dissidium inter Romanos pro Pompeio & Iulio Cæsare 26
Dissentientibus Gothis, Gundaredus Rex Normannorum centum classibus in Gothorum regnum irruptis, ubi multis locis vastatis, Episcopum S. Iacobi Sisrandum gladio peremit 86
Diversimoda Laudes Hispaniæ 384
Diversorum præliorum à Bamba Gothorum Rege gestorum, enumeratio specifica 62. & 63
Divitiarum Hispanicarum meminit Liber Machabæorum 3
Donatus Epiri Episcopus 37
Dadali fuga 13
Dolus cuiusdam Iudæi, fingentis se Alexandrum Herodis filium, detectus &c. 30
Dominicus & Antonius Sanctorum Hispanorum sanctissimi 2
Domitianus Christianorum persecutor maximus Iohannem Apostolum misit in exilium 33
Dosit coniux Herodis ignobilis 26
Draco, signo crucis necatur 37
Duodecimus Rex Latinorum Sylvius Æremillus 15
Duorum Magnatum conspiratum adversus Regem suum Ramirum, ab eodem trahuntur ad supplicium 77
Duo talentorum millia è templo sustulit, sed male cessit: aurum n. liquefactum hausit a Cassio coactus est 28
Dulcia & Sancia Regis Adefonsi filiæ 115
Dulcidius Episcopus Salmanticensis & Ermogius Episcopus Tudensis Cordubam captivi deducti & qui postmodum à Rege Ordonio revocati ibid.

E

Ecclesia B. Mariæ de Natara 93
Ecclesia Lucensis à Regibus Vandalorum ignis data tur muneribus 55
Ecclesia Ovetensis Archiepiscopali dignitate insignitur permittente id Leone Tertio, Romano Antistite 75
Ecclesia Africæ tempore D. Eulogij afflictissima 374

INDEX

Ecclesia Cera à Rege Gothorum Adefonso condita; per Mauros hostiliter destruitur 80
Ecclesia S. Leocadiæ Toleti, à quo fundata 31
Ecclesia Cordubensis persecutio 330
Ecclesia Africana clades 41
Ega fluuius 333
Elisabeth Abbatissa 296
Elisabetha Ludouici Regis Francorum Coniunx 105
Elogium S. Columbæ 297
Emula & Hieremias Martyres 272
Ennius Tarentinus à Catone Quæstore Romam est translatus 23
Enochi scripta à patribus cur refutata 6
Episcopatus à Lucensi ciuitate in Ouetum à Froylano translatus 73
Epistola Georgij Monachi 274
Epistola Eulogij ad Alvarum argumentum 336
Ephyra nunc Corinthus, à Sisipho ampliata 12
Epaphus conditor Memphis 12
Equi Hispanici velocissimi 2
Equilinus Episcopus 289
Era quid & quando inuenta 26. & 27. & 28
Ermegildus Hispali obsessus, ab impio parente Leuuigildo dolo captus securi percutitur 49
Erichthenius, Princeps Athenensium in Gracia, primus currum iunxit 12
Esdras Legem à Chaldæis succensam ope spiritus Sancti reparat 21
Eulaliæ sanctæ Basilica 299
Eulogij Sancti Epistola ad Wiliesindum Pampilonensis sedis Episcopum 328
Eulogius dini Eulogij Auus 313
Euersio Cœnobij Tabanensis 298
Euphrasij Sancti Templum 312
Eusebius Episcopus Cæsariensis 4
Eurici mors 47
Euangelium quo tempore, prima vice in sermone Hebræo scriptum 32
Euangelista 4 per quatuor animalia præfiguratur 341
Eutropius Abbas Monasterij Seruitani 356
Evilmerodach crudelis in patris cadaver 19
Evilmerodach à parente regno restituto mittitur in carcerem 19
Exarare literas vnde sic dicatur 21
Exceptor impius Christum abnegat 293
Exidium Hispaniæ ob hominum peccata 250
Exercitus Arabum, ab Ordonio Rege Gothorum fugatur 77
Explosio Fabulæ de priscis Hispaniæ regibus 382
Ezechias, à Patre pessimo 16

F

Fabula de Triptolemo quando ficta 12
Fafila Pelagij Regis filius à quodam ursо necatur 73
Familia Galindorum 335
Farmarius & Expulio Uuitizæ Regis filius cur ab Hispania expulsi 70
Faustus & socij Martyres Cordubenses 289
Felix A[illegible] 306
Femoralia seu bracæ quando inventa 8
Fernandi [illegible]ris draconia cumulatissima 96. & 97 *Mori ipsius [illegible]strantissima* ibid.
Fernandus Adefonsi Regis filius, regno paterno præficitur, in Hostes Catholicæ religionis crudelis 112 *eiusdem virtutum Recensio* ibid.
Fernandus Roderici Castellanus vir nobilissimus ac potentissimus 106
Figura & Situs Hispaniæ 381
Filia Montesij Sabigothoni noctu apparet 273
Filij Cain impudici 6
Flora Sanctæ virginis & Martyris Frater impius 265
Florentina & Theodosia sacræ virgines 2
Fludnius principi Gallorum 47
Fluuij Hispaniæ nobiliores 379
Fortunius Abbas Legerensis 331
Forum vnde originem traxerit 10
Fragellus vicus 299
Francorum Exercitus prostratur 48
Francorum Sexaginta Millia prostrantur 50
Fredenandus Rex 95
Fruilanus Episcopus Legionensis à labiis suis immissas prunas ardentes non sensit &c. ibid.
Froyla ausbiens exercitu Gothorum Regnum à Senatu Ouetensi, incautè interficitur 78
Froyla mortuo, voces in aëre quæ exaudita 73
Froylanus Clericis interdicit Matrimonium 73
Fulgentius Episcopus Astigitanus 38
Funus Sancti Ruderici 316

G

Galba Neronis successor, nihil memoria dignum præstitit 33
Galenus Medicus 34
Gallia conciliabulum facta perfidorum 60
Gallia Togatà 332
Galli à Romanis superantur 21
Gallorum atq; Francorum ingens multitudo capta à Bamba Rege Gothorum 65
Garsia de Cabrera Comes 101
Garseanus Rex patris æmulus impetum Sarracenorum quouismodo impedire sedulo attentat 91
Garseanus auxilio reliquorum fratrum Patrem Adefonsum regno expellit 80 *Ad persequendum Arabes, magnum colligit exercitum* ibid.
Gaudiatus Fluuius 306
Gauzon Castrum 80
Geni Lydorum bellicosissima à Cyro astutè redacta in seruitium 20
Gens Vandalorum & Alanorum ab Hispanijs ad Africam transfertur 37
Gens Iudaica à Gabinio in Quinque Conuentus dividitur 33
Gentis Chaldaicæ Origo 7
Gentis Gothicæ descriptio 43
Gentium templa à quo subuersa 37
Geppides Rex Longobardorum 38
Gerticos villa 35
Gesta Anastasij, Felicis & Dignæ Martyrum 296
Gilimer Tyrannus 41
Gisericius frater Gunderici Regis Hispanorum, fit Apostata 40
Glutinis inuentio 16
Gorgias Primus Rhetorum 21
Gormaz Castrum 94
Gothi passim per Galliæ & cæteras regiones dispersi, victis Sarracenis, congregantur ac Chaldæos expugnant 73
Gothi vastantur 38 *ad Christianam Relig. invitantur* ibid.
Gothi de stirpe Magog 43
Gothi Italiam devastant 38
Gothorum impetus in Graciam, Macedoniam, Asiam &c. 35
Gothi pro Patria & fide fortiter dimicant 48

Gothi Hungarorum innumerabilem multitudinem perdunt 44
Gomez Comes ab Heinrico Comite in loco Campo de Spina dicto, trucidatur 103
Gregorius Papa moritur 50
Grave Christianorum periculum 296
Greci cur Latinis insultarint 37
Gratulus quidam ex visione S. Iacobi Apostoli nocturna, Fernando Conimbriam se occupaturum, predicit. 93. & 94
Guadix urbs in Regno Granatæ 304
Gudesteus Ouetensis Episcopus integrum per triennium captiuus detinetur, ob id terra siccitas & sterilitas emersit, quo rursus liberato, copiosa secuta pluuia 88
Gulfilas Gothorum Episcopus 44
Gumildus Magnolensis sedis detestandus Antistes 59
Gundaredus Rex Normannorum prælio victus, à Gundisalvo Comite Sanctionis gladio confoditur 86
Gundebadus Rex Burgundionum 48
Gundemarus Rex Gothorum Victoriosus 51
Gundericus primus Rex Vandalorum 55
Guntamundus Clericos in exilium missos reuocat 41

H

Habdarrahgmami Regis mors subita 279
Hadrianus Iudæos rebelles denuo subigit 34
Hæresis Anthropomorphitarum 36
Hæresis Pharisæorum 25
Hæretici in dulcedine quærunt amaritudinem, in vita mortem &c. 117
Haumarinus Dux Sarracenorum captus cum aliis captivis permultis trucidatur 73
Hebræi ab Heber 7
Hebræorum captivitas annis septuaginta permansit, quibus præterlapsis ignis ab altari subtractus, vivus adhuc repertus in puteo 18
Hebræorum egressus ex Ægypto 10
Hebræorum seruitus quamdiu in Ægypto duraverit 10
Hebron vallis lachrymarum 8
Helena à Theseo rapta atque fratrum auxilio liberata, capta vicissim matre Thesei 13
Helias presbyter, Paulus & Isidorus Martyres 301
Helias Prophæta vir pilosus Esavo haud dissimilis 15
Heliopoleos Pharaonis Sacerdos 11
Helysachar Abbas 332
Henricus Regis Adefonsi filius decennalis parenti demortuo succedit 112 *iactu tegulæ à Nobile quopiam, casu percussus obijt* 112
Hercules, laborans morbo pestilenti, flammis se injicit 13
Hermegildus Rex & Martyr 2
Hermesenda Pelagij Regis filia 73
Hermericus primus Rex Sueuorum 56
Herodes ab Augusto & Antonio, coronatus Rex Iudæa constituitur 27
Herodes Agrippa qua de causa à Tiberio missus in carcerem 31 *Mors eiusdem miserabilis* 32
Herodes Antipas in Tiberij honorem condit Tiberiadem 30
Herodes, Christi Elusor, una cum Herodiade in Exilio miserabiliter moritur 32
Herodes in pueros Bethlehemiticos Tyrannus immanissimus 29 *ipsius Mors tragica* ibid.
Herodes pater Galilææ 26
Herodes quærit Christum recenter natum perdere 19
Herodotus Historicus 21
Hesiodus Poeta quo tempore claruerit 15
Hildericus Hugnerici filius, Catholicorum persecutor, immanissimus 47
Hieremias, à reliquis filiorum Israel, propter salutarem obiurgationem, lapidatur in Ægypto 17
Hieremiæ & Sophoniæ Iudæa Prophetæ 17
Hieronymus, scripturarum sacrarum primus ex Hebræo in sermonem Latinum translator 37
Hispalis cur cognominata Romulensis 397
Hispalis Julia Romula vocata 26
Hispania ab Hispali 40
Hispania Citerior à Bamba Gothorum Rege subigitur 55
Hispania, donis propriis, abundans 2
Hispaniæ sive populorum, Urbium, Insularumq; ac fluminum in ea, accurata descriptio 375
Hispania unde derivetur 5
Hispaniæ Nomen & Etymon 380
Hispaniæ pars maxima occupatur 37
Hispani omnes libertate donantur 48
Hispani seruituti subjiciuntur 40
Hispanici Milites post triumphos clementes 3
Hispanicorum Regum ferocitas 97
Homer Victor ac Triumphator Glorioſus 54
Homerum Philosophum tempore Sylvij Æneæ filij Posthumi, quarti Regis floruisse creditur 13
Hospitale B. Iacobi via adstructum 109
Hostilius Rex Rom. Tertius cum domo sua, fulmine conflagravit 16
Hulittabulhabat & Veivezus Regis Cordubensis duces 81
Hunnibaldus solidus Antiquitatis Francicæ Doctor 356
Hunni relictis Gallijs Italiam perfugiunt 46 *à Martiano Imperatore fortiplaga cadentur* ibid.
Hydra Sophista callidissimus 13
Hymnus in diem natalem S. Eulogij presbyteri 230
Hypocras Medicus 21
Hyrcanus ne pontificatum reciperet privatur auribus 27
Hyrcanus ab Herode occiditur 29

I

Iacobelis in detegendo filiolo, astutia 10
Iacobus Ferrusius Valentinus, Doctor Theologus 603
Iacobus Rex Aragoniæ 107
Iacobus Iohannis Frater ab Herode Agrippa occiditur 31
Iacobus S. Apostolus pro Fernando in terra belligerante, bellicat in cœlis 93
Iaddus Sacerdotum in Hierusalem Princeps denegat Alexandro venalia & tributum, ob quod Tyrus expugnatur & solo æquatur 21
Iamnes & Mambre insignes Pharaonis Magi 12
Ianuarius & Februarius decem Anni mensibus adiecti, à Numa Pompilio 16
Iaso impiissimus, pecunia, venatur summum Sacerdotium ab Antiocho Epiphane 22
Idolum Ægyptiorum, Idolum Chaldæorum astu antecellit 9
Ierusalem prima urbs post diluuium 7
Iesu Filius Syrae 23
Iesu Christus Dei filius quo ætatis anno & quo sub Imperatore crucifixus 28
Iesus Sacerdos Magnus & princeps Gentis Zorobabel quando claruerit 28
Ignis super altare qua de causa extinctus cum tamen septuagesimo captivitatis Babylonicæ sub aquis in puteo reperiatus sit 22
Ignis de Ætna ad mare usque erupit 22
Illefonsus Primus Hispanicus & Archiepiscopus Toletanus 55
Ilium ab Ilo conditum 12
Ilium, à filiis Hectoris, receptum 13
Illyricianus Catholicus 336
Imago Dei Genitricis cū imagine filij sui emittit sanguinē 108

INDEX

Inundar & Alcatenetel Agarenorum Duces 79
Index S. Iohannis incorruptus, & post diuturnam mortem, repertus 36
Ingens in occisos Sanctos Sævitia 316
In hymnum & Epitaphium B. Eulogij Scholia 234. & 235
Initium Regni Mahomaid Regis 293
Insignia Isidori Archiepiscopi Hispalensis laudes atque præconia pulcherrima 52
Initium captiuitatis decem tribulum Israëliticorum 16
Interius Azarij miserrimus 260
Inter Pompeium & Iul. Cæsarem bellum grauissimum, quo tamen Pompeius victus & à Rege Ægypti trucidatus interijt 26
Inuentio Sanctorum Corporum 316
Inuentor Musicæ Tubal 6
Ioachim trucidatus extra mœnia inhumatus proijcitur 17
Ioachim filius substituitur qui demum omni cum familia in Babylonem captiuus deducitur ibid.
Iohannes Anachoreta 37
Iohannes Monachus Antiochenus, Mahometi assecla 53
Iohannes Rex Hierosolymitanus Gener Regis Adefonsi 109
Iohannis Baptistæ decollatio, eius demq; sepultura bipartita 31
Iohannes Hyrcanus sic cur dictus 24 *aperit Dauidis sepulchrum* ibid.
Iohannes præpositus 328
Iohannis Epi, Epi Alexandrini Mors 336
Iohannes Baptista, Magnus Christi Præco nascitur 27
Ionatha Duce & Pontifice Iudæorum interfecto frater ipsius Simon, substituitur 24
Iosepho cum Puerulo (Christo) in Ægyptum ingresso, omnia simulachra Ægyptiorum pronaos sua corruerunt 29
Iosippus, dimicans contra Antigonum, à Papio Principe Antigoni Exercitus interficitur 27
Ionas eversionem Niniuæ prædicit, quod vaticinium postmodum impletur 16
Iouinianus una cum exercitu Christianissimum amplexus est, idolorum autem templa claudi præcepit 36
Irenæus Episcopus Lugdunensis 34
Isaacus Monachus ac Martyr 261
Isidorus Doctissimus natione Hispanus 3
Isidorus Doctor & Hispaniarum Legislator obdormis somno dulcissimo 52
Isidorus in recensione Chronici sui imitatus 70 interpretes 4
Isis Phoronei Regis Soror, Ægyptios de agricultura docuit 10 *post mortem in Deorum relata numerum* ibid.
Ismaëlita postea Agareni, postremò vero Sarraceni dicti 9
Italica situs descriptio 399
Iudæa redacta in Provinciam 80
Iudæa à Nabuchodonosore capta, fit tributaria 17
Iudæi ædificantes templum à vicinis Samaritis impediuntur 22
Iudæi, tamquam hostes veritatis, quædam de ritibus Legis præsciderunt 27
Iudæorum supplicatio ad Cæsarem Romam 30
Iudæos Nobiliores, cur post mortem Herodis trucidatos esse ipse Herodes voluerit 19
Iudex Aurea Virginis Nobilis Consanguineus 304
Iudices Hebræorum, non dominium exercuerunt in populum Israël, sed tempore tribulationis consilium & auxilium salis præbuerunt 12
Iugurta contra Romanos dimicans à Sylla & Mario captus est 25
Iulianus vir sagax & astutus 70
Iulianus ex Clerico Imperator, Apostata & immanissimus Bestia similis, procedens contra Persas, iaculo interimitur 36
Iulianus Episcopus Toletanus mittitur in exilium, in cuius locum subrogatus Offa 9
Iulius Africanus primus ex Hispanis breuem temporum annotationem edidit 4
Iulij Cæsaris Turris mirabilis in Pharo Gallecia 26
Iuliorum Familia unde traxerit originem 13
Iulius Cæsar, primus Romanorum Monarcha & inter mortales victoriosissimus 24
Iuris Ordo quomodo seruetur 1
Iusta Sancta virgo & Martyr 95
Iusti & Pastoris Sancta corpora 334

L

Lamech etiam contra Dei institutum, autor Bigamiæ 8
Lapithæ & Centauri Nobiles, Thessalorum Milites 13
Lapides & jacula contra Christianos emissa, repercussione quapiam in ipsos Sarracenos sagittas emittentes, retorquentur 27
Lapis forma Caprinæ in Mare in Ægæum cœlo decidisse visus est 21
Latinorum Rex nonus Sylvius Carpentus 15
Latrones oculorum euulsione à Ramiro Gothorum Rege puniti 77
Laurentius & Vincentius Hispani, Martyres 2
Laurentius Surius Monachus Carthusiensis 290
Laus Hieronymi Curiæ 334
Leandez Archiepiscopus Hispalensis revocatur ab exilio 50
Legatorum Romanorum in liberanda, ab obsessione, efficacia 23
Legerense Monasterium 312
Legio Vrbs Hispaniæ 2
Legio vrbs condita à Romanis legionibus perpetua gaudet libertate 56
Legio Vrbs demùm capta 92
Legionenses Portugalos vincunt in loco Portella de Valdeuer 112
Legionenses ob Adefonsi Regis aduentum magno applausu exsultant 99
Leouildus Rex Gothorum 38
Leuvigildus armis regnum amplificat 49 *fit crudelissimus* ib.
Liberi patris, Sepulchrum, apud Delphos aureum 12
Lignum salutis 15 *Creditum lignum crucis Dominicæ* ibid.
Liliosa Felicis uxor 269
Linus & Amphion Musici Græci 12
Lycurgus Legislator Apollinis apud Græcos insignis 15
Lyra mirabile inventum 12
Litorius Ductor Romani Exercitus 46 *cum Gothis imprudenter bellum gerit vbi occiditur* ibid.
Liuva Reccaredi Regis filius, in regno Parenti demorituo succedit 51 *fit degener multa in Regno illicita faciendo* 51
Locorum quorundam Hispanicorum diuisiones Bamba Gothorum Regis 58
Longobardi in Italiam introducuntur 33
Lucanus Poëta Hispanus 3
Lucæ Tudensis Episcopi aduersus sui temporis hæreticos, Albigenses, disputatio tribus distincta libris 117
Lucius Quirinus 16
Lucius & Aurelius Commodus 393
Ludouicus Rex Francorum 105
Luna, etiam cõtra Eclipsim naturalem obfuscata cõspecta 46
Lupus, Muzæ filius, cognita Clade Parentis se suosq; omnes in Ordonij Gothorum Regis Clientelam tradit 78
Lupus Nobilis Dux Franciæ salutem sibi & exercitui quærit pedibus 66
Lusitania depradatur 42

M

Mahometi Origo 53
Mahometus Cordubæ Erroris suis sectam extendit 54 *præmonente Dæmone aufugit* ibid.
Machomet Mauritensis, permissu Adefonsi Regis Gothorum, toto cum exercitu Galleciæ fines inhabitat 75 *fit perinsignis, ob id truncatur capite, amissis Quinquaginta Millibus Barbarorum* 76
Macrinus Martianus seditione militari interficitur 35

Madian ciuitas circa mare rubrum 11
Magna Hispaniarum clades 40
Magna Gothorum multitudo submersa periit 45
Magnus Annius annos quot sub se contineat 8
Maioricanus à Recimiro fraude circumuentus occiditur 41
Malchus Monachus 322
Malicus Hyrcani amicus veneno amicum appetere attentat: prius tamen sustulit Antipatrum 26
Manahem Rex Israëliticus 16
Manasses in Monte Garicion templum exstruxit ad formam Templi Hierosolomytani 21
Manichæorum Hæresis quando exorta 35
Manlius Torquatus Romanorum Consul filium naturalem virgis cæsum securi percussit &c. 21
Mauricius Comes. 106
Marcellus Centurio, Nona eius uxor duodecim filij centurionum omnes Martyres 2
Marcus Aurelius Antonini filius propter morum & vitæ obscœnitatem, tumultu militari periimitur 35
Mariamnis uxor Herodis, suspicione adulterij à marito interficitur, de cuius morte postea adeò doluit vt quandoq; in dementiam redigeretur 27
Martinus Braccarensis; Episcopus Dumiensis 38
Martinus Abbas 295
Martinus Episcopus Turonorum Gallia Ciuitatis diues miraculis 37
Martinus presbyter Legionensis in expositione scripturarum primis ad æquatur Doctoribus 3
Martyrium sanctorum Amatoris Petri & Hludouici 301
Martos Oppidum 289
Masdra Rex ingulatur 42
Matrimonium inter virum & uxorẽ alterius Religionis 269
Mauritius Episcopus Legionensis, Ecclesiæ eiusdẽ fundator 110
Miraldæ Rupes 306
Maurorum Templa 313
Mauri Masculi à Fernando Rege trucidantur 94
Mauri fugantur, multis suorum millibus prostratis 115
Maximinus Christianis infensus 35
Miro princeps Suevorum 42
Melagon Castrum Barbarorum à Christianis occupatum 111
Melchinius inventor Syringarum vt & Lyræ 17
Memoriale D. Eulogij 237. & seqq.
Mercurij Triplices 13
Mercurius Atlantis Filius in Deorum relatus numerum 10
Milites Hispanici strenui ac fortissimi 3
Minerua cur Pallas dicta 10
Minos filius Europæ Cretæ Dominator 12
Minotaurus à Theseo occiditur 13 cur *Minois Taurus* nuncupatus ibid.
Misera Ecclesiæ persecutio 323
Miseria Christianorum sub Sarracenis 247
Mirabilis vitreorum conditura flexibilis & ductilis à Lucillo quodam excogitata, ob quod à Romano Cæsare decollatus est 31
Miraculum in Baptismo Arriani cuiusdam conspectum 38
Miraculum inter Baptismum Barba conspectum 335
Miraculum in Bamba, Gothorum Rege conspectum eiusq; Enucleatio 55
Miracula initio nascentis fidei necessaria 310
Miramamolinus Rex Almophadum 101
Mori Alarici Regis Gothorum 45
Monachi & Clerici Theudiselo Gothorũ principi odiosi 48
Monarchia Assyriorum ad *Medos* transfertur 15
Monasterium sancti Salnatoris 295
Monasterio B. Dionysij à Ludouico Rege Francorum obfertur *Smaragdus* 105
Monasterium S. Sabbæ 290
Monasterium Sancti Genesij 316
Monasterium S. Mariæ in Olgis Ciuitatis Burgensis 109
Monasterium S. Facundi 95
Moyses cur fuerit impeditioris linguæ 11 qualem in uxorem duxerit &c. ibid.
Moyses à Pharaone adoptatus in filium 11 *Moyses* paruulus Coronam impositam deijciendo frangit &c. ibid.
Mons Auentinus & *Janiculus* Romæ additus ab Anco Martio Quarto Regẽ Romanorum 16
Mentor Castrum fortissimum 103
Morà villa in Confinio Barbarorum cur destructa 110
Mors Mahometis 312
Mortui Beli imago vivis Reis portus & asylum 1
Morum Militum Hispanicorum descriptio 3
Multa signa in Natiuitate ipsa Christi conspecta, quorum in sacro Codice nulla fit mentio 29
Muradal portus 105
Muri ciuitatis Romæ restaurantur 41
Musæus Orphei discipulus, & *Linus Herculis Magister* quo tempore claruerint 13
Muza, ob ingentis victoriæ gloriam, tertius Hispanorum Rex à suis honorari cupit 78 ab Ordonio tamen cũ ingenti hominum magnificorum iactura postmodũ victus & superatus est ibid.

N

Nabuchodonosoris transmutatio 2
Naves de Tolosa locus Hispaniæ in quo Hispani victores fœlicissimi euaserunt 111
Narbona Theuderico tradita 47
Narcissus Episcopus Hierosolymitanus 34
Neronis scelera immanissima & prorsus horrenda 33 occisus tandem & à feris dilaniatus est ibid.
Nebrissa cur cognominata *Veneria* 396
Nehemias Dux Israel muros Hierusalem restaurat 21
Nepotianus quidam Palatij Comes propter tyrannidem luit pœnas meritas, captus enim duobus priuatur oculis 76
Nefarium de Christo seruatore *Mahometis* iudicium 313
Nicenum Concilium, ad damnandam sectam Arrianorum à Constantino, congregatum 36
Niola & *Anullo* Sorores 329
Nicolaus Episcopus Myrrheæ florens Miraculis 36
Ninive subuersio 16
Nissa in India à Dionysio condita 12
Nymphæ Carmentis Latinas litteras repperit 13
Nobiles Castellani seditiosi 83
Nobiliores Bœticæ populi 388
Nomina Martyrum Cordubensium 331
Normanni amissis ac combustis septuaginta nauibus à Ramiro Rege Gothorum vincuntur 77
Novatus Novatianæ sectæ auctor 35
Numa Pompilius Romuli in regno successor 16 primum dedit militibus congiarium 18
Numerus Olympiadum quando à Græcis inceptus 13
Nummus aureus Regis Ruderici 318
Nummus Rex capitur 106

O

Obiectionum quarundam refutatio 306
Octauiani Augusti mors 30
Octauius Cæsar multa in Imperio præclarè gessit ac ter præclarè triumphauit 27
Odoacrus Rex Ostrogothorum 48
Odoarius Abbas 329
Oelei Castrum 102
Olisbona occupatur 42
Ologithis Gothorum Ciuitas 51
Olympias quid 16 vnde dicta ibid.
Olympius quidam Arrianus, blasphemans Trinitatem diuinitus combustus est 38
Oppa Sarracenorum Assecla à Pelagio, capitur, *Alcamamo* vero cum viginti millibus Sarracenorum interficitur 72

INDEX

Opiniones variæ de Herculis Columnis 391
Oraculi Dodonei primus usus in Græcia 16
Orcio Pelagij, obsessi à Barbaris, Christianissima 72
Orcio S. Eulogij ad virgines 327
Ordo D. Benedicti quando in Hispania primo sit exortus 287
Ordonius Ramiri filius parentis sit in Regno Gothico successor 77
Ordonius Antistes Astoricensis 93
Origenis scripta errore referta 35
Origo gentis Iuliæ 15
Origo urbis Corduba, situs ac antiquitas 359 & sequentibus aliquot paginis
Ortus Mularum 10
Ossima olim Vrso à Hortio Vsao 397

P

Pallus Gigas à Minerva trucidatur 10
Palma Oppidum 301
Pampilona & Cæsar Augusta capiuntur 47
Phaetontis incendium quando factum 12
Pantheon Templum Romanum 39
Parthen Tarentum condunt 16
Papa Damasus Hispanus 2
Papini vitellus interficitur 27
Pharao quid significet 10
Paris rapit Helenam 13
Paulus Samosatenus Hæresiarcha 35
Paulinus sanctus 322
Paulus Dux Bambanici exercitus sit periuria 39
Paulus perfidus Galliæ Tyrannus capitur à Bamba Rege Gothorum 55
Paulus multos è familia Neronis convertit 33 in catacumbis Romæ decollatur ibid.
Paulus Diaconus Emeritensis 282
Paulus Tyrannus bello victus, una cum complicibus decalvatur 65 Incedit corona picea coronatus 66
Pelagius Episcopus 355
Pelagius à Concilio Carthaginensi condemnatur 37
Pelagius comprehenditur & Cordubam ferro vinctus perducitur 91 ab Asturibus in Regem eligitur ibid.
Pelagius Regis Veremundi Equus 91 propter nimiam velocitatem hero mortem accelerat 92
Pelagius natione Hispanus, Episcopus Albanensis Cardinalis, Dux Cruce signatorum, Damiatam occupat, quam tamen Sarraceni paulo post recuperarunt 113
Pelagius a Synodo Ephesina condemnatus 37
Persæ famis impatientes proprium sanguinem hauriunt 47
Perfectus Sanctus Martyr 301
Persæ cum Romanis pacis fœdera rumpunt 355
Petrus ex carcere Herodis Agrippæ liberatus divinitus 32
Petrus Rex Aragonum 111
Petrus Ansuri vir prudens ac lingua Arabicæ peritus 99
Petrus, Rex Aragonum à Roderico Didaci capitur 101
Petrus & Paulus apparent seni cuidam presbytero 119
Phidon Argivus Inventor Ponderum atque Mensurarum 15
Pilatus Hierusalem aqua penuria laboranti fert auxilium 31
Philippus primus Christi Imperator efficitur 35
Ponia [illegible]hania fluvius 71
Phoe[illegible] 39
Phua filius sacerdotis Heliopoleos quærit Moysem perdere 11
Pinna Mellaria 295
Pisemellariense Cœnobium 301
Pipinus Caroli Magni filius 333
Pythagoras inventor Arithmeticæ 20
Pyrathæ Normannorum omnem Hispaniæ Maritimam gladio & igne devastant 78
Placentia, Beiara, Moia, &c. populantur 108
Placidia Theodosij Imperatoris filia coniux Ataulfi 46
Plaga Inquisinalis in Hispania 338
Plotius Gallus Romæ primus Doctor Latinæ Rhetoricæ 24
Plurima Civitates Regni Hispaniæ ab Adefonso populantur 110
Pompa virgo & Martyr 300
Pompelo Christianæ ditionis facta 330
Pompeius capit Hierosolymam, sancta sanctorum irreverenter intravit, &c. 24
Pompeius Hierosolymam obsidet, detruso Aristobolo in carcerem, prophanatoq; templo fortunam sibi infestam reddidit 25
Populus Ismaeliticus à Carolo M. Rege Francia & Imperatore Romano, funesta truncatione, trucidatur 75
Portenta mortem Iulij Cæsaris antecedentia 26
Portugaliæ Vrbes aliquot ab Adefonso Rege Legionensi capiuntur 111
Portugalliæ fines à Barbaris devastantur 87
Portugalenses vincuntur 107
Porus & Darius Reges ab Alexandro interfecti 22
Prelium, inter Augustum & Antonium, quo victus Antonius moritur 27
Prælium commissum inter Regem Ordonium & Regem Abderamam 81
Prima ætatis recensio 5
Priamus Laomedontis successor in Troia 13
Priscillianus Hæreticus 37
Priscillianus ab Idatio accusatus percutitur gladio 37
Procidus primus Quadrigam iungit 10
Prometheus Fabricator hominum & inventor primus annuli 10
Prophetarum in Iudæa, nomina 15
Provincia Hispalensis 302
Provincia Italicensis 301
Psalterium & Nablum qualia instrumenta Musicæ 14
Phaselus illisò ad saxum capite, exsiliunt 27
Ptolemæus ingens ac crudelis Tyrannus 24
Ptolemæus Philometor, ab Antiocho Magno Rege Syriæ victus & Iudæam amisit, &c. 23
Ptolemæi Philadelphi edicto, omnes, sue ditionis Iudæi, observandi Legem Dei, congregati 22 eiusdem Eleazaro & præmissis 72 interpretibus, præmissa munera ib. & 23
Ptolemæus Soter sub specie Religionis, multos cepit Iudæos quos passim hinc inde venditioni exposuit 22
Puellæ Christianæ Nobiles ac Ignobiles ex conditione, Sarracenis matrimonio iunguntur 74

Q

Quadraginta fere millia Gallorum, à Romanis cæsa 23
Quamplurimæ Hispaniæ Civitates à Barbaris aliquandiu obsessæ, Troyla recuperat 73
Quando Christus passus sit 391
Qui Euangeliorum scriptores recipiantur 33
Qui status Christianæ Religionis Cordubæ sub Arabum Imperio fuerit tempore D. Eulogij 220
Qui Hispani Romæ facti Imperatores 3
Quintralubel Castrum 80
Quinquaginta Saracenorū Millia à Froylano trucidantur 73
Quiricus Archiepiscopus Toletanus 52

R

Radagaisus Rex Gothorum Idololatra 45 capitis interficitur ibid.
Raguel Cordubensis 351
Ramirus Abbas 59
Ramirus Gothorum in regno Rex firmatus 96

INDEX

Ramirus Gothorum in regna rex strenuus 76
Ranosindus Dux Provincia Tarraconensis 60
Ratio temporum in Hispanorum regum historia 281
Raymundus Comes Barchilonensis 103
Recitaredi regis praconia gloriosissima 50
Recesuinthus litterarum divinarum ac humanarum amator diligentissimus 55
Recciarius rex Suev. 47. telo saucius fugiens capitur ibid.
Reccopolis urbs in Celtiberia à quo extructa 49
Regalis Iudaorum prosapia libri omnes ab Herode combusti, & id qua de causa 27
Reges Latini à quo Sylvii denominati 13
Reges in Syria dicti Antiochi ab Antiocho Sotere 22
Regibus Romanis expulsis, substituti consules ad Iulium Cæsarem usq; 20
Regis notatio. 1. ejusdemve requisita quinq; ibid.
Regnum Israel a Iuda quando divisum. 15 quo tempore etiam aves conuolarunt super Hierusalem ibid.
Regnum Legionense contra Sarracenos defenditur 110
Regnū Portugalia & Gallæcia à Rege Adefonso obtinetur 100
Regnum Suevorum deletur & ad Gothos transfertur 43
Regno Orientis cadente, Occidentis regnum surrexit 20
Regum Lacedæmoniorum defectus 13
Reliquiæ sancti Zoyli 329
Reliquiæ ligneæ arcæ Noæ ubi ostendantur 7
Remissuindi regis Suevorum legatio ad Theudericum regem Gothorum 47
Remus à Fabio, Duce Romuli, rustico Pastorali occiditur 16
Renerius, Ecclesia Romanæ legatus Papa factus 101
Responsio Aboari acceptam Epistolam S. Eulogii 340, 341
Rex Latinorum decimus Sylvii, Tiberinus 15
Rex Legionensis Adefonsus improbo admodum terribilis 109 *in bello nunquam victus sed semper victor extitit* ibid.
Rex Hispaniæ nulli imperio temporali subditur 3
Rex Gothorū Ordonius morbo correptus podagrico animam suam Oveti exhalat 78
Rex Veremundus podagrica ægritudine laborans, Barbaro Legionem obsidenti nequit resistere 87
Rixæ & dissidia inter regem Fernandum & regem Veremundum qua de causa exorta 91
Roderici & Letesma civitates 106.
Rodericus Didaci miles victoriosissimus 98
Rogellus & Servius Martyres 277
Roma quando & quo in loco à Romulo & Remo condita 16
Roma, à Gothico exercitu, obsessa vincitur 43
Roma cunctarum gentium domina subacta Gothis 43
Roma adjecto monte Celio amplificata 16
Roma depradata, incensa relinquitur 37
Romani, victos Græcos, liberos dimittunt 23
Romani Triumphatis regionibus, quid ex iisdem fecerint 30
Romani à Carthaginensibus navali prælio victi Metello, consule, in fugam verso 23
Romanorum in Italia bellum lachrymabile 356
Romanorum Imperatorum series 394, 395, 396 &c.
Romanum Imperium à qua gente nimium defatigatum 43
Romanum Imperium diminuitur, avaritiæ causa 31
Roma pars maxima a Gallis cremata 21
Romulus Dijs annumeratus est, & id qua de causa 16
Romulus & Remus gemelli à Lupa enutriti 16. *ejusdem Lupæ interpretatio* ibid.
Rustici rebellantes opprimuntur 355
Rusticus quidam in Gallæcia partibus contra Nobilem injuriantem, defenditur 104

S

Sabbæ civitas regia 11
Sabba Regina, regiæ civitatis Æthiopæ Salomonis miratur prudentiam, offert eidem munera pretiosissima 15
Sacerdotes antiquitus dicti Primates 11
Sacerdotes & Clerici ob Arrianam detestatam hæresim in exilium mittuntur 41
Sacerdotes Maurorum de tribus proclamantes 313
Salamantica, à comite Raymundo populatur 101
Salomon Martyr 318
Salomon undecimo ætatis anno etiam contra naturæ cursum genuit filiū 14. ejusde ætas perfecta & series Imperii ibid.
Salomon & Rudericus Martyres 307
Salomonis gloriæ descriptio 15
Salustius Historiographus quando natus 24
Saul primus rex Israeliticus 13
Salvaterra, ab Abeniacob Miramamolino rege Barbarorum obsidione cingitur 110. capitur ibid.
Samaria solo æquatur 25
Sampyrus Episcopus Asturicensis 351
Sancta Christina castrum 76
Sancta Columba ad Martyrium properat 299
Sanctarum virginum Florę & Mariæ vita & passio 264
Sancia Regina 95
Sancio Comes Sancionis 334
Sanctius Crassus rex 351
Sanctius Comes perpetuo carceri includitur ob stupratam Xemenam regis Adefonsi sororem 71
Sancta Mariæ munitio occupatur 94
Sancti Eulogii Epitaphium 42
Sanctorum quorundam sepulturæ diversorum locorum 34
Sanctorum aliquot Hispanorum enumeratio 2
Sanctorum quorundam sepultura diversimoda 95
Santarem oppidum 107
Sapho Mulier, diverso poemate apud Græcos insignis 17
Sarraceni, nimio percussi terrore ob adventum regis Fernandi, relictis pueris & mulierum agmine, aufugiunt 94
Sarracenorum sexaginta millia flumine obruta, puniuntur divinitus 72
Sardanapalus ultimus Assyriorum Monarcha ab Arbace vincitur 15. seipsum flamme concremat. ibidem.
Saturninus Archidiaconus 221
Scemenus Abbas Igasensis 311
Schisma Donatistarum quando exortum 36
Schola Palentiana constituuntur 109
Scholia in divi Eulogii vitam 232 *233. & 234.*
Scholia in Apologeticum Sanctorum Martyrum 318
Secunda ætatis Genealogia. 7
Sedechias mœrore confectus diem suum in carcere obiit. 17
Seleucus in Syria Alexandri successor. 22
Semę Regis Dauid omne ab Athalia crudelissima extinctū 15
Semiramis nubit proprio filio. 9
Sena oppidum expugnatur, Barbari partim trucidati, partim in seruitutem redacti. 95
Seneca Patria, Hispania. 3
Septem primi Hispaniæ Episcopi. 318
Septem Tribus & Israel captiuati. 18
Serapis Rex Ægyptiorum in Deorum numerū refertus 9
Servus periurus & Regicida voluntarius occiditur. 80
Seruandus Consiliarius Regis Fernandi. Barbaris est terribilis 94 ibid.
Seuerianus dux Carthaginensis. 2
Seuerus Antiochenus Hæresis princeps. 318
Sexaginta millia Iudæorum corruerunt victis a Ptolomæo Philopatore. 23
Sextus Servius, Nobilis captiua filius, Rex Romanorum a Tarquinio Superbo prisci Tarquinii filio occisus 17
Sybilla Erophila cur Samia dicta. 10
Sigericus princeps pacificus cur a suis trucidatus 46
Sisebutus Gothorum Rex Galleciam rebellantem vincit in monte Cyperio 74
Silemom quale instrumentum 13
Simon Cleophas Hierosolymorum episcopus crucifigitur 34
Synodus Constantinopolitana 73

INDEX

Synodi Chalcedonensis defensores exilio damnantur 38
Synodus Romana sub Innocentio Papa Romano 113
Syluius Capys Rex Latinorum octauus 15
Syluius Amulius Decimus Quartus Rex Latinorum 16
Syluius Posthumus Æneæ & Laviniæ filius tertius Rex Latinorum 13
Syluius Alba Syluij Æneæ filius sextus Rex Latinorum 15
Syluius Athys siue Ægyptus Rex Latinorum septimus 15
Syrena, Meretrices cantu & pulchritudine nauigantes fefellerunt 13
Syria in Romanorum potestatem subacta 24
Syria & Mesopotamia à Mahumeto deuastatur 54
Socrates & Demetrius philosophi 21
Solon Atheniensibus præscribit leges 17
Sollicita Ruderici & Salomonis humilitas 315
Sophocles & Euripides scriptores Tragœdiarum 21
Sisenandus Episcopus 330
Sisenandus Leuita Martyr 262
Stilo Dux Romanorum ingentem Gothorum multitudinem in cuniculum fame necat 45
Strathonis in liberando ex uase uitreo pullo, mira & ingeniosa artificia 15
Series primorum hominum quomodo & per quem asseruata posteritati? 7
Successor Ordonij Adefonsi, adiunctis Gallecia copiis, Sarracenos igne ferroq; deuastat 78
Sueui Gothis subiecti 38
Sueui fidei Catholicæ restituuntur 42
Sueui baptizati obtinent Gallecias 50
Sueuorum Regnum finitum, quod tamen paulo post restauratum 47
Supplicium humani generis ac solatium 355
Suintila Regis Gothorum præclara facinora 51

T

Thalamus unde traxerit originem 16
Talauera Agarenorum ciuitas 24
Thales Milesius Astrologiæ numerum primus inuestigauit 17
Thamir uermiculus eiusq; sanguinis efficacia 15
Tharasia uxor Adefonsi repudiatur, & in eius locum Beneagaria prudentissima surrogatur 109 cuius liberi suscepti recensentur ibid.
Tharbis filia Regis Æthiopum Moysi nupsit & propter Idololatriam a Moyse derelinquitur 11
Taraphei castrum 106
Tarquinius Superbus Romanorum Rex septimus qua de causa regno pulsus 20
Tarquinius Priscus Rex Romanorum quintus 16 eius edificia ibid.
Tarsilla amita Gregorij 119
Tellio Palentiæ urbis Episcopus Reuerendissimus 109
Telchines à Græcis uicti, in exilio Rhodum condunt 10
Templum Hierosolymitanum à Nabuchodonosore incensum, cuius ornatus a terræ hiatu absorptus est 17
Tempore Abieni Iunioris Cos. ingens terræ motus 335
Templum Pacis ipso die Natiuitatis Christi funditus est eversum 29
Templum Cordubense 294
Templum Delphicum quando constructum 12
Templa Christianorum Corduba 220
Tempora Adefonsi Regis pax & tranquillitas maxima 109
Templum [illegible]nis octauo anno absolutum 14
Theodorus Episcopus Cebarlusitanus 341
Theodorus frater Heraclij, amissa maxima parte exercitus, à Mahumeto interficitur 54
Theodosij Imperatoris patria Hispania 3
Theodoricus & Frigdaricus Fratricidæ 47
Theademundus Canonicus 329
Theodora Augustæ morbus & subsecuta mors 339
Theodoredus Rex Gothorum 42
Theodosius Isidori successor, sub ouina pelle lupus voracissimus 53 à dignitate Archiepiscopali remouetur ibid.
Therasia habitu monachali uirginibus dedicatis se adsociat, tandem Oueto mortua 12 monasterio S. Pelagij humatur 89
Tucci urbs 289
Thermuth filia Regis Pharaonis, in repertum Hebræolum misericors 10
Tertia ætatis genealogia 37
Thesauri Ecclesiarum Hispanicarum funditus à Barbaris direpti 87
Theuderedus auxiliantibus Romanis & Ætio, Duce exercitus, Hunnorum victor exitit 46
Theuderedus Wallia Regis successor Romanis infestus, Arelas nobilissimum Galliæ oppidum occupat 46
Tertios uicus 316
Tertullianus Afer 34
Theudefredus Dux Cordubensis, à Rusticia Rege Gothorum duobus priuatur oculis 69
Theudericus S. Eulalia ostentis perterritus à proposito depradandi abstinet 47 ab Eurico fratre suo interfectus est ibid.
Theudiselus Gothorum præfectus 48 inter epulas necatur ibi.
Textura auctrix 6
Tiberis fluuius sic dictus à Syluio Tiberino Rege Latinorum decimo 15
Tiberius Pilatum à Iudæis accusatum mittit in exilium, ubi & sceleratissima Pilati uicia recensentur 31 mors Tiberij ibid.
Titi Vespasiani filij, eruditio, aliarumq; præclarissimarum uirtutum præconia de eodem pulcherrima 33
Tyrus ciuitas tribus annis, decemq; insuper mensibus obsessa, attamen capi non potuit 19
Toletana Ciuitas 24
Toletanus Archipræsul 2
Toletum, ab Adefonso Rege, obsidione cingitur 180
Tota Hispania Romano Imperio à Iul. Cæs subiugatur 26
Totila Rex Gothorum superatur 38
Thracia ferro igniq; deuastatur 44
Traianus Quatuordecim mittit legiones contra Occidentem &c. 34
Trasemundus Rex Vandalorum in Ecclesias Catholicas Tyrannus 38
Tres regni Legionensis, Nobiles sapientissimi 98
Tres Iudæorum captiuitatis, productionis manifestæ, afflictionis & desolationis 18
Triplicis Romanorum Imperatorum Caroli 79
Triptolemeus Agriculturæ Ampliator 10
Tros Rex, Ganimedis pater, ab hoc Troiani nomen acceperunt 12
Turba Martyrum Cordubensium 243
Turbulentus Hispaniæ status Regnante Unitiza 69
Tucitanum Oppidum 301
Tudericus à fratre Impio accusatur 314
Thulga Rex mitis ac Iustus 54 Toleti moritur ibid.
Tullius Hostilius Rex Romanorum tertius primus usus & fascibus & purpura 16 censum in Repub. exegit nusquam alias factitatum ibid.
Tumultus quorumdam in regno Legionensi 114
Thuorus Rex Ægypti alias Polybus 15
Turgellum sancta Crux, Alhonge & quædam alia castra à Fernando Rege acquisita 116
Turris Stratonis 29
Turris Babylonicæ altitudo 8
Thurismundus Theuderedi Regis filius 46

V

Valens Arriana Secta Assecla, in Gothicam gentem, ejusdem erroris virus transfert 44
Valens jacula vulneratus, in villa quapiam comburitur 44
Valerianus, cũ Galieno filio regnans, à Sapore Rege Persarum capitur, luminibusq; orbatus in servitute miserrima consenescit 35
Valerius Grachus avaritiæ deditissimus sacerdotii Principatum palam vendit 30
Vandali cognomine Silingi 40
Vandalorum clades 38
Valentinianus Siciliæ depræda ta, Arrianã inducit hæresin 41
Valentinianus cum tota gente Gothorum fœdus Arrianum 36
Vallis Dei monasterium ordinis Cisterciensis 110
Varii Hispaniæ Incolæ 382
Varro & Cicero nascuntur 24
Vasa aurea D. Petri à virgine quapiam Romana ac consecrata quomodo in tumultu bellico conservata 45
Vascones, datis obsidibus atq; tributis consuetis, à Bamba Gothorum Rege, pacem adipiscuntur 61
Vastones expeditione vastantur 51
Valentinus & Marcion Hæresiarchæ 34
Vaticinium sacrorum Scriba, de è flumine egresso tauro, interitum Ægyptiis minante 10
Venerius Episcopus 330
Vegel Urbs Barbarorum opulentissima & fortissima obsidione capitur 80
Vellitus Arnulfi Sancii Regis percussor 98
Venetorum & Prasinorum bellum civile 39
Ventidius & Sylo principes Herodem in regnum collocantes 27
Veremundus diaconus, filius Numarani, in Gothorum regem eligitur 74
Veremundi Regis liberi 88 & 89
Vespasianus, Galbæ successor, Milite strenuus cum Tito Hierusalem occupando funditus subvertit 33
Victoriarum gloriosissimarum aliquot recensio obtentarum, à Bamba Rege Gothorum 68
Victor Episcopus Ecclesiæ Tunnensis 4
Vicus Nymphianus & Colubris 317
Vigilius Romanus Episcopus 339
Villa bona Veremundi Regis sepultura 89
Vimaranus venustæ faciei & Miles strenuus 73
Vimirus Comes vivus capitur 106
Vinea aurea in qua diversi generis gemmæ pro racemis pendentes 21
Vinum & Mulierum effectus nocentissimus 1
Virgilius nascitur Mantuæ, scribit Poemata de Christo prophetantia 24
Virginum sanctarum Translatio 286
Virginum vestalium prima institutio 16
Vita & passio Eulogii, presbyteri & Doctoris, Martyrisq; beatissimi 223. 224 &c.
Vita & passio B. Pelagii 348
Vitellius à Vespasiani ducibus interfectus, & in Tiberim conjectus est 33
Ulisbona civitas Hispaniæ ab Ulysse condita 13
Vldila condemnatur exilio 357
Vlit Rex Barbarorum fortissimus 70. magnam militum copiam mittit in Hispaniam ad eam devastandam ibid.
Vndecimus Rex Latinorum Sylvius Agrippa 15
Vocabuli Hispaniæ derivatio 3
Vocabuli Caim notatio 6. Cain avarus 6
Vrraca, exulando pœnas persolvit 85
Vrraca Regina liberalis munificentissima erga Ecclesiam D. Iacobi Apostoli 77
Vrraca consilio & probitate pollet 99
Vrraca filia Regis Portugalia 104
Vrbicus, fluvius 47
Vrbicius sanctus 334
Vxores Regis Adefonsi 105

W

Wallia Sigerici successor pacem init cum Honorio Rom. norum Imperatore 46
Wistremiri Archiepiscopi Toletani laudes 58
Wistremirus Martyr 301
Wuitiza Fafilam Chindasuindi Regis filium ac Ducem, justu uxoris, clava percutit. 96

X

Xenophanes scriptor Comœdiarum 26
Xeres cur olim dicta Asta regia 396
Xeuxis pictor 21
Xerxes Darii filius parenti demortuo, succedit, & ob pietatem, multa gloriosa præclarè gerit 21

Z

Zacharias una cum filiis, excepto duntaxat uno posthumo, obrutus lapidibus 15
Zacharie S. Monasterium 329
Zadon, Cadon & Anfilon falsi, Adulphi Episcopi accusatores 86 qui post excommunicantur ibid.
Zapadola Rex 105
Zepherinus Episcopus 35
Zemora à Sarracenis destructa, denuo readificatur 95
Zeno Philadelphæ Tyrannus, dictus Coryla 24
Zoroastes auctor artis Magicæ 8
Zorobabel, Dario familiarissimus, templi exstructionem impetrat 20
Zoyli sancti Monasterium 305

FINIS.

CHARTARVM SERIES ET ORDO,

(?) A B C D E F G H I K K3, L M N O P Q R S T V X Y Z
Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss.
(?) N O P Q R duerniones
cetera omnes terniones.

Error in numeris non te turbare debet dum à pag. 124 ad 135. et à 142 ad 153. & à 160 ad 185. fit saltus.
Contigit id nobis inuitis; operi vero nihil deest.